GASPARIS SANCTII

Dedicatio prioris editionis.

Illustrissimo & Excellentissimo Domino D.

Didaco de Los Cobos, Luna, & Guzman, Marchioni de Camarasa, Comiti de Ricla, & Sabiote, Philippi IV. Regis Catholici a secreto cubiculo, & Serenissimi Infantis Ferdinandi Cardinalis Toletani cubiculario primo.

GASPAR SANCTIVS SOC. IESV S.

OFfero tibi ac dedico, PRINCEPS EXCELLENTISSIME, hosce in Iobum Commentarios, in quibus mihi multum ac diu laboratum est. Opus, quod exire gestit, neque tamen sine patrono audet, in lucem hominumque conspectum: & cum ab auctore ignoto auctoritatis & gratiæ nihil habeat, illam a tui nominis amplitudine ambit & expectat. Quod vt faciam, duo mihi animum addunt, &, vt reor, ab audacia vendicant. Nam licet is sit horum Commentariorum auctor, quem si agnosceres, magno suo merito, a tua tutela conspectuque repelleres; tamen eo me nomine, sat scio, amanter amplexabere, quod illius religionis alumnus sum, tametsi tanta indignus compellatione, quam tu & amasti semper, neque de illa tuenda, ac liberaliter ornanda, studium & animum abiecisti. Deinde quia in augustissima atque lectissima fœmina D. Anna Felice de Guzman, matre tua, illæ maiorem in modum emicuere virtutes, quas in Iobo admirabar maxime; quas dum accuratius expendes, viuum quoddam intueberis maternæ virtutis simulacrum. Quod tibi iterum ac sæpius recognoscere, iniucundum non erit, & ad omne pietatis genus mirificum habebis & domesticum exemplar.

Cum excudendis viri sanctissimi Iobi Commentariis, eiusque rebus præclare gestis explorandis operam darem diuturnam, & non prorsus inertem, in eoque tam in florente, quam in afflicta fortuna, in ætate tam iuuenili, quæ non semper efferuescentes cohibet impetus; quam in senili, quæ ad ferendas molestias minus solet habere roboris & constantiæ, specimen viderem honestæ disciplinæ, mihi ipsi quodam modo gratulabar, quod illum ex omnibus librum elegissem, in quo mihi ipsi proponerem aliquid, quod e tam præclaro exemplari in meis moribus exprimerem; & aliis ostenderem, quomodo contra aduersantis fortunæ impetus ita se compararent, vt neque duris frangerentur incommodis, neque labori cederent desperatione deterriti; neque exanimati ac fracti mœrori succumberent. Vtrumque enim spectauit Dominus, cum Iobum & antiquis sæculis, & nostro etiam æuo, virtutum omnium viuum quoddam & nunquam non recens exemplar exhibuit. Cum hæc omnia in huius libri commentatione longa contemplarer, occurrebat sæpe quod ego aliquando videram, & ab externis non raro, & a domesticis frequenter audieram, de eximiis heroicisque virtutibus D. Annæ Felicis de Gusman Genitricis tuæ, quæ in omni ætate, ab ipsis etiam, vt aiunt, incunabulis, ad ætatem vsque senilem sic religiosæ vitæ rationem instituit, vt omni etiam ætate formam tradiderit & modum religiose viuendi. Cumque in tanta longa ætate multa viderit, pertuleritque, in quibus illius prudentia, virtus atque constantia explorari potuere, sic se in prosperis modeste composuit, vt nun-

nunquam animum extulerit insolenter, sic in aduersis se gessit moderate ac fortiter, vt virile semper robur præstiterit, neque magnanimos vnquam spiritus abiecerit. Id ego admirabar in Iobo; sed neque in Heroide hac, & Hispanarum fœminarum Principe, matre tua, Princeps Illustrissime, minora video, sane non dissimilia virtutum documenta. Quæ ne tibi, qui tantam parentem nactus es, & Societati nostræ, quæ illam iure suo, eoque perquam optimo matrem appellat suam, assentatus videar, & non potius vere sincereque locutus; quæ Iobus ipse de se, aut de Iobo sacra refert historia, quomodo cum parentis optime, præclare ac religiose gestis moribusque sanctissimis, mecum ipse contulerim, paucis expediam.

Princeps erat Iobus, & Rex inter Orientales, si non maximus, aut primus, certe cum primis & maximis comparandus. Ad hæc accedebat prudentiæ tantum atque sapientiæ, vt illo loquente silerent omnes, neque illius in deliberando sententiæ quicquam opponerent. Tanta de illo erat apud omnes ingenii atque integritatis opinio. Sic autem ille de se ipso *cap. XXIX.* *Qui me audiebant, expectabant sententiam: & intenti tacebant ad consilium meum. Verbis meis addere nihil audebant, & super illos stillabat eloquium meum. Expectabant me sicut pluuiam, & os suum aperiebant, quasi ad imbrem serotinum.* Nihil in hoc genere videbatur dici posse sublimius, nihil magis illustre. Sed hoc idem in hac Heroidum suæ ætatis non infima vtrumque videre mihi videor. Si nobilitatem spectem, & natalium eius præclara lumina, fuit D. Anna Felix de Guzman ex illa Gusmanorum familia, quæ non Hispaniam solum, sed totum etiam orbem fidelitatis ad illud tempus nunquam auditæ, & magnarum virtutum eximia gloria, & singulari quadam admiratione compleuit. Quæ tot peperit Metinæ Sydoniæ clarissimos Duces, &c. Ex qua propagata est excellentissima Domus Comitum de Oliuares, quorum primus fuit illius Pater Dominus Petrus de Guzman, filius D. Ioannis de Guzman cognomento Boni, qui sextus in antiquissimæ illius & illustrissimæ domus decus & amplitudinem successit.

Cumque de hac tam augusta fœmina, quæ tot Heroum in se præclara monumenta & decora expressisse & conglobasse videtur, dici possent plurima tam illustri prosapia non indigna, & quæ vix assequi posset historicus stylus, ego plura non dicam, quia illa non admittit hoc breue scribendi & dedicandi genus, & vbi plurima sunt dictu audituque dignissima, pauca dixisse iniuriæ deputant, qui recte atque prudenter de rerum historia, aut etiam oratoria narratione iudicant. Deinde quia hic commemorare illa tantum studeo, non quæ communia sunt generis, sed quæ propria tantæ Principis ornamenta, eaque strictim stylo non exuberanti atque sublimi, sed moderato ac tenui, & illa libare, quæ maxime probabat prudentissima fœmina, quæque a religioso calamo peti & expectari possunt. Deinde quia si hic monumentis historico more mandare voluissem, id quod ab eximiis natalibus accepit ornamenti, & ad hæc quod accessit ex D. Francisci de Los Cobos Marquiorus de Camarasa, & Comite de Ricla, & ab Hispaniarum Regibus Philippo II. & III. Præfecto prætorianæ custodiæ, connubiali nexu, & ex suscepta ingenua ac religiosa sobole, qualem Iobus sibi regnoque restitutus, suscepisse traditur, multo maius videbatur futurum esse volumen, quam quod implerent, qui tibi a me consecrari gestiunt, in Iobi librum elaborati Commentarii.

Quanta Iobi prudentia fuerit, audiuimus. Quanta nunc in lectissima fœmina fuerit, videamus. Vulgatum erat, & ipsis etiam peregrinis & hospitibus notum, in Regia curia, quod perinde est ac si dicas in Hispania tota, in Marchesia de Camarasa illud esse iudicium, eam in rerum administratione prudentiam, vt in dubiis rebus explorandis, in extricandis implexis & impeditis aliorum consilio non egeret: neque in tractandis causis, quas habuit grauissimas, patrono iuris, le-

gum-

gumque consulto, nisi id rerum gerendarum consuetudo, & legitima ratio postularet. Scimus, in rebus dubiis, quarum videbatur difficilis exitus & impeditus nodus, cuius nulla inueniebatur opportuna solutio, a viris etiam grauissimis & consultissimis soltam esse consuli non infrequenter; & successu ipso tandem probari, non insipienter ac frustra ad illud extremum ventum esse consilium. Nemo nescit, quanta in Philippo eius nominis Secundo fuerit prudentia: quam acre in rebus explicandis, intelligendisque iudicium, quod in ætate iam grandæua, multorum annorum experientia confirmarat & auxerat, sed illud etiam notum est multis, qui id publice non obscure testantur, cum viros haberet ætate, sapientia atque iudicio graues, quos ad consilium adhiberet, tantum Regem, cuius esset in toto terrarum orbe præter cæteros nobilitata prudentia, ad consilium aduocare solitum admirabilem hanc fœminam, neque de grauissimis quibusque rebus quidquam statuere, donec illius accederet extrema sententia. Illud ad extremum erat omnium de Marquesiæ prudentia, ingeniique acie ac maturitate iudicium, vt quicquid ex illius ore caderet, oraculum esse crederent, neque vlterius putarent esse deliberandum. Cui perquam belle conuenit, quod de Gorgonia sorore prædicabat Gregorius Nazianzenus, dum illam oratione funebri laudaret: *Quid*, inquit, *illius ingenio acutius? Quippe cuius consilio non hi tantum, qui genere illam attingebant, quique ex eadem plebe atque eadem caula erant, sed vicini etiam omnes communiter vtebantur; eiusque præcepta & admonitiones pro firma & inuiolabili lege ducebant.*

Miramur in Iobo, cum tanta inter Idumæos maiestate, cum tanta opinione sapientiæ, quæ efferre solent insolenter aliorum spiritus, tantam esse modestiam, tantam erga abiectos & sordidos humanitatem, vt neminem a suo conspectu, imo neque a consuetudine familiari respueret. Sed neque minus admiramur in hac Heroide, & tot nobilitata nominibus, tantam fuisse modestiam, vt nihil de se magnum, nihil cogitaret eximium, cum tamen nihil in illa non magnum, nihil non eximium alii cognoscerent. Quem vnquam humilem non est amplexa liberaliter? ad cuius aspectum vlcerosi ac sordidi nauseauit vnquam? quem indigentem & supplicem a sua humanitate reiecit? quis ab illius conspectu mœrens egressus est, qui non recepit aliquod vel a consilio, vel ab auxilio, si eo indigeret, neque leue, neque vulgare leuamentum? Hoc ego nobilitatis eximiæ, & Regii & non illiberalis animi documentum arbitror illustre, ferre posse aut magnam florentemque fortunam, aut magnum nobilitatis ac sapientiæ nomen, quod commendat atque auget aut vulgi prædicatio, aut communis opinio: & cum aspirat fortunæ arridentis aura, quæ leues ac vulgares spiritus inflat, & effert immoderate, stare apud se constantes & immobiles animos, neque se cogitatione aut sensu supra infortunatam & ignobilem hominum multitudinem attollere. Hoc de se prædicabat olim Iobus *cap. XXXI. Si putaui aurum robur meum, & obrizo dixi: Fiducia mea. Si lætatus sum super multis diuitiis, & quia plurima reperit manus mea.* Hoc de se ipsa prædicare potuit augusta, & vere fortunata Marchesia; cui non ista vulgaris, sed altior alia atque cœlestis fortuna potentius afflauit, quæ tam abfuit longe, vt sibi de vulgari fortuna, & fugacium rerum possessione blandiretur, vt illam eo tantum signo a domestica & ancillari turba distingueres, quod se magis, quam ancillas suas haberet in potestate, suosque affectus moderaretur accuratius, & diuinæ omnino voluntati subiiceret. In eo vere Regina ac Domina, quod neque cupiditati vnquam, nec voluptati seruiret; sed se totam diuino alligaret imperio, cui seruire regnare est, & quæ alii gloriam esse putant & ornamentum, ipsa magnam putabat ignominiam: & quasi insigne aliquod dedecus execrabatur & horrebat, neque admittebat nisi coacta, idque ingenuo pudore suffusa facie. Si quidquam de se, suisve

 rebus

rebus honestius audiret, quod recusare non poterat; quia salutationes in Regia curia tam frequentes, quam molestæ sunt (neque omnes, qui salutatum veniunt, in res diuinas aut humanas eodem afficiebantur modo) ferebat ægerrime, & contra de se ea rependebat humilitatis momenta, quæ detergerent, si quid adhærere vanitatis posset ex eo inani salutationum officio. Est ea Societatis nostræ consuetudo laudabilis, vt domuum collegiorumque fundatoribus in fundationis constituto die cereo porrecto fundatæ domus beneficium recognoscat, & recentem semper conseruet memoriam. Quem diem sic horrebat liberalis humilisque fundatrix, sicut alii expectare possent, & expetere illud suæ religiosæ liberalitatis illustre testimonium. Quare nostrorum non tam inuitata, quam coacta precibus, ex suo religioso conclaui, vbi audire solebat Missarum sacra, & longum tempus in orationis otio consumere, egrediebatur pudibunda, ita vt non difficile inuitam illam prodiisse cognosceres. Et si quid a concionatore nostro, de sua liberalitate ac meritis in nostram Societatem honestius audiret, dimisso in faciem velo & obduratis auribus suo sibi pudori consulebat.

Dicebat Iobus, secum pariter miserationem esse natam, neque tempus fuisse in tota ætate vacuum a liberali clementia, neque sibi ex ciborum vsu quicquam fuisse iucundum, nisi cum pupillo haberet atque inope commune. Magna hæc in Iobo, sed in nostra Marquesia non inferiora, quæ vt de omnibus officiose mereretur, eam accepit ab ingenua natura pronitatem, vt non minus diceres innatam illi esse misericordiam, quam propensiones alias, quæ naturam consequuntur humanam (Physici passiones appellant) quas a natura diuelli, illius est tantum facultatis, qui naturæ auctor est, & ipsam quoque potest dissoluere naturam. Largiebatur Iobus pupillo atque inopi ex sua mensa regios cibos, a quibus tamen ipse non abstinebat. Largiebatur Marquesia cibos, quibus luculenta & splendida instruebatur mensa, a quibus tamen sic abstinebat, quasi ad ipsam nulla ratione pertinerent. Et cum illis copiosa & lauta domus abundaret deliciis, quæ nobilem atque morosam gulam, & multorum possent ingluuiem explere; ipsa tamen non tam sumendis sibi quam aut domesticæ atque ancellari turbæ, aut externæ atque indigenti multitudini largiendis epulis pascebatur. Nam quemadmodum, quo erat animo clementi ac molli, cum fame torqueretur aliena; & si esurientem cerneret, ipsa quoque non minus esuriret, sentiretque in se ipsa non leuiter alienæ famis detrimenta, sic etiam dum alienam sedaret & expleret famem, suam quoque affatim explesse videbatur; neque sibi vllo modo satis putabat esse factum, nisi prius egenorum fami satis esse factum agnosceret. In qua, qui illius familiaris viuendi rationem intuebantur, & illi, quibus internos animi sensus ipsa doctrinæ gratia aperiebat assidue (alieno enim arbitratu suas malebat actiones moderari, quam suo) verum esse re ipsa experti sunt, quod magnus docuit Gregorius *lib. 30. Moralium cap. 26.* miserorum nempe damna ad potentium ac fortunatorum animos per commiserationem benignitatemque transferri: *Ille*, inquit, *perfecte tribuit, qui cum eo, quod afflicto porrigit, afflicti quoque in se animum sumit, vt prius in se dolentis passionem transferat, & tunc contra dolorem illius per ministerium concurrat.* Transferebat enim in se alienum dolorem & inopiam, & ad Apostoli similitudinem & exemplar infirmabatur cum infirmis, neque minus studiose ad leuandos infirmorum dolores incitabatur, quam si ipsa iisdem laboraret incommodis. Imo, quod mirere magis, sibiipsi deerat, ne aliorum siue necessitati, siue commoditati deesset. Vnde id consecuta est, quod de seipso testabatur Iobus, vt alioqui perituri pauperis, super ipsam veniret benedictio, & assidua precatio. Quam videtur exaudisse Deus, cum defuisset nunquam, quod liberali manu clementer impenderet, & quatuor excitatis egregieque dotatis religioso-

ligiosorum domibus æterna suæ pietatis monumenta reliquerit. Quarum Societati nostræ, cuius commodis studio inuigilabat impenso, tres excitauit; Cazzorlanum, Guadigensem, & domum probationis Madritanam, quam amauit ornauitque præcipue, in qua ad finem vsque vitæ iucundissime vixit, cui ossa sua (supremum quod potuit donum) commendauit. Quod plurimi facit tota nostra Societas, & quasi munus aliquod e cœlo datum religiose veneratur.

De pietate in Deum multa de se Iobus, qui ne quid in ipsius animo eueniret, quod non probaret Deus; aut quod aliquid etiam leuissimum ab illius possessione decederet, oculis suis seueram indixit legem, ne virginem viderent, ne aliquid in mentem per oculos irrumperet, quod animum lenocinio turpiore ad humanam cogitationem inflecteret, minusque diuinæ habitationi redderet idoneum. Qua in re admirabile fuit, quod ad idem consilium adhibuit, studium, cum nihil esse vellet in se rebusque suis, quod non esset religioni ac diuinæ dispositioni consecratum. Quare ne qua pars vitæ deflecteret a Deo, & ab affectu sui occupatione absorberetur humana, non prius rem aggrediebatur vllam, quam Deo commendaret serio, cuius in omnibus gloriam intuebatur; & illum quasi suorum consiliorum ducem & magistrum de ipsius imperio ac voluntate consuleret. A quo ne vnquam aberraret religiosus animus, & constans in eo hæreret cogitatio, circumfusam se meditabatur a Deo, cuius oculos nihil, quantumcumque ab humanis oculis absconditum, latere poterat, cuius maiestas vbicumque locorum occursabat assidue, quasi seueram rerum, etiam minimarum, rationem exigeret. Quo id efficiebat religiosissima fœmina non difficile, vt se totam Deo lubens impenderet, & nihil vellet ex se, suisque rebus, quoad posset & liceret, religioni & pietati non esse deuotum. Ornamenta omnia, muliebresque delicias, (quas mundum muliebrem Latini vocant) quas tanti faciunt nobiles & elegantes fœminæ, quarum philocalon est atque munditiæ studiosum ingenium, adeo non amauit, vt ab se abdicaret omnino, dum licuit, & in meliorem formam & vsum commutatas religioni atque altari seruire fecerit. In quos vsus maiora, amplioraque bona, facultatesque contulerit, suæ commoditatis atque salutis, si non omnino immemor, ita tamen studiosa parum, vt illius curam omnino deposuisse videatur; Testantur illius pietatis variis in locis excitatæ memoriæ, tria nostri ordinis erecta domicilia, & Carmelitidum monasterium discalciatarum vnum, quæ vt magnifice & luculenter instrueret, neque labori, neque sumptui, neque sibi ipsi, ac vitæ immortalitate dignissimæ pepercit. Quod vt auderet, & exitu felicissimo perficeret, illius sibi proponebat exemplum, sicut in aliis omnibus habuit familiare, qui, vt *2. Cor. IIX.* dicit Apostolus, *cum esset diues, pro nobis egenus factus est.* Neque minori curauit studio; vt quæ sua Deo consecrarat, consecraret suos. Quam filiorum institutioni inuigilauerit, tu melius nosti, Princeps optime, ad quem, vt pote ad primogenitum, pars maternæ illius sedulitatis maxima pertinuit. Testis est frater tuus Illustriss. D. D. Petrus de Guzman, qui nunc Aragoniæ senatui Vicecancellarius meritissime præest. In quo expectare licet, cum ingenii iudiciique præstantia ingenuos mores, & maternæ educationis insigne documentum.

De sorore tua Francisca eademque vere sanctimoniali, quæ a Christi plagis, oblita gentilitii nominis, nomen assumpsit, non est, quod omnia persequar ornamenta, aut religiosæ vitæ argumenta præclara, cum hæc in suæ religionis monumentis, quæ typis mandata piorum teruntur manibus, non vltimum obtineant locum; vbi præter illustrationes a Deo frequentes & varias, alia legimus grauissima sanctitatis indicia, quæ satis ostendunt, qualia fuerint in materno sinu infantilis ætatis incunabula, & maternæ disciplinæ prima rudimenta. Cumque illos non tam sibi atque familiæ propagandæ, quam Deo genuisset, eo incumbebat diligentius, vt ad pietatem,

tatem,

tatem, in qua ſpectatur vera Chriſtianaque nobilitas, magis, quam ad nobilitatem illam, quæ cum impietate ſæpe coniungitur, informaret. Sane de familia tota id frequenti ſermone ferebatur, ſic eſſe a prudentiſſima ac religioſiſſima matre familias inſtitutam, vt viuere potius domeſtici viderentur in clauſtro ad ſeueram diſciplinam, quam in aula, ſplendidaque ac copioſa domo, vbi mores eſſe ſolent, neque nimis honeſti, neque parum in omnem licentiam diſſoluti. Neque id domeſtici faciebant inuiti, cum familiare haberent domeſticum exemplum, a quo occurſabat quotidie perfectiſſima forma honeſtæ diſciplinæ, quod in Domina, quam amabant obſeruabantque, faces addebat ad capeſſendum ſanctitatis ſtudium potentiſſimas.

Quam vero diuinæ voluntati ſeipſam ſerio ac libenter impenderit, norunt illi, quibus ſuas ipſa cogitationes impertita eſt, & qui familiari congreſſu illius ſtudia & mores agnouerunt. Quod ſi ex ſermone viri prudentis interno affectus, ad quos humana ſolertia non aſpirat, explorandos putant, quam Deo omnino deditam exiſtimabimus illam, in cuius ore nihil leue, nihil ioculare, nihil denique non a Dei conſuetudine familiari, id eſt, ab oratione profectum audiebatur. Loquebatur cum Deo frequenter ac diu, de Deo rebusque diuinis frequentiſſime. Neque vnquam ab hoc ſuauisſimo animorum pabulo recedebat, niſi quando ſui ſtatus atque officii neceſſaria ratio poſtulabat. Sed neque tunc prorſus a Deo aberat, cum illud ſciret a Deo impoſitum eſſe munus: & ſanctorum monitis, & exemplis didiciſſet, relinquendum eſſe Deum propter Deum, quia tunc Deo propius & fructuoſius inhæremus, quando ab oratione & amplexu myſtico ad Dei mandatum fideliter præſtandum attentionem & mentem auocamus. Porro ſic orationi vacabat conſtanter ac diu, vt totas ſæpe noctes traduceret inſomnes. Quod obſeruarunt ex noſtra religione nonnulli, qui cum variis temporibus ſub nocturnum ſilentium templum adirent, in quo ſuum ſibi habebat, quod altare maximum ſpectaret, familiare conclaue, ſæpe ibi deprehendebatur; quod obſeruatu difficile non fuit, cum aut verba orantis, aut vocem ſingultantis, aut tusſientis ſtrepitum audirent; cumque ad matutinum vsque tempus orationem produceret, non tamen ad ſolis ortum ab oratione recedebat; ſed audiebat quotquot eo die ad altare maximum ſacra fierent.

Neque defuit, in quo egregium athletam Iobum imitata exemplum ederet patientiæ ſingulare. Mitto, quam acerbe ac diu tentata fuerit illius valetudo, quam non ſolum patienter, ſed etiam alacriter, varia non tantum corporis, ſed etiam animi cruciamenta pertulerit: illud ego magis miror, quod non alii maiori ſtudio cupiant, captentque voluptates, & mollia naturæ blandimenta, quam ipſa reſpuerit: Neque minore contentione & cura afflictiones corporis moleſtas ambierit, quam alii eas auerſantur & horrent. Vidimus Iobum abiectum & pauperem ferentem æquo atque patienti animo paupertatis & abiectionis incommoda, neceſſario tamen cum illorum ab amicis atque cognatis leuamenta quæreret: videmus hoc ipſum, quod horrebat Iobus, deſiderantem & quærentem delicatam fœminam, cui a fortuna omnia adeſſent naturæ ſubſidia, & deliciæ omnes, & ſenſuum lenocinia abunde ſuppeterent. Vere pauper ſpiritu, cui ſatis erat ſuperque, quod extremam aliis patientibus inopiam non videbatur ſatis eſſe futurum, cum aliis ſplendidam inſtruxiſſet menſam, ipſa ſibi tenuem frugalemque parabat alimoniam, quæ famem accenderet magis, quam expleret, heluellas videlicet, & lentem, edulium & natura ſua inſipidum, neque ita artificioſe conditum, vt ab arte ſumeret, quam non haberet a natura, ſuauitatem. Neque ſemel accidit, vt tacite curaret ſibi, vt e ciborum reliquiis, quæ pauperum multitudini famelicæ ac ſordidæ ad oſtium noſtrum de more porrigebantur, aliquid ſibi occultius afferretur, vt ieiuniis, ſenectute ac morbis attenuatum corpus parco illo & vili alimento

mento

mento reficeret. Quod si suo obsequeretur studio, & sua se voluntate regeret, non aliena (quod non semel illi, qui ipsi erat a confessionibus, affirmauit) ad aridum panem nihil adhiberet obsonii. Quo magnorum Principum illustre renouauit exemplum, qui ex eo præclaro ac simili paupertatis amore, maiorem sibi quam ex Regio nomine gloriam pepererunt. Neque maior vestimentorum cura, aut lectuli fuit. Habebat quidem lectum, vt lautam decebat & splendidam fortunam, splendidum & lautum, in quo, si quando illam oppressisset necessitas, breues ducebat, & quasi furtiuos somnos, qui sane lectus, si externam spectares speciem, mollis videbatur, & his, qui suo sibi genio immoderatius indulgent, accommodatus; at ita rigens erat & asper subiecta tabula, vt lassata membra & ossa vix sibi cohærentia collideret potius, quam recrearet & foueret. Et quasi leuis foret hæc tanta corporis ac diuturna vexatio, addebat tamen aliquid, quod breuem illam necessariamque quietem, quietam prorsus atque pacatam esse non sinebat. Vt enim vestita interdiu aut Deo, aut domesticis curis inuigilabat, sic etiam noctu vestita, modicam illam interruptamque quietem vtcumque capiebat. Quod cum fecisset antea sæpe, dum licuit, ad extremum vitæ tempus, quasi legitimum esset atque solemne hoc durum afflictionis genus, per totos viginti tres annos perpetuo seruauit: libet hic de Illustrissima hac & patientissima fœmina quam verissime dicere, quod de Gorgonia sorore huic quam simillima exclamando dixit Nazianzenus: *O animam, corpus pene sine cibo, velut materiæ expers, retinentem, vel vt rectius loquar, o corpus etiam ante disiunctionem mori coactum, vt anima libertatem nancisceretur, nec a sensibus impedimenti quicquam acciperet! & noctes insomnes, & stationem ex die in diem desinentem! O tenera membra humi prostrata, ac præter naturam sese exasperantia!* Hæc de Gorgonia Nazianzenus; hæc nos de Marchisia non minori iure. Hoc Bernardus longum putabat, durumque martyrium, quod non a tyranno atque carnifice subiit religiosus, sed a seipso, qui multo in seipsum sæuit pertinacius & durius, dum pœnas infligit sibi, & necessaria subducit vitæ subsidia, quam omnis tyrannorum armata feritas & truculenti inclementia carnificis. Durum antiqui expressere in suo Tantalo supplicium, cum illum in medio aquarum gurgite statuerunt sitientem, cum tamen illi neque arentia labra liceret abluere, & inter generosos arborum fructus, quos tamen extrema confectum fame nefas esset attingere. Tale sibi supplicium indixerunt vltro, qui ab his commodis abstinuerunt, quibus abundabant, & quibus inferior & subdita familia ad satietatem vsque fruebatur. *Quid*, inquit Bernardus, *mirabilius aut quod martyrium grauius est, quam inter epulas esurire? inter vestes multas & pretiosas algere? paupertate premi inter diuitias, quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster iste appetitus?* Hoc verum paupertatis, atque patientiæ perfectæ ac veræ documentum est. Non sane mirandum est atque laudabile, si quisquam humi cubet, & sub aperto cœlo, cum frigida est atque horrida tempestas, si domo caret & lecto, neque si nudus incedat, aut male siue ignominiose vestitus, cum vestimentorum nulla sit copia: aut sitiat, vel esuriat, si neque bibendi datur, aut edendi potestas: hæc subire cogit non paupertatis, sed dirum necessitatis imperium, cum ea, quibus caret in eo rerum articulo, desiderat valde, & impenso sibi pararet pretio, aut ab inuito raperet, si aliter sibi comparare non posset. Quibus in paupertate auarus est animus, in ciborum inopia inhians ingluuies, in extrema nuditate summum ornamentorum & elegantiæ desiderium. Explicuit hoc perbelle Seneca *epist. 42.* quorum hic verba repetam, quia & veras virtutes non obscure docent, & Illustrissimæ Heroidis ornamenta commendant. *Multorum*, inquit, *quia imbecilla sunt, latent vitia, non minus ausura, cum illis vires suæ placuerint, quam illa, quæ iam felicitas aperuit. Instrumenta illis explicandæ nequitiæ desunt. Sic tuto serpens etiam*

 pesti-

pestifera tractatur, dum riget frigore. Non desunt tunc illi venena, sed torpent. Multorum crudelitas, & ambitio, & luxuria, vt paria pessimis audeat, fortunæ fauore deficitur. Eadem velle eos cognosces, da velle quantum possunt. Quid non potuit, quæ tam erat nobilis, tam potens, tot fortunæ atque naturæ cumulata muneribus? a quo non abstinuit, cum nihil tentatu foret, obtentuque difficile? Quid non est aggressa, a quo vehementer abhorrere solet delicata ac mollis natura mortalium? Sed quod ab eius animo dira necessitas non exprimeret, expressit, & naturæ bonitas a bonis (hoc enim est Gusmanorum familiæ illustre cognomentum) deriuata natalibus, & singularis pietas, & innata clementia: quæ vrgent pios & ingenuos spiritus multo vehementius, quam si dura instimularet necessitas, aut tyrannorum inclementia compelleret.

Dixi breuiter, quæ longiore forent, & magis exculto referenda præconio: dicent alii, opinor, accuratius & pluribus. Ego vt potui minus quam vellem erudite ac longe: non minori tamen quam alii Illustrissimæ (tuæ ne dicam, Princeps optime, an nostræ parentis?) præclara gesta ornandi desiderio. Sed quod ego pluribus explicare non potui, explicuit paucis Nazianzenus in oratione funebri patris sui, vbi, dum Nonæ màtris ingenium, prudentiam & pietatem expressit, veram & viuam matris tuæ ac nostræ depinxit imaginem. Sic autem ibi de matre Nazianzenus: *Cum aliæ fœminæ rei familiaris augendæ laude, aliæ pietatis gloria excellant (vtrumque enim assequi difficile est) vtroque nomine mulieres omnes superauit, tum quod vtrumque horum ad summum vsque præstiterit, tum quod sola duo ista complexa fuerit. Rem enim domesticam solertia & industria sua iuxta leges mulieri forti a Salomone statutas ita auxit, quasi pietatem colere nesciret: Deo rursus, ac diuinis rebus ita sese addixit, tanquam a rerum domesticarum procuratione plurimum abesset. Neque ab alterutro horum quicquam impedita est, quominus alterum impleret, quin potius vtrumque alterius ope fulciuit & confirmauit.* Quod de sua matre Nazianzenus, id de tua nos eodem iure ac merito affirmare possemus. Hæc est effigies parentis optimæ, & verum illius & germanum elogium, quale de muliere forti habemus a Salomone egregie descriptum. Cui illud addam, quod de muliere forti cecinit Salomon, & in matris suæ elogio omisit Nazianzenus: *Surrexerunt filii eius & beatissimam prædicauerunt.* Quod faciunt illi, qui proprie illius filii vocantur, dum maternæ virtutis in suis moribus similitudinem exprimunt, quo a filiis parentes nullum possunt maius habere præconium: & in eo sanctissimæ matris genuinam prolem se esse fatentur, quia sanctitatem illam præ se ferunt, quam ex illius exemplo & sanctissima disciplina hauserunt. Faciunt item complures alii non naturæ, sed pietatis filii, quos illa non minus indulgenter & liberaliter aluit in tribus domibus, quas pro illorum habitatione construxit, quos, dum ipsa viueret, singulari humanitate ac liberalitate complexa est, & annuis redditibus in posterum ad necessarios sumptus abunde prouidit. Hi igitur quotidie referunt, quas debent, gratias, referentque, vt spero, quamdiu hæ stabunt domus, id est, immortales & æternas. Et quod sibi contigisse prædicabat Iobus ab his, quos ille vestimentis induerat, & alimento pauerat: *Si non benedixerunt latera eius, & de velleribus ouium meorum calefactus est.* Hoc idem agnoscet mater eo in loco, vbi cum cœlitibus beatum agit æuum ab his quorum latera vestimento confouit, calefecitque. Quod ego nunc omnium nomine præstare studeo, dum illius memoriam stylo meo qualicumque renouo, quod mihi iam pridem erat in votis, & nunc primum facio, dum illius in Iobi commentariis imaginem intueor. Quam in tuo nomine, Princeps Excellentissime, apparere volui, tum quia audire aliquid de parentum gloria ingenuis filiis non potest esse non iucundum: tum quia id quoque tibi debet, neque obscure præ se fert nostra Societas, quem de se optime cogitantem sciat, neque magis ma-

ternæ

ternæ nobilitatis, & bonorum, quam beneuolentiæ in nostrum ordinem, & eximiæ pietatis hæredem. Quare vt illa omnia nostra, licet exigua & inornata, accipiebat hilariter, neque hæc, licet rudia & vilia, respueret, nisi ea fortasse de causa, quod de suis meritis aliquid audiret honestius; sic puto accepturum te non illibenter, qui illius expressisti mores & ingenium, si quid tibi minus elaboratum & excultum obtulero, consulturumque bene meam siue inurbanitatem, siue audaciam, cum id agam præcipue, vt tuo studio ac voluptati seruiam, & Societatis nostræ animum multorum meritorum memorem gratumque profiteat. VALE Princeps Optime, quem Deus Opt. Max. nobis quam diutissime præstet incolumem.

GASPARIS SANCTII
PRÆFATIO AD LECTOREM.

QValis, quantusque fuerit inter Idumæos vir sanctissimus Iobus, quem Deus patientiæ singulare quoddam exemplar esse voluit, non est cur a me audias, benigne Lector, cum res sit vsque adeo celebrata & nota, vt nimis ille, si quisquam est, in omni eruditione peregrinus & hospes censeri debeat, cui ignotum sit, quam vir hic eximius fuerit assidue, quam acerbe iactatus, & qualia hominibus in perferendis malis documenta dederit. Quod suis ipse verbis non semel explicuit; & nos in nostris commentariis, de illius, in laboribus, tolerantia non pauca. In quibus licet huius libri proprium & genuinum sensum consectemur, non tamen sic toti hæremus literali sensui, vt non aliquando, ipso admonente textu, ad morales sensus excurramus, non tamen immodice, nostri muneris vbique memores. De obscuritate libri satis egimus, opinor, accurate Prolegomeno 9. vbi illius causas aliquot adduximus, quas inde petere promptum est. Aliam tamen hic addemus, quam tibi esse exploratam, & tua nonnihil, & nostra multo magis intererit.

Scripsere in hunc librum, aut nulli ex antiquis Patribus, aut non nisi paucissimi commentarios: aut certe, quod mihi videtur non improbabile, cum scripsissent illos, exciderunt tamen, neque ad nostram peruenere memoriam. Non dubito scripsisse Hieronymum in librum Iob, luculentum aliquid, quod ipse testatur in suis commentariis super Amos ad illud cap. V. v. 19. Innitatur manu sua super parietem, & mordeat eum coluber. Tunc, *inquit*, mordebit nos coluber, qui in præsenti loco Nahas, in Iob appellatur Leuiathan; de cuius natura & terrore multiplici plenius in ipso volumine diximus. *An ipse in Iob luculentos ediderit commentarios, ignoramus; tractatum esse hunc locum luculenter, ab ipso docemur. Sed si quid ille scripsit, periisse arbitror, sicut alia magnorum Patrum interiere monumenta præclara. Hos sane commentarios, qui tomo octauo sub Hieronymi circumferuntur nomine, Hieronymi non esse, multis probat Marianus Victor, in quadam ad illius commentarios præfatione. Quod quidem ex illorum stylo & commentandi modo non inepte coniectat, docetque ita visum esse compluribus aliis. Certe visum est nuper Cardinali Bellarmino in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis. Hoc autem opus Bedæ tribuitur a Victorio: ab aliis Philippo cuidam Hieronymi discipulo; de quo nihil habemus exploratum ac certum. Ego cum ex illis commentariis aliquid produco, Hieronymum plerumque testor, licet aliorum nomina interdum appellem: quia tanti Doctoris nomen libenter audio, & ab illo, sententiæ, quam amplector, non leuis conciliatur auctoritas. Commentariorum, qui præfixum habent Origenis nomen, communis hominum sensus alium cognoscit auctorem, cuius tamen no-*

men aut ignorat aut silet. Idem alii iudicant de S. Thomæ commentariis, qui Angelico Doctori suppositi creduntur ab aliquo, qui tamen a quocumque fuerint elaborati, contemnendi non sunt, cum singularem habeant doctrinam, & ingenii plurimum: in his est Bellarminus lib. 2. de Scriptor. Ecclesiast. cuius est idem de S. Thoma, & de Origene in ea commentatione iudicium. De vtroque dubitat, & iisdem verbis suam de vtroque sententiam pronunciat. id te, benigne Lector, scire volui, ne quid tibi mirum, aut alienum videatur, si quando aliter a me, & ab aliis aliter atque aliter locum aliquem allegari videas: quia de illorum scriptorum nominibus nihil quisquam habet omnino certum.

Scripserunt etiam alii Græci Patres, sed pauca, & strictim, quorum verba breuem quandam nexuere catenam, quæ Græcorum dicitur Patrum, quam Latinam fecit nuper ex nostra Societate Paulus Comitolus. Sed quæ ibi legimus, neque multa sunt, neque pro tanti libri obscuritate ac mole satis videntur curioso Lectori allatura subsidii. Scripsit Augustinus Annotationes quasdam, sed admodum breues in librum Iobi, quas tamen ipse parum probat, aut potius retractat, & damnat. Et pene suas esse negat, cum scriptæ fuerint parum accurate, & excidisse potius, inuito auctore, quam ab illo in lucem publicumque conspectum prodiisse videantur. Quare in Augustino, Augustinum agnoscere non libet. Nunc Augustinum de seipso, & de illarum Annotationum iudicio loquentem audiamus lib. 2. Retractationum cap. 13. Liber, *inquit*, cuius est titulus, Annotationes in Iob, vtrum meus habendus sit, an potius eorum, qui eas, sicut potuerunt, vel voluerunt redigere in vnum corpus descriptas de frontibus codicis, non facile dixerim. *Et paulo post*, Postremo tam mendosum comperi opus ipsum in codicibus nostris, vt emendare non possem, nec editum a me dici vellem, nisi quia scio fratres id habere, quorum studio non potuit denegari. *De Gregorio id dico, quod negare potest nemo, grauissimos edidisse commentarios diuinum aliquid vbique spirantes. In quibus licet mirificam tanti Doctoris sanctitatem agnoscere, & admirabilem de virtutum vitiorumque natura, de religionis studio, religiosoque progressu doctrinam. Sed cum id spectet magnus Doctor, non adeo curauit, commentarii vt essent literæ tenaces. Atque ideo non magno mihi fuere subsidio, qui id curaui maxime in hoc meo qualicumque labore, vt germanos e litera sensus eruerem. Quod fecerunt alii item in hoc nostro sæculo, quibus habendæ sunt gratiæ, quod rem tentauerint non adeo expeditam & facilem & ab aliis pene omnibus ad hæc vsque tempora derelictam. Quod meum in his commentariis studium fuerit, nuper audiisti, quantum operæ atque studii posuerim, ipse mihi sum conscius, & tu ipse nonnihil ex hac antiquorum commentariorum inopia coniectare poteris. Quid in hac contentione pene continenti ac longa consecutus fuerim, neque cogitare audeo. Id velim tibi persuadeas, eo me incubuisse præcipue, tibi vt aliquam afferrem commoditatem & vsum; quod si obtinere non potui, boni, credo, consules voluntatem & operam.* VALE.

PRÆFATIO

PRÆFATIO

Nouæ Editioni præmiſſa, & vitam Autoris complexa.

SOlet aliquando probatioribus nummis illud euenire, vt licet in primam ortus ſui officinam redire nequeant, rareſcant tamen, atque e communi hominum aſpectu celebritateque auferantur. Cui vt mederentur malo Imperatores, qui ante Romani Imperii cladem vixerunt, iſtorum effigies, quorum aut nulla aut aliqua tantum copia reſtabat, reddiderunt, feceruntque hac noua exemplorum editione, vt cum memoria vetuſtarum imaginum, hiſtoria quoque temporum ſarta tecta præſtaretur. Quod nummis, illud libris tanquam aureis ingeniorum monumentis ſæpenumero contingit: quorum tanta repente raritas, vt velut in alterum orbem abiiſſe, aut ſibimetipſis interitum acceleraſſe videantur. Certe dubitamus, quid de GASPARI SANCTII Commentariis in Iobum ſit dicendum: Cuius licet in reliquos S. Codicis libros Interpretationes affatim extent, teranturque legentium oculis, inque publicum vſum ſæpe proferantur: hi tamen ita fuerint diſperſi, vt difficillimo plane & diuturno ſtudio vix quoddam illorum exemplum nanciſci potuerimus. Non examinabimus cauſas, ſed raritati conſulemus, denuo typis deſcribendo Auctorem antehac Lugduni Anno 1625. editum, cuius ingenium non ad vnius ſeculi viciſſitudinem, ſed ad immortalitatem cœlo ad nos dimiſſum fuit. Hiſpania hunc virum tulit, cum aliis duobus eiusdem nominis, *Granadenſi* nempe atque *Nauarro*, quorum paulo minor extitit virtus, a quibus noſtrum, Patria Centum Puteolana facile diſtinguit. Vitæ vſuram hauſit A. R. S. MDLIV. Parentibus vſus probis, quos tamen ille, qua circumcingebatur modeſtia, vltra integritatem morum non extulit. Horum felicitati adſcribas, quod præter probitatem mentis, optima & capaciſſima in GASPARVM indoles influxerit, eaque illius ſodalitatis commercio dedicanda, quæ a Ieſu nomen trahens maximam ſui admirationem ſed cum inuidia in omni prope terrarum orbe peperit. Nempe nata tum erat illa ſocietas, inque ipſo ortu ſuo, bonarum, quas vbique tradebat, literarum laqueis, hominum animos, & maxime Iuuentutis conſtringebat, quibus ſe ſponte GASPARVS irretiendum ac plane deuinciendum dedit. Occania prima illius incrementa vidit Sodalitati tantopere placentia, vt ipſi, XVII. ætatis anno, ad ſuam militiam accedendi commeatum daret. Cui, licet ſummo obſequio litaret, non ita tamen nominis celebritatem euitare poterat, quin adoleſcens adhuc ſummorum & excellentium hominum beneuolentiam aſſequeretur. Hos inter *Ferdinandus Toletanus* Senior eminuit, Vir tantis virtutibus præditus, vt ſæpius ad Præſulatus ampliſſimos, ſemel ad Purpuram Cardinalitiam fruſtra peteretur: animo nempe vel tam excelſo, vel tam humilitatis ſtudioſo imbutus, vt ſe honoribus maiorem, aut quod malim, imparem, contra nitentibus aliis, haberet. Quod rarum exemplum cum ſtupore SANCTIVS intuens gratulatus eſt *Ferdinando* de repudiato titulo, ipſi vero etiam Hiſpaniæ, quod virum genuiſſet talem, cuius animum nec caperent nec titillarent ampliſſimæ huius dignitatis inſignia. Sed inter hæc ſodalitati deditus, operam primum præſtitit in imbuendis ad humanitatis ſtudia Iuuenum animis, ampliſſimaque diligentiæ experimenta tum in Ciuitate Oropeſana, tum in Collegiis Huëtano & Matritano dedit; vbi licet deliteſcere crederetur, ſatis tamen ingenio modeſtiſſimo erat, aliis prodeſſe, eumque exinde fructum capere, quod innumeri alii, ſuas vel ingenii vel fortunæ opes ad ipſum tanquam auctorem transferrent. Sane præter alios palmam ipſi gratæ mentis detulit *Albarus de Villega* illuſtri ſtirpe ſatus, *Ferdinandique*

Cardinalis Infantis Hiſpani in adminiſtratione perpetua Archi Præſulatus Toletani Adiutor, de quo ipſe SANCTIVS ait: Primos ingenii tui præclaros impetus, & ad ſplendorem & gloriam erumpentes obſeruabam attente, & mecum tacitus iucunde verſabam. Atque vnus ille e multis ſufficiat, quum campum videam turmis eorum refertum, quorum animos ſedula felicique manu triginta annorum ſpatio ad omne decus compoſuit. Iam quum putaret ſibi in his porticibus conſeneſcendum, Societas illum ad Collegium Complutenſe vocat, diuini Codicis Interpretem acturum, perſuaſa nempe, Inundationibus Romanam Fidem eo tempore prementibus non melius obuiam iri poſſe, quam ſi Oraculis diuinis, in ſe, rupto aggere deriuatis, iidem obices ponerentur. Nolumus effari, quot quantaque volumina tum exarata fuerint, nec quo euentu, aut in publicum commodo: illud aſſeramus liceat, SANCTIVM, quo magis ætate, eruditione, iudicio, addo etiam probitate, modeſtiaque maturus ad tantum negotium accedebat, tanto maiores, vberioresque fructus, eosque tantopere ſapidos & coctos edidiſſe, vt illis etiam, quibus tum ſciſſio placebat, magnopere arriderent. Afferebat ad iſtam Scripturæ Interpretationem præter diuinam gratiam ſuum, quod eſt ſemper, quousque admittitur facientem, inſignes naturæ dotes Linguarum, maxime in id neceſſariarum exactam notitiam, omnisque præterea eruditionis & antiquitatis copiam, animum defixum, & diuturnæ meditationi aſſuetum, neque repentinas effuſiones ſummopere appetentem. Inprimis verba diuina ita ponderare, atque ita amare ſolitus erat, vt non temere inde deflecteret, aut allegoricas Interpretationes, quibusdam veterum prope cum dedecore & damno veritatis dilectas inueheret, ſed tanquam parum ſolidas, ſomniis potius atque vmbris accenſeret. Id quod *Franciſcus a Ieſu de Xodar* apud Matritanos in Sodalitate Carmelitarum degens agnoſcens, SANCTIVM in ſenſu literali eruendo feliciſſimum profitetur. Iuſta plane ſententia, quam Commentarii, vaſti licet & numeroſi, omnes vero maximo cum iudicio ſcripti, iamque, quod ad præcipuos ſpectat, referendi, ſatis confirmant. Primum itaque eruditionis ſacræ ſpecimen in Eſaiæ vaticiniis exhibuit, in cuius explanatione quinque annos impendit, vnde cum Anno R. S. MDCXIV. primum fuerit editus, colligimus eum MDCIX. huius Interpretationis fundamentum ieciſſe. Putabat enim ſibi ab hoc incipiendum, eo quod diuus Mediolanenſium Præſul *Ambroſius* huius Vatis Lectionem *S Aurelio Auguſtino* ſummopere commendaſſet. Quanquam autem multa explicatu difficilia deprehenderet, atque in connectendis oraculis admodum laboraret, nihilominus ingentem iſtam telam adeo pertexuit, vt Sodalitatis iuxta & exterorum plauſus, atque laudabile iſtud Elogium ſibi acquireret, Opus hoc ſtyli candore, eruditionis varietate, ingenii acumine ſummopere eſſe commendandum. Neque aliter ſibi faciendum putabat Sanctius, cum opus hocce, tanquam Primogenitum ſuum, ipſius Sodalitatis auctori *S. Ignatio* conſecrare dudum conſtituiſſet. Eodem anno vt multiplici partu fœcunditatem ſuam oſtenderet, ſuos in Actus Apoſtolorum enarrationes edidit, atque Illuſtriſſimo & excellentiſſimo Principi *Franciſco Mendozæ* Almiranti Arragoniæ Sodalitatis Patrono, atque propemodum ſodali & contubernali ſuo dedicauit: ad cuius explicationem ea propter ſe conuertit, quod opus Actuum Apoſtolicorum difficile, obſcurum, ſalebrisque interruptum, & ab optimis acerrimisque ingeniis nondum ſatis perſpectum, ſolo excepto Salmerone & Lorino, putaret. Accedebat vtilitas vel ipſi Conſtantino M. Imperatori perſpecta, qui geſta illa candelabris aureis per imagines inſcribi fecit, vt *Thomæ Stapletoni* ſententiam taceam, qua illud opus ad conuincendos hæreticos aptiſſimum in *Antidotis* iudicauit. Calci adiecit eruditum opuſculum in tres partes diuiſum de Apoſtolorum *Iacobi* & *Pauli* in Hiſpaniam adventu, in quo, ſuo potius an aliorum imperio fuerit obſecutus, ipſa eius verba pandent: Faciendum mihi exiſtimaui,

ſtimaui, vt quorundam monitis, aliorum tandem imperio obſequerer, & Homo Hiſpanus pro Hiſpana religione certarem. Innuit autem iſtum Iacobi ad Hiſpanos acceſſum fieri potuiſſe, & re ipſa factum: contrarium autem aſſerentes imprimis *Ioannem Boſcum* ſtylo parum moderato in hac diſputatione vſum, refellendum eſſe. Non ita multo poſt *Ieremiam* eodem commentandi genere interpretatus eſt, nihilque vel operæ, vel induſtriæ reliquit, vt obſcura acciperent lucem, & omnia ſuo connecterentur apto & perpetuo filo, eumque *Ioanni Hurtado de Mendoza*, Infantatus Duci dedicauit. Iudicium de eo opere *Ioannes Claudius Devillius* Canonicus Lugdunenſis tulit, doctrinam Eccleſiæ Romanæ ſumma cum eruditione eſſe coniunctam. Eandem diligentiam in ponderandis ſanctiſſimi Vatis fletibus ſ. Threnis, caris nempe ſibi, & quibuſuis lapillis pretioſioribus impendit: quos in Elegiacum carmen, ſuam, & Vatis grauitatem teſtaturum iam tum Iuuenis transfuderat. Rectoque inde itinere ad Ezechielem abiens, quæ dudum in ipſum fuerat meditatus, nouo labore diſpoſuit ac perpoliuit, Seculi XVII. Anno XIX. publicauit, gratulantibus Sociis, e quibus ANTONIVS PERERIVS iudicauit: hoc opus adeo perfectum, vt nulla omnino manu aut lima indigeat: GASPARVS HVRTADVS ſeſe in admirationem abreptum agnoſcit: GVILELMVS autem ALBORNOTIVS exactiſſime elaboratum ſuaque ſocietate digniſſimum pronuntiauit. Quin ipſe etiam SANCTIVS, bene egregieque factorum conſcientia fretus, modeſtiæ tamen iuxta incumbens ait, ſe, licet non ad omnia Vatis arcana admiſſum, ita tamen diuinæ ſapientiæ pulſaſſe fores, vt ea ſuo conatui præluceret. Vnde hoc ipſo opere Societati veluti quoddam præmium reddere voluit de ſua iam olim facta receptione, adeo nempe ſibi exoptata, vt Commentario finem impoſiturus hisce verbis exultaret: Abſoluta hæc ſunt Anno MDCXVII. nono Kal. Martii, qui dies mihi candidus effulſit & lætus, redibitque quotannis feſtiuus & ſacer. In eo etenim Deus me ſingulari beneficio complexus eſt, cum in filii ſui ſocietatem adſcripſit anno abhinc XLVI. pro qua eximia in me liberalitate gratias illi ago, agamque, vt de ipſius bonitate confido, ſempiternas. Iam equidem ad famæ perennitatem hi libri ſuffecturi videbantur: at ipſe laboribus inuictus alterque Chalcenterus, ad Danielem Vatem verſus, forte inſtinctu ANTONII ZAPATÆ Purpurati Patris, triplicique Præſulatu Gaditano, Pampelonenſi, Burgenſi, & Cardinalatu inſignis: a quo cum Sodalitatis Collegium Matritanum copioſa Bibliotheca exornatum eſſet, SANCTIVS inſigni illo Commentario gratæ mentis ſignificationem edere voluit: magno tamen honoris fructu in ipſum per *Hernandi de Salazar* cenſuram redundante, qua ſtatuit, magnum ſibi in hoc Opere SANCTIVM videri, quandoquidem non ſolum aliorum, ſed ſuam quoque dignitatem longe ſuperarit. Poſtquam difficillimum illud iter felici curſu peregiſſet: ad eos, quos Minores vulgo Prophetas vocant, ſe conuertens, non tamen minorem diligentiam attulit, ſed eam, quæ a ROBERTO BERTHELOTO Epiſcopo Damaſceno & Orthodoxæ doctrinæ, & ſummæ eruditionis laudem ferret. Quanquam autem impoſſibile videretur, ab vno homine, atque innumeris quaqua verſum curis diſtracto, tanta ſuſcipi, quæ vix a Collegio integro peracta forent: attamen præclaræ mentis alacritate, roboreque ſubnixus, Hiſtoricos quoque S. Codicis libros tanto felicius abſoluit, quod omnem ætatem, viresque & omne ingenium a teneris ad eorum illuſtrationem conferre ſtatuiſſet: & illos quidem grauiſſimo Viro AVGVSTINO SPINOLÆ S.R.E. Cardinali venerabundus obtulit, ita tam pretioſum ingenii monumentum ſuſcipienti, quemadmodum argumenti maieſtas & Commentatoris præſtantia poſtulabat. Atque inde vno Volumine Libros Ruth, Eſther, Nehemiæ, Eſdræ, Tobiæ, Iudithæ, Maccabæorum ſic explicuit, vt multos alios Interpretes, ipſumque Serrarium iſto quidem perſpicue interpretandi

tandi genere ſuperaſſe credatur. Neque inanem vatem ANTONIVS PERERIVS egit, dum SANCTIO indelebile nomen, Lectori tam perſpicuum lumen ex horum Commentariorum Lectione promiſit, quo & ad intimos Scripturæ ſenſus & arcana penetrare poſſit. Certe ſi quis diligenter illos perluſtrauerit, cognoſcet, quosuis Ebræos, Chaldæosque Interpretes ab eo eſſe conſultos, nec tamen cum ambitioſa oſtentatione citatos: ſatis enim habebat SANCTIVS, neruum & ſuccum extraxiſſe, lectorique dulcisſima quadam ratione propinaſſe. Igitur pasſim rara nec vbiuis obuia apud ipſum legas: qualia ſunt quæ de Paraphr. Chaldaica, de variis Dialectis Linguæ Ebrææ, de Dialecto Moabitica in Libro Ruth deprehenſa erudite ab ipſo diſſeruntur. Ecquis vero dubitet pari mentis ardore eum ad Cantici Salomonæi Interpretationem abreptum, inque ea cœlitus adiutum fuiſſe, de qua tamen noſtram ſententiam differimus, cum nondum ea a nobis fuerit viſa, atque perlecta. Vltimum æternæ diligentiæ Sanctianæ ſpecimen Iobus eſſe debebat, quem ſibi operum ſuorum complementum ſtatuerat, Patres imitatus, qui libris quibusdam veluti immori cupiebant, quemadmodum ab Auguſtino in enarratione Pſalmorum factum fuiſſe cognouimus. Ita igitur, quo magis fato ſuo, ſuoque ad Diuos receptui propior, tanto excellentior illa debet opera haberi. Nos, a cuiusquam inſectatione modeſte abſtinemus: illud tamen reticere non poſſumus, Gregorium fortasſis M. ſi viueret, hunc noſtrum grato oculo ſuſcepturum, aut quandam D. Petri Evlogiam in gratæ mentis teſſeram oblaturum fuiſſe: quo minus mirandum, ſi illum inter Pinedas, Bolduccios, vt alios, a fide Romana alienos, tranſeamus, illuſtri loco collocemus. Nempe illud orbis vniuerſi iudicium eſt, ambabus manibus hunc Senectutis fœtum ſuſcipientis, tantaque olim auiditate ementis, vt dudum omnia exempla diſparuerint, ac difficillimo negotio, eius Commentarii copia potuerit haberi. Iam cum interſit Eccleſiæ, publicæque rei, diligenti manu eos verſari, qui ad diuina oracula viam pandunt: communi conſulendum vtilitati duximus, reddendo hos in Iobum Commentarios, quorum lectio præter immenſam voluptatem ingentem ſacræ pariter humanæque doctrinæ cumulum ſuppeditabit.

Facultas

Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunensi.

IOANNES FORERIVS Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunensi, iuxta priuilegium eidem Societati a Regibus Christianiss. Henrico III. 10. Maji 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante, 14. Febr. 1611. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos; absque superiorum permissione imprimant: permittit IACOBO CARDON & PETRO CAVELLAT, Lugdunensibus Bibliopolis, vt librum hunc inscriptum, *Gasparis Sanctii Soc. IESV Theologi, in lib. Iob Commentarii cum Paraphrasi*, ad sex primos annos imprimere, ac libere diuendere possint. Datum Lugduni 12. Nov. 1624.

I. FORERIVS.

APPROBATIO THEOLOGORVM.

NOs infrascripti Sacræ Theologiæ Doctores fidem facimus, nos librum qui inscribitur, *Gasparis Sanctii Soc. IESV Theologi, in lib. Iob Commentarii cum Paraphrasi*, perlegisse, in quo nihil fidei orthodoxæ Catholicæ atque Apostolicæ contrarium animaduersum. Lugduni 14. Nouembr. 1624.

Fr. ROBERTVS BERTHELOTH Episc. Damasci.

DE VILLE.

R. D. D. Thomæ de Meschatin la Faye huius libri imprimendi facultas.

THOMAS DE MESCHATIN LA FAYE, Comes, Canonicus, & Camerarius Ecclesiæ Lugdunensis, & Vicarius Generalis in Archiepiscopatu Lugdunensi: Opus inscriptum, *Gasparis Sanctii Soc. IESV Theologi, in lib. Iob Commentarii cum Paraphrasi*, a Theologis approbatum, vt in lucem edatur, facultatem concedo. Lugduni 20. Nouembr. 1624.

MESCHATIN LA FAYE.

Summa Priuilegii a Christianissimo Galliarum Rege concessi.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis Diplomate sancitum est, ne quis in regno suo, aliisue locis ditioni suæ subiectis, intra decem annos, a prima editionis die computandos, excudat, vendat, excudendum, vendendumque quouis modo, & ratione curet librum, qui inscribitur, *Gasparis Sanctii Soc. IESV Theologi, in lib. Iob Commentarii cum Paraphrasi*, præter IACOBVM CARDON & PETRVM CAVELLAT, Bibliopolas Lugdunenses, aut illos, quibus ipsimet concesserint. Prohibitum insuper eadem auctoritate Regia omnibus suis subditis, eundem librum extra regni sui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere, ac instigare, sine consensu dictorum IACOBI CARDON & PETRI CAVELLAT. Idque omne sub confiscatione librorum, aliisque pœnis originali Diplomate contra delinquentes expressis. Datum Parisiis die 11. Decembris 1624.

De mandato Regis,

Signatum

RENOVARD.

INDEX

Locorum Scripturæ Sacræ, quæ in his Iob Commentariis explicantur.

Cap.

INDEX

Regularum Sacræ Scripturæ, quæ in his Commentariis continentur.

INDEX PROVERBIORVM.

IN LIBRVM

IN LIBRVM IOB COMMENTARII.

pag. 1. a QVod in aliis Commentariis, quos ad hoc vsque tempus in lucem dedi, perpetuo, & quasi legitime seruaram, id etiam in hoc opere, cuius expositionem aggredior, faciendum mihi existimaui, ne aut a meipso dissiderem, eo mutato ordine, quem videbam aliis non improbari, & quia aliter videbam aliquid omissum iri, quod studiosus lector a me non sine stomacho atque offensione requireret. Præmisi enim quædam Prolegomena, siue præludia, quæ in principio posita aditum aperirent ad reliqua, & rebus non admodum apertis facem præferrent, quod accidere sæpe ex ipsa experientia quotidiana didicimus. Id igitur agamus.

PROLEGOMENON I.

An hæc vera sit historia: vel tantum parabola ad patientiæ exemplar conficta.

1. *Magna exempla & vitæ documenta in parabolis olim ex fabulis inclusa.* VSitatum fuit in omni ætate, vt in personis fictis veræ virtutis exemplar proponatur. Quomodo in suo Hercule patientiæ atque laboris gloriosi documenta posuere Gentiles: Homerus in Agamemnone prudentis Imperatoris, in Achille robusti atque animosi Ducis, in Vlysse astuti & callidi hominis expressit exemplar, quem imitatus Maro, quod de Agamemnone in Iliade, de Vlysse in Odyssea cecinit Homerus, id in Æneam transtulit in Æneide, vt in persona magna ex parte conficta Imperatoris optimi & laboris patientissimi propositam haberemus imaginem, quod etiam in minore Cyro fecisse existimatur Xenophon.

Sunt qui putent, sicut nullus fuit Hercules, talis certe, qualem spectamus in fabulis, sic etiam nullum fuisse Iobum in natura rerum, sed fictum quoddam patientiæ simulacrum, a quo homines discerent, quo animo suscipere debeant aduersa, & in rerum vicissitudine & conuersione subita retinere constantiam. In his sunt Hebræorum nonnulli, quos deinde secuti sunt Hæretici, Anabaptistæ, & Lutherus: Cur in eam cogitationem venerint, ea fortasse ratio est, de Hebræis quidem, quia durius accipiunt, quemquam, nisi ex suo genere, Sanctum appellari, cum suo generi immani quadam ambitione, vt alia plurima, etiam sanctitatem ascribant. Hæretici vero, quia illi molliores sunt, & suo sibi abdomini ac voluptati impensius dediti, quam vt duram illam Iobi conditionem probent, quæ illum tam apud homines illustrem reddidit, & apud Deum patientiæ laude & gloria coronauit. 2. *Qui negant Iobi esse historiam, & cur.* pag. 1. b

Horum rationibus velle satisfacere pudor est, cum vmbram potius obtendant inanem, quam aliquid firmamenti solidi. Dicunt enim qui contra sentiunt, historiam non satis apte carminibus includi, porro librum hunc poëticis numeris esse compositum, communis est & vera sententia: Sed non vident 3. *Veræ historiæ carminibus compositæ.*

isti, res vere gestas in omni lingua in numeros poëticos, & in seueriores scripturæ leges esse coactos. De profanis satis probant Ilias Homeri, Maronis Æneis, & alia quam plurima poëmata, quæ licet aliquid fabulosum admisceant, ordinem tamen & leges sequuntur historiæ. Neque id alienum est ab historia sacra atque canonica, in qua nonnulla suis locis inseruntur, metricis alligata legibus, tunc præsertim, cum sit ex occasione ab historica narratione digressio: vt constat ex Exodo, vbi transmisso mari Rubro canticum interponitur triumphale, & *Deut. XXXII. Iud. V.* & *2. Reg. XXII.* & *2 Paralip. XVI.* aliquid etiam numerosum inseritur, & illud bene longum. Immo, vt nonnulli putant, & ipsa indicat loquendi forma, benedictiones Iacob *Gen. XLIX.* & Moysis *Deut. XXXIII.* carmine constant perpetuo. At quis ideo historias illas esse inficiabitur? At dicent, ibi narrationem historicam solutam esse a poëticis numeris, neque interposita carmina obstare, quominus in historiarum numero censeantur.

pag. 2. a

4. *Quæ proprie historica sunt in libro Iobi, soluta oratione scribuntur.*

Idem ego dicerem in hoc libro, vbi etiam non pauca video, vt etiam alii viderunt tradideruntque, quæ pedibus currunt solutis; Illa videlicet, quæ vere vocari possunt historia, qualia sunt in *libri principio vsque ad caput III. & in fine cap. XLII.* & aliis opinor locis, vt in capitum multorum exordiis, vbi disputantium proponuntur nomina, aut aditus ad disputationem aperitur: vt *cap. XXXII.* vbi sex versus videntur esse ab omni lege metrica soluti. Et quidem nihil est in toto libro, quod ad vitam moresque pertineat Iobi, id est, quod historicum sit, quod non sit oratione soluta aut liberiori compositum. Si quid præterea est, non tam ad Iobum spectat, quam ad ea, de quibus est suscepta disputatio: illa autem historica non sunt, sed graues conglobatæ sententiæ, quæ sicut alia plurima eiusdem generis inclusa numeris & facilius retinentur memoria, & aptiora sunt, vt cantentur a iuuenili turba, & in hominum cœtu familiarius vsurpentur.

5. *Cur de Iobo nihil prodium ab externis.*

At dices, si hæc historia est, & non potius commentitium aliquod patientiæ & religionis exemplar, cur de Iobo nihil ab historicis audimus, cur tantum vbicumque de tanto tamque admirabili Principe silentium? Sed est solutio facilis, nam de antiquissimis illis temporibus præter Moysem, qui res gestas monumentis mandauerit, habemus neminem, nisi qui postea acceperunt a Moyse, quæ ipsi posteritati tradiderunt. Et quidem Iosephus, nam hic vnus nobis officere posse dicebatur, cur Iobi meminisset, non erat, cum ipse de Antiquitatibus Iudæorum agere statuisset, neque Iobus ad rempublicam Iudæorum pertineret, cum ex alieno genere, vt suo dicemus loco, profectus fuerit.

6. *Quæ in libro Iobi videri possunt ultra fidem.*

Quibusdam aliqua in hoc libro eiusmodi visa sunt, vt in parabolam potius quam in historiam veram conuenire possint, aut quia videntur decora parum, vt quod ad concilium, cui Deus præfuisse traditur, admissi fuerint Angeli, & cum his etiam Satanas interfuerit, & ea libertate locutus fuerit, vt Deo ipsi contradixisse videatur; cum illa eleuat, & extenuat, quæ Deus in Iobo tantopere commendat, aut quia in eo libro multa leguntur supra historicam fidem; vt cum tantus vir tam potens, & lautus, tam omnibus charus, tam ceciderit repente & grauiter, vt in sterquili-

pag. 2. b

quilinio iacuerit inter suos, quod vxor illius, id est Regina, non solum ancillare obierit ministerium, sed ad alienam confugerit misericordiam, & supplex in suo Regno stipem rogarit; neque amici, viri vtique principes, qui consolandi gratia venerant, & vt videtur pene necessarium, vt illius calamitatem subsidio leuarent opportuno, paterentur, iacere tandiu in sterquilinio vlcerosum & nudum, neque illum ad eum redactum rerum articulum verborum acerbitate multo exulcerarent vehementius.

7. *Quæ de Iobo tradita supra fidem non sunt.*

Hæc illis grauia videntur. Sed quod ad priorem partem attinet, si hæc ratio quicquam valeret, probaret etiam, librum 3. Regum, aut certe caput illius vltimum, historicum non esse, quia in illo simile traditur fuisse concilium. Plurima eorum, quæ in illum locum adduximus, ad hunc nodum exoluendum faciunt. Sed si statuamus, quod eo loco diximus, quodque Scholastici Doctores communiter probant, Angelum ibi, sicut alibi millies, diuinam repræsentasse personam: nihil ibi apparet admirabile ac nouum; cum dæmones cum Angelis bonis congredi audeant, & illis in rebus etiam grauibus aduersari, vt in Regnorum hominumque conuersione experimur quotidie, & nos pluribus docuimus *in nostris Commentariis super Danielem c. X. ad v. 13.* vbi Principes Persarum atque Græcorum malos Angelos esse, ex multorum sententia putabamus.

Angeli Dei personam repræsentant.

8. *Cur in Iobo tanta rerum & amicorum mutatio.*

Neque illud admodum premit in oppositum, quod multa hic apparent supra historicam fidem, vt quod tanta Iobi potestas & gloria repente ceciderit, quod sic fuerit contemptus a suis, vt in sterquilinio tandiu iacuerit, quod neque a cognatis, neque ab amicis, in illa ærumnosa conditione leuamenti aliquid habuerit; sed quicumque nouerit, traditam esse Satanæ potestatem in omnes Iobi facultates, & ea, quæ hominum opinione numerantur in bonis, vna excepta vita, in qua nulla Satanæ a Domino facultas data: non mirabitur tam amplam & luculentam domum tam grandi ac subita collapsam ruina, & hominum animos bene atque adeo in tantum Dominum ac parentem molliter affectos abalienatos esse repente, & non solum inclementer & dure, sed etiam superbe atque ignominiose tractasse. Non erat Iobo minus luculentus & potens, aut minus de suis reque publica officiose meritus David, & tamen relictus est & proditus a suis, & totius pene Regni conspiratione expetitus ad mortem, & quo tempore in parentis caput impias manus armauit Absalon.

pag. 3. a

9. *Iob in sua paupertate & dolore cum Deo cooperatus.*

Accedit, quod cum Sanctus Iobus placuisse Deo cognouisset, vt ipse nudus & æger pateretur relictus a suis, immo ab illis hostilem in modum appetitus, ipse in seipsum cooperari cum Deo voluit, & illum locum, & quasi stadium tam duri certaminis eligere, quod putabat ad diuinam cogitationem opportunum magis. Quare sterquilinium elegit, vt cruciaretur fœtore, & soli duritie, vbi vt homo, qui bene diuinum nouerat ingenium, salutem sperabat propinquam magis, & si placeret Deo, prioris fortunæ restaurationem.

10. *Iobus Christi typus.*

Ad extremum addo, in Iobo florente primum, deinde abiecto, & a domesticis & amicis exagitato ac prodito, ac tandem ad maiorem gloriam reuocato, expressam esse Christi Saluatoris imaginem, qui non minus ab illis, apud

quos nomen obtinuerat illustre, derelictus est, immo & exagitatus acerbissime, quam Iobus. quod si Christus a cognatis, immo & a parente derelictus est, & ad illam carnificinam, & ignominiam adactus, ad quam non peruenit Iobus: quid miremur, si in typo accidisse videamus & quasi in vmbra, quod in signato atque adumbrato historice ac vere contigisse negare potest nemo.

11. *Iobi non parabola, sed vera historia.* Quod autem hæc vera sit historia, & non tantum, ut somniauit Lutherus, argumentum fabulæ, quod viri patientis proponit exemplar, multa docent, quæ adducit noster Salmeron *Prolegom. 10. can. 25.* Cardinalis Bellarminus *lib. 1. de verbo Dei cap. 5. in quinta hæresi*, & Pineda item noster *in præfatione ad Iob cap. 1.* & plures alii, cum idem tractant argumentum. Primum, quia id Scriptura sacra docet, dum illa tradit de Iob, quæ in fictam & quasi scenicam personam conuenire non possent. *Tobiæ II, 12.* vbi Tobias exemplum dicitur patientiæ, sicut Iobus. Cum autem nemo dicat, Tobiæ fictam esse personam, sic etiam, cum eodem ponatur Iobus loco atque ordine, dicere nemo poterit, fictam esse, non veram, illius personam. *Ezechielis XIV, 14. Etsi fuerint tres viri isti in medio eius, Noe, Daniel & Iob, ipsi iustitia sua liberabunt animas suas.* & *Iacob. V, 11. Patientiam Iob audiistis, & finem Domini vidistis, quia misericors & miserator Dominus, qui reddidit ei omnia bona duplicata.* Quis hæc in fictam scenicamque personam conferat, nisi delirus aut somnians? quo præterea modo fieri possit, aut etiam cogitari, si Iobi ficta esset & non omnino vera persona, vt eius alicubi notaretur sepulcrum, notaretur dies, in quo illius renouatur coliturque memoria in Romano Calendario ad sextum, & in Græcorum Menologio ad octauum Iduum Martii. Quin & olim hodieque de Beato Iobo Missæ sacrum habemus, quod ad solam tanti nominis vmbram institutum nefas est cogitare.

pag. 3. b

Adde quod, vt putat Chrysostomus *tomo 2. homil. 1. de Diuite & Lazaro*, *in principio*, tunc iudicanda est historia, non parabola, quando nomina adhibentur propria, personarum nimirum, locorum, & quæ digito demonstrari possunt. Sic autem ibi Chrysostomus: *Reprehensus fuerat Iesus a Pharisæis, quia auari erant: propterea ponit exemplum, immo in exemplum parabolæ, veritatem. Neque enim in parabola dicenda nomina sunt. Parabolæ illæ sunt, vbi exemplum ponitur, & tacentur nomina, vbi autem dicitur Abraham & Prophetæ, & Lazarus, & Moyses, hic verus Lazarus, si verus est Abraham, verus est & Lazarus.* Cur ergo hanc non existimemus historiam, in qua tot occurrunt nomina sic indiuidua ac certa, vt ad alia accommodari nequeant. Audimus enim Iobum & Hus illius patriam, amicorum nomina, & loca, vnde ipsi profecti, & ad extremum filiarum nomina, quas reuocata priore conditione suscepit. hæc aliquid indicant certum, & non hominum sola cogitatione formatum. 12. *Quo signo parabola ab historia secernitur.*

PROLEGOMENON II.

Quis huius libri autor.

QVæstio hæc admodum est impedita & varia, neque aliquid est in illa certum, quod sequamur. Quidam, vt refert Isidorus *lib. 6. Etymol. c. 12* existimant, ab aliquo Propheta scriptum esse librum, neque illum nominant: Alii amicos Iobi postquam a Deo reprehensi 13. *Libri Iobi autor quis.*

hensi sunt, qui existimantur his laudibus compensare voluisse, quas prius intulerunt iniurias; Alii Iobum ipsum suæ ipsius historiæ scriptorem putant, alii Moysem. Ego prius quam meam affero coniecturam (nam mihi omnino divinandum est, sicut etiam aliis, neque enim aliter res agi potest, dum illæ tractantur quæstiones, quas vndecumque tenebræ circumfundunt) obseruo, quemadmodum *in lib. Reg. commentariis Proleg. 1.* late disserui, consueuisse principes quæ singulis diebus gesta fuerant notare diligenter, ex illisque conficere commentarios memoriæ gratia, quæ Diaria, seu Ephemeridas vocabant, quæ ab Hebræis dicuntur דברי הימים *dibre haiamim*, id est, verba dierum, nempe singulorum. Ex his collecta fuit Regum historia, liber Paralipomenon, & aliæ, vt opinor, historiæ, de quarum Scriptore non constat, vt Machabæorum, Iudith, Esther. Quam consuetudinem antiquissimam esse etiam temporibus Iobi, ipse videtur significasse non obscure, cum dixit *cap. XIX, 23. 24.* *Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? quis mihi det, vt exarentur in libro stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte insculpantur in silice.* Quasi dicat, vellem hæc, quæ patior ac loquor, scriptis de more mandare, ne hoc, quod in meis rebus præcipuum est, maximeque memorabile, aut deleat, aut obscuret obliuio. Quod ego facere non possum, tum quia a molesto impeditus morbo, tum quia omnis abest ad scribendum facultas. Neque est præterea vllus ex his, qui mihi quondam erant assidui, qui hoc officium præstet. O vtinam haberem qui ista referret in annales, neque horum sineret perire memoriam. Sed clarius *c. III, 6.* vbi cum ageret de die natali suo, ait: *non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus.* Ac si dicat, non scribatur, dum mei annales instituuntur, & suis quæque notantur diariis, quid hoc die, qui mihi inauspicatus fuit, acciderit, &c.

Singulorum dierum gesta a regibus notari solita.

pag. 4. a

14. *Diaria seu Ephemerides quæ.*

15. Has ephemeridas, seu verba dierum, scribere potuit ipse Iobus, postquam saluti & splendori antiquo & sibi ipsi quodammodo restitutus est, sicut de suis rebus commentarios, seu diarias obseruationes edidit Iulius Cæsar, aut alii, qui Iobo fuerunt a commentariis, aut certe amici Iobi, posteaquam illius innocentiam, laudatore Deo, cognouerunt. Post vero Moyses, seu alius Propheta, vt dicebat Isidorus supra, ex illis commentariis ordinarunt historiam, sublatis illis, quæ diuina illustratione docti, aut minus vera, aut necessaria minus iudicarunt. Quod item postea Iobus ipse facere potuit, qui, vt dicemus statim, Propheta fuit, & diuino suggerente Spiritu, sicut Prophetarum alii, sua ipsorum scripta posteritati prodiderunt.

16. Sed est verisimilius, ex his commentariis seu diariis obseruationibus, aut illustratione diuina aliter edoctum Moysem historiam hanc totam adornasse: quod facere potuit facile, & quia diu vixit in ea regione, in qua quid Iobo in ea rerum conuersione contigerit, non difficile cognoscere potuit, & eo tempore vixit, quod Iobi ætatem proxime consecutum est: vixit enim annos quadraginta in terra Madian, vbi vxorem duxit Sephoram filiam Iethro Sacerdotis Madian, & inter Madianitas adeo nobilis, vt a nonnullis Madianitarum Rex existimatus fuerit. Sane Iosephus *lib. 2 Antiq. c. 5.* magno in honore apud Madianitas fuisse tradit.

Moyses libri Iob scriptor existimatur.

pag. 4. b

17. Hunc aliqui huius libri Scriptorem esse putant. Bellarminus *lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis in Iob*, ita rem definit, sicut a nobis proposita est: Ait enim, a Iobo res ipsius gestas fuisse notatas Arabica lingua, & a Moyse postea ex illis librum, quem nunc habemus, fuisse compactum, addito tamen principio & fine, in quibus vtraque Iobi fortuna continetur, de qua nihil a Iobo videtur esse relictum. Quod autem a Moyse compositus fuerit liber ille, ideo probat, quia scriptus Hebraice. quod si a Iobo, Arabico potius, aut Idumæo idiomate exaratus fuisset; deinde quia nisi a Moyse, vel ab aliquo Propheta, seu saltem ex Hebraico genere compositus non esset, numquam ab Hebræis foret in canonem admissus. At Iobus Idumæus fuit, vel Arabs, non Hebræus.

18. *Cur in libro aliqui Arabismi.* Mihi placet quod Bellarmino visum est, quod etiam prius Origeni placuit, & nonnullis aliis, librum, quem nunc habemus, a Moyse fuisse compositum, quod probat Hebraicum idioma, cuius rei nonnulla coniectura sumitur ex Arabismis, quos Hieronymus inuenisse se dicit in hoc libro; nam licet eos sumere potuerit ex commentariis seu singulorum dierum obseruationibus, quas notauit aut Iobus ipse, aut aliquis ex Arabum, seu Idumæorum genere (qua de re non curo, cum nihil habeamus, quod faciat hoc quam illud magis verisimile) tamen cum ille diu, non minus annis quadraginta inter Arabes, seu Madianitas, qui aut iidem sunt, aut certe non admodum diuersi, commoratus fuerit, auresque audiendis Arabicis sermonibus assuetas haberet, nihil mirum, si Hebraicus sermo, quem Hebræus ipse ab Hebræis didicerat, aliquid redoleret Arabicum. Sunt præterea aliqua, quæ, vt notauit Origenes, cognosse nemo poterat, nisi Spiritu afflatus Prophetico, quale fuit, venisse Satanam ad Dominum & inter illos initum esse colloquium, & tandem permissam a Domino Satanæ facultatem pag. 5. a in omnia bona Iobi, vna excepta vita, in quam nihil Satanæ licere voluit. Addo, quod Moyses ignorare non potuit, quod omnibus, qui in Arabia aut Idumæa tunc agebant, non poterat non esse manifestum, cum res esset omnibus sæculis admirabilis, & propter personæ dignitatem maiorem in modum celebrata. Et ipse paulo post quam Iobus vtramque subiit rerum vicissitudinem, in regionem illam venit, in qua non minus annis quadraginta commoratus est.

19. *Moyses eruditus & eloquens.* Et si humana consideres ad historiam conscribendam subsidia, habuit Moyses, si quisquam eo tempore, quam maxima; nam disciplinas didicit Ægyptias omnium optime, priusquam aufugiens ab Ægyptiis sese ad Madianitas, seu Arabes reciperet. ita de Moyse Stephanus *Actor. VII, 22. Sustulit eum* (nempe Moysem) *filia Pharaonis, & nutriuit eum sibi in filium, & eruditus est Moyses omni sapientia Ægyptiorum.* Habuit præterea naturalem eloquentiam, & vim ad persuadendum potentissimam, de qua Stephanus idem statim, *Et erat potens in verbis & in operibus suis.* Et Moyses ipse *Exod. IV, 10.* ereptam sibi ex diuino colloquio fatetur eloquentiam, quam sibi significat fuisse non vulgarem. *Non sum,* inquit, *eloquens ab heri, & nudiustertius, & ex quo locutus es ad seruum tuum;* ac si diceret, eam eloquentiam, quæ videbatur inesse mihi non exigua, tuus mihi sermo & conspectus eripuit.

Ex

20. *Liber Iob, & Genesis compositus videtur a Moyse, cum esset pastor in terra Madian.* Ex his ad sententiam, quam ex auctoribus amplectuntur non pauci, non leuis videtur sumi posse coniectura; neque est improbabile, tam librum Genesis, quem ante reditum in Ægyptum compositum fuisse non est improbabile, quam librum Iobi eo tempore a Moyse fuisse elaboratum, in quo Madianitæ soceri greges sequebatur in deserto; vt autem diuina illustratione instructus illa didicit, quæ multis ante sæculis contigerunt, quæ non aliter cognosse potuit; sic etiam eodem illustratus lumine cognouit & Domini de Iobi patientia testimonium, & factam Satanæ facultatem, vt, vna excepta vita, in reliqua illius bona quiduis auderet, quod videtur indicare Origenes *lib. 1. in Iob proxime a principio : Super hæc omnia, o amici, inuenimus in antiquorum dictis, quod cum magnus ille Moyses in Ægypto a Deo fuisset missus* alio opinor tempore, quam cum missus fuit, vt ab
pag. 5. b Ægyptia vindicaret seruitute) *& vehementem afflictionem filiorum Israel videret, & consolari eos ab anxietate lamentabilis eorum afflictionis, qua illos Ægyptii affligebant, minime valeret, vehementes illos Iob dolores pro consolatione illis enarrauit: nec non in scriptura eos ponens, adbuc cum essent recentiores, illi populo dederit, vt per cognationes, & tribus suas hæc legentes, vehementes atque terribiles illos beati illius viri dolores audientes inuicem se consolarentur, & cum patientia atque gratiarum actionibus mala, quæ eos circundederunt, sufferrent, & vt bonam remunerationem Domini, quam Iob post tolerantiam largitus est, audientes etiam ipsi liberationem sperarent, & beneficia beatæ mercedis laborum suorum expectarent.* Hæc Origenes, quæ misit, vt diximus, ex Arabia, vbi tunc soceri gregibus pastoritiam operam nauabat. Non enim ignorabat, quid tunc contribules sui in Ægypto paterentur, quando ipse, quia ea de causa occidisset Ægyptium, expetebatur ad mortem, quam vt declinaret, in fines secesſit Madian.

PROLEGOMENON III.

De genere & patria Iobi.

DE genere inter auctores non omnino constat, quidam Israelitam esse putant, de familia Nachor fratris Abrahæ: alii Idumæum, de genere Esau. Quæstionem dubiam reddidit nomen Hus, quod regionis cuiusdam nomen est, Idumææ videlicet, seu Arabiæ, & cuiusdam de cognatione Nachor. Hebræi a Nachor potius quam ab Esau ortum esse putant, quia fortasse indigne ferunt, in populo, quo cum ipsis ab incunabulis intestinum fuit & quasi naturale dissidium, virum tantum extitisse, cuius tantopere videbant sanctitatem laudari, & immortali præconio celebrari patientiam. quorum sententiam probat & sequitur Hieronymus *in principio Commentariorum Iob.* Quod etiam Bellarminus tenet *in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis in Iob.* Et præter alia, quæ parum, meo iudicio, in illam sententiam habent momenti, quia qui Idumæum esse Iobum existimant, illa præsertim adducuntur ratione, quia quidam Iobab, quem Iobum arbitrantur *Genes. XXXVI, 33.* natus esse dicitur ex genere Esau. quæ ratio videtur esse leuis: non enim apud Latinos solum diuersum apparet esse nomen, ut constat, sed multo magis apud Hebræos; ille enim, qui natus dicitur ex semine Esau *Gen. XXXVI, 33.* & iterum *2. Paral. I, 44.* יובב *Iobab*, vocatur, ille autem, pag. 6. a

21. *Genus & patria Iob.* (margin note beside the opening of Prolegomenon III)

tem, de quo *hoc libro*, & *Ezechiel.XIV.* איוב *Iob.*

22. *Iob genere Idumæus.* Sed est communis sententia, &, meo iudicio, vera, Idumæum fuisse Iobum, quod aperte docuerunt Septuaginta in fine totius libri, vbi dicunt, Iobum in Arabiæ atque Idumææ finibus habitasse, duxisseque vxorem Arabissam, quod e Syro codice sumtum esse dicitur. Quod licet Hieronymus supra, quia in Hebræo non habetur, parum curet, suo certe pondere non caret. Et quidem tanquam aliquid ex Scriptura sacra a multis assumitur, qui neque ignobiles sunt, neque pauci. Origenes *supra*, Chrysostomus *homil.2. de patientia Iob, in principio.* Augustinus *de ciuitate lib.18. cap.47.* qui omnes ex Esau genere Iobum dicunt esse prognatum. Idem tenet Gregorius Papa, *lib.1. Moral. c.3.* Neque Hieronymus alienus est ab hac sententia, *tom.3. ep.126. ad Euagrium:* & *tom.9. ep.20. ad Tarasiam*, vbi Iobum contra quam censuerunt Hebræi, Idumæum fuisse non obscure docet. Rationes autem infirmæ non sunt. Nam primum licet Nachoris filium legamus *Hus in Idumæa.* esse Hus, at regionem nullam inuenimus Hus appellatam, nisi eam, quæ est in Idumæa. *Thren. IV, 21. Lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus.* Deinde quia amici Iobi, qui ad illum venerunt consolationis gratia, omnes fuerunt Idumæi, &, vt apparet, Iobi ipsius & inter se vicini, alioqui non simul ex compacto conuenissent eodem tempore. At fuisse illorum vnum Idumæum, facile ex illius patriæ nomine cognoscitur. Elephaz Themanites vocatur, at Theman, vnde illi datum est nomen, esse in Idumæa, constat ex *Ier. XLIX, 7.* vbi cum exagitaret Idumæos, sic ait de illorum ciuitate præcipua, & sapientium virorum alumna: *Nunquid non vltra est sapientia in Theman? periit consilium.* Et idem pene repetit *v.20.* contra Idumæam. Themanitis porro vicini videntur esse Buzitæ, qui nimirum de Buz, qualis fuit alius amicus Iobi Eliu, de quo *Iob. XXXII, 2.* quia Buz simul cum Theman ponitur a Ieremia *XXV, 23.* Ceterum terram Hus Septuaginta vocant terram Ausitidem.

Quod vero Hebraice Iobab, & Iob, diuersa sint, aut diuersa videantur nomina, non admodum refert. Primum, quia non est hæc potissima ratio, quæ cogitationem istam persuadet; deinde quia passim videmus in omnibus ferme nationibus nomina etiam propria exiguo interdum interuallo ita mutari alio atque alio flexu, vt diuersa omnino videantur. Vnus Iacobus exemplo nobis esse poterit pro omnibus, qui apud Hispanos alicubi *Diego* dicitur, alicubi *Iago*, alibi *Xaime*; quam varie in aliis nationibus proferatur, non disputo, cum alii *Iaque*, alii *Iacome*, alii aliter nominent. Apud Hebræos idem Dux Israelitici populi vocatur Iosue, Ose, Iesus, & singulis prouinciis suæ propemodum diuersæ sunt dialecti, quæ in eadem voce aliquid addunt, detrahunt, aut inuertunt. 23. REGULA. *Propriorum nominum in variis linguis magna mutatio.* pag. 6, b

Sane qui erant in summi Sacerdotis atrio ex pronunciatione, aut mutatione vocis Petrum Galilæum esse cognouerunt, dixeruntque *Matth. XXVI, 73. Vere & tu ex illis es* (nempe Galilæis) *nam & loquela tua manifestum te facit.* de hac dialectorum diuersitate in terra Israelitide diximus *in nostris commentariis super Acta ad illud c.II. v.6 Quoniam audiebat vnusquisque lingua sua illos loquentes*, vbi diximus, linguam Hebraicam 24. REGULA. *In terra promissionis variæ dialecti.*

cam

cam fuiſſe in ſuis etiam finibus valde corruptam. Quanto magis putabimus, mutatas eſſe voces aut corruptas in alienis. Hanc eandem quæſtionem tractauimus *in noſtris Commentariis in 1. Paralip. I, 44.*

PROLEGOMENON IV.

An Iob fuerit Rex.

25. *Iob Rex.* Communis eſt veraque ſententia, Iobum proprium eſſe Regem, quam ego veram eſſe puto, & ita Scripturæ ſacræ conſentaneam, vt videtur ſatis pie negari non poſſe. Neque hic quæro, an illa fuerit Iobi in ſuo qualicumque Regno poteſtas, qualem nunc habent in Europa Principes magni, quos Reges appellamus, quibus ſubſunt alii, qui interdum late dominantur, & populos interdum copioſos, & lautos ſubiectos habent, quibus ius dicunt, & indicunt tributa: quales ſunt, qui Duces, Comites, Marchiones, & Barones vocantur. Nam dummodo vni tantum imperitent populo, ſicut in Europa paſſim occurrunt plurimi, Reges ſalutantur. Sane olim Reges vocabantur, qui vni tantum populo præerant, licet parum eſſet, aut habitatoribus frequens, aut opibus, vel auctoritate florens; quales multi fuerunt in Græcorum & Troianorum exercitu. Rex ſane vocatur Laërtes, & illius filius Vlyſſes, & illum Homerus, vt refert Tullius *in libro de ſenectute*, ſtercorantem agros inducit, hunc alii vomere terram ſubigentem. Et quidem apud profanos, quicunque diues eſſet & potens, re ſiue pecuaria, ſiue ruſtica, aut alio quouis modo, etiamſi populum haberet nullum, cui imperaret, Rex appellabatur; quales erant illi, quos alii ſibi patronos elegerunt. Quod nomen ſæpe in ea ſignificatione Martialis uſurpat, ſic *lib. 2. epigr. 48.*

Reges olim vocati, qui non admodum potentes apud Gentiles.

pag. 7. a

Quem Regem & Dominum prius vocabam.

Et *libr. 4. epigram. 40.*

Sollicitus donas, Dominum Regemque ſalutas.

Immo omnes Regis fratres & ſorores Reges alicubi & Reginæ vocantur. Sic de Cypriorum politia Ariſtoteles, qui *lib. 3. polit. c 10. & 11.* nomen Regium ad plura explicat iuxta diuerſarum regionum conſuetudinem: quare duces & patres familias Reges dicebantur, & matres familias Reginæ, quod indicat Plautus *in Truculento*, vbi duas ancillas, quarum antea fuerat honeſta conditio, domi ſuæ dicit fuiſſe Reginas.

Quod autem qui potentes ſunt, & ſe paululum ſuſtulerunt a turba, in Scriptura ſacra dicantur Reges, illud oſtendit, quod cum terræ promisſionis non totum ſpatium, neque adeo magnum ſubegiſſet Ioſue, occidiſſe tamen dicitur *c. XII.* Reges triginta vnum. Alii præterea multi ſubacti ſunt & interfecti poſt obitum Ioſue *Iudic. I.* & in his Adonibezec, qui ſeptuaginta Reges alios ſubegerat, quos menſæ ſuæ reliquiis ſuſtentabat. Hi autem neque late dominari poterant, neque admodum eſſe potentes. Sane *Geneſ. XIV.* pro quinque ciuitatibus, quæ erant in mari, aut prope mare mortuum, a quibus ille tractus dictus eſt Pentapolis, totidem Reges numerantur, qui a quatuor aliis vicinis Regibus ſuperati ſunt, quorum tam fuerunt infirmæ vires, vt ab Abrahamo, & illius vernaculis ſuperati fuerint, & ſpoliati præda, quam ex Pentapoli ſecum abegerant. 26. *Item apud Hebræos.*

His ſimilem exiſtimo fuiſſe Iobum, & 27. *Iob qualis Rex.*

& illius amicos, qui *Tobiæ II, 15.* Reges appellantur. Quid enim suspicemur aliud, cum illius numerentur bona, quæ potius videntur alicuius priuatæ domus, locuples vitæ familiæque subsidium, quam aulæ Regiæ facultates pag. 7. b & ornamenta, de quibus sic *cap. I, 3. Et fuit possessio eius septem millia ouium, & tria millia camelorum, quingenta quoque iuga boum, & quingentæ asinæ, ac familia multa nimis.* Hæc copiosi patris familias videtur potius, quam splendidi Regis ac lauti descripta possessio. Hæc habemus ex illo *capit. II.* vbi etiam dicitur *magnus inter omnes Orientales;* neque illa, quæ hic commemorantur, exigua sunt, cum Arabum Orientaliumque tenuitate comparata. Quam autem Idumæorum & Arabum, qui Arabiam inhabitant Petraam, seu desertam, res sit angusta, & tenuis facultas, constat ex *Abdia*, & *Ieremia cap. XLIX, 15.* de Idumæa: *Ecce paruulum dedi te in Gentibus, contemptibilem inter homines.* Quare qui talia in ea regione possedit, qualia nunc diximus habuisse Iobum, Rex procul dubio salutari potuit.

28. *Iob opera Regia.* Neque Regii nominis desunt in hoc libro coniecturæ graues, quas adduxerunt Serarius *in cap. 2. Tobiæ quæstion. 6.* & Pineda *in cap. 1. Iob. in quadam quæstion. de hac re.* Mitto codices Septuaginta, qui *capit II.* in aliquibus editionibus habent: *In capite enim vsque ad pedes insanabilis, & doloribus plenus, & nudus super fimum sedet, qui paulo ante potens & Rex erat.* vulgata editio eius rei multa nobis affert documenta; *c. XXIX, 7.* sic Iobus de seipso loquitur, vt Regiæ aut supremæ dignitatis signa quædam ostendat: *Quando procedebam ad portam ciuitatis, & in platea parabant cathedram mihi, videbant me iuuenes, & abscondebantur, & senes assurgentes stabant, principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo.* & *v. 16. Pater eram pauperum, & causam, quam nesciebam, diligentissime inuestigabam. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* Hæc omnia satis probant in Iobo Regiam dignitatem. Et ibidem *v. 25. Si voluissem ire ad eos, sedebam primus, cumque sederem quasi Rex, circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator.* illud *quasi Rex*, non indicat similitudinem, sed veritatem. Sicut illud *Ioan. I, 14. gloriam quasi vnigeniti a patre.* Plura exempla inuenies in Scriptura, quæ quia passim obuia, prudens omitto, & *cap. XII.* Elephaz sic loquitur cum Iobo, ac si Rex esset, aut tyrannus.

29. Sed huic cogitationi multa incommodant, quæ minus apte videntur in illam conuenire. Primum si Rex est, quomodo in Regno suo adhuc florente (tantum enim tempestas in Iobi familiam, domum & in pecudum & ar- pag. 8. a mentorum greges irruisse dicitur) in sterquilinio iacuit, quasi nullus in ciuitate foret locus honestior, qui cadentem exciperet, & dolorem leuaret acerbissimum? Maxime si verum est, quod in Septuaginta translatione legimus, & quæ nuper est a Sixto correcta, extra ciuitatem iacuisse Iobum, & subdiali in loco, & vxorem, paulo ante Reginam, ancillari opera aut emendicato quæsiisse cibum. Adde, quod opes, quas habuit ingentes, non tam sibi proprias, quam cum aliis omnibus habuit communes, neque de re vlla videtur cogitasse magis, quam vt aliorum leuaret inopiam & miserorum commodi-

tati

tati seruiret, quod ipse satis expressit *c. XXIX, a v. 15.* & *c. XXXI, a v. 16.* vbi viuam quandam intuemur imaginem eius, qui non tam sibi, quam populo afflicto & tenui videtur esse natus; *Oculus*, inquit, *fui cæco, & pes claudo, pater eram pauperum, & si negaui, quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci, si comedi bucellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea, &c.* Quis ergo credat, hos omnes non curasse de domo & lecto, vbi vir vsque adeo misericors iaceret in sua infirmitate commodius? Primo quis credat, hos subsannando atque insultando addituros esse morbo aliquid acerbitatis? de quorum petulantia crudeli ac barbara ipse multis queritur *c. XXX.*

30. *Cur Iobus a suis in sua calamitate desertus.* Grauia hæc apparent, & a nomine & dignitate Regia prorsus aliena. Sed duo nobis credibilia faciunt, quæ difficilia factu esse existimantur. Primum Diaboli aduersus Iobum facta potestas, deinde in Iobo quasi in typo Christi Seruatoris extrema patientis proposita effigies. Vt enim qui multis a Christo cumulati fuerant beneficiis, illumque sæpe effuseque laudauerant, postea in illum insultauere procaciter, & sæuierunt vehementer, sic hoc ipsum quam simillima forma antecessit in typo, &, vt vere dixit Christus his, qui vinctum ipsum ad impium tribunal & diram ignominiam trahere nitebantur: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum;* sic etiam hoc ipsum insultantibus & inclementibus dicere potuisset Iob, quia re vera permissum est Satanæ, vt quiduis auderet in Iobi siue facultates, siue familiam, siue honorem, denique in omnia, quæ ad illum aliquo modo pertinerent, vna excepta vita, quam furori Satanico noluit esse subiectam. Vt autem Satanas excitare potuit incendium, quod tactas oues, puerosque consumeret, & ventum vehementem, qui domum sterneret, & geniali in mensa filios opprimeret, & incitaret Sabæos atque Chaldæos, qui pag. 8. b
seruos occiderent, & greges armentorum abigerent; sic etiam incitare potuit subiectum populum, quantumuis a Domino suo beneficiis ornatum, vt insultaret iacenti, tantorum officiorum immemor, neque illius sermone beneuolo, ac liberali manu solaretur, ac leuaret inopiam. Quod facile obtinere potuit insidiator callidus ab hominibus, quibus quasi naturalis esset mentis stupor, qui neque vrbanitatem colunt, neque quid exigat officii ratio admodum laborant.

31. *Iobi sanctitas existimata fucata.* Neque ratio defuit, quæ homines ingenio tardo ac rustico adducere potuerit, vt ab eo alienarent animos, & linguam ad conuitia procuderent, quem de se nouerant prolixe meritum. nam cum viderent illum tam acerbe ac subito a Domino percussum, quod non putabant sine illius meritis accidisse, sic secum meditabantur, eum, quem Deus tam diro deformasset vlcere, fucum tantum habuisse sanctitatis, non veram sanctitatem, & eo tempore sublatam esse laruam, qua homo vanus & ambitiosus suam hominibus innocentiam vendebat. Accedebat, quod viri sapientes, qualis erat Eliphaz Themanites (Themanitæ autem apud Idumæos & Arabes eam habuere sapientiæ laudem, qualem apud Græcos Athenienses olim, apud Gallos Parisienses, apud Hispanos Complutenses & Salamanticenses Doctores) acerrime exagitabat Iobum quasi blasphemum & impium, quod etiam fecerunt socii, vi-

ri item sapientes, nihilo benignius. quæ ratio grauissima fuisset, nisi illa amicorum reprehensio fuisset sub finem persecutionis: neque ipsa vxor, quæ esse solet plerumque conscia non eorum solum, quæ fecit, sed etiam quæ cogitauit vir. Notum est enim illud, de quo Tiraquellus *l. 10. connubiali*, omnium, quæ vir meditatur & tentat, præsumi vxorem esse consciam; cum ergo viri illi & natura stolidi, & alioqui malitiosi nossent, quid viro suo coniunx obiecisset, & illud idem, & nonnulla adhuc grauiora exprobrasse sapientes, multo ipsi peiora de Iobo suspicati, talia dixerunt feceruntque, qualia de illorum inurbanitate barbara Iobus ipse *c. XXX.* conqueritur.

32. *Amici multi quamdiu fortuna durat.*

Adde rationem aliam, quæ apud illiberales animos potentissima est. multi enim sunt, qui venalem habent amicitiam, neque illam colunt, aut colere se simulant, nisi cum ex illa compendii aliquid apparet: quod cum primum sperari non potest, amicitia manifeste proditur, & officium deseritur. De his amicis est illud *Eccl. VI, 10. Est amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis.* quæ sententia sæpe

pag. 9. a & grauiter vsurpatur a profanis; vnum pro omnibus accipe Ouidium *lib. 1. de Tristibus Eleg. 8.*

Donec eris felix, multos numerabis amicos:
Tempora si fuerint nubila, solus eris.
Aspicis, vt veniant ad candida tecta columbæ,
Accipiat nullas sordida turris aues.
Horrea formicæ tendunt ad inania numquam,
Nullus ad amissas ibit amicus opes.

PROLEGOMENON V.

An Iobus fuerit Sanctus, & an aliquando peccauerit.

DE sanctitate nemo pius dubitare potest, cum in Calendario Romano illius recolatur memoria ad diem sextum Iduum Maii, & in Græco Menologio ad octauum, & Deus per *Ezechielem c. XIV, 14.* Sanctum appellat Iobum longis post eius mortem sæculis. Huc faciunt omnia, quæ *Prolegomeno 1.* diximus, vt probaremus, historiam veram in hoc libro, non fabulam contineri Tota difficultas est, an aliquando peccauerit. 33. *Iobus Sanctus.*

Sunt qui negant, eo adducti argumento, quod eo tempore, quo vehementer iactabatur, cum malis mala subinde succederent, quando oppugnatur maxime patientia, & prodigii instar existimatur, si quispiam in illo vexationum articulo dolori non succumbat, tamen constantiam retinuit, neque verbum dixit vllum, in quo quisquam modestiam, aut vllam constantis animi tranquillitatem requireret. Sic enim *c. I. v. 22. In omnibus his non peccauit Iob labiis suis, neque stultum quid contra Deum locutus est.* Hæc Iobus, cum bonorum filiorumque iacturam passus est; similia dixit, cum ex vlceroso corpore saniem testa raderet in sterquilinio decumbens, *c. II, 8.*

Alii peccasse dicunt Iobum, leuiter tamen, quod fecerunt sæpe viri sanctissimi, vbi autem plurima sunt, eaque non vulgaria merita, peccata leuia, in quæ septies in die cadit iustus, non magis deformant virtutum pulchritudinem, quam næuus in facie venustatem alioquin eximiam, aut vox vna inelegans, & iunctura semel atque iterum inconcinna & durior vrbanam, elegan- 34. *In Iobo peccata quædam leuia.*

elegantem, & longam orationem. Quod autem peccarit Iobus saltem levi ac veniali culpa, non solum Iobus ipse fatetur *c. XXXIX, 35. Vnum locutus sum, quod vtinam non dixissem.* &
pag. 9. b *c. XLII, 6. Idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere;* Sed etiam Deus *c. XXXIIX, 2.* vbi sic ad Iobum: *Quis est iste inuoluens sententiam sermonibus imperitis?* & *c. XXXIX 32.* item ad Iobum: *Numquid qui contendit cum Deo tam facile conquiescit? vtique qui arguit Deum, debet respondere ei.* Tunc autem Iobus videtur contendisse cum Deo, & illum arguisse, cum dixit *c. VI, 2. 3. Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior in statera: Quasi arena maris hæc grauior appareret.* Ab his non videtur absfuisse culpa saltem levis, quam ipse maiori illustratus lumine tandem agnouit, & seipsum reprehendit, quod eiusmodi verba in summo etiam dolore aliquando dixisset: ita putat Salmeron *Prolegom. 10. can. 24.* Hæc vero, quæ leuia sunt, maxime cum illustrissimis essent intermixta virtutibus, & lucidissimis patientiæ illuminata coloribus, non impediunt, quo minus Iustus appelletur Iobus, immo etiam quod dicatur peccasse nunquam, neque stultum aliquid in labiis habuisse; cum ex vsu Scripturæ, quæ leuia sunt, & numero pauca, cum maximis aut plurimis comparata instar obtineant nihili, vt sæpius a nobis obseruatum est; tametsi huius loci, vt suo dicemus loco, alia expositio sit.

35. Sed huic sententiæ, quæ leuia in Iobo peccata deprehendit, duo incommodant, neque illa leuia. Alterum est, quia in eo, qui Christi typus est, in eo præsertim loco ac tempore, in quo Christi magis apparet effigies; non videtur decens vlla vel leuissima peccati suspicio, aut impatientis animi significatio; alioqui non esset effigies vera, immo neque honesta, cum aliud videamus in vmbra, idque parum honestum & pulchrum; aliud in eo, quod adumbratur. Alterum est, quia non videtur leue aut veniale peccatum, maledixisse diei suo, & ea dixisse, quæ *cap. III.* legimus, aut iniustitiæ Deum accusasse, quod longe supra merita pœnas inflixisset, vt habemus *cap. VI.*

Ad priorem quæstionem non est difficilis solutio, cum typus aut effigies non ideo amittat nomen, aut naturam, quod leuiter aberret a prototypo, aut non omnes illius partes assequatur & exprimat: Immo quam vllus umquam sic expressit imaginem, vt qui attentius aspexerit, non in eo aliquid reprehendat & notet, quod non satis refert propositum exemplar. Deinde si spectes alias Christi vmbras, quæ in Scriptura sacra fuere non paucæ, in ipsa etiam actione, in qua illustre illud expresserunt exemplar, inuenies aliquid, quod non agnosces in adumbrato Christo. Exemplo tibi sint Isaac, Iacob, Samson, Dauid, Ionas, immo, vt docent Hieronymus *epistol. 131. ad Rufinum*, Augustinus *lib. 22. contra Faustum Manichæum*, Gregori *lib. 3. Moral. cap. 31.* Eucherius *in lib. 1. Regum*, qui suam sententiam variis confirmarunt exemplis, non solus bonus in re omnino bona, sed etiam malus in re mala typus esse solet rei bonæ. vide quid nos pluribus *in nostris Commentariis super Zachariam cap. XIII. ad illud v. 6. Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum.*

36. REGVLA. *In imagine non esse necesse, ut omnia cum exemplari consentiant.*

pag. 10. a

REGVLA. *Interdum bonus in re bona, imo & malus in re mala typus rei bonæ.*

37. Posterior quæstio longe est difficilior,

lior, in qua diu & sæpe laborauerunt Interpretes, tentaruntque illam variis expedire rationibus. quare ego illas afferam, quæ pluribus placent, & eo mihi nomine placere debent: dicam deinde, quod minus mihi videtur impeditum, non quod alia improbem, aut mea aliis venditem, aut persuadeam, quid enim de tenui ingenioli mei facultate pollicear? sed vt ex multis prudens lector habeat, quid sumat aut respuat.

38. *Falso amicis Iobi adscribitur, quod putarint in futura vita neque esse virtutis præmium, neque vitiorum supplicium.*

Prima sententia est Lyræ *in principio cap. 3.* qui putat, hæc dixisse Iobum non ex sua sententia, sed accommodate ad alienam, quam tamen ipse non probabat; immo illam in sua disputatione reprehendit. Putabant enim (ait Lyra) amici Iobi, qui oratione magis quam decebat acerba mœrentis exulcerabant animum, Deum in hac vita aut compensare Sanctorum merita, aut castigare peccata: neque quicquam aut præmii iustis, aut supplicii sontibus in futura vita esse partum, vnde concludebant, peccatorem esse Iobum, & non nisi fucatam habere sanctitatem, quando post tot documenta misericordis atque innocentis animi tam esset a Domino iactatus vehementer. Qua sententia supposita magis quam probata, cum miseris hominibus, quos morbus debilitat, fames attenuat, & potentiorum hominum iniuria & potestas opprimat, actum dicit futurum fuisse benignius, si nunquam nati forent (cum nihil in posterum spectarent optabile) quam si sublata spe mercedis, & otii vitam traherent ærumnosam & ægram, quæ non inepte a sapientibus posset cum morte commutari: Quod autem de omnibus affirmat & dolet, id pro omnibus simul in seipso declarat, quia sibi cum miseris causam videt esse communem. Quasi dicat, inauspicata fuit dies illa, quæ exoriri numquam debuit, in qua natus fuit homo, qui laboribus exercetur & cruciatur assiduis, quos nulla Deus mercede compensabit. Simili argumento ex errore non dissimili vsus est Paulus *1. Cor. XV, 13. Si resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit: Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est & fides vestra.* Placeret quidem hæc explicatio Lyræ, si ex verbis, quæ ipse attribuit amicis, Iobus occasionem sumeret aut argumentandi materiam, sed non fuerunt vsque adeo stulti amici Iobi, quos constat non fuisse insipientes, neque quando Iobus natalitio diei aliquid durum imprecatus est, aliquod ab illis audierat, quod hanc illorum ignorantiam proderet. pag. 10. b

Alii hanc vocem sentientis putant esse naturæ, non eius, quæ ratione atque consilio efferuescentes animi motus moderatur. Sane naturæ aut fortunæ detrimenta sentire, aut non dolere, cum plagam acceperit ingentem, eius est, cuius corpus stupor quidam belluinus & animum dira quædam immanitas occuparit. Dolor autem & afflictio vehemens vocem exprimit grauis doloris testem, etiamsi ratio contra sentiat, imo quod patitur eligat, & amet, & vitam amittat multo libentius, quam sibi eripi patiatur dolendi materiam. Ad hunc igitur naturalem humanitatis sensum referunt aliqui has Iobi querelas, quæ voces quidem sunt sentientis, non intelligentis atque moderantis naturæ: Sicut aut strenuus miles & gladiator robu- 39.

robuſtus gemunt interdum accepto vulnere, & cum doleant, gemantque, neque vulnus alligant, neque vitæ conſeruandæ deſiderio aut aciem deſerunt, aut mortem euitant, quam ante oculos obuerſari vident. ita putat S. Thomas *in capite 3. Iob. Lectione 2.* & cum illo plures alii. Simile aliquid accidit Ieremiæ *capit. XV.* & *cap. XX.* habemus exemplum optimum in Chriſto, cuius in ſuo labore Iobus referebat imaginem: nam cum crucem appeteret, & illa, quæ tantopere horrebat humanitas, vſque adeo, vt quamlibet moram inſtar exiſtimaret eſſe mortis, & ex eorum deſiderio clamaret coarctari ſe, id eſt, ſpiritum ſuum affligi vehementer, donec ſuo ſe ſanguine baptizaret; nihilominus ita horrebat mortem & dirum illius genus naturæ ſentientis infirmitas, vt tæderet, paueretque, ſuumque dolorem ſanguineo ſudore teſtaretur, & voce habituque maxime ſignificante oraret, vt a ſe propinati calicis amara potio tranſiret.

pag. 11. a 40. *Quomodo Iob in execrationibus liberatur a culpa.*

Sed dices, vocem illam Iobi impatientis eſſe animi, neque enim tantum dolet, ſed etiam malum aliquod imprecatur diei, in qua natus; & nocti, in qua conceptus eſt, quod non videtur a graui aliqua culpa liberari poſſe. De hac re agemus ſuo loco pluribus: Sat modo fuerit in præſenti notaſſe, quod in re non admodum diſſimili diximus *in noſtris Commentariis in libr. 2. Reg.* ad illud *cap. I, 21. Montes Gelboe nec ros, nec pluuia veniat ſuper vos.* & ad illud *Ieremiæ XXIIX, 14. Maledicta dies, in qua natus ſum,* nempe his aut ſimilibus dicendi modis, in quibus aliqua apparet execratio, tantum ſignificari dolorem acerbiſſimum, neque valere aliud quam interiectionem *heu, hei, va.* quod putauit Theodoretus *in locum citatum Ieremiæ* & Chryſoſtomus *in catena ad cap. 3. Iob.* Neque videtur veriſimile, viros hoſce tantos, tamque illuſtratos diuino lumine execrationes has diras intorquere voluiſſe, aut in res inanimatas, quæ peccaverunt nihil, aut in tempus illud, quod iam omnino perierat, neque pati aliquid poterat ab execratorio illo diroque conuitio. Sed de hoc ſuo loco pluribus: Vide interim Abulenſem *in lib. 2. Reg cap. 1. quæſt. 16.* vbi docet, Dauidem non peccaſſe, cum montibus videtur ſterilitatem & ſitim imprecatus.

REGVLA. *Quæ execrationes videntur, interiectiones dolentium ſunt.*

Alii putant, Iobum non ſuam hic ſolius calamitatem deplorare, ſed communem, quæ ab originali labe emanauit in longam Adami poſteritatem, cum autem ex infecto fonte exitium, & mortem, heu nimium celerem, hauſerit infelix ſeraque poſteritas, diem illum antiquum execratus eſt Iobus tanquam malorum ingentium originale ſeminarium. Alii cenſent, Iobum peccatorum omnium ſuſtinere perſonam, & ita execrari diem ſuum natalitium; quomodo peccatores, qui ideo videntur nati, vt voluptariis ſenſibus nimium intemperanter indulgeant, execrari deberent diem illum, qui ipſos primum naſcentes vidit. quando neque de Deo cogitant, neque ad illius ſe legem & voluntatem attemperant. Qui ſane pie ſentiunt, & Iobum noſtrum non ſolum ab omni vindicant labe, ſed etiam eo nomine maxime commendant, cum aliena lugeat peccata, & offenſum eſſe Deum tam pie doleat & amare. Sed ſane ſi quod præceſſit, ſequiturque proxime, accurate conſideres, niſi dure admodum verba contorqueas, in- 41.

venies

venies, de suo tantum ærumnoso statu
pag. 11. b agere Iobum, non de communibus, aut alienis; neque tamen ideo ab eo in hac execrationis specie grauem aliquam culpam esse commissam.

PROLEGOMENON VI.
An Iobus fuerit Propheta.

42. *Iob Propheta.* PRophetam appellant clarissima Ecclesiæ lumina Gregorius *lib. 17. moral. cap. 1. Sanctus* (inquit de Iobo) *per vulnera & verba sic loquatur sua, vt etiam nostra significet, & plerumque per prophetiæ spiritum futura narret, præsentia transcendat.* Augustin. *serm. 2. de natiuitate tom. 10. Similiter*, inquit, *& Iob prædicat eximius Prophetarum; Et in carne mea videbo Deum. quod de illo tempore prophetauit, quando Christi deitas habitu nostræ carnis induta est.* Hieronymus *ad Pammachium aduersus errores Ioannis Hierosolymitani post medium*, Iobum Prophetam fuisse dicit; cum enim adduxisset illud *Iob cap. XIX, 25. sq. Scio enim, quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius.* statim subdit: *Quid hac prophetia manifestius? nullus tam aperte post Christum, quam iste ante Christum de resurrectione loquitur.* Idem pene iterum *epistola ad Paulinum.* Hoc ipsum aperte legit Martyrologium Romanum ad diem decimum Maii, & Græcorum Menologium ad diem octauum eiusdem mensis; quam sententiam Baronius *ad illum locum in additionibus* dicit esse communem. Quæ porro vaticinia cecinerit, commemorat Hieronymus *loco nuper citato, ex cap. 19.* & Gregorius *lib. 14. moral. cap. 26.* ab illo Christi incarnationem dicit esse prædictam.

Deinde non tantum homo verbis, 43. sed etiam factis prophetat & signis, *Iob typus Christi.* quod fecit Isaias, Ieremias, Oseas, Ezechiel, Zacharias, qui in se ipsis futurarum rerum signa quædam edidere prognostica; neque alio modo de Christo prophetauit Abel, nisi quia innocens propter inuidiam occisus fuit a fratre, qui tamen *Matth. XXIII.* inter Prophetas videtur numerari. At si quæ passus est Iobus, & quæ post passionem consecutus fuit, attente consideres, videbis in illo patientis Christi, & deinde resurgentis, atque gloriosi non adumbratam & obscuram, sed viuam quandam & spirantem imaginem. Percussus ita fuit aut lepra, aut alio mortis genere ita luculenter, ut pag. 12. a
in toto corpore nihil esset a dolore vacuum. Talem Isaias intuebatur Christum *c. LIII.* qui derelictus dicitur, & despectus a suis, & ab illis illusus, quibuscum antea familiariter vixerat & amice, quod idem etiam accidit Christo. Satanæ traditus est, & Christus tenebrarum potestati. post durum certamen, post squalorem & ignominiam ad gloriam rediit & splendorem, ex quo excidisse videbatur, & multo ampliora consecutus, quam ante perdiderat, in quo gloriam illam & splendorem expressit, quem post passionem Christus rediuiuus obtinuit. Quare si vllus typice Christum adumbrauit, hic sane omnium maxime, atque ideo in hoc prophetandi genere princeps fuit. Hæc optime Beda *in principio libri Iob: Sanctus*, inquit, *Iob, vir summæ patientiæ & virtutis, Deique testi-*

testimonio appellatus, multa de Christo Domino prophetauit, cuius etiam ipse personam figuraliter gessit.

PROLEGOMENON VII.

Quæ sint antiquorum Patrum de Iobo sententiæ atque præconia.

44. *Iob sacerdos.* PRimum Iobus Sacerdos esse dicitur, quo id iure consecutus fuerit, incertum. nam Sacerdotes olim fuisse, alibi Reges, alibi primogenitos, satis ex humana sacraque litteratura constat. Sane duo fuerunt Sacerdotes in Scriptura: alter Rex Salem Melchisedech, alter primogenitus Esau, qui cum primogenii prærogativa sacerdotale quoque munus vendidisse creditur. Sacerdotem vocant Origenes *lib. 1.* Hieronymus *epistola ad Euagrium*, Chrysostomus *in catena* ad illud *cap. XLII, 8. Sumite ergo vobis septem tauros.* Vbi idem etiam sentit Olympiodorus.

45. *Iob martyr, neque in eo genere Apostolis inferior.* Vocatur Martyr a Chrysostomo *homil. 5. de patientia Iobi*, & *homil. 34. in Matth.* Apostolis non inferior in laborum tolerantia. An vero propria fuerit in Iobo Martyrii ratio, neque ipse disputat Chrysostomus, neque de re nobis laborandum est. *Date*, inquit Chrysostomus, *veniam libere loquenti, si non fuit maior Apostolis Beatissimus ille Iob, certe nec minor, meo iudicio, fuit. Nam Apostolis non parua erat consolatio, cum scirent se Christi causa tormentis vexari. Quod remedium tanti erat, tantamque vim ad sublevandos in passionibus quotidie Apostolos retinebat, vt vbique firme id positum esse a Domino videamus, crebro enim scriptum inuenies,* pag. 12. b *propter me, & gratia mei, etsi me patremfamilias Beelzebub vocauerunt. Ille autem tali consolatione omnino carebat.* Et idem Chrysostomus Iobi constantiam & robur admiratus *homil. 1. de patientia Iob tomo 1.* audacis esse animi dicit, velle oratione explicare, quam ille se in perferendis laboribus strenuum præstiterit. *Quis*, inquit, *tentabit immensum laudum pelagus ingredi? quemadmodum enim sanæ mentis nemo audebit vmquam maris pelagus humanis pertransire pedibus; sic nec ex sapientibus quisquam summeque peritis tentabit quandoque nobilis illius ac beatæ animæ laudes audientibus enarrare.*

Philosophum appellat Suidas *verbo Iob*, post longum tanti viri & strenui luctatoris elogium, illumque lusciniam appellat multo suauius in suo libro cantillantem, & grauius, quam post illum in sua Philosophia Plato, quem diuinum appellauit antiquitas, aut Homerus, quo nemo melius heroum gesta suauiusque cantauit. *Habes*, inquit, *huius Philosophi librum multo Platonica & Homerica luscinia cantillantem argutius.* 46. *Iobi sanctitas, & philosophia.*

Augustinus *libro 18. de ciuitate cap. 47*, sic de Iob, quem prius virum sanctum & mirabilem vocarat, *nec indigena*, inquit, *nec proselytus, id est, aduena populi Israel fuit, sed ex Gente Idumæa genus ducens, ibi ortus, ibidem mortuus est.* qui diuino sic laudatur eloquio, vt quod ad iustitiam pietatemque attinet, nullus ei hominum suorum temporum coæquetur. 47.

PROLEGOMENON VIII.

De huius libri stylo, auctoritate & lingua.

OBseruauimus supra *Proleg. 1.* quædam in hoc libro soluta, quædam numerosa compositione constare. Quæ 48. *Quis stylus & genus orationis.*

proprie historica sunt, vt duo priora capita, & omnium postremum, soluto incedunt gressu; reliqua omnia astricto & numeroso. Ita Hieronymus *epistola ad Paulinum, Iob*, inquit, *exemplar patientiæ, quæ non mysteria suo sermone complectitur? prosa incipit, versu labitur, pedestri sermone finitur.* Et præfatione prima in Iob. *A principio voluminis vsque ad verba Iob, apud Hebræos prosa oratio est. Porro a verbis Iob, in quibus ait: Pereat dies, in qua natus sum, & nox, in qua dictum est: Conceptus est homo; vsque ad eum locum, vbi ante finem voluminis scriptum est: Idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere; hexametri versus sunt, dactylo, spondæoque currentes,* pag. 13. a *& propter linguæ idioma crebro recipientes & alios pedes, non earumdem syllabarum, sed eorumdem temporum.* Ego tam in Iob, quam in Psalmis & Canticis, & Ieremiæ lamentationibus, cum aliis ferme omnibus, numeros arbitror esse poëticos, sed, vt verum fatear, licet in ea re non segniter aliquamdiu laborarim, nullam legem invenio, quæ in eo numeroso scribendi genere perpetua sit. Neque credo de antiqua Hebræorum poësi quicquam posse certum definiri. Illud vnum affirmare audeo, sic a Iobo, seu a Moyse potius, Iobi concinnatas fuisse sententias, vt dulce aliquid & harmonicum resonarent. Sic sane putabat Suidas *supra*, dum Iobi librum magis dicit esse vocalem & argutum, quam Platonis Homerique lusciniam. Et Hieronymus *præfatione priori in librum Iob* ait, etiamsi pedum numeri interdum soluti videantur, ibi tamen rithmum apparere tinnulum & dulcem.

Qua lingua scriptus fuerit, diximus *Proleg. 2.* vbi de huius libri auctore non pauca. Vbi putabamus, a Iobo ipso, vel ab aliis, qui Iobo fuerunt a commentariis; seu certe ab amicis, quæ singulis contigere diebus, relata esse in commentarios seu ephemeridas memoriæ gratia, lingua patria, nempe Idumæa, seu Arabica, certe peregrina: & inde a Moyse Hebraico sermone concinnatam historiam, in qua ex originali lingua aliqua retenta sunt, aut certe parum immutata vocabula. Sane Hieronymus de sua translatione sic loquitur *præfatione priori in Iob. Hæc autem translatio nullum de veteribus sequitur Interpretem, sed ex ipso Hebraico, Arabicoque sermone, & interdum Syro, nunc verba, nunc sensus, nunc vtrumque resonabit.* Et *præfatione in Danielem* dicit, librum Iob cum Arabica lingua plurimam habere societatem. Syrum autem sermonem non illum intelligit Hieronymus, qui ex Hebraico Chaldaicoque conflatus est idiomate, qualem post solutam captivitatem Babylonicam habuerunt Hebræi; neque enim illum agnouit Iobus aut Moyses, a quibus compositus est liber, quem Hieronymus multa post sæcula fecit Latinum: sed qui Syriæ proprius erat, quæ Israeliticos fines proxime attingit. De quo pluribus Origenes *in principio Commentariorum libri Iob.* 49. *Qua lingua scriptus liber Iob.*

Vt autem dicebamus *supra* ex Origene, hunc librum ex peregrina lingua in Hebraicam translatum a Moyse, siue cum greges pasceret in Arabia seu Madianitica terra, siue in Ægypto, vt putabat Origenes *loco citato* proxime: vt tanti viri exemplo Hebræi ab Ægyptiis afflicti contra quotidianas ærumnas 50. pag. 13. b

mnas obdurarent: sic Ecclesia in feralibus sacris, & mortuorum inferiis aliquid canit ex hoc libro satis accommodatum ad viuorum solatium, & mortuorum salutare subsidium. Addit autem Origenes *citato loco*, vbi aliquid acciderat aduersum & lugubre, aliquid ex hoc libro recitari solitum. *Adhuc* (inquit,) *vsque ad hodiernum diem Beati Iob tolerantia ante eos, qui sunt in dolore, luctu atque planctu, legitur pro consolatione atque exhortatione dolorum illorum, & pro ablatione angustiæ cordis eorum. Similiter autem & in conuentu Ecclesiæ in diebus sanctis legitur passio Iob, in diebus ieiunii, in diebus abstinentiæ, in diebus, in quibus tanquam compatiuntur hi, qui ieiunant, & abstinent, admirabili illi Iob in diebus, in quibus in ieiunio & abstinentia sanctam Domini nostri Iesu Christi passionem sectamur.*

51. *Huius libri quanta autoritas.* De autoritate huius libri nemo dubitat, nisi qui Scripturæ sacræ bellum iam pridem indixerunt hostile: quales fuerunt Talmudistæ Doctores, hæretici, præsertim Anabaptistæ, & qui hanc fabulam esse putant, non veram historiam; & omnium maxime Lutherus, qui fabulam putat, & ab historica reiicit fide, quasi multa contineat prorsus incredibilia. Sed hæc a nobis supra *Prolegomeno 1.* refutata sunt.

PROLEGOMENON IX.

De obscuritate huius libri.

52. *Huius libri obscuritas.* Obscurum esse hunc librum docuit Hieronymus *præfatione priori in Iob*, & obscuritatis tradidit causam *ibidem*, & *epistola ad Paulinum*. Quædam sumuntur ex linguarum proprietate, & figurato dicendi genere, quod quia alienis vtitur & translatis a propria significatione vocabulis, non potest esse non obscurum; præsertim cum res ipsæ, vnde translatio sumitur, incertæ sint. De hoc genere sic Hieronymus *in ea præfatione: Hæc translatio nullum de veteribus sequitur interpretem, sed ex ipso Hebraico Arabicoque sermone, & interdum Syro nunc verba, nunc sensus, nunc vtrumque resonabit: obliquus etiam apud Hebræos totus liber fertur, & lubricus, &, quod Græci Rhetores vocant, ἐσχηματισμένος, dum* pag. 14. a *qui aliud loquitur, aliud agit, vt si velis anguillam vel murænulam strictis tenere manibus, quanto fortius presseris, tanto citius elabitur.* Hæc autem figurata in varios patent sensus quasi ænigmaticæ quædam species, in quibus multa latent sententiarum semina. Variæ autem linguæ varias habent metaphoras, varia prouerbia, quæ non facile assequitur illarum proprietatum ignarus.

Aliam obscuritatis causam attulit 53. *Materia huius libri difficilis, & varia.* Hieronymus *ibidem ad Paulinum*, non iam ex linguarum proprietatibus ac figuris, sed ex ipsa materia, quæ valde grauis est atque difficilis, & ex ipso disceptandi modo, qui Dialecticus est; & illas seruat leges, quas in Socratica Schola nemo seruaret accuratius. Sic autem *ad Paulinum: Iob exemplar patientiæ, quæ non mysteria suo sermone complectitur. Prosa incipit, versu labitur, pedestri sermone finitur. Omnesque leges Dialecticæ propositione, assumptione, confirmatione, conclusione determinat, singula in eo verba plena sunt sensibus.* Ad alias obscuritatis causas & interpretationum impedimenta accedit, quod neque a Scriptura, neque ab aliqua alia historia aliquid potest lucis assumi,

quod tenebras discutiat, quas liber hic legentibus passim offundit. Quis vnquam ex profanis huius historiæ meminit? In sacris vnum aut alterum verbum audimus, in quo tantum discimus, Sanctum esse atque patientem Iob, & amicos eius fuisse Reges, insultasseque iacenti. Hæc autem pro tantæ molis libro quanta sunt? Stylus quoque propheticus, etiamsi abfuissent Poëtici numeri, nouas inuoluisset difficultates; vt ignorare non possunt, qui in Prophetarum euoluendis oraculis versati sunt. Quam vero varia sit multiplexque materia, quis non videt? Quam sæpe de diuina natura, de moribus, de re astrologica ac physica, siue ab Iobo, siue ab eius amicis inductus sermo? Quare qui digne opus istud versare atque explicare voluerit, scientiarum omnium circulum absoluerit necesse est. De huius libri obscuritate & illius causis vide Salmeronem *Prolegom. 10. quinquag. 2. cap. 24.* & Pinedam *in præfatione. cap. 8.*

PROLEGOMENON X.

An liber hic sit Canonicus.

54. *Liber hic Canonicus.* pag. 14. b

ORthodoxi ac pii nunquam de huius libri canonica fide dubitarunt; quam illi atribuerunt antiqui Patres, & sacra Concilia in Canonicorum censum retulerunt. Nihil hic dico de quibusdam laciniis, quæ in Septuaginta codicibus reperiuntur, quas non habent Latini. De his enim alia ratio est, in quibus canonicæ fidei pondus sacra Concilia non agnoscunt.

55. *Canonicam fidem huic libro quidam detrahunt impie.*

Canonicum librum esse negant Talmudistæ & Anabaptistæ, & alii quidam eiusdem fœcis homines, qui fabulosum dicunt esse figmentum, non veram historiam. Quod ideo sibi persuadent, quia multa hic illi videre se putant, quæ nemo sanus crederet, quæ nos *Prolegom. 1.* numerauimus, confutauimusque. Quod si aliqua minus vera aut certa in tot tamque prolixis disputationibus ab amicis Iobi, aut ab ipso etiam Iobo dicta sunt, quod, meo iudicio, negari non potest, cum Deus ipse inuenerit, quid in amicis, quid in ipso Iobo reprehendat, illa quæcumque fuerint, non efficiunt, quo minus hic liber in sacrorum librorum canonem referri non debeat. Cum enim Scriptor sacer aliorum refert orationem, & verba, refert quidem illa fideliter, non tamen probat; quare illa dicta fuisse de fide est, non tamen semper canonicæ fidei pondus habent, quæ dicta narrantur. Alioqui expungendi essent prorsus a canone multi libri, in quibus a sacro historico aliorum mendacia aut ficta commenta referuntur; qualia fuerunt, quæ Dauid dixit, cum Saulis væsanum furorem declinaret, ad Sacerdotem Achimelec *lib. 1. Reg. XXI.* aut ad Achis Regem Geth. *cap. XXVII. & XXIX.* & *lib. 2. cap. I.* Amalecita multa mentitus est, dum narrat Dauidi Saulis mortem, vt eo loco probauimus, & plura alia variis Scripturæ locis: nemo tamen ideo negabit, libros illos canonicæ fidei pondus habere. Quæ vero fuerint, quæ Deus in hac Iobi amicorumque disputatione reprehenderit, obseruauimus supra *Prolegom. 5.* & suis postea locis latius exponemus.

REGVLA. *Scriptura non omnia quæ ab aliis dicta refert, vera probat.*

56. *In verbis amicorum Iobi aliquando error.*

At dices, si in amicorum Iobi verbis error aliquis est, licet rarus & leuis, quomodo illorum verba Paulus allegat *1. Cor. III, 19. Sapientia enim*

huius

huius mundi stultitia est apud Deum, scriptum est enim: Comprehendam sapientes in astutia eorum. Verba sunt Eliphaz *cap. V*, 13. Respondeo, non hoc loco Paulum aut primum aut solum assumere sententiam ex libris, qui maximis interdum erroribus abundant. Sane *Actor. XVII, 18.* ex Arati Φαινομένοις, & aliis, quæ multis scatent fabulis, testimonium sumpsit: *In ipso* (inquit) *viuimus, mouemur & sumus, sicut & quidam vestrorum Poëtarum dixerunt.* Et de Epimenide, vt est communis Interpretum sententia, sumpsit illud *ad Titum I, 12. Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pingues.* Quod a proprio Cretensium Propheta dictum fuisse dixit ibidem Paulus. In hoc porro loco Pauli ad Corinthios satis indicatur, hunc librum Iobi esse Canonicum; sic enim illum locum ibi citat, quomodo citare illa assolet, quæ ex Scriptura sumit. ait namque, *Scriptum est enim*, quæ verba adhiberi non solent, nisi cum ex Scriptura sacra verba promuntur. Et cum his verbis alia coniungit, quæ negare potest nemo canonicæ fidei habere pondus, cum sint ex *Psalmo XCIII & iterum* (dicit, nempe Scriptura) *Dominus nouit cogitationes sapientum, quoniam vanæ sunt.*

Aliquando Paulus testimonia sumit e libris, vbi sunt errores.

pag. 15. a

PROLEGOMENON XI.

Quodnam sit argumentum huius libri.

57. *Huius libri argumentum.*

VAria in hoc libro tractantur argumenta, vt fit opere in longo, maxime dramatico, id est, in quo variæ personæ loquentes inducuntur: sed omnia eo spectant, vt probent diuinam in rebus esse prouidentiam, quæ virtutes præmio, peccata vero suppliciis compenset: putabant enim amici Iobi, quibuscum prolixa ille & acri disputatione congreditur, iniustum esse Iobum & peccatorem, cuius tantum esset externa quædam & laruata sanctitas, non solida & vera. In eamque cogitationem ideo feruntur, quia repente vident miserabili casu ex fortuna sublimi cecidisse, abactis, partim a prædonibus, pecudum & armentorum gregibus, partim demisso cœlitus igne consumptis: oppressis filiis ruente domo; denique ipsum graui atque horribili plaga sic esse fœdatum & abiectum, vt facile quiuis intelligeret non ab humana manu, sed a diuina & scelerum vltrice fuisse percussum. pag. 15. b

58. *Cur Iobus ab amicis iudicatus iniustus.*

Iniustum porro fuisse Iobum, ea sibi ratione persuadent, quia cum grauem in se sensit diuinam manum, quasi doloris impatiens diem suum execratur natalitium, & vitam odit. deinde quia suam ipse iustitiam & innocentiam prædicat, quod minime cum viri iusti constantia atque modestia conuenit. Quare summam statumque disputationis, quæ vim totam controuersiæ continet, in hac breui ratiocinatione constituunt. Deus sapiens est & iustus: ergo nouit, quis sit peccator, vtpote sapiens: & vt iustus castigat illum, quem sceleris reum esse nouit. Cum ergo tam seuero iudicio castigarit Iobum, consequens est, vt ille magnis se sceleribus obligasse videri possit. vt hæc confirment hi non tam consolatores & amici, quam molesti accusatores, multa dicunt de Dei sapientia, multa de iustitia, ac tandem monent, vt seipsum peccatorem agnoscat, quo seuerum & offensum Deum ad lenitatem & miserationem inflectat. Hic amicorum in hac longa disputatione

59. *Deus non solum in hac vita peccatores affligit.* ſcopus & intentio. At Iob contra grauiter oſtendit, in hac vita oriri ſolem & occidere ſuper bonos & malos, id eſt, bona vtrisque & mala eſſe communia, neque tamen ideo aut impunita fore peccatorum ſcelera, aut iuſtorum opera ſua ſibi mercede caritura, cum exacta temporaria hac vita, adhuc ſuperſit compenſandi merita, aut puniendi peccata tempus & facultas: vt autem doceat, ſe non ideo tam duris vexari modis, quia id exigat ſcelerum multitudo & grauitas, ſupplicii acerbitatem amplificat, innocentiam commendat ſuam; & ſi quid eſt ab illo in aliquo genere peccatum, illud extenuat, & præ malorum pondere dicit eſſe leuiſſimum. Hæc ſumma totius operis complexio eſt. Hæc longæ diſputationis ſubiecta materia. cuius ad finem Deus arbiter eſt, & ſuo iudicio controuerſiam definit.

pag. 16.

IN CAP. I. LIBRI IOB.

ARGVMENTVM.

DEſcribitur primum Iobi fortuna prior, cui nihil ad honeſtatem nominis, nihil ad felicitatem ſummam deeſſe videbatur, cum ſanctitas eſſet & maxima & nota: & his abundaret humanæ vitæ commodis, quæ homines reddunt fortunatos. Accedebat ad hæc numeroſa ſoboles, & filiorum tanta ſtudiorum animorumque conſenſio, vt ordine certo & ſtabili mutua ſibi conuiuia condicerent, parente non inuito, & pro ipſis peracto conuiuiorum circulo ſacrificante. Accidit autem, vt quadam die inter Angelos coram Deo ſe quoque ſiſteret Satanas, qui commendatum a morum probitate & eximia ſanctitate Iobum fucatæ ſanctitatis accuſat. Cui Deus, vt ſolidam eſſe ſanctitatem probet, & non ſolum inanem ſanctitatis ſpeciem, facultatem Satanæ concedit in ea Iobi bona, quæ dicuntur externa, ita tamen, vt in illius corpus nihil liceret. Quam ille facultatem ſic arripuit auide, vt illum opibus, familia, & filiis momento temporis exuerit. Neque repentinus ille malorum conflictus ab illo vocem vllam expreſſit impatientis animi, ſed modeſti, & grati, qui diuinum agnoſceret beneficium, illudque & laudibus celebraret ipſe, & ab omnibus celebrari cuperet.

pag. 16. a

CAPVT I.

1. VIr erat in Terra Hus, nomine Iob, & erat vir ille ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo.

2. Natique ſunt ei ſeptem filii, & tres filiæ,

pag. 16. b

PARAPHRASIS.

1. VIr erat in terra Husſitide, quæ eſt in Idumæa, nomine Iobus, animo ſincero & ſimplici, ſumma in alios æquitate & fide, & religioſa in Deum obſeruantia, qui longe aberat, vt quicquam, quod offenſioni Deo atque hominibus eſſe poſſet, ad animum admitteret.

2. Hic vero ex vxore Regina prolem ſuſcepit generoſam & pulcram, quo hominum opinione exiſtimari potuit fortunatus. Nati ſunt enim ſeptem filii, & tres filiæ, qui numerus ad Regiæ domus ſplendorem & parentum delicias luculentus fuit.

3. *Acce-*

3. Et fuit possessio eius septem millia ouium, & tria millia camelorum, quingenta quoque iuga boum, & quingentæ asinæ, ac familia multa nimis; eratque vir ille magnus inter omnes Orientales.

3. Accedebat ad hæc rei pecuariæ & rusticæ amplitudo maxima, qualem in Orientali illo tractu nullus obtinuit; habuit enim septem ouium millia, tria millia camelorum, asinas quingentas, & pro colendis agris boum quingenta paria, quæ totidem iugis terram vertebant, & seruorum ad domesticam rusticamque curam numerosam familiam, cumque his accederet, & vitæ probitas, & ingenii suauitas, Principem inter Orientales Reges locum obtinebat.

4. Et ibant filii eius, & faciebant conuiuium per domos, vnusquisque in die suo. Et mittentes vocabant tres sorores suas, vt comederent & biberent cum eis.

4. Magnus accessit cumulus ad felicitatem Iobi ex filiorum ingenuis moribus, & magna inter se & cum parente concordia, quæ illorum bene constitutum animum non obscure produnt. Nam mutuis se conuiuiis inuitabant, sic inter omnes partiti humanitatis officium, vt alii alios in domos suas suis quique diebus accerserent, & tres sorores ad commune illud & geniale conuiuium aduocabant.

pag. 17. a 5. Cumque in orbem transissent dies conuiuii, mittebat ad eos Iob, & sanctificabat illos, consurgensque diluculo offerebat holocausta pro singulis. Dicebat enim: Ne forte peccauerint filii mei, & benedixerint Deo in cordibus suis. Sic faciebat Iob cunctis diebus.

5. Transacto septemdiali spatio, quo septem fratrum quilibet officio suo satisfecerat, admonebat per nuncios religiosus pater, vt se ad holocaustum, quod pro ipsorum expiatione immolandum erat, mature disponerent. Nam ille de more, exacto illo conuiuiorum circulo, primo mane pro eorum singulis offerebat victimas. Timebat enim, ne qua labes ex illo conuiuio filiorum animis adhæsisset; quia aut ex animo non egissent gratias pro acceptis a Domino beneficiis, aut ex rerum abundantia insolenti sibi spiritu placuissent. pag. 17. b

6. Quadam autem die, cum venissent filii Dei, vt assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan.

6. Accidit autem quadam die, vt cum Angeli, qui filii dicuntur Dei, sese coram Domino sisterent, vt inter illos impurus etiam spiritus appareret.

7. Cui dixit Dominus: Vnde venis? Qui respondens, ait: Circumiui terram, & perambulaui eam.

7. Ad quem Deus, cum rogaret, vndenam locorum ad illum consessum aduenisset, se totum orbem peragrasse, & terram vniuersam lustrasse respondit.

8. Dixitque Dominus ad eum: Nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra; homo simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo?

8. A quo rursus sciscitatur Deus, an in Iobi mores & vitam attentam considerationem intenderit; animaduerteritque, quando totum a se orbem lustratum esse dicit, neminem esse in terra, qui cum Iobo animi simplicitate, morum probitate, vitiorum fuga, virtutis studio, & singulari in Deum obseruantia conferri possit.

9. Cui respondens Satan, ait: Nunquid Iob frustra timet Deum?

9. Satanas ad hæc, qui vt inuidus est alienæ laudis, sic illam omnibus modis eleuare & obscurare

ſcurare conatur; Iobum accuſat, quod in eo, quod videri externa ſpecie poterat religionis ſtudium, non tam ſpectarit diuinam gloriam, quam priuatæ commoditati ſeruierit.

10. Nonne tu vallaſti eum, ac domum eius, vniuerſamque ſubſtantiam per circuitum; operibus manuum eius benedixiſti, & poſſeſſio eius creuit in terra?

10. Quid mirum, inquit, ſi tantopere Iobus te, o Domine, placatum ſibi atque propitium velit, cum tu illum, & domum, totamque ſubſtantiam patronus & iuſtus circumſiſtas, neque ſolum illius fortunas præſens tuearis, ſed liberali ac munifica manu nouis vbique augeas incrementis.

11. Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ poſſidet, niſi in faciem benedixerit tibi.

11. Nunc autem quam prius manum liberalem ad benedictionem extendiſti, eamdem ad plagam & maledictionem conuerte, & rebus illius ſublatis aut afflictis de illius in ſolida religione conſtantia experimentum cape. Inuenies profecto conuerſum animum, & pro ſimulata religione, veram in eius ore blaſphemiam & impietatem fuiſſe deprehendes.

12. Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce, vniuerſa, quæ habet, in manu tua ſunt: tantum in eum ne extendas manum tuam. Egreſſuſque eſt Satan a facie Domini.

12. Vt ergo Satanæ de Iobi religione vera & ſanctitate conſtaret, eidem illius probationem & ſeuerum permittit examen. Quare bona omnia Iobi, opes, armenta, filios, totam denique familiam illius poteſtati ſubiecit. Tantum in Iobi perſonam illius furori nihil licere voluit. Ille vero cum primum hanc a Domino facultatem accepit, exiliit alacer ex illo conſeſſu, vt res turbaret Iobi quam poſſet maxime, & certo probaret experimento, fucatam eſſe religionem, quam in Iobo Deus tantopere laudarat.

13. Cum autem quadam die filii & fi-
pag. 18. a liæ eius comederent & biberent vinum
in domo fratris ſui primogeniti;

14. Nuncius venit ad Iob, qui diceret: Boues arabant, & aſinæ paſcebantur iuxta eos;

15. Et irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia, & pueros percuſſerunt gladio, & euaſi ego ſolus, vt nunciarem tibi.

℣. 14. 15. Cum autem de more Iobi filii in primogeniti domo conuiuium obirent ſplendi-
dum, in quo & vini, & ciborum pro Regia fa- pag. 18. b
cultate affatim erat. quod etiam tempus de filiorum iam dudum explorata probataque concordia, non poterat Iobo non eſſe iucundum; oppreſſit illum ſubitus & dirus nuncius, qui dixit irruiſſe Sabæos, & incurſione vehementi & ſubita abſtuliſſe boues, qui ſubigendis agris dabant ruſticam operam, & aſinas, quæ prope paſcebant, & ab iiſdem præterea percuſſos eſſe ſeruos, quibus res illa paſtoritia & ruſtica foret commiſſa, neque ex tanta multitudine, præter ſe vllum, eſſe reliquum, a quo cladem illam ingentem & ſubitam acciperet.

16. Cumque adhuc ille loqueretur, venit alter, & dixit: Ignis Dei cecidit e cœlo, & tactas oues pueroſque con-

16. 17. Vix dum iſte Iobi animum dura hac legatione percuſſerat, cum alius ſtatim adfuit, qui ab igne cœlitus demiſſo tactas dixit eſſe oues, & ad vnam omnes eſſe conſumptas. Simul

cum

sumpsit, & effugi ego solus, vt nunciarem tibi.

17. Sed & illo adhuc loquente, venit alius, & dixit: Chaldæi fecerunt tres turmas, & inuaserunt camelos, & tulerunt eos, necnon & pueros percusserunt gladio, & ego fugi solus, vt nunciarem tibi.

18. Adhuc loquebatur ille, & ecce, alius intrauit, & dixit: Filiis tuis, & filiabus vescentibus & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti,

19. Repente ventus vehemens irruit a regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt, & effugi ego solus, vt nunciarem tibi.

20. Tunc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram, adorauit, & dixit:

21. Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc: Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.

22 In omnibus his non peccauit Iob labiis suis, neque stultum quid contra Deum locutus est.

cum illis, qui pascendis gregibus præerant, & se tantum ex ea multitudine, vt cladem illam perferret, fuisse superstitem. Nondum omnino quid accidisset, nuncius ille retulerat; cum adfuit subito alius, a quo didicit, tres Chaldæorum cuneos in Camelorum greges irrupisse, quos abegerunt secum, percussis item seruis, quos eorum ille custodiæ præfecerat. Neque vllum inopinatum illud euasisse periculum, præter eum, qui prædam illam cladem que nunciaret.

18. 19. Nondum hic excesserat, cum alius aduenit, qui Iobi animum non tam luctuoso nuncio, quam horribili quodam fulmine percussit, qui retulit, totam ipsius progeniem, quæ conuiuii gratia in primogeniti conuenerat domum, oppressam esse repentino casu. Ingruisse dicebat a regione deserti, id est, ab Australi plaga vehementem ventum, qui domum a quatuor angulis concussit, & impulit; quæ tandem ab imis fundamentis euulsa oppressit liberos intentos geniali mensæ, & incautos obtriuit. Neque ex numerosa familia, quæ conuiuantibus aderat ministerii gratia, præter illum, qui lamentabilem casum annunciaret, quemquam communem illam ruinam effugisse.

20. 21. Audierat Iobus direptas facultates & opes, & tamen nullum dederat doloris aut perturbationis signum: cum autem filios interiisse didicit, surrexit statim, vestimenta conscidit, caput abrasit, & se quamprimum in terram abiecit. Non corruit exanimatus ab eo acerbissimo nuntio, quasi vim doloris sustinere non posset, sed vt Dominum agnosceret illum, a quo esset tam graui vulnere percussus, & illum supplex adoraret, a quo illorum bonorum aliquandiu accepisset vsuram. Quare illum laudat, optatque, vt vbicumque locorum diuinum nomen celebretur, neque indignatur, ereptam sibi esse cum aliis bonis dilectam & generosam prolem, cum idem, qui sustulit, liberali manu antea omnia concesserit. Neque durum putat exire se nudum ex hac luce, in quam antea nudus susceptus est. Quod autem discissis vestibus, & attonsa coma, in terram se sordidatum abiecerit, non tam fecit perturbatio ac dolor, quam pietas, & laudabilis patriæ consuetudo, quæ mortuis ea ratione parentare solet.

22. Cumque hæc omnia grauissima essent, & eo modo atque ordine congesta vulnera, vt ferreos etiam animos emollire, & in lugubres que-

 stus,

stus, & impatientes ac turbidas voces excitare possent, Iobus tamen in eo tot adversitatum concursu laquutus est nihil contra Deum, quod aliquam, sive peccati, siue insipientiæ, aut etiam immodestiæ speciem haberet.

Vers. 1. *Vir erat in terra Hus, nomine Iob.*

pag. 19. a

1. *Duo prima capita sermone soluto composita.* HÆc duo priora capita, vt diximus, edidit Moyses illustratus a diuino lumine. Sicut etiam scripsit eodem, vt putabat Origenes, tempore Genesim; cuius arcana nisi prælucente diuina luce neque posteritati prodere, neque nosse aut odorari potuisset. Sunt autem hæc duo capita, quia historiam continent, sermone composita soluto ac libero, & omnino Hebraico idiomate; quia non expressa ex verbis dierum, seu commentariis de rebus Iobi. Secus est de aliis, in quibus non tam res gestæ, quam colloquentium & disputantium verba referuntur. Quæ, vt diximus *Prolegom. 1.* graues continent sententias, quæ commode numeris illigantur poeticis, hærentque tenacius, vbi semel insederunt memoriæ.

2. Fecit autem Moyses non diuino solum illustratus lumine, sed etiam humanis instructus disciplinis, quod historici alii & solent & debent; vt priusquam, quod de aliis sibi explicandum proposuerunt, aggrediantur, communia quædam præmittant, quæ propriis deinde aliquid afferant commendationis & lucis: qualia sunt genus, patria, tempus, quo quis vixit, & similia. *Sancte inter malos vixisse magna laus.* Sed quia sanctitatem Iobi ostendere voluit magnus hic historicus, satis habuit patriam prodere, in qua ostensum est genus saltem commune, vt ex eo prudens lector coniiceret, quam ille esset celebrandus, cuius mores neque maiorum impietas, neque sociorum aut Gentilium improbitas, neque illius gentis quasi naturalis & inuerecunda in peccando licentia corrumpere potuerunt. Neque enim, vt docet hic Gregorius, magnum est, bonum esse inter bonos, at illud est prodigii simile, quemquam inter eos, quibus vilis est & odiosa religio, religiosum esse, neque quicquam habere religione prius. Ex hoc loco sæpe in Scriptura sacra viri iusti laudantur. Magnæ laudi datur Noe, quod in corruptissimo sæculo, in quo omnis caro viam suam corruperat, puram tamen & inculpatam egerit vitam. Sic enim cum Chrysostomo accipio illud *Genesis VI, 9. Noe vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulauit.* De quo ille *hom. 23. in Genes.* non longe post medium, *vt ex tempore & collatione cum aliis illustriorem nobis iustum exhiberet*, inquit, *Noe perfectus in generatione sua, in tempore illo, in generatione illa peruersa, quæ in tantum malitiæ degenerauit, quæ neque vestigium virtutis sibi reliquum facere voluit. In illa igitur generatione, in illis temporibus iustus ille non solum virtutem præ se tulit, sed & ad tantum virtutis culmen peruenit, perfectus & in omnibus absolutus, & id, quod antea dixit, bene agere inter virtutis hostes & inter eos, qui virtutem prohibent, maius semper virtutis pondus testatur.* Hæc Chrysostomus, qui in eadem homilia multis probat, quam sit rarum atque laudabile, inter improbos sancte vixisse, & contra improborum impetus in colenda virtute retinere constantiam. pag. 19. b *Verisimile* (inquit) *est, omnes illos* (nempe qui virtutum abiecerant studium, & pudorem exuerant) *ridere, reprehendere, subsannare, & debacchari, & forte, si etiam possibile fuisset, dilacerare voluisse. Semper enim contra virtutem insanit malitia.* Eodem nomine laudatur Lot a Petro *epist. 2. cap. II, 7.* quod apud Sodomæos, vnde omnino profligata fuerat cum virtutibus aliis continentia & pudor, continuerit tamen, seruaritque puram ab illis vitiis, quæ tunc in regione illa corruptissima impune grassabantur. 3. *& iustum Lot oppressum a nefandorum iniuria ac luxuriosa conuersatione eripuit. Aspectu enim & auditu iustus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant.* Vbi obseruo, non sine causa Lot aspectu atque auditu appellari iustum: *Aspectus & auditus pestem ad animum transmittunt.*

quia

quia duo hi sensus ab improborum societate venenum hauriunt; & pestem in eorum, quæ viderunt audieruntque, formas ad animum transmittunt. Sane admirabile est & rara in terris auis, a visis auditisque non tangi, audire quotidie sibilantem anguem, basiliscum videre, aut videri a basilico, & nihil ab angue aut basilisco pati: aut sic obserare duo hæc animi ostia, vt cum passim occurant, non tamen in animum irrumpant turpes rerum imagines. Non leue est Episcopi Pergami, nec vulgare præconium illud, de quo *Apoc. II, 13. Scio vbi habitas, vbi sedes est Satanæ, & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam.* Eodem laudatur nomine Tobias *cap. I, 5. Qui in captiuitate positus viam veritatis non deseruit, & cum irent omnes ad vitulos aureos, hic solus fugiebat consortia hominum, & cum omnes ederent ex cibis Gentilium, iste custodiuit animam suam, & nunquam contaminatus est in escis eorum.* Plura in hanc sententiam exempla producerem, nisi res esset clara & ab aliis diligenter exposita. Sed illud non omittam, coniunxisse Deum *Ezech. XIV, 14.* viros tres quasi præcipue notæque sanctitatis, quorum apud ipsum plurimum valeat oratio, qui tamen omnes inter impios pie, & inter sceleratos sancte vixerunt. *Si fuerint viri isti in medio eius, Noe, Daniel & Iob*, &c. Quomodo Noe in generationibus, id est, sæculis corruptissimis vitam instituerit inculpatam & puram, diximus nuper. De Daniele certum est, qui in Babylonia, quæ vitiorum omnium erat alumna & Satanæ sedes, non minus vixit religiose, quam si a Sanctorum cœtu recessisset nunquam, & inter Regias epulas, quas abunde a regia liberalitate paratas habuit, nihil quæsiuit aut optauit aliud, quam legumina quædam & puram aquam, neque quicquam sibi porrigi voluit, nisi quod patria religio pateretur. Habuit autem tunc præclarum abstinentiæ testimonium, cum inter aulicas delicias & lautas mensas frugalem elegit parsimoniam & tenuem victum: neque maius habere religio potuit, quam quotidianis exemplis eorum, quorum non poterat euitare consortia, & in dignitate, Regiæ proxima, quæ plerumque inimica modestiæ & sanctitati est, non potuisse corrumpi.

Eorum, qui inter impios sancte vixerunt, grata Deo, & efficax oratio.

pag. 20. a

4. Quod autem hoc idem Iobo nostro acciderit, nemo ferme dubitat, qui inter Idumæos habitauit, de quibus nihil audimus nisi a pietate & humanitate, a moribus denique liberalibus alienum. Contra quos sic strenue & constanter obduruit, vt nihil traxerit ab illorum improbitate, nihil de sua in Deum religione remiserit. Sed quæret aliquis, quomodo, si Iobus Rex fuit, atque ideo imperio subiectos sibi populos coercere potuit, illos permisit vitam agere ab omni disciplina solutam, & in omne vitiorum genus libere profusam? Laborauit, opinor, Sanctus Iobus, vt quam ipse colebat religionem, amplecterentur alii, dissolutosque mores ad iustitiam & pietatem traduceret; Sane *c. XXIX.* plurima ipse de se narrat, quæ studium summum indicant optimi ac vigilantis Regis, & quam esset contra omnem iniquitatem acer & vehemens, ostendit *vers. 12. Eo quod liberassem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non esset adiutor.* & *vers. 17. Contercbam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* Hæc tamen strenua vigilansque custodia non perfecit, ne multi essent in hominum cœtu, sibi subdito, illiberali ingenio & moribus longe ab omni humanitate distortis. Quare ab illis aut aliqua potuit inolescere labes, aut certe retardari ac debilitari religio. Sed fuerunt alii in ea regione in vicinis cognatisque populis, & fortasse omnes, quibus nulla de humanitate, modestia & religione cura fuit, inter quos diu commoratus est Iobus; a quibus nullam contraxisse labem, magnæ virtutis atque constantiæ documentum est. Sane 5.
Chrysostomus *in catena* perditissimam vocat Ausitidem regionem, id est, Idumæam aut Hus, vbi commoratus est Iobus. *In primis,* inquit, *laudationem intuere, quod tale germen produxerit Ausitis. Eiusmodi enim quendam virum frugi in Arabia reperiri, vbi omnes corrupti erant, vbi nullum non extabat exemplum improbitatis, est admiratione perquam dignum.* Eadem Origenes latius *lib. 1. parum a principio;* vbi cum dixisset, Ausitas, id est, Husitas, aut Idumæos fuisse impios, iniustos, infideles, obscœnos, insatiabiles: addit, talem inter illos extitisse Iobum, *Qualis fuit Melchisedech in medio Cananæorum, sicut Abraham*

Iob laborabat, vt omnes sibi subditi essent iusti, neque tamen obtinuit.

Idumæorum, & Arabum perditissimi mores.

in medio Chaldæorum, sicut Noe iustus inter gigantes sceleratos, tanquam columba inter raptrices aquilas, tanquam agnus in medio luporum diripientium; tanquam stella in medio nubium teterrimarum, erat iustus inter iniustos, inter profanos sanctus, inter obscœnos mundus, pius inter impios, bonus inter malos, tanquam smaragdus in luto, tanquam margarita in arena. Hoc ipsum docere videtur ipse Iobus *cap. XXX, 29.* dum ait, *frater fui draconum, & socius struthionum.* An Iobus idem sit, qui
pag. 20. b *Genes. XXXVI.* dicitur Iobab, diximus *Prolegom. 3.* Neque de nomine Iobi aliquid occurrit, quod hic referri plurimi intersit.

6. *Erat vir ille simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo.*] Miraculi instar visum est antiquis, vt inter Scythas incultos & barbaros, quibus lusus esset cædes & præda, & mores alerent ferinos potius, quam humanos, nasceretur ac viueret Anacharsis, cui ingenium esset ingenuum & mite, & talis prudentia atque iudicium, vt Græcis Philosophis, quos disciplinæ patriæ atque artes instruxerant, non iudicaretur inferior: in quo nihil a patria stupidum, nihil ab hominum conuictu barbarum, ferinumque reperiebatur. Est quod in nostro Iobo admiremur magis, qui cum inter homines ageret dolosos & callidos; sinceros tamen aluit & simplices mores; recta semper ingressus est via, neque serpentis in morem sinuosos consectatus est & obliquos anfractus, quod faciunt homines fraudulenti, & quibus inest Spiritus veteratorius & duplex. Rectam ideo dicitur ac simplicem ingressus viam, quia Deum semper obseruauit ac timuit: vnde malum exhorruit; quod Deo displicet, neque vnquam a diuina voluntate recessit. quæcumque via a Deo recedit, recta non est; quæ vero non est recta, sed in varios flexus sinuata, simplex esse non potest, quia ex multis & interdum sibi contrariis videtur esse composita.

7. *Quis dicatur simplex.* Simplex Hebraice dicitur תם *tam*, quod a nostro Interprete non vno modo redditur, modo enim conuertit *innocentem*, modo *perfectum*, modo *integrum*, modo *immaculatum*, modo *sanum*, quæ omnia vox Latina *simplex* aut significat, aut inuoluit. Quod enim ex vna simplicique materia elaboratum est, non ex variarum rerum admixtione compactum, magis videtur firmum ac solidum, & si quod est vitium statim manifestat & prodit. quod non accidit rebus, quas naturæ variæ in vnum aliquod opus coagmentarunt; in quibus aliquid latere potest ac solet, quod non sinit opus illud esse diuturnum, vnde quod simplex est, innocuum, sanum & immaculatum appellari potuit.

Septuaginta, vbi vulgatus *simplex*, ipsi vocem תם *tam*, quæ latissime patet, tribus nominibus expresserunt; quia vnum totam illius significationem & vim assequi non poterat. erat, inquit, homo ille ἀληθινὸς, ἄμωμος, ἁπλοῦς, id est, *verax*, *sine querela* aut *immaculatus*, & *simplex*. Quid sit simplicitas ista, aut veritas, quæ nihil fingit aut fucat, explicuit optime Cicero *de finibus*, vbi totam vtriusque vocis vim & naturam complexus est, & apte contrariorum oppositione declarauit. *Vera*, inquit, *diligimus, id est, fidelia, simplicia, constantia.* En simplicitatis & veritatis & vocis Hebraicæ תם *tam* optima descriptio & summa complexio: nunc eadem magis explicat a contrariis. *Tum vana, falsa, fallentia odimus, vt fraudem, periurium, malitiam, iniuriam.* Hi porro, qui mentiri, simulare ac dissimulare didicerunt, duplicis cordis esse dicuntur: quia non idem est animi atque verborum sensus, & quia vultus sæpe simulat, quod non est in animo, & lingua modo ait, modo negat, quod mendacis hominis proprium est, in quo perquam rara est dictorum constantia; fit, vt qui neque veraces sunt, neque simplices, bifrontes appellentur, atque bilingues. Hos detestatur Deus, qui vias ingrediuntur tortuosas & prauas; neque sim- pag. 21. a
plici vtuntur oratione, *Prouerb. IIX, 13. Viam prauam, & os bilingue detestor.* Neque his sua impertit consilia, neque sermonem confert familiarem & gratum, aut cœlestibus imbuit disciplinis, *Sap. I, 5. Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum.* Hunc enim abominatur Deus, & cum simplicibus assidue loquitur, *Prouerb. III, 32. Abominatio Domini est omnis illusor, & cum simplicibus sermocinatio eius.* Non ergo otiosa est vox *simplex* in ipso narrationis exordio, quæ ostendit, quam se Deus, qui simplices amat, assiduum Iobo familia-

miliaremque præbuerit, in quo vera dicitur fuisse simplicitas.

9 *Quis dicatur rectus.*

Et rectus.] Rectitudo & simplicitas mira inter se contentione conueniunt. Neque fieri potest, vt per rectam incedat viam, qui ab ea, quam modo dicebamus, simplicitate deflexerit; simplicitatem cum rectitudine, aut, quod idem est, cum via recta coniungit Dominus. Via porro recta illa est, quæ a diuina lege aperitur & sternitur. Ab hac via habet animus simplex, quod fortis sit; quia illi adstat Deus, & consilio regit, & auxilio roborat & protegit, *Prouerb. X, 29. fortitudo simplicis, via Domini.* Ab hac via recta homo, qui per illam ingreditur, rectus nominatur, ea figura, qua id, quod in loco aut tempore continetur, nomen sibi assumit a tempore & loco. De tempore exempla sunt obuia, quia nox opportuna est insidiis, furtis, adulteriis, atque ideo, quia homines noctu plerumque aliorum vitæ, fortunis, pudori insidiantur, fit, vt nocturnus dicatur insidiator, fur & adulter: & qui mane surgit, matutinus dicitur. Sic de Ænea Virgil. *libr. 8.*

REGVLA. *A tempore & loco, in quo aliquid fit, nomen sumit id, quod in tempore ac loco est.*

Nec minus Æneas se matutinus agebat.

& qui sub vesperum venit, vespertinus hospes dicitur ab Horatio *l. 2. satyr. 4.*

Si vespertinus subito te oppresserit hospes.

Eadem figura ab Habacuc *cap. I, 8.* lupi dicuntur vespertini, quod loquendi genus familiare est Græcis. De loco autem, licet non ita, vsitatum tamen, sic littoreos, aut littorales eos dicimus, qui in littoralibus habitant locis, vt pisces, volucres, Deos. Sic prauos, qui per vias incedunt flexuosas & prauas. Sic puto homines appellari rectos, qui viis insistunt rectis, quæ nimirum Deum intuentur vnum, neque ab eo vnquam aliorsum deflectunt.

10. *Timor idem, quod religio ac obseruantia.*

Ac timens Deum.] *Timor*, *horror*, & similia, obseruantiam sæpe ac religionem significant, quam exhibemus Deo, quem Dominum agnoscimus, & ab illo & speramus prospera, & timemus aduersa. Sane quod *Deuter. VI, 13.* dicitur, *Deum tuum timebis*, Christus *Matth. IV, 10.* explicuit, dicens: *Deum tuum adorabis.* Horrere & horrorem pro religione ac veneratione sumi, docuit Seruius ad illud Virgilii *lib. 1. Æneid.*

Horrentique atro nemus imminet vmbra.

Horrorem Lucanus pro religione sumpsit, cum dixit:

Arboribus suus horror inest.

Quare Religiosus hoc loco vocatur Iobus, qui verum Deum sancte coluerit & ad eius se voluntatem totum attemperarit: vnde consequens fuit, vt illa amaret, quæ Deo putabat esse grata, illa despiceret odissetque, vt aiunt, cane peius & angue, quæ sciret a Deo reprobari damnarique, atque ideo recedebat a malo, & tanquam a facie colubri fugiebat peccatum. pag. 21. b

Vers. 2. *Natique sunt ei septem filii, & tres filiæ.*] Eo videtur spectare hæc tam numerosæ sobolis & tot bonorum enumeratio, vt appareat, quanta fuerit Iobi rerum iactura, quam grauis status fortunæque conuersio: quæ saxeum pectus emollire posset, & ex arida spongia aut præduro silice lachrymas exprimere: vt hinc attentus lector intelligat, quanta fuerit tanti viri patientia, quem sine vllo suo merito videt tam acerbe iactari.

Vers. 3. *Et fuit possessio eius septem millia ouium, & tria millia camelorum, quingenta quoque iuga boum, & quingentæ asinæ.*] Quomodo Iobus Rex habitus fuerit, cum nihil videatur habuisse amplius quam copiosus paterfamilias, qui re abundat pecuaria & rustica, diximus *supra Proleg. 4.* Hic autem addo, Regibus olim indecorum non esse rusticis se exercere ministeriis, & ex rure colendo pascendoque grege captare compendia. Sane Sangar *Iudic. III, 31.* Philistinorum multos strauisse dicitur vomere, eo videlicet instrumento, quod domesticum habuit & familiare. Quam vero Principibus rustica cura indecora non sit, docet Columella *lib. 1. de re rustica in præfat.* & Varro *lib. 2. de re rustica cap. 1.* Quibus gratulata terra, quod se a nobili manu exerceri sentiret, vberrimos reddebat optimosque prouentus. Audi Plinium *lib. 18. cap. 15.* *Quænam ergo tantæ vbertatis causa erat? Ipsorum tunc manibus Imperatorum colebantur agri, vt fas est credere gaudente terra vomere laureato, & triumphali aratore, siue illi eadem cura semina tractabant, eademque diligentia arua disponebant, qua castra.* Cum vnctus esset a Samuele Dauid in Regem, rediit ad pascua,

12. *Rustica opera Regibus etiam olim non indecora.*

ſcua, & Saul Rex iam renunciatus, ſecutus eſt boues: nec dedignatus, ſicut antea fecerat, terram aratro ſubigere. vide quæ diximus *in noſtris Commentar. ad 1. Reg. I, 5.*

13. *Idumæi, Arabes, & Madianitæ pecore abundant.* *Septem millia ouium.*] Regio illa abundat multo pecore, quia paſcua habebat alendis gregibus opportuna; quam ideo ſibi elegerunt trans-Iordanæ tribus, nempe Ruben, Gad, & dimidia tribus Manaſſe, quia magnos alebant greges, quibus regio illa & pabulorum ſatis, & ſtationem præbuerat idoneam, *Numer. XXXII.* Sane Moabitæ & Medianitæ nulla re magis abundabant, quam armento, & pecore: vt docet ſocer Moyſis Iethro, & Meſa Rex Moab, quorum alter copioſos habuit greges, quos aluit Moyſes, alter Regi Iſrael ſoluebat quotannis *centum millia agnorum, & centum millia arietum cum velleribus ſuis. 4. Reg. III, 4.* In hac porro regione, aut non certe procul, habitauit Iobus, vbi armentorum ac pecorum præcipua poſſeſſio eſt, & ex ea non exiguus quæſtus. Quare dum earum regionum tam a profanis, quam a ſacris Scriptoribus mentio fit, pabulorum ac pecorum ſæpe nomen auditur. *Iſai. LX, 7. Omne pecus Cedar congregabitur tibi, arietes Nabaioth miniſtrabunt tibi.* & *Ezechiel. XXVII, 21.* in Tyri emporium ex ea regione magnam vim pecorum comportari dicit. *Arabia & vniuerſi Principes Cedar ipſi negotiatores manus tuæ cum agnis, & arietibus, & hædis venerunt ad te negotiatores tui.* & *Cantic. I, 5.* tabernaculorum Cedar nomen audimus, quod Cedarenos paſtores eſſe docet. De hac regione Diodorus *lib. 3. Biblioth. c. 7. Pecorum adeo fertilis Arabia eſt, vt nationes plurimas vitam paſtorum ducentes enutriat.* pag. 22. a

14. *Regio trans Iordanem Camelos alit.* *Et tria millia Camelorum.*] Arabiam & totam illam regionem camelis abundare, docuit Plinius *l. 8. cap. 18.* cuius rei habemus illuſtre teſtimonium *1. Paralip. V, 21.* vbi transiordanæ tribus, id eſt, Ruben, Gad, & dimidia tribus Manaſſe, ex Agareis, qui vicini ſunt Idumæis, copioſam dicuntur prædam abduxiſſe. In qua quinquaginta Camelorum millia numerantur, quorum vſus varius tum ad onera portanda, quæ vehunt ingentia, vt ſæpius audiuimus, & cum incredibili celeritate, tum ad vſum bellicum, vt refert Vegetius *lib. 3. de re militari cap. 23.* tum maxime ad potum. Nam cum ea regio arida ſit, & aqua craſſior, quæ, vt ſine moleſtia potari poſſit, admixto Cameli lacte potabilis fit, vt docet Ariſt. *lib. 6. de hiſtor. animal. cap. 26.* Lac autem in aliquibus regionibus adhiberi pro potu, ex Scriptura diſcimus, *Iſ. LV, 1. Sitientibus vinum propinatur, & lac. Ezech. XXV, 4. Ipſi comedent fruges tuas, & ipſi bibent lac tuum.* & *1. Cor. III, 1. tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi.* Neque Iahel *Iudic. IV, 19.* aliquid Siſaræ porrexit inſolitum, cum ſitienti lac dedit, quod ipſe hauſit, vt ſitim, qua tunc laborabat, extingueret. *Camelorum lac pro potu.* Habent autem Cameli ad potum illum maximum in locis etiam aridis perpetuum vſum. 15. *Cameli ſitim diu ferunt.* Nam ſitim diu ferunt, quatriduo videlicet, vt tradit Ariſt. *l. 8. hiſt. cap. 18.* neque craſſam aut lutulentam aquam horrent aut faſtidiunt, ſicut animantes aliæ; imo puram aquam, ſi quando occurrerit, non bibunt, niſi prius vngula turbatam. Cum autem in ſiti aquam inuenerunt, vsque adeo longe bibunt, vt & ſitim ſedent prætеritam, & ad futuram ſe large communiant. *Cameli turbidam amant aquam.* ita Plinius *l. 8. cap. 18.* Quare vbi aliæ ſiue pecudes, ſiue armenta, arida geſtant vbera, Cameli tamen habent lacte diſtenta. Quod autem lac præcipue Camelorum adhiberetur ad potum, docet nunc Æthiopum conſuetudo, a quibus ego illud accepi, qui etiam nunc lac Camelorum bibunt. Porro quibusdam nationibus lac eſſe pro potu, docuit Homerus, qui quosdam populos γαλακτοπότας eſſe dicit. quod item Galenus tradidit *l. 2. ad Glauconem.*

Quingenta quoque iuga boum.] Hoc loquendi modo ſignificari arbitror, habuiſſe Iobum agros, quos coleret, neque minus curaſſe rem ruſticam quam pecuariam. 16. Cum iuga dicit boum, ſignificat, gregem non deſtinatum macello, aut nutritum ad ſobolem, ſed iugo aratroque deuotum aut plauſtrali loro. Quod expreſſum eſt clarius ſtatim *v. 14.* dum nuncius ait, qui ad Iobum retulit, abductos a prædonibus greges; *Boues arabant, & aſinæ paſcebantur iuxta eos.* Dum quingentorum meminit iugorum, tantum agrorum Iobum poſſediſſe docet, quantum quingentis

gentis boum iugis arari potest, & ex disciplina rustica ad satum disponi. Sic enim nostrates loquuntur agricolæ, cum aratorum locupletum latifundia definiunt. dicunt enim, aliquem habere verbi gratia *siete iuntas detierra*, id est, tantum agrorum, quantum subire possint apteque disponere septem iuga boum. Hoc mihi videtur vero magis simile: nam quod aliqui dicunt, tot significari iugera, quot iuga nominantur, minime credo cuiquam probatum iri, qui hæc paulo expenderit attentius. Quid enim tantum est quingenta habere iugera, id est, quantum vno die arare possunt boum quingenta iuga, id est, boum quingenta paria: est enim iugerum spatium illud, quod vno die ab vno iugo boum exarari potest. At agri non semel ad satus, sed iterum ac sæpius vomere subigendi sunt. In hac sane significatione sumpsit Cicero, cum dixit, quosdam arare singulis iugis, alios multis. Neque si tantum centum haberet iugera Galesus, diceretur inter Ausonios agrorum fuisse ditissimus, de quo sic Virg. *lib. 7. Æneid.*

Iuga boum quid.

pag. 22. b

--Ausoniisque olim ditissimus aruis,
Quinque greges illi balantum, quina redibant
Armenta, & terram centum vertebat aratris.

Non itaque hoc loco sermo est de boum gregibus, qui ad varios vsus nutriuntur in pabulis, sed de Iobi latifundiis, ad quorum cultum quingenta boum iuga siue paria necessaria fuerunt.

17. *Et quingentæ asinæ.*] De his asinarum gregibus, qui ab his, qui rei armentariæ atque pecuariæ studiosi sunt, nutriri consueuerunt, egimus pluribus *in nostris Commentar. ad 1. Reg. cap. IX.* vbi periisse dicuntur asinæ, quas Saul filius Cis eo quærebat tempore, quando a Samuele designatus est Rex. Alebantur autem antiquis illis sæculis asinarum greges; cum enim equorum tunc rarus esset vsus, quia quadrigæ ac currus perquam rari ad tempus vsque Salomonis, illorum vsum etiam honestum sustinebant asini, qui non solum ferebant onera, aut trahebant aratrum, sed magnorum etiam Principum corpora cum dignitate portabant. Quare sæpe audimus, viros Principes ascendisse asinos, sicut Abraham *Gen. XXII, 3.* & iudicem Israel, aut illorum filios, sedisse super asinos, qui non minus eo tempore alebantur delicate ac molliter ad gloriam, quam nunc ad Principum delicias & ambitiosum fastum nutriuntur equi. Sane *Iud. V, 10.* de Principibus ac Iudicibus Israel dicitur, *Qui ascenditis super nitentes asinos, & sedetis in iudicio.* Et de Iair iudice Israel scribitur *Iud. X, 4.* habuisse triginta filios, totidem ciuitatum Principes, ascendentes 18.
super triginta pullos asinarum. Et Abdon *Iud. XII, 14.* suscepisse traditur quadraginta filios, & triginta ex eis nepotes, ascendentes super triginta pullos asinarum. Cum igitur ad sarcinas & iugum honestioresque vsus alios idonei illo sæculo iudicarentur asini, quorum illi *subiugales*, hi *nitentes*, nil mirum, si viri etiam Principes, qui aliorum animalium numerosos aluerunt greges, asinarum quoque greges numerosos aluerint. Sic Abraham *Gen. XII, 16.* habuisse dicitur oues, & boues, asinos, & asinas, & camelos. Sic *Gen. XXXVI, 24.* Ana pauisse dicitur asinas in deserto. Sic Iacob *Gen. XXXII, 15* qui ex suis gregibus ad fratrem Esau misit camelos 30. vaccas 40. tauros 20. asinas 20. & pullos earum 10. Quam vero sub id tempus copiosi fuerint asinorum greges, docet illa præda, quam *Numer. XXXI, 33.* de Madianitis tulit Israel; a quibus erepta dicuntur *ouium sexcenta septuaginta quinque millia, boum septuaginta duo millia, asinorum sexaginta millia*, & aliis in locis non paucis cum bobus & ouibus asinorum quoque nomen audimus.

Asinarum olim frequens & honestus vsus.

Duo asinorum genera.

Hic ad extremum addo, antiquis, id est, melioribus annis, census ac opes in re pecuaria ac rustica numerari, & illum censeri locupletem magis, qui pluribus abundabat aut gregibus, quos pasceret, aut agris, quos coleret. quæ diuitiarum ratio minus erat fraudibus obnoxia. Nam quæ ex vsura ac fœnore aut negotiatione compendia captat, mille se calumniis & iniuriis implicat. Quare dum Iobi possessio in iugis boum, id est, in agris & in armento & pecore numeratur, significatur, illum abfuisse procul ab iniuria, cum locupletem domum & copiosam familiam non vectigalibus immodicis, neque exactione dura, sed sua industria atque solertia sine cuiusquam incommodo honeste sustentarit. 19.

Census olim in re pecuaria ac rustica.

Census e pecore & rure magis abest ab iniuria.

pag. 23. a.

tarit. Quod vero neque subditorum suorum labore aut sumtu, aut eorum bobus aut asinis agros suos coluerit, quod faciunt communiter, & suo plerumque iure principes alii, ipse docuit *c. XXXI, 13.* vbi dicit, neque seruum fraudatum esse mercede, neque illi irrogatam iniuriam. *Si contempsi*, inquit, *subire iudicium cum seruo meo, & ancilla mea, cum disceptarent aduersum me.* & clarius *vers. 38. Si aduersum me terra mea clamat, & cum ipsa sulci eius deflent: si fructus eius comedi absque pecunia, & animam agricolarum eius afflixi, pro frumento oriatur mihi tribulus*, &c. Quare quam verissime opinor in iudicium cum suis venire potuit, & illud dicere, quod aliquot post sæculis Samuel. *1. Reg. XII, 3. Loquimini de me coram Domino, vtrum bouem cuiusquam tulerim, aut asinum, si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cuiusquam pignus accepi; & contemnam illud hodie, restituamque vobis.*

20. *Eratque vir ille magnus inter omnes Orientales.*] Orientales illi dicuntur populi, respectu Palæstinæ & Ierusalem, qui Syriam spectant, Armeniam & Arabiam. Sane Balaam Syriam, quam Hebræi appellant Aram, Orientalem esse dicit. Sic autem ille Numer. *XXIII, 7. De Aram*, hoc est, Syria, *adduxit me Balac de montibus Orientis.* ex qua regione profecti fuerunt Magi, qui *Matth. II.* vt Christum adorarent, Hierosolymam venerunt. Magnus porro dicitur inter Orientales: quo tamen illis præstaret omnibus, Scriptura non exprimit. Est tamen verisimile, magnum hoc loco dici in eo genere, quod proxime antecesserat, nempe his rebus, quæ eo tempore numerabantur in bonis numerosis, videlicet pecorum armentorumque gregibus, egregiis latifundiis, & quæ nuper pluribus explicuimus. Sed nihilominus puto, illum quoque haberi magnum gratia apud omnes, quos sibi nouis quotidie beneficiis obligarat, autoritate, prudentia, sanctitate, quorum vbicumque locorum præclara documenta dederat: quæ ipse de se prædicat *cap. XXIX. & XXXI.*

Iob magnus inter Orientales.

21. Vers. 4. *Et ibant filii eius, & faciebant conuiuium per domos, vnusquisque in die suo.*] Magnus accessit cumulus ad felicitatem Iobi ex filiorum ingenuis moribus, & magna inter se, & cum parente concordia: quæ illorum optime constitutum animum non obscure produnt. illa enim per orbem iterata conuiuia, annuente, vt apparet, & probante patre, satis docent, inter illos bene conuenire, abesse inuidiam, & illam intercedere charitatem, quæ facit communes esse facultates, communes gaudendi atque dolendi causas, quæ eo adigit concordes, vt officii certent & amoris illecebris multo ardentius atque constantius, quam ill I certant armis & bellicis machinis, qui odio inter se dissident, & in mutuam cædem impotenter anhelant. Est autem pater ille fortunatus, cum illi ingenua contingit & bene morata soboles, de qua *Prouerb. XXIII, 24. Exultat gaudio pater iusti: qui sapientem genuit, lætabitur in eo.* Illum porro gratum parenti filium, quique illi mille comparat voluptates, putat apud Stobæum *serm. 77.* Hierocles, qui talia parentibus assidue præstat, qualia Iobo filii sui ac filiæ præstitisse ex his, quæ Scriptura tradit, existimare possumus. *Ceterum*, inquit, *animis parentum nostrorum lætitiam inprimis procurabimus: quæ inde maxime oborietur, si probi fuerimus, & si dies noctesque cum eis conuersemur, & si nihil impediat, ne etiam simul ambulemus, simul vngamur, simul denique edamus & bibamus.* Ex quo facile quiuis intelliget, quam ægre tulerit Iobus talium filiorum iacturam, quos momento temporis inopinatus casus abripuit.

Officiosa conuiuia concordiam alunt.

22. *Pater fortunatus ab ingenua prole.*

pag. 23. b

23. Hæc porro conuiuia, inter cognatos obiri solita, illum habuerunt vsum vel maximum, vt si aliquid inter illos esset dissidii, componeretur ibi amicorum & cognatorum arbitrio; nec deduceretur ad forense tribunal & distraheret animos, quos natura melior ante conglutinarat. Fuit sane conuiuii quoddam genus, quod Græci vocauere *charistia*, cui illi tantum accumbebant, quos coniungeret sanguinis generisque communio. vbi laudabant concordes animos, & male illis precabantur, qui vinculum a natura constrictum seditione atque odio, natura ipsa repugnante, dissoluerent. De quo caristico, & prope dixerim *Eucharistico* conuiuio egit Valerius *lib. 2. c. 1. Conuiuium*, inquit, *solemne maiores instituerunt, idque charistia appellauerunt,*

Charistia quod conuiuiorum genus.

runt, cui præter cognatos & affines nemo interponebatur: vt si qua inter necessarios querela esset orta, apud sacra mensæ & inter hilaritatem animorum fautoribus concordiæ adhibitis tolleretur. Hæc eadem pluribus Ouidius *lib. 2. Fastorum.*

Proxima cognati dixere charistia chari,
Et venit ad socios turba propinqua Deos.
Scilicet a tumulis, & qui periere propinquis,
Protinus ad viuos ora referre iuuat:
Postque tot amissos quicquid de sanguine restat
Aspicere, & generis dinumerare gradus.
Innocui veniant, procul hinc procul impius esto
Frater, & in partus mater acerba suos.
Tantalidæ fratres absint, & Iasonis vxor;
Et qui ruriculis semina tosta dedit.

24. *Eucharistia concordiam generat.* Hoc credo consilio filii Iob, non inuito, imo, vt opinor, auctore & hortatore parente, communia hæc & quotidiana iniere conuiuia, vt amorem, quem inseuit sanguinis communio, consuetudo aleret atque perficeret. In hoc fratrum toties iterato conuiuio, & in Romanorum charistiis, de quibus proxime, videre mihi videor Eucharistiæ nostræ adumbratam imaginem. Consanguineos nos facit Christi sanguis, cuius in Eucharistia participes sumus; ita Paulus *1. Corinth. X, 16. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam vnus panis, vnum corpus, multi sumus omnes, qui de vno pane participamus.* Vt autem Christi corpus & sanguis consanguineos nos & concorporeos efficit cum Christo, vt dixit Cyrillus Hierosolymitanus *catechesi 4.* & ideo sicut sanguinis corporisque communitas inter fideles charitatem conciliat, sic illam iterata communio confirmat & roborat. Sane Concilium Tridentinum *sess. 13. cap. 4.* Eucharistiam vocat *signum vnitatis, vinculum charitatis, pacis atque concordiæ symbolum.*

25. *Vnusquisque in die suo.*] Sicut animis fratres studiisque consenserant, sic etiam bona voluerunt esse communia, atque ideo mutuis se conuiuiis prouocabant, atque ita inter se dispensabant officia, vt alius alio non esset inferior, aut tardior in eo, quod humanitatis aut officii ratio postulabat. Suus enim cuique designabatur dies, & orbe peracto idem redibat ordo, quare æqualis erat omnibus & labor & sumptus. pag. 24. a

26. *Filiæ Iobi virgines.* *Et mittentes vocabant tres sorores suas.*] Sorores istæ, vt apparet, nondum erant viris coniugali vinculo copulatæ, licet aliter existimarit Origenes & Caietanus: quia neque alienus videtur ad illas epulas accersitus, neque viri paterentur vxores suas a se distrahi, & alienas mensas toties obire. Quod si illarum mariti conuiuiis illis simul cum coniugibus accumberent, minus essent liberales & belli, si officii immemores & gratiæ non eodem ordine vxorum suarum fratribus conuiuium instruerent. quod sane, si litteram attentius expendas, non videntur fecisse. Erant igitur adhuc sorores illæ puellæ & virgines in paterna domo, vnde impetrata prius a parente venia ad domos transibant fratrum suorum.

27. Sed hic duo nobis explicanda sunt: alterum est, an hoc toties iteratum conuiuium singulis institueretur continuisque diebus, ita vt septem fratres septem hebdomadis dies implerent conuiuando, & his transactis sequentem hebdomadam eodem orbe atque ordine repeterent, neque vlla toto anno hebdomada, vllus esset dies a conuiuio vacuus? Tenent quidam, in quibus est S. Thom. & Dionysius; alii sunt, qui indicant, obscure tamen. Tenet aperte Pineda. Ego magis inclino, quo Caietanus, Eugubinus, Stunica, Origenes, & quidam ex Hebræis, qui putant, non omnium hebdomadum diebus singulis, sed aliquarum aut vnius fortasse in singulis annis. Sicut in omnibus fere nationibus vsus obtinuit, vt quibusdam diebus solemnibus sibi mutuo amici conuiuia indicant, suamque genialibus epulis beneuolentiam testentur. Quod vsitatum esse inter Hebræos, fit verisimile ex *1. Reg. XX, 5.* vbi solemnibus diebus, quales sunt Calendæ, Saul cognatos & Principes ad communem secum mensam vocabat. Sic autem ibi Dauid ad Ionatham: *Ecce Calendæ sunt crastino, & ego ex more sedere soleo iuxta Regem ad vescendum.* Calendis autem, aliisque festis diebus, quasi legitimum esse sociale conuiuium, aut docet, aut innuit il-

lud *Numer. X, 10. Si quando habebitis epulum, & dies festos, & Calendas, canetis tubis*, &c.

28. *Frequentia conuiuia non laudantur.* Hanc ego sententiam cur potius amplectar, neque paucae sunt, neque, meo iudicio, leues rationes. Prima, quia ad testandam, confirmandamque beneuolentiam satis videtur graue testimonium & pondus, si aliquibus hebdomadibus in anno, nempe in Calendis, aut in diebus singulorum fratrum natalitiis genialis instrueretur mensa. Deinde, quia otiosorum est vita splendidis vacare epulis, quae laxant animos, & molliunt, & spiritus alunt intemperantes, & ad alia voluptatum genera procliues: Neque parentes optimi seuera atque religiosa disciplina paterentur iuueniles animos, qui non tam dissolute laxandi, quam coërcendi seuere videbantur, diffluere, ac liquefieri in illa conuiuiorum & voluptatum quotidiana licentia. *A conuiuiis foeminae abesse debent.* Quod vir sanctissimus, & suarum filiarum, earumque, vt putabamus, virginum, vt par erat, vigilantissimus custos, sineret illas quotidie extra domum vagari, & quam aliis possent studiis vtilibus, & honestius, eam operam compotationibus & commessationibus impendere. Quod si illas alligatas esse dicamus coniugali nodo, quis credat maritos laturos esse patienter, vt a se coniuges ad conuiuium abirent, ibique sese cum fratribus oblectarent: dum ipsi despecti, & soli manerent domi, nonne fuisset honestum magis ac iustum, coniugum suorum conciliare & retinere fidem, quam cum fratribus, etiamsi id putaretur necessarium, cum tanto periculo captare concordiam? aut pateretur bonus pater tantam quotidianis illis epulis a filiabus suis maritis, siue iniuriam, siue molestiam inferri?

pag. 24. b

29. Quod si quotidianas epulas statuas, pro illa voluptate, quam affert consuetudo non ita frequens, magnam omnes ex illa assiduitate molestiam haurirent. Accidit persaepe, vt quae rara placent, assiduitate vilescant, & illa fastidiamus, imo & horreamus saepe, quia frequenter oblata, quae prius magnam nobis voluptatem attulerant. Habebant filii Iobi, opinor, sicut ipsorum pater, rem pecuariam & rusticam, quibus serui, si ipsi abessent, operam darent aut segnem, aut inutilem. Quare, vt optimum patrem familias decet, illos inuisere, & rem propius curare, & administrare vigilanter oportuit. fuerunt praeterea alia procerum & nobilium opera, quae deserere nulla ratione licuit, quae obire non possent fratres illi, dum quotidianum coguntur obire conuiuium. Adde, quod illi vxores videntur duxisse, aliter enim domos non habuissent a paterna separatas, in quibus pro fratribus mensas insternerent: sed neque amantis viri aut ingenui videbatur, vxores domi solas moerentesque relinquere, & voluptati atque epulis operam dare. Haec mihi non leuia videntur, vt putem, non omnes in anno toto, sed aliquas, illasque non ideo frequentes hebdomadas conuiuiis illis destinatas.

Alterum hic expediendum, quomodo, cum in omnibus ferme nationibus, in quibus ciuilis viget disciplina & honestatis ratio, foeminae in virorum conuiuiis interesse non soleant, imo neque in eadem domus parte simul habitare, in hac tamen familia, a tam sancto ac vigilante patre religiose atque sapienter instituta, tres virgines in aetate, vt apparet, puellari ad virorum conuiuia saepius inuitatae conuenerint. Quod foeminae apud Graecos prohibeantur virorum assidere mensis, docuit Cicero *actione 3. in Verrem.* quod item apud Hebraeos & Persas in vsu fuisse, docent Herodis & Assueri instructae mensae, quibus ipsae etiam vxores non accubuere, sed seorsum a viris iniere conuiuia: neque tantum mensas foeminae, sed etiam domus membra a virorum habitatione habuere diuersa, quae enim continebat foeminas γυναικωνῖτις, quae autem viros ἀνδρωνῖτις dicebatur. Quod si haec omnia indecora sunt foeminis, multo magis sunt indecora virginibus, quae hoc inter alia a Nazianzeno habent documenta, ne aliorum adeant domos, & mensas fugitent alienas. 30. *Foeminae in virorum conuiuiis esse non debent.*

Haec quam verissima sunt, & maxime virginibus obseruanda; nihilominus cum sciret pater sanctus & prudens, quanta esset filiorum modestia, quam casta atque honesta disciplina, neque de filiarum continentia dubitaret, permisit, quod in aliis non probaret, castas & verecundas filias apud castos & verecundos fratres diuersari. Neque quibus foeminarum custo- 31.

custodia seuera fuit, a cognatorum consuetudine omnino cauendum existimabant. Quare, vt ait Æmilius Probus *in sui operis proœmio*, apud Græcos fæmina neque in conuiuium adhibebatur, nisi propinquorum, neque sedebat, nisi in interiori parte ædium, quam supra Gynæconitidem appellari diximus, quo accedebat nemo, nisi propinqua cognatione coniunctus. Adde, quod in familia ad omnem honestatem sobrietatemque composita non erant mensæ, vt in asotorum conuiuiis, splendidæ, & frequentibus ferculis & immodicis oneratæ poculis; sed frugales potius, quæ temperantem vitam sustentarent potius, quam inflammarent libidinem, atque adeo nihil erat, quod ab eiusmodi conuiuiis virginalis pudor & honestus cauere debuerit.

pag. 25. a

32. Vers. 5. *Cumque in orbem transissent dies conuiuii, mittebat ad eos Iob, & sanctificabat illos.*] Transacto septemdiali spatio, quo septem fratrum quilibet suo de more officio satisfecerat, eo tendebat parentis optimi intenta sedulitas, ne qua ex eo conuiuio in filiorum animis hæreret labes, atque ideo, vt ad consueta opera expiati a contracta macula redirent, sanctificabat eos, & oblato de more sacrificio religiose purgabat. Hic porro dicendi modus non obscure indicat, non omnibus diebus celebratum esse hoc familiare & septemdiale conuiuium, ita vt vno exacto circulo alius statim continenter rediret, essentque omnes dies geniales & læti: sed aliquas esse hebdomadas in anno, easque fortasse non multas huiusmodi conuiuiis destinatas, postquam sacrificium illud expiatorium succedebat.

33. *Sacris non nisi mundi interesse debent.*

Dicitur autem Iob misisse ad filios: nempe nuncios, aut mandata, quibus edocti eluerent scelus, si quod ex ciborum aut poculorum intemperantia contraxissent. Hoc autem est sanctificari filios; aut certe disponi, vt interessent holocausto, quod pro ipsis diluculo offerre constituerat; sacris autem quibusdam ex Gentilium populo, nonnisi puri interesse poterant; vnde tritum illud in Gentilium sacris, *Procul hinc, procul este profani.* quod esse vsitatum Gentilibus, docet Tertullianus *in Apologetico.* Inter Hebræos res est magis nota, qui varias habent purificationes, vt vti possint aut interesse sacris, de quibus *Leuit. XXII. Num. XIX.* Quod vero *sanctifico* interdum idem valeat quod *præparo*, aut *dispono*, docuimus pluribus ad illud *Hierem. I, 5. Antequam exires de vulua, sanctificaui te.* Quod multis confirmauimus exemplis. Ex illis tu hæc pauca accipe. Sanctificari dicitur bellum, quod Solymitanis intulerunt Chaldæi *Ierem. VI, 4.* quia illud Deus ad punienda Iudæorum peccata conflauit. Et sanctificati milites, Persæ videlicet, & Medi, *Isaiæ XIII, 3.* & *Sophon. I, 7.* quia ad stragem Chaldæorum, plectendamque illius gentis impietatem conscripti sunt. Denique quæ ad aliquod opus sacrum destinantur disponunturue, licet inanimata fuerint, sanctificari dicuntur, dummodo in illa præparatione aliquid sacrum intercedat. Sed sunt alia exempla accommodata magis *Ioan. XI, 55.* quidam dicuntur sanctificati priusquam Pascha comederent; *Proximum* inquit, *erat Pascha Iudæorum, & ascenderunt multi de regione Hierosolymam ante Pascha, vt sanctificarent seipsos.* & *Ioan. XIIX. 28. Iudæi non introierunt in prætorium*, ne polluerentur, & ab illa sanctitate exciderent, quam ad agni paschalis esum exigebat religio, *Exod. XIX, 10.* iubet Dominus, vt sanctificetur populus, & præparetur ad Domini aduentum. Sic autem ibi Deus ad Moysem: *Vade ad populum, & sanctifica illos hodie, & cras, lauentque vestimenta sua, & sint parati in diem tertium: in die enim tertia descendet Dominus coram omni plebe super montem Sinai.* Idem quoque fecit Iacob *Gen. XXXV, 3.* cum excitare voluit altare in Bethel, & ibi Domino sacrificium offerre: sanctificauit enim familiam suam, idoneamque reddidit, quæ interesse posset sacrificiis, quæ tunc Domino immolare parabat, & Samuel *1. Reg. XVI, 5 Sanctificauit Isai, & filios eius, & vocauit eos ad sacrificium.* vide quæ nos *in nostris Commentar. ad illum locum.*

Sanctifico idem quod præparo aut destino.

pag. 25. b

Hæc mihi explicatio non displicet, sed est alia fortasse non aliena, quam priusquam produco, obseruo, iuxta Hebræorum consuetudinem illud dici acceptum, quod non est amissum. sic ille dicitur viuificatus a latro- 34.

REGVLA. *Id dici acceptum, quod non est amissum.*

ne,

ne, vel ab hoste, qui ab illorum alterutro interfectus non est, *1. Reg. XXVII, 11. Virum & mulierem non viuificabat Dauid*; id est, omnes occidebat, & *2. Reg. IIX, 2. Mensus est Dauid duos funiculos; vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandum*, id est, designauit Dauid, quinam ex superatis hostibus essent occidendi, quiue seruandi. Neque in hoc ipso verbo *sanctifico* desunt exempla, *1. Reg. XXI, 5.* vbi cum Sacerdos daturus Dauidi propositionem panis, de comedentium munditia & sanctitate quæsiisset, nempe quam lex exigit, respondit Dauid porro: *Via hæc polluta est, sed & ipsa hodie sanctificabitur in vasis*; quasi diceret, panis iste sanctus licet hoc modo comestus a laicis polluatur, hodie tamen non polluetur seu omittet sanctitatem in vasis, id est, in illis, qui manducauerint; necessitas enim profanis alioqui vasis sanctitatem conciliat. & *Exod. XIX, 15.* iussit Deus, vt populus ad aduentum suum sanctificaretur a Moyse. Inter alia, quæ Deus præcipit populo ad sanctificationem, edixit etiam, ne appropinquarent vxoribus, id est, ne exciderent a sanctitate. Sic ergo illa mihi cogitatio non displicebat; vt curauerit Iobus, ne filii polluerentur in illo officioso conuiuio, id est, ne peccarent, atque ideo assidua ad illos mandata dabat per seruos, dicebatque, quid ab illis maxime curatum vellet, vt ab illo loco, in quo lapsi sunt plurimi, illi se integros sanctosque seruarent, ita indulgerent epulis, ne temperantiæ transgrederentur fines; sic gustarent vinum, ne quisquam in illis sobrietatem requireret, ne esset vlla in verbis incauta libertas: denique vigilans esset modestiæ continentiæque custodia. Neque satis se paterno officio sedulitatique fecisse existimabat, si his monitis seruaret a lapsu, nisi etiam illos, quoad fieri posset, oblatis sacrificiis & interpositis precibus expiaret a culpis. Hæc tamen explicatio eo laborat incommodo, quod hæc Iobi ad filios admonitio non exacto septem dierum circulo fieri debuit, sed singulis conuiuii diebus, cum quotidie illa possent peccata committi, a quibus filios sibi cauere studebat. Quare placet magis explicatio prior. Obseruant hic ex Interpretibus aliqui Iobi modestiam continentemque grauitatem, cui cum illa filiorum congregata societas non esset molesta, abstinuit tamen a conuiuiis, & cum coram ipse melius posset, per seruos tamen dedit mandata, quibus illos ab omni contineret intemperantia.

Consurgensque diluculo offerebat holocausta pro singulis.] Noctu, credo, finiebatur illud sociale symposium, quo finito cum primum per tempus licuit, nam per nocturnum tempus neque legitimum erat, neque rei sacrificiali satis opportunum, id est, cum primum illuxit, pro filiorum erratis, si qua fortasse intercesserunt, holocaustum obtulit. Quod illud fuerit, aut quibus peractum ceremoniis, incertum, cum Iobus, vtpote Gentilis & Idumæus, Israelitarum legibus non teneretur; neque si Hebræus esset, vllos haberet legitimos a Deo designatos ritus, cum multis annis antecessisset legem, quam de sacrificiis Moyses accepit a Deo. Habuere quidem homines ante legem, imo in ipso mundi exordio, sacrificandi consuetudinem, vt constat ex sacrificiis Abelis, & Cain, Noe, Abraham, & aliorum, qui fuerunt ante legem, quod ipsa naturalis ratio docuit: vide ea de re S. Thomam *2. 2. q. 85.* Hoc porro sacrificium simile videtur fuisse illi, quod in antiqua lege offerebant Hebræi. pag. 26. a 35. *Sacrificium Iob.*

36. Vt autem in illo septemdiali spatio quilibet fratrum vnum sibi diem assumebat, in quo fratres sororesque lauto exciperet conuiuio, sic pater sibi assumebat octauum, vt in illo sanctificaret filios, quod officium ipse obibat ante horam illam, in qua mensæ assidebant inuitati. Hi enim conueniebant ad sextam, cum ad occasum inciperet inclinare dies; ille ante primam, cum sol potius promitteret, quam efficeret diem: id enim valet diluculum. Quot holocausta Iob obtulerit pro filiis, nihil nobis certum Scriptura ostendit: est autem verisimile, sicut e suo semine decem fuere conuiuæ, sic etiam decem immolatas fuisse victimas, quod Hebraicus textus non obscure aut docet aut indicat מספר כלם *mispar culam*, quod explicuerunt Septuaginta, dicentes, *secundum numerum eorum*, & ita sentiunt e recentioribus multi, ex Patribus Cyprianus *de opere & eleemosyna: vt in hac vita sæculari alendis sustinendisque pignoribus, quo maior* *Quot victimæ, & quando oblatæ a Iob.*

ior est numerus, hoc maior & sumtus est; ita & in vita spirituali atque cælesti, quo amplior fuerit pignorum copia, esse & operum debet maior impensa. sic & Iob sacrificia numerosa pro liberis offerebat, quantusque erat in domo pignorum numerus, tantus dabatur Deo. Hæc autem victima videtur esse vitulus, vt indicant Septuaginta, ex quibus alii quoque sumpserunt, licet non videantur ex textu Hebraico exprimere potuisse. Porro cum studium magis celeritatemque significare volumus, consurgere aliquem dicimus *mane, diluculo, matutino*, aut *solem anteuertere*, quasi illi curæ nihil putet esse præuertendum.

37. *Filiorum Iobi religiosa vita.* *Dicebat enim: ne forte peccauerint filii mei.*] Ex his multi colligunt, & meo iudicio, prudenter & acute, quam religiose ac pie Iobi illa copiosa soboles fuerit a primis annis instituta, quando in illa nullum videt opus a ratione & sanctitate distortum, nullum violati officii aut contemtæ religionis exemplum. Quare cum nihil in filiis aut vidisset ipse, aut ab aliis audiisset externum, de internis dubitat, illaque sacrificiis expiare studet: ne quid in religiosa domo esset vel occultissimum, quod diuini non probarent oculi, & internos filiorum animos inquinaret, id enim indicat illud, quod proxime subditur, *in cordibus suis.*

38. *Et benedixerint Deo in cordibus suis.*] Hic locus varie a variis tentatus & explicatus est.
pag. 26. b quorum huc afferre sententias, longum esset. illas tantum afferam, quæ magis sunt communes, & quæ propius videntur ad veritatem accedere. Prima explicatio communis est, quæ per antiphrasim, id est, contrarium sensum, aut per euphemismum, qui mali ominis declinandi gratia aliquid minus aut etiam contrarium adhibet: ex quo tamen veram & propriam intelligentiam haurimus. *Euphemismus quis.*

39. *REGVLA. Quæ dura sunt mitiori vocabulo ab amico exposita.* Horrent quidem homines, si quando de amicis aut cum amicis loquuntur, illa nominare, quæ tristia sunt, aut mali aliquid sonant, aut portendunt. quale est funus, mors, captiuitas. quare aut ista vitantur, aut aliquid eius loco supprimitur, quod mali ominis verbum aut continet, aut indicat. Siluit apud Ouidium *in epistola Laodamiæ*, cum loqueretur Protesilao, *mortuus*, & eius loco suffecit metum, nempe de morte:

Siue (quod heu timeo) siue superstes eris. id est siue mortuus fueris, siue viuus. Sic verbum *viuo* in præterito pro mortuo ponitur. Quare vixisse dicimus illos, quos mortuos esse significamus. Triste est Reges aut consules ab hoste captos, non ita fuisse redemptos: atque ideo vt a consulibus nomen illud triste remoueret Cicero, non dixit captos fuisse consules, sed redemptos, qui tamen nisi capti fuissent, non essent redempti. Maledicendi verbum iniuriam dicit, & si iactetur in Deum, prorsus execrabilem: quam vt a Deo separent Hebræi, pro *maledico* contrarium illius adhibent, dicuntque *benedicere Deum.* & ita exponunt alia loca huius atque secundi capitis, vbi cum Deo benedictio coniungitur. Ita Hieron. *epist. 34. ad Iulianum*, & Ambrosius *l. de Nobuthe c. 11.* & S. Thomas *hic.* *An aliquando benedico pro maledico.*

Hæc explicatio ideo mihi non probatur, quia hæc figura in sacra Scriptura rarior est. deinde quia de filiis suis tantum scelus Iobus suspicari non poterat, quos sancte a primis annis instituerat, quorum penitus mores & ingenia nouerat. Maledictio porro, quæ non ab hilari & fausto, sed ab irato & tristi plerumque nascitur, non videbatur esse timenda ab illis, qui tunc in illo concordi atque amico cœtu dies agebant geniales & lætos, quique potius gratias agerent pro beneficiis, quam linguam in maledica verba procuderent, quasi aliquid aduersum accideret ab irato Deo, quod sane Iobus non ignoraret, atque ideo aliam reddidisset caussam oblati sacrificii, non quod latentem aliquam cogitationem timeret. 40.

Martinus de Roa *lib. 1. singul. cap. 9.* in verbo *benedico* aliquid videt, quod discessum significat, & quoddam apostasiæ genus. Vt enim cum amicum videmus, illum salutamus, precamurque fausta; sic etiam cum ab illo discedimus, valere eum iubemus, salutem optamus, & quæcumque numerantur in bonis. Hunc autem congressum primum, seu digressum ab amicis, seu amica vota per verbum *benedico* significamus, quod probat, quia Gen. *XLVII, 7.* cum ingressus esset Iacob ad Regem Ægypti, benedixit illi, & *v. 10. Benedicto Rege egressus est foras.* & adducit dicendi modum, quo frequenter vtuntur Hispani, cum alium domo, aut a sua familiari- 41.

tate dimittunt. tunc enim dicunt, *echar la bendicion*, illis, quos omnino iubent a se facessere. Est sane acuta hæc cogitatio; illam tamen infirmat illa ratio, quam contra priorem expositionem adduximus; grauius enim est hoc scelus, quam vt de filiis bene moratis religiosus pater suspicari posset. Neque articulus ille, quando omnia succedebant ex voto, sic afficere posset inuitatos, vt Deo valedicerent, & ab illo recederent; sed potius, vt magis adhærerent Deo, a quo quidquid esset bonum, proficisci a parente didicerant. Nisi forte dicamus, illos tam esse deditos abdomini suo, tam vini Venerisque voluptate captos, vt verum Deum, qui non patitur harum rerum intemperantiam, abiiciant, & ad Bacchi Venerisque castra transfugiant. Sed quis hæc credat?

pag. 27. a

42. Sanctus Damascenus in propria item significatione sumit verbum *benedico*, ita vt reuera conuiuæ benedixerint Domino, non tamen ab hac benedictione peccatum absit: quia ideo benedicunt & gratias agunt, quia illis flagitiosum aliquod opus ex voto successit. Quo modo si quis gratias agat Deo, quod sua cum adultera libidinem expleuerit, quod alienis opibus furto sublatis patrimonium auxerit, quod pater occisus fuerit, ad cuius ipse hæreditatem inhiabat. Sic *Zachariæ XI, 5.* quidam, qui alienos occiderant greges, vendebantque impune, & cum grauissimum in eo peccatum admitterent, dicebant tamen, *benedictus Deus, diuites facti sumus.* In eam sententiam grauiter Bernardus *ser. 13. in Cant. Vsu*, inquit, *quodam magis quam sensu vel affectu personare in ore multorum gratiarum actionem aduertere est: in tantum vt homines quoque sceleratissimi, ad quæque flagitia & facinora sua soleant Deo gratias agere, quod bene prosspereque, vt quidem ipsi sapiunt, cesserit sibi in adimpletione peruersarum voluntatum suarum. Audias (verbi gratia) furem, cum impiæ machinationis male cupitum manipulum reportarit, exultantem clam & dicentem: Deo gratias, non inanes vigilias feci, nocturnum laborem meum non perdidi. Similiter qui hominem interfecit, nonne gloriatur, & refert gratias, quod præualuit aduersus æmulum, aut de hoste se vindicauit? Et nihilominus adulter tripudians gestit in Dei laudes, quod diu optato concubitu potitus sit. Non ergo omnis gratiarum actio accepta est Deo, nisi quæ de cordis pudica & mera simplicitate procedit.* Hæc Bernardus. Quæ solutio non eo, quo superiores, laborat incommodo, neque longe abest ab illa, quæ nobis probatur magis: vbi hæc latius explicabitur. Aliæ ab aliis adducuntur, quæ lubens omitto, & ad illam accedo, quæ minus mihi difficilis est.

Et primum obseruo, in conuiuiis, in quibus abesse non solet intemperantia, & illa præsertim, quæ est a vino, multis posse peccari modis, vel quia vbi Ceres regnat & Bacchus, ibi quoque Veneris regnum est, & lingua in omnem verborum licentiam laxari solet: Quæ enim moderatio, vbi regnat ebrietas? Quare cum durum esset in conuiuiis cum modestia atque omni virtute certamen, timere potuit homo prudentissimus, ne qua ex parte filiorum esset temerata religio. De populo, qui magistrum habuit optimum Moysem, & Deum moderatorem & ducem, dicitur Exodi *XXXII, 6. Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere*, quo ludo significatur non solum actionum, sed etiam verborum intemperantia. 43.

A conuiuiis raro abest peccatum.

Obseruandum item, superbiam eius esse naturæ, vt ex ipsis etiam virtutibus vires assumat, aut saltem materiam incrementi. Quare viri prudentes, qui illius nouerunt callidum ingenium, in ipsis etiam benefactis insidias metuunt. Dixit hoc Augustinus *epistol. 56. ad Dioscorum: Vitia*, inquit, *cætera in peccatis, superbia vero in recte factis timenda est: ne illa, quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate omittantur.* Deinde obseruandum, ex diuitiis oriri plerumque ambitiosum fastum & spiritum superbiæ. Sic Augustinus idem *tom. 10. lib. 50. homil. 13. Vermis diuitiarum est superbia: difficile est, vt non sit superbus, qui diues est.* Quare non sine causa timebat Iobus, ne filios tunc fortunatos & diuites vermis ille potentibus familiaris impeteret; & ideo, licet nihil in eo conuiuio videret dissolutum, nihil ab ea disciplina alienum, quam ipsis indiderat, timere poterat, ne de se magnifice sentirent, & eo laborarent morbo, quem vix ipse, qui patitur, agnoscit. 44.

Superbia ex benefactis materiam sumit.

pag. 27. b

Diuitiæ superbiam generant.

Hoc

45. *Benedictio seu laus Dei interdum ex spiritu superbo nata.* Hoc vero significari arbitror in illa benedictione, quam Domino conuiuantes filii impendere dicuntur. Benedictio quippe fortunam sequitur ridentem & lautam, quæ licet gratias vere interdum agat largitori, sæpe tamen in fucata gratiarum specie inanis quædam tegitur vmbra & vana cogitatio, qua sibi homo de sua felicitate blanditur. Quod fecit Pharisæus ille *Lucæ XIIX, 11.* qui vano inflatus spiritu agebat Deo gratias, quod esset hominibus aliis sanctitate superior, dicebatque: *Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, vel vt etiam hic publicanus. Ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium, quæ possideo.* Quod etiam fecerunt alii apud Zachariam *XI, v. 5.* qui, cum ex rapina diuites facti essent, quasi illud a Domino oblatum accepissent, & non potius a violentia, vel fraude, benedicebant Domino, dicebantque: *Benedictus Dominus, diuites facti sumus.* Hoc ergo in filiis timebat sollicitus pater, ne illis contingeret, quod fortunatis aliis & diuitibus videbat esse familiare, ne Deo benedicerent, quomodo prædatores illi aut fraudulenti apud Zachariam, aut cogitatione sua inflatus Pharisæus apud Lucam gratias agebat Deo, in quo magis sibi de sua sanctitate aut fortuna gratulabantur. Et iuvat hanc coniecturam, quia diuina laus interdum exultantis animi significatio est, & vicem

46. *Halleluia interiectio exultantis. Cur a Septuagesima ad Pascha omissum.* habet interiectionis. Sic *Alleluia* idem valet, quod *laudate Deum*, & tamen apud Hebræos interiectio est. Quod ex eo constat, quia a Septuagesima ad Pascha *Alleluia* omittitur, & eius loco dicitur, *Laus tibi Domine, Rex æternæ gloria*, quæ idem ferme valet. Quod eo sine dubio consilio factum est, quia *Alleluia* vim habet & vsum interiectionis, quæ literam significat, non autem eius interpretatio Latina, *Laus tibi Christe.*

47. *Diuitiæ Iobo non inflarunt spiritum.* Ab hoc se peccato in suis opibus & pinguiori fortuna vendicabat Iobus, cum dicebat *cap XXXI, 24. Si putavi aurum robur meum, & obrizo dixi, fiducia mea.* Quibus verbis significat illud diuitum commune vitium, ut spem omnem in pecunia collocent, cui nihil subest non venale. Et quasi omnia habeant domi parata, lætantur, & eo maxime, quia manu sua, id est, industria & labore alia sibi pepererint. Et ideo subditur, *si lætatus sum super multis diuitiis meis, & quia plurima reperit manus mea.* Quod statim explicat magis, & vulgata Scripturæ phrasi, quam etiam frequenter adhibent profani, ridentem & luculentam fortunam fulgente sole, & claro lunæ splendore significat. Notum est enim, sicut in tenebris & nocte significatur ærumnosa, sic etiam in luce ac die prosperam & lætam significari conditionem. & ideo addit, *si vidi solem, cum fulgeret, & lunam incedentem clare, & lætatum est in abscondito cor meum.* Ac si dicat, si contemplatus sum afflantem mihi perpetuo fortunam, ingentes opes, aliorum gratiam, quo loco atque honore apud alios sim, & alia, quæ in bonis numerantur, quorum est mihi incomparabilis copia, & in corde meo tacite lætatus sum, quasi hi fuerint non a diuina concessi, sed a mea mihi manu atque solertia comparati fructus: & ideo manibus meis id acceptum retuli, easque propemodum adoraui. pag. 28. a

48. *Osculum obsequium & venerationem importat.* Quod satis aperte indicat, quod proxime subditur, *Et osculatus sum manum meam ore meo.* osculari manum idem est, quod venerari aut colere, quasi ab illa singulare aliquod beneficium acceperis. Quod cum commune fuerit omnibus fere gentibus, quibus osculum amoris & adorationis genus est, tamen id fortasse magis fuit Idumæis familiare, de quorum moribus nihil habemus nisi in Scriptura, quod ego viderim. Certe gentem esse vanissimam, quæque putaret habere a se contra omnes inimicorum machinas præsidii, satis docet Ierem. *c. XLIX, v. 16.* & Abdias *v. 3.* qui sic ad Idumæum populum: *Qui dicis in corde tuo: Quis detrahet me in terram?*

49. *Barbari diuinam virtutem suæ manui aut armis tribuunt.* Quod vero barbari & arrogantes populi suas manus aut gladium, aut si quod aliud habuere suæ felicitatis instrumentum, pro Diis coluerint, atque ea, vt est verisimile, Gentilium more osculati fuerint, docuimus *in nostris commentariis super Habacuc c. I, v. 11.* ad illud: *Hæc est fortitudo eius Dei sui;* Sane Virgilius ex insolentia & barbarorum more inducit Mezentium *lib. 10.* dexteræ suæ ac telo, a quibus sperabat victoriam, diuinam virtutem, & numinis vim, & nomen tribuentem.

Dextra

Dextra mihi Deus, & telum, quod missile libro,
Nunc adsint.

Quod de Capaneo Statius *lib. 2. Thebaidos,*
Virtus mihi numen & ensis.
& iterum de Capaneo *lib. 10.*
Ades mihi dextera tantum
Tu præses belli, & ineuitabile numen,
Te voco, te solum superûm contemtor adoro.

Cœneus hastam suam inter Deos numerari iussit, & per illam iuramentum concipi, vnde prouerbium, *Cœnei hasta*, & apud Plutarchum *in Pelopida* Alexander tyrannus hastam, qua Poliphranem occidit, sacram esse voluit, coronis ornauit, & quasi Deum sacrificiis, id est, diuinis honoribus prosecutus est. Neque in sacris desunt exempla. Nabuchodonosor suis armis, quibus subiugauit populos & victorias obtinuit, quæ sagenæ & retis nomine significauit Habacuc, sacrificium obtulit. de quo *Habacuc. I, 16. Propterea immolauit sagenæ suæ, & sacrificauit reti suo.* Sic ergo Iob dicit, se manum suam osculatum non esse, id est, non egisse illi gratias, quasi ab ea tanquam a Deo diuitias & opes accepisset. Et id timebat in filiis, quod ipse in se tantopere execrabatur, ne propter diuitias immoderate lætarentur interius, & dum laudant Deum, quod in euentu prospero fieri solet etiam ab impiis, suæ tamen industriæ & meritis gratulentur. De hoc loco agemus post pluribus, vbi hæc nostra cogitatio constabit magis.

50. REGVLA. *Negatio, quæ præcessit, sæpe in posteriori membro repetitur.* pag. 28. b

Hæc mihi cogitatio non displicet, sed addam aliam, quæ alicui fortasse non improbabitur, quæ sane mihi difficilis non est, imo omnium maxime mihi videtur expedita. Quam priusquam produco, ostendo, particulas negantes, qualis est *non*, *ne*, *neque*, & quæ sunt huius generis, quæ in priori membro præcesserunt, subaudiri sæpe in posteriori, exempla sunt plurima, quæ tu inuenies apud Pagninum *l. 4 inst. c. 14. Ps. IX, 19.* vbi Vulgatus; *quoniam non in fine obliuio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem.* Hebr. est in secundo hemistichio, *patientia pauperum peribit in finem*, vbi Vulgatus iuxta regulam illam addidit *non*, quæ particula in Hebræo non erat. *Prov. XVII, 26.* vbi Vulgatus, *Non est bonum, damnum inferre iusto, nec percutere iudicem, qui recta iudicat.* Hebr. est in altero hemistichio, *percutere Principes propter rectitudinem*, vbi *nec* additur a Vulgato. Quod adeo inter Hebræos certum & vsitatum est, vt Grammatici doceant, *vau*, id est, coniunctionem *&*, post negationem aut dictionem negatiuam non affirmare, sed negare; quia negatio, quæ antecessit, iterari debet. Atque ideo, vt vidimus, noster Interpres negationem addidit, vbi nulla in Hebr. codice erat negatio; quam interdum omittit, vbi constat subaudiendam esse necessario, vt *Prov. XXX, 3. Non didici sapientiam, & scientiam sanctorum noui.* id est, neque scientiam noui: quam negationem addidere postea Sixtiani codices *Ps. CXLII, 7. Non auertas faciem tuam a me, & similis ero descendentibus in lacum,* id est, *ne similis sim descendentibus*, & *Leuit. X, 6. Vestimenta nolite scindere, ne forte moriamini, & super omnem cœtum oriatur indignatio*, id est, *& ne super omnem cœtum.* Iuxta hanc regulam explicabamus olim in nostris commentariis illud *Isai. LIII, 2. Vidimus eum, & non erat aspectus, & desiderauimus eum.* id est, *neque* desiderauimus eum; quia ea specie vidimus, vt non putaremus esse desiderabilem, aut dignum, in quem oculos conuerteremus: vsque adeo erat aspectu fœdato, humili ac despicabili. Quo dicendi modo aliquando vtuntur Latini, quale est illud:

51. REGVLA. *Et post negationem sæpe potius negat quam affirmat.*

Nescia mens hominum fati sortisque futuræ,
Et seruare modum rebus sublata secundis.

vbi repetenda vox illa negatiua *nescia*. *& nescia seruare modum.*

His positis, sic ego locum istum accipio. 52.
Peracto septemdiali conuiuio offerebat Iobus pro filiis holocausta, dicebat enim, fieri posse, vt in eo aliquod peccatum esset admissum a filiis, aut saltem omissa gratiarum actio, quæ bonorum omnium Deum autorem & largitorem agnoscit: sic autem iuxta traditam regulam locum conuerto, *ne forte peccauerint filii mei, & non benedixerint Deum in cordibus suis,* seu, *vel non benedixerint Deum.* Notum est enim, *&* persæpe vim habere coniunctionis disiunctiuæ. Siue enim peccauissent filii, siue gratiarum officium omisissent; offerendum pater pro filiis sacrificium putabat, quod esset expiatorium, si interuenisset peccatum;

si

si vero omissa gratiarum actio, gratulatorium, seu pacificum. Tametsi in omisso debito gratiarum officio aliquid videtur intercessisse, quod expiari posset.
53. Licet enim Iobus ante datam legem esset, neque illi adeo speciali aliqua ratione indicta esset post epulas gratiarum actio, ipso tamen naturali lumine cognouerat, bonorum largitori debitum esse gratiarum officium, quod credo filiis suis religiosus pater seuere praeceperat. Sane id Hebraeos in mandatis habuisse, constat ex *Deut. IIX, 10. Vt cum comederis, & satiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo pro terra optima, quam dedit tibi.* & statim accommodate ad statum filiorum Iob. *v. 12. Ne postquam comederis, & satiatus fueris, domos pulcras aedificaueris, & habitaueris in eis, habuerisque armenta boum, & ouium greges, & si eleuetur cor tuum, & non reminiscaris Domini Dei tui.* Hanc legem seruarunt olim timentes Deum, quique videri noluerunt beneficiorum immemores, de quibus *Psalm. XXI, 27. Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum.* videtur autem, ad gratiarum actiones post epulas certum aliquem hymnum fuisse compositum, qualis ille fuit, quem peracta coena Christus cum discipulis modulatus est: de quo *Matth. XXVI, 30. Et hymno dicto exierunt in montem oliueti.* Hanc nostram expositionem indicat Chaldaeus, dum ita conuertit: *Ne forte peccauerint filii mei, & non orauerint in nomine Domini in cordibus suis.* vbi in posteriori hemistichio negationem posuit, quae in priore praecesserat.

Gratiarum actio post cibum Hebraeis praecepta.

pag. 29. a

54. *Sic faciebat Iob cunctis diebus.*] Illis nempe, in quibus filii ad communes & sociales epulas conueniebant. Neque enim, vt diximus supra, veri putabamus simile omnibus diebus anni continenter obiri solitum esse conuiuium, quod videretur molestiae plus quam voluptatis allaturum: neque tam illa assiduitate conglutinandos quam dissoluendos animos, cum rara placeant & amentur magis, frequentia ipsa assiduitate vilescant.

55. Vers. 6. *Quodam autem die, cum venissent filii Dei, vt assisterent coram Domino, adfuit inter eos etiam Satan.*] Hactenus vidimus Iobum fortunatum & inclytum, auctum opibus, filiis, copiosa familia, quique inter omnes Orientales nomen haberet eximium, & talem gloriam, qualem in ea regione nemo. Nunc iam videmus e tanto loco atque splendore ita deiectum, vt nihil excogitari posset, si hominum iudicia consulas, infortunatum magis, nihil sordidum magis & abiectum. Ne vero quis putet, tantum virum, tamque Deo gratum in tot infortunia casu cecidisse; consultatio quaedam praemittitur, in qua Deus ita quaedam Satanae in Iobum permittit, vt alia neget, ne quisquam putaret de Iobo Deum non curare, aut daemoni in Iobum pro sua libidine omnia licuisse.

De hoc iudicio variae sunt hominum sententiae. Simile aliud habuimus *3. Reg. XXII, 22.* vbi Deus visus est Michaeae de Achab deceptione, familiari consultatione deliberans, vbi inter Angelos bonos adfuisse quoque dicitur Satan, qui id sibi negotii suscepit, vt Regem deciperet. Neque aliter nobis hic quam eo loco decidenda est quaestio. 56.
Primum voluit Deus ostendere, quantum Iobi virtutem faceret amaretque, quam aliis etiam omnibus notam esse voluit; vt haberent illustre quoddam ad imitandum exemplar, vt indicat Tobias *cap. II, v. 12.* atque ideo permisit Satanae, qui Iobi praeclare gestis inuidebat, vt suos stimulos in eius ignominiam & dolorem exereret, neque quicquam praeter vitam illius conatibus exemit. Hoc Dominus consilium Moysi significauit, qui, vt antea diximus, huius historiae autor fuit; quae tribus praesertim capitibus continetur, duobus primis, & vltimi bona parte, nam reliquis, non quid fecerit passusue fuerit Iobus, sed quid dixerit audieritue ab amicis, continetur. Vt enim aliis saepe Prophetis oblatae sunt rerum quaedam imagines, quae futura portenderent, in quibus ipsi cognouerunt praedixeruntque certos rerum euentus, eodem etiam modo Prophetae Moysi praeterita Iobi gesta sic fuerunt oblata, quemadmodum ab ipso postea prodita fuerunt. 57.
Est autem quaestio, an visio haec solum fuerit imaginaria, quales in somnis obiici solent merae rerum imagines, quae symbola sunt rerum, non res ipsae, quae oblatae dicuntur. Quales fuerunt visiones quaedam, seu spectra obiecta Isaiae, Hieremiae,

Moysi reuelatum consilium, cui adfuit Satanas.

pag. 29. b

miæ, Ezechieli, Danieli, Zachariæ, quæ cum aliquid certum portenderent, eorum tamen similitudines hieroglyphicæ aut nudæ tantum imagines visebantur. Quidam ita existimant accidisse hoc loco, ita vt neque qui hic dicuntur filii Dei cum Domino conuenerint deliberaturi de Iobi statu ac meritis, neque in illud concilium sese miscuerit Satanas. Illud tamen spectrum ideo propositum Prophetæ, quia significabat optime & Domini de Iobo paternam prouidentiam, & dæmonis in illum inueteratum odium, & duram in persequendo pertinaciam. Ita putant Gregorius, Origenes, S. Thom. & e recentioribus plerique; alii contra vere conuenisse angelos Dei, & cum illis Satanam, & illa omnino vere contigisse, vt sonat litera. ita putant Athanasius *in quæstion. ad Antiochum quæst. 8.* August. *annotation. in Iob*, Nazianzenus, & alii quidam.

58. *Verisimile est, vere conuenisse Angelos & cum illis Satanam.*

Ego primum hanc sententiam posteriorem improbandam non puto, quia id sonat littera, quæ, quando in sua proprietate explicari potest, deserenda non est. Neque hic existimandum est, defuisse in Iobo, eiusque liberis, atque familia, siue defendendis, siue oppugnandis pugnam inter angelos bonos illorum custodes, & inter malos, quibus id a tenebrarum Principe datum est negotii, vt illorum insidiarentur vitæ atque ruinæ, & quam possent maxime traherent in sempiternum interitum. Qui autem hic Satan vocatur, ille fortasse est, qui assiduus fuit Iobo, ex quo primum in lucem hanc prodiit, & illum ex eo tempore ad hunc vsque articulum insectatus est. De quo infra *cap. XL, 10. Ecce Behemoth, quem feci tecum.* vbi quidam datum esse dicunt a tempore natiuitatis Iobo dæmonem, qui ab eius latere nunquam recedat. Sed de hac expositione postea suo loco pluribus. Fuit ergo concilium angelorum, qui appellati sunt filii Dei, inter quos etiam fuit Satanas, & in eo illa hinc inde verba commutata, quæ sacer prodidit historicus. Sed in hac sententia illud obseruandum maxime, illum, qui Deus dicitur, quique Iobi laudat virtutem, dæmonique in eius fortunas & corpus potestatem tradit, non esse Deum, sed angelum, qui tamen ibi nominatur Deus, quia Dei in eo concilio personam repræsentat. Esse vero angelum, qui in Testamento veteri sæpenumero dicitur Deus, est communis Theologorum sententia, de qua vide S. Thom. *2. d. 8. q. 1. art. 6.* Suar. *lib. 6. de Angelis cap. 20.* Vasq. *1. p. d. 185. c. 2.* Qua de re nos pluribus *in nostris Commentariis super Acta* ad illud *cap. VII, 38. Et cum angelo, qui loquebatur ei in monte Sina.* Quare nil mirum, si in eo concilio dicatur esse dæmon, & cum Deo libere locutus, si qui eo loco dicitur Deus, angelus est, quo cum dæmoni est assidua concertatio, vt diximus super Danielem *cap. X.* vbi Principem Persarum, atque Græcorum angelos diximus esse malos, qui cum Gabriele diu pugnauerunt.

Angelus est sæpe, qui in Scriptura dicitur Deus.

59. Sed neque videbant aberrare plurimi ab optima coniectura, qui existimarent, eas tantum esse meras rerum imagines, & abesse omnino substantias illas, quæ eiusmodi repræsentantur imaginibus, sicut alias multas in Scriptura sacra fateamur necesse est. Quod, vt ita iudicent, illud non difficile persuadet, quia spectrum istud aliquid indicabat futurum, neque enim tunc passus fuerat Iobus illa, quæ illi Satanas, consecutus a Deo facultatem, inflixit incommoda. At hæc visio multis post annis oblata est Moysi trecentis ferme annis, postquam his Iobus perfunctus est malis, neque iam Iobus erat in mundo, in quem Satanas suos acueret stimulos, & a Deo quæreret nocendi licentiam. Quare neque dæmon esse potuit, qui peteret, neque Deus, qui facultatem daret, neque angeli, qui de Iobo consulerent, cum eo in statu iam esset Iobus, vt neque vexari posset a dæmone, neque necesse esset ab angelorum sedulitate defendi. Quare meræ illæ videri potuerunt imagines, quæ docerent, sicut pictura solet, quod esset Dei de Iobi religione iudicium, quæ dæmonis improbitas & pertinax furor; & quemadmodum dæmon ausus esset nihil, quod non prius esset concessum a Domino. Verum hæc cogitatio minus, quam aliæ, placet. Cur angeli dicantur filii Dei, ostendi pluribus *in nostris Commentariis in Danielem* ad illud *c. III, 92. & species quarti similis filio Dei.* In quo sensu sumpsit postea Iob. *cap. XXXIIX, 7. vbi eras, cum me laudarent*

pag. 30. a

60.

rent astra matutina, & iubilarent omnes filii Dei. Sept. *omnes angeli Dei.* Dicuntur autem filii Dei propter pulchritudinem, aut quia sicut serui dominos suos patres, sic seruos suos domini filios appellant.

61. *Cur angeli dicantur filii Dei.* Vers. 7. *Cui dixit Dominus, vnde venis?*] Apparuit, opinor, Satanas eo habitu, quasi magnum aliquod opus absoluisset, anhelanti similis, exerta lingua, hiantibus faucibus, sicut canis in æstu, aut quando venatione longa, scopulosa & ardua citato cursu montium iuga conscendit. Ab illo igitur infensis oculis & toruo vultu angelus, qui Dei in consessu personam referebat, quærit, vnde veniat? Ad quem ille:

62. *Princeps fuit dæmon, qui Iobum oppugnauit.* *Circuiui terram, & perambulaui eam.*] De Angelorum motu multa Scholastici Doctores, sicut etiam de illorum locutione, quæ non sunt mearum partium. Ex hac responsione fit verisimile, dæmonem istum non esse quemlibet ex illo cœtu, sed Principem, cui parerent alii, cuique non vna ciuitas, aut prouincia, aut vnum hominum genus concessum est, vt illud oppugnaret, aut suis qualibuscumque legibus moderaretur, sed in totum orbem patebat quam latissime illius imperium, atque ideo circuibat terram & perambulabat; sicut Rex, qui imperii fines, & passibus lustrat, & imperio continet. Et pater familias, qui domum suam & agros inuisit, & res domesticas ac rusticas suo, vt libet, arbitratu dispensat.

63. *Laus quædam magna Iobi.* Vers. 8. *Nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, homo simplex & rectus*, &c.] Cum tam essent lati vniuersi fines, infinita prope hominum multitudo, neque deessent alii viri sancti, qualis fuit Iacob, & Isaac, in quorum sæculum incurrisse supra Iobum putabamus; Dei tamen oculos rapuit ad se homo quidam Idumæus, qui suos mores ita composuit, vt solum amaret, quod placeret Domino, & nihil non horreret, quod improbaret aut damnaret Deus. Qui fortasse Satanæ plus doloris attulit, dum illius aut contemnit terrores & illecebras, aut detegit & declinat insidias. Cuius gloriam, dum inuidia rumpitur, obscurare studet, & illa tot ornamenta animi Dei potius sedulæ custodiæ & benignitati tribuit,

pag. 30. b

quam Iobi constantiæ & fortitudini, cum illi, protegente Deo, nihil acciderit, quod illius tentare potuerit aut vexare patientiam. Porro Deus, seu potius angelus Dei nomine, illa in Iobo commendat, quæ in principio sacer prædicauit historicus, dum vocat hominem simplicem & rectum, &c. ex qua visione sine dubio sumpsit Moyses, si modo ille historiæ huius auctor est, illustre illud elogium, vbi illa eadem verba in hac visione non semel audiuit, prius *hoc loco*, deinde *cap. II, 3.* vbi dicitur, *vir simplex & rectus, timens Deum, & recedens a malo.* Totidem autem verba numerauit in principio Moyses.

Vers. 9. *Nunquid Iob frustra timet Deum?*] Eleuat Satanas Iobi virtutem, vt est inuidus alienæ laudis, & docet, eum non tam Dei voluntati, aut oculis, quam suis commodis voluisse seruire. Dum enim Dei gloriæ consuluisse videri vult, suæ consulit: est enim illud obsequium, quod simplex apparet & rectum, omnino mercenarium. Quid autem mirum, si Deum Iobus timeat, id est, obseruet & colat (id enim valet *timeo*) cum ab eo habeat, quod floreat & viuat, quod numerosos alat armentorum greges, quod nemo illius aduersetur commodis, quod in Oriente nullus inueniatur fortunatior? Hæc igitur vt augeat atque conseruet, Deum colit, si hæc absint, nihilo aliis erit sanctior, nihilo magis de Dei veneratione sollicitus. 64.

Vers. 10. *Nonne tu vallasti eum, ac domum eius, vniuersamque substantiam per circuitum?*] His verbis singularis Dei beneuolentia & paterna sedulitas ostenditur. Qui sicut prouidus pater familias vineam non solum colit & elapidat, ne quid vitibus noceat aut prouentus impediat: & muros circumfundit, ne quis irrumpat & vineam populetur, & perdat, quod se fecisse cecinit Deus *Isai. V, 5.* sic Deus ipse fidelis custos omnes circumuallauit Iobi greges, domos & agros, ne quid vel a domestico fure, vel ab externo hoste, aut aperta vi, aut occulta fraude patiantur. Quod optime norat Satanas ipse, qui cum nocere cuperet Iobo, eumque ad impatientiam, aut immoderatum alium affectum pertrahere, ita tamen illius bona a Deo circumvallata sensit, vt haberet apertum nihil, per 65. *Deus bonorum custos.*

 quod

quod in eius possessiones irrumperet: sperabat tamen, si rationes illius turbaret, & statum illum fortunarum dissolueret, futurum, vt eum ab illa etiam constantia & continentia deiiceret, propter quam a Deo tantopere commendatum videbat. Illud porro, quod additur, *operibus manuum eius benedixisti, & possessio eius creuit in terra*, significat, a Deo non seruari solum, quæ Iobus habuit bona tam domi, quam foris, sed etiam augeri. Benedictio etenim Dei vim addit rebus fœcunditatis, & externa abigit impedimenta, quæ faciunt, vt minus sint rerum exitus fortunati, sicut contra diuina maledictio omnia exurit & sternit, & ipsa etiam eradicat genimina, a quibus sperari nihil potest humanis commodis opportunum.

66. *Quæ tegit sæpe fortuna prospera, prodit aduersa.*

Vers. 11. *Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ possidet.*] Ad illud vsque tempus nihil, vt apparet, viderat dæmon rebus rationibusque Iobi a Deo contigisse contrarium. Viderat semper diuinam manum ad benedicendum extensam, ad feriendum contractam, ad plagam & vastitatem intentam nunquam viderat. Quare videre studet, qualem se Iobus præstet in aduersa, qui tam se in prospera fortuna religiosum præbuerat. Et ideo rogat Deum, vt quam prius ad benedictionem manum extenderet, nunc illam conuersam extendat ad plagam, & rebus illius sublatis aut afflictis, de illius in vera religione constantia periculum faciat. Felix namque status multa persæpe contegit vitia, quæ prodit ærumnosus. Porro tangere ex vsu Scripturæ aliquid indicat molestum & graue, quodque homines detrimento afficit, vel dolore. quod ipse docuit Iobus *cap. XIX, 21.* cum dixit, *Manus Domini tetigit me*; quia familiam mihi, opes, & salutem, & ipsum prope corpus ademit. *Gen. XXVI, 29.* sic Abimelec ad Isaac: *Ne facias nobis quicquam mali, sicut & nos nihil tuorum attigimus, nec fecimus, quod te tæderet.* Hæc porro petitio, quæ nihil, aut paululum a Deo obtinere vult, grauissima est: cum nihil esse velit dæmon in bonis Iobi, cui parcat seuera Domini manus. Neque Deus abnuit Satanæ postulatis, cum omnia te tigerit vsque adeo dure, vt omnino contriuerit.

pag. 31. a

Tango, varios habet vsus in Scriptura.

Nisi in facie benedixerit tibi.] Verbum *benedico* communiter Interpretes pro *maledico* sumunt, siue per antiphrasim, vt paulo ante *ad v. 5.* dicebamus, siue quia, vt putat *ad eundem versum* Eugubinus, hoc verbum ex eorum numero est, quod mediam habeat significationem, seu quod idem est, duas inter se contrarias: vt *sacer*, quæ vox *sanctum* & *execrandum* valet, *iudico*, & *visito*, *vlciscor*, & similia, quæ fauorem significant & contrarium studium; plurima sunt apud Græcos, vt ἀνάθεμα, ἅγιος, ἁγιάζω, plura apud Hebræos, vt קדש *cadas*, de quibus nos ad illud *Isai. XXIII, 18. & erant merces eius sanctificatæ Domino.* Quocumque id modo contingat, communiter interpretantur autores illud *benedico* per *maledico.* quasi dicat Satanas, tam longe futurum, vt benedicat Iobus Deo, quem religioso assidue prosequitur cultu, vt indignatus potius, & impatiens, quod de spe concepta futurorum, & de præsentium bonorum possessione deiecerit, maledicat Deo, & in illum impudenter & libere, non aliter atque in fortunarum suarum prædonem inuehatur. Quasi dicat Satanas, non in maiori veneratione esse Deum apud suos, aut etiam futurum apud Iobum, cuius sanctitatem tantopere commendat, quam sunt apud gentes mendaces Dii, aut vana potius Deorum simulacra, & inanes vmbræ. Vt enim Gentiles Deos suos laudant, cum aliquid successerit ex voto, (vnde in illorum laudes compositi sunt hymni & instituta sacra) & iidem illi, si quicquam ipsis aduersum acciderit, Deos suos execrantur, & eo modo accipiunt, quo viles solent atque mendaces seruulos: sic etiam Dei serui, cum graues illis manus fuerint impositæ, in Deum inflammantur hostiliter, & conuitia iactant, & bonorum obliti, quando aliter non possunt, maledica lingua pœnas exigunt illatæ plagæ. Neque ex illo eximit numero Iobum, licet tunc veræ existimetur sanctitatis exemplar. Tange, inquit, bona illius paululum, & nisi laudes in maledicta conuerterit, sicut profanum & impium hominum genus, mendax habear & stultus, aut aliquid simile. Erat autem hoc vsitatum valde inter Gentes, vt si quid minus succederet ex voto, vt conuitiis Deos suos lacesserent, aut etiam verbe-

67. REGVLA. *Voces multæ contrarias continent significationes.*

Benedico pro maledico.

68. *Quomodo Gentiles suos Deos accipiunt.*

verberibus afficerent, aut ad terram allidererent. Ex eorum consuetudine dixit Maro *ecloga 5.*

pag. 31. b *Cum complexa sui corpus miserabile nati,*
Atque Deos atque astra vocat crudelia mater.

Et idem hominem, quem religiosum inducit, vt pium, accusantem inducit Deos suos *lib 2. Æneid.*

Quem non incusauit amens hominumque, Deumque?

69. *Quæ Dæmon per* maledico, *Moyses per* benedico *retulit.*

69. Illud hic obseruauit Origenes, aliter hic locutum esse diabolum, aliter Moysem illius sermonem retulisse. Ille, cum esset impius & inuerecundus, verbum *maledico* cum Domino coniunxit, quod non facerent pii atque obseruantes Deum. At Moyses ita diaboli mentem, & sententiam expressit, vt moderaretur verba. *Moyses*, inquit, *magnus homo Dei non ita scripsit, sicut diabolus locutus est, sed decentius ac benignius, vtpote deuotus Dei famulus. Diabolus enim crudeliter ac nequiter locutus est, & vt plus ad iracundiam, ut putabat, prouocaret Deum, non dixit, si non in faciem te benedixerit, sed, si non in faciem tibi maledixerit. Moyses vero, illicitam atque crudelem diaboli vocem immutans, dixit, in faciem tibi benedicet.*

70. Hanc ego explicationem, quia plurimi probant, non improbo, imo potius commendo; non ita tamen, vt excludam alias, quas aliis, non tamen ita multis, probari video; ita vt benedico in sua propria sumatur significatione. Quod si ille dicendi modus, quem adduxit Roa, vsitatus esset in Scriptura in ea significatione atque vsu, quem ille probat, non male in diaboli sententiam conueniret, qui id curat maxime, vt vanam tantum & fucatam ostenderet Iobi religionem, quæ commoditatem spectat suam, quæ vbi cessaret, facile mutaret religionem, quam non tam haberet insitam animo, quam simulatam in facie. Atque ideo, si male cederet res pecuaria, Pana coleret, aut syluestrem aliquem Deum, quem pecorum tutelæ præfecisset delusa gentilitas. Si ager non redderet cum vsura, quod accepit, semen, si vinea sterilis, si oliua infœcunda, aliena sibi deligeret numina, quibus spem suam & fructus commendaret, Cererem videlicet, Bacchum, & Palladem, aut si quos alios habuere harum rerum præsides Idumæi, aut cognati, & vicini populi, & tunc diceretur Iobus benedixisse Deum, id est, dixisse, *vale*, quod tunc demum fit, cum ab aliis discedimus, etiam cum in illos fuerimus durius animati. Sed hanc sententiam paulo ante reiecimus propter rationem aliam: nunc vero ideo hic quoque non placet; quia in Scriptura vsitata non est, nisi cum ab amicis officii gratia beneuole digredimur, illisque bene precamur & cupimus.

S. Thomas aliter exponit, & illud, *si non benedixerit*, in præterito statuit, non in futuro, quod si ita esset, expositio neque aliena esset, neque difficilis. Sic autem ibi S. Thomas: *Vt benedictio proprie sumatur, & sit sensus: si tu paulum eum tangas, prosperitatem terrenam scilicet auferendo, hoc mihi accidat, nisi manifestum fiat, quod antea benedixerit tibi, non in vero corde, sed in facie, id est ad apparentiam hominum.* Quasi dicat, benedictionem illam non tam esse haustam ex imo pectore, quam formatam in ore, quæque potius speciem habeat, quam benedictionis veritatem & pondus. Quæ benedictio oculos spectat hominum, quibus placere studet, aut si Dei spectat oculos & iudicium, ita tamen se gerit, quasi Deus externa tantum videat; quæ vero sunt in animo, aut non cognoscat, aut certe non curet. Quod obiiciebat Christus Pharisæis & Scribis *Matth. XV, 7. Hypocritæ*, inquit, *bene prophetauit de vobis Isaias dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Hypocritas vocat, quia laruatam habent sanctitatem, & tantum personatum obsequium. non aliter atque hypocritæ, id est, histriones: qui non tam sunt personæ suæ auctores, quam actores alienæ. Hoc obsequii genus vocat Apostolus ὀφθαλμοδουλείαν, id est, oculare seruitium, *Ephes. VI, 6.* quod Vulgatus transtulit, ad *oculum seruientes*. Cui statim opposuit, *facientes voluntatem ex animo.* Quod peccati genus horrebat Iobus in filiis, quando dixit paulo ante: *ne forte peccauerint filii mei, & benedixerint Deo in cordibus suis:* id est, (vt supra explicabamus,) ne benedixerint in cordibus suis, externa tantum benedictione contenti: quod perinde esset, atque si animo Deo non benedixis-

71. Benedico *in propria significatione sumendum.*

pag. 32. a

Obsequium externum laruatum est.

dixissent. Quod autem de hac benedictione interna & ex animo loquatur ibi Iobus, ex eo fit probabile; quia de externa atque vocali dubitare non poterat: cum ipse aperte ab ipsis filiis, aut a seruis, qui conuiuentibus aderant, nosse potuerit. De interna autem benedictione quis nosset? De hac igitur dubitabat Iobus: & de illa tantum vehementer timebat.

72. *Benedicere in faciem externum indicat cultum.* Quam igitur Iobus metuebat in filiis, quæ nimirum formaretur in ore; non quæ ex animo puro ac simplici prodiret benedictio, hanc diabolus fuisse in Iobo suspicatur: & tunc illius faciendum, dicit, esse periculum: cum Deus aut auferat, aut parce largietur bona, quibus larga prius Iobum cumularat manu. Tunc enim erupturum dicit, quod latebat intus, & proditurum, qualis esset externa benedictio. Benedixisse porro in faciem, idem est, quod aperte, & vt dixit Paulus, ad oculum: ita vt imago quædam appareat, non pondus obsequii.

73. REGVLA. *Consuetudo seu habitus, per tempus futurum significatur.* Hæc mihi sententia probatur omnium maxime. Neque quod in Hebraico textu tempus sit futurum, huic nostræ cogitationi admodum incommodat. Notum est enim, apud Hebræos consuetudinem atque habitum per tempus futurum explicari: vt docuimus *in nostris Commentariis in Isaiam cap. LVII. num. 55.* Et quod futuro tempore res significetur præterita, obuia docent exempla: plurima invenies apud Pagninum *lib. 3. Institutionum c. 12.* immo & futurum sæpe consuetudinem indicat, & frequenter, & interdum adhibetur pro verbali nomine, quod actionem significat frequentem & vsitatam, quasi ex instituto. id nos olim docuimus in explanatione *Psalm. LXVII, 13.* ad illud, *& speciei domus dividere spolia:* vbi illud *diuidere* temporis diximus esse futuri in Hebræo, sumique pro verbali nomine, *diuisore. Oseæ V, 13.* & iterum *cap. X, 6.* vbi apud Vulgatum legimus, *Regem vltorem*, Hebr. est. ירב *iereb*, quod verbum esse communiter creditur futurum temporis, & idem valere, quod *vlciscetur. Oseæ VI, 9. in via interficientium*; Hebr. *in via interficient.* Habacuc. *III, 16.* vbi vulgatus, *Ad populum accinctum nostrum.* Heb. est, *Accinget eum.* Ad hunc igitur modum Diabolus cum Iobum accuset apud Deum, & faciem illius eleuet, &

REGVLA. *Per futurum sæpe res significatur præterita.*

obscuret: non semel, aut iterum dicit, laudem Dei esse tantum in facie, id est, in ipso verborum sono, qui audiri potest, & abesse procul a simplici corde: sed hoc illi semper fuisse familiare, quia semper Deum suis commodis fauentem habuit. Quod si Deus illius votis difficilem se præberet, tunc demum intelligeret, non a corde pio & grato frequentem illam benedictionem prodire; sed in ore & faucibus inani spiritu, & artificiosa simulatione formari. In quæstione controuersa & dubia hæc mihi maxime explicatio probatur. pag. 32. b

Vers. 12. *Ecce vniuersa, quæ habet, in manu tua sunt: tantum ne in eum extendas manum tuam.*] Non solum Deus Satanam testem esse vult animi perfecti & simplicis amici sui Iobi, sed illius patientiæ vexatorem & stimulum: ne forte spiritus ille nequam aliquid suspicaretur esse doli, quo pati videretur, aut bonorum iacturam, aut corporis cruciatus: & tamen neque in corpore vllam accepisset plagam, neque in suis facultatibus detrimentum. Quare illius potestati ac manibus Deus omnia permittit, vt perdat ac dissipet. Neque filios exemit ab hac facultate, quorum interitus paterna viscera maxime conturbat & lacerat. Tantum amici sui personam, illius furori atque odio non vult esse subiectam; licet illam postea vexandam permiserit: vt statim dicemus. 74.

Quæri hoc loco posset, an Satanas a Domino petierit sibi, vt liceret in omnia Iobi bona libere grassari, & pro sua libidine disperdere: vel cum ille postulasset nihil, quidquid tamen ipsi in illa bona colliberet, a Domino fuisse concessum. Priorem partem videtur amplexus Augustinus *tractatu 6. in ep. 1. Ioannis. Diabolus* (inquit) *petiit Iob, & accepit. Petiit Apostolus, vt auferretur ab eo stimulus carnis, & non accepit. Sed Apostolus magis exauditus est ad salutem, etsi non ad voluntatem; diabolus exauditus est ad voluntatem, sed ad damnationem. Ideo enim concessus est iste tentandus, vt, eo probato, esset ille cruciandus.* Vbi sanctus Doctor multis probat, non satis diuinam benignitatem probari, si quisquam, quod petit, statim obtineat; neque contra offensionem, si quisquam optata ac postulata non impetret. Quod alibi sæpe docet, notum 75.

est

est, illud ab irato Deo sæpe concedi, quod propitius negarat.

76. Sed sane hoc non videtur e sacro textu colligi posse: cum hic diabolus nihil petat aperte, sed tantum dicat, tunc cognitum iri, Iobi virtutem futilem esse atque fucatam, cum ab ornando illo Deus contraxerit manum, aut illam ad plagam, seu duram aliquam vexationem extenderit. Cum autem dicit: *extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ possidet*; non petit sibi, vt permittatur Iobus spoliandus & torquendus; imo neque vt Deus ipse aliquo modo tangat & torqueat eum, sed in tormento, vel vexatione tanquam in fornace exploratum iri, quantum Iobus in virtute ac solida religione profecerit. In *extende autem*, & *tange*, ego conditionalem particulam subaudio, in hunc sensum: si extenderis manum tuam, & tetigeris cuncta, quæ possidet, tunc experiere. & quod *autem* sit conditionalis aliquando, imo sæpenumero suppleatur, obuia docent exempla. Pauca ex multis accipe. ex hoc ipso libro *cap. IX, 7. Qui præcipit soli, & non oritur*, id est, si soli præceperit, ne oriatur, non orietur. Eandem particulam subaudit Genebrardus ad illud *Psalm. IV, 5. Irascimini, & nolite peccare*, id est, si irasci contingat, cauete a peccato. *Ioan. VII, 34. Quæretis me, & non inuenietis*, id est, si quæsieritis. *Amos. IX, 5.* in hoc ipso verbo optimum nobis præbet exemplum: & *Dominus Deus exercituum, qui tangit terram, & tabescet:* id est, si terram tetigerit, tabescet. Et adhuc magis accommodate *Psalm. CXLIII, 5. Tange montes, & fumigabunt*, id est, si tetigeris. in hanc ego sententiam explicui illud *Abacuc III, 17. Ficus non florebit, & non erit germen in vineis, mentietur opus oliuæ, & arua non afferent cibum. Abscindetur de ouili pecus, & non erit armentum in præsepibus. Ego autem in Domino gaudebo.* ist est, si ficus non floruerit, si vinea non germinauerit, si oliua, si agni opem meam fefellerint, si greges perierint: sat mihi erit ad omnem voluptatem, & gaudium spes in Deo Seruatore meo. Hic porro dicendi modus apud profanos est obuius. Sic enim sane Comicus: *Negat quis, nego; ait, aio:* id est, si negat, nego; si affirmat, affirmo. Simile item illud apud eundem: *Vocat, veniendum est; eiicit, abeundum.* id est, si vocat, non possum recusare, quin veniam; si eiicit, non possum non abire.

REGVLA. *Conditionales particulæ sæpe omissæ.*

pag. 33. a

77.

Egressusque est Satan a facie Domini.] id est, 78. ab eo concilio, cui præerat angelus, qui Domini sustinebat personam, quique inter filios, id est, inter seruos Dei primum in eo consessu tenebat locum. Egressus dicitur a facie Domini (vt dicit Albertus Magnus & ex eo Dionysius) quia illius potestas, quæ magna est, a Deo erat magna ex parte ligata: atque ideo esse dicitur coram Domino, licet numquam abesse possit ab illo, qui nusquam non est: accommodate ad hominum sensum & cogitationem, qui eum, qui ligatus est, ab alio tenetur, ne libere vagetur, alligatum illi esse meditantur: & cum abiisse videtur, solutum putant, & ab eo egressum, a quo captus tenebatur. Sic ergo egressus est a facie Domini, quomodo equus e carceribus, canis a columna, cui erat alligatus, incarceratus a vinculis. Vide quæ diximus *infra*.

Vix permissum Satanæ fuerat in Iobi opes atque familiam, vt vellet, grassaretur hostiliter; cum inflammatus inuidia & furore rabidus rem aggreditur ea festinatione atque ardore, vt momento temporis eam ediderit stragem, quæ non videbatur diebus paucis fieri potuisse. Exiit ergo a facie Domini, neque vllum præterea verbum expectare voluit, quia suo voto satis putabat esse concessum, cum speraret fore, vt impatiens doloris, & iacturæ tam amplæ atque splendidæ familiæ, illud proderet simulatæ sanctitatis compressum intus vitium, cuius illum apud Deum nuper accusauerat.

Vers. 13. *Cum autem quodam die filii & filiæ eius comederent, & biberent vinum.*] Vini ideo, 79. credo, meminit sacer historicus, vt ostenderet hilare esse & geniale conuiuium illud, quo primogenitus fratres suos, & sorores exceperat; vinum enim cor exhilarat. Est autem durior ille casus, quo quis repente ex fortuna summa ad infimam delabitur, ex summo gaudio ad summum & inopinatum angorem, ex vita denique felici & lauta ad repentinam & miseram mortem. Hoc modo amplificavit Maro Troiæ incendium & excidium lamenta-

mentabile, quod antecessit proxima ex liber-
pag. 33. b tatis opinione concepta ingens exultatio. Neque fuit admodum dissimilis casus Eupolis, quem cum noua nupta in ipso coniugali complexu prima nocte corruens domus oppressit. De quo Ouidius *in Ibim.*

Sit tibi coniugii nox prima nouissima vitæ,
Eupolis hoc periit, & noua nupta modo.

80. Vers. 14. 15. 16. 17. *Boues arabant, & asinæ pascebantur iuxta eos, & irruerunt Sabæi.*] Eodem, vt apparet, tempore ex variis conflata regionibus ac gentibus tempestas irruit. Quando eodem tempore de singularum interitu, seu prædatione nuntium accepit. Nam, vt constat ex textu, cum adhuc vnus loqueretur e nuntiis, ingrediebatur alius, atque alius continenter, qui dolentem hominem respirare non finerent: nec satis esset otii, vt ita se laboribus assuesceret, vt se ad alios subinde confirmaret, ad omnemque fortunæ vicissitudinem, siue ludibrium obduresceret. Venerunt autem nuntii non simul, licet simul videatur accepta plaga, (vltimam excipio, de qua postea) quia alii aliis distabant magis a Iobi domo: atque ideo necesse fuit, vt aliis alii citius aduenirent. Boues, & asinæ in eodem erant tractu, illi terram vomere vertentes, hæ proxime in pascuis, in quas e regione propinqua irruerunt Sabæi, qui abstulerunt omnia, & aratores, ac pastores omnes percusserunt, eo tantum a cæde superstite, qui durum illud nuntium ad dominum perferret. Cum hæc accepisset Iobus, alius statim seruus adfuit, qui ab igne cœlitus demisso tactas esse dixit oues, & ad vnum omnes fuisse consumptas. A quo etiam absumpti sunt, qui gregem curabant, eo tantum seruato, a quo de diro illo incendio doctus est. Non tamen omnino quid accidisset, nuncius ille retulerat, cum nuntius alius adfuit, a quo didicit, tres Chaldæorum cuneos in camelorum greges irrupisse, quos abstulerunt secum, percussis item seruis, quorum custodiæ ac curæ crediti fuerant; e quorum numero vnus fuit tantum reliquus, qui prædam clademque nuntiaret.

89. Vers. 18. 19. *Filiis tuis, & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum*, &c. *repente ventus vehemens irruit a regione deserti*, &c.] Si primo loco Iobus de filiorum morte nuncium accepisset, minus tulisset ægre aliorum iacturam, cum non tam sibi, quam filiis congregasset opes, quos rebus omnibus ornatos esse cuperet. Sed molestius ferret aut ab hoste sublata, aut ab igne consumpta fuisse reliqua, cum illis amissis inornatos esset relicturus filios, & sine rebus ad honestæ vitæ subsidia necessariis. Atque ideo vltimo loco filios oppressit; vt probat nuncius; qui omnium vltimus filios interiisse nunciauit. Quod ex loci distantia prouenire non potuit, cum domus esset, vt apparet verisimile, proxima in vrbe; alia vero maxime distantia, quia in agro locisque desertis.

Ventus iste a deserto irruisse traditur, ab 90.
illo nempe, cui nomen illud per antonomasiam datum est: quod & vocatur Auster, seu Pharam, a quibus graues solent excitari procellæ. Sic nos *in nostris Commentariis super Abacuc* explicabamus illud *c. III. v. 3. Deus ab Austro veniet, & sanctus de monte Pharam.* Quod probat illud *Isai. XXI, 1. Sicut turbines ab Africo veniunt, de deserto venit (nem-*
pe tempestas.) de terra horribili. Hoc ipsum pag. 34. a
docet Iobus infra *cap. IX, 9.* vbi cum Arcturo, Orione, & Hyadibus turbidis atque procellosis signis coniungit, *interiora Austri*, siue, vt Septuaginta transtulerunt, *promptuaria Austri.* Vnde nimirum tanquam e suis conceptaculis tempestates erumpunt, sicut de rupe Æolia fabulantur Poëtæ. Sic autem ibi Iob, *qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas, & interiora Austri.* & iuuat quod idem ait *cap. XXXVII, 9. ab interioribus* (nempe Austri) *orietur tempestas.* Puto autem tempestatem ab Austro sumi pro tempestate maxima: sed hic proprie ab Austro, id est, a deserto Pharam incubuisse tempestatem illam, quæ diruit domum, & absorbuit Iobi filios.

A deserto ventus vehemens, & tempestas.

Vers. 19. *Et concussit quatuor angulos do-* 91.
mus.] Difficile est statuere, quomodo ventus vnus quatuor angulos, qui totidem spectant mundi partes, conuellere ac disturbare potuerit, cuius nulla occurrit physica ratio, nisi dicamus, aliquid in illo Australi vento fuisse supra illius naturam: aut fuisse turbinem, qui seipsum magno circumagit & glomerat impetu; & totam circumambit domum: aut certe aliquem ibi intercessisse (permittente Deo) dæmonis operam, qui vehementissimum

Ventus vnus quomodo quatuor angulos concutere potest.

mum illum ventum perflantem a deserto circumduceret, & in quatuor domus angulos impingeret. Quod fieri posse ab Angelis docent Doctores Scholastici *in 1. p.* S. Thom. *q. 110. art. 2. & 3.* Vide Suarez *lib. 4. de Angelis capit. 27.* & S. Thom. *in hoc capit. lectione 3.*

92. *Venti, qui deiecerunt domum Iobi, dæmones crediti.* Quidam hos ventos esse dæmones putant, qui immixti ventis impressionem in angulos fecerunt vehementem. ita putat Origenes *lib. 1. in Iob.* *Quatuor* (inquit) *angulos*, id est, *quatuor partes tetigit: ob hoc, vt ostenderet ferocitatem & insaniam, & intemperantiam quoque, atque crudelitatem, cruentationem, atque animum suum homicidalem. Nam omnes nequissimi dæmones, vt relaxati sunt, & mox ut permissionem acceperunt, continuo omnes generaliter ab omnibus partibus super domum ipsam irruerunt festinantes, atque adversum inuicem rapientes, quis primus hanc iniquitatem acciperet, quis primus hoc homicidium perpetraret. Ob hoc ergo per quatuor partes irruerunt nequissimi dæmones tanquam leones de insidiis prorumpentes, ingentem vnusquisque eorum sibi reputans dolorem, si prior illo alter præcederet ad eius perditionem.* Hæc Origenes. Sed est verisimilior communiorque sententia, verum esse ventum, excitari tamen a dæmone, eoque modo atque impetu ab illo circumactum, vt in omnes incumberet angulos, illosque concuteret, atque disiiceret: aut certe glomeratum turbinis in modum, ita vt nulla esset pars domus, quam non verberaret, donec tandem sterneret totam vno impetu & casu.

93. Chrysostomus *homilia 1. de patientia Iobi:* & Origenes *lib. 1. in Iob*, dicunt, sic a ruina domus omnes Iobi filios contactatos fuisse, vt non potuerit vnus ab alio internosci. Vterque hanc stragem atque ruinam eleganter atque dolenter exprimit: & in hoc casu multis modis lamentabilem virtutem tanti athletæ admirabilem agnoscit. Qui, vt par est, domum adiit, vt ex ruinis collapsæ domus filiorum corpora, vt cum honore sepeliret, extraheret. Sed neque filiorum, neque hominum pene reliquias inuenit. *Circunfodit*, (inquit Chrysostomus) *& quæsiuit liberorum*
pag. 34. b *membra; inuenitque vinum, & sanguinem, panem, & manum, & pulverem. Et excipit quandoque quidem manum, quandoque pedem, quandoque caput cum pulverulenta materia, quam abstrahebat cum lapidibus, cum lignis: & quandoque quidem ventres; quandoque intestinorum partem: viscera cum materia confusa. Sedit autem celsior ille luctator dispersa liberorum membra legens, cavensque, ne forte masculinis membra fœminea coniungat.* In hunc modum plura Origenes. Quod hoc loco hi duo magni Doctores meditantur, accidit olim, vt ait *lib. 2. de orat.* Cicero: cum enim conclaue, vbi quidam epulabantur, cecidisset, ea ruina oppressos fuisse dicit inuitatos: quos cum humare vellent sui, neque possent obtritos internoscere, Simonides ex eo, quod meminisset, quo eorum loco quisque sedisset, eorum quemlibet demonstrasse. Quod ex eo tempore rhetores obseruarunt quasi præcipuum artificiosæ memoriæ documentum.

Hic nobis quærendum, an ista omnia, quæ rerum omnium, atque adeo filiorum stragem attulerunt Iobo, conflata fuerint a dæmone, an a Deo causisque naturalibus immissa. De hac re nihil habemus ex Scriptura certum. est tamen non leuis coniectura, a diabolo has tempestates fuisse commotas, ab illo inuectos esse Chaldæos & Sabæos, qui boues, asinas, & camelos abducerent: missum ignem de cœlo, qui oues tangeret & consumeret: excitatum ventum vehementissimum, atque ita vibratum temperatumque, vt ambiret domum, & quatuor angulos illius concuteret. Quod enim hæc & similia possit dæmon, nisi illius Deus reprimat potentiam, tenent communiter Scholastici, vt paulo ante dicebamus: laxatam porro esse dæmonis manum & solutam potentiam ante ligatam, quoad bona familiamque Iobi, & deinde quoad eius corpus, vna excepta vita, satis constat e textu. Id vero significatum esse in egressu Satanæ a facie Domini, docuit Albertus Magnus: *facies* (inquit) *Domini hoc loco vocatur præsentia diuinæ potestatis iniquam diaboli voluntatem prementis, id est, ab optatæ malitiæ actu impedientis. Sic egressus est Satan ab obligatione, seu coarctatione potestatis illius, vt non impeditus possit exercere suæ malitiam voluntatis.* Hoc idem tenuit Dionysius 94.

Dæmonis in rebus naturalibus magna potestas.

Quo sensu dicatur dæmon egressus a facie Dei.

nysius, & Hugo. Quare non longe post laxatam potestatem acciderunt omnia, quæ in hoc & sequenti capite commemorantur. Quia non diu differre voluit dæmon vexationem, quam iam diu contra Iobum moliebatur; sed cum primum potuit, totus in illum hostiliter incubuit. Hoc indicat Interpretum loquendi modus, qui hæc a dæmone comparata atque excitata dicunt. Sed de igne speciatim aperte Chrysostomus *tom. 1. homilia 1. de patientia Iobi.* vbi de aliis vexationibus hoc idem videtur sentire. quod item tenet Dionysius & Lyra. De ventis, quibus concussa est & subuersa domus, iam antea diximus.

95. *Lilith quid apud Chaldæos.* De Sabæis indicat Chaldæus Paraphrastes, qui ita vertit, pro eo, quod Vulgatus reddidit, *& irruerunt Sabæi, & venit repente Lilith Regina Zæmergan, & tulit eos.* Est autem לילית *Lilith*, vt putant quidam Hebræorum Magistri, *strix*, *lemures*, *furia*, *dæmon*; ii maxime, qui in syluis habitant, locisque desertis. Vide Eliam *in tisbi*, *in voce* לילית,
pag. 35. a & Pagninum *in voce* לילה de Chaldæis nihil habemus, quod ego viderim, ex autoribus. vox tamen כשדים *casdim*, quæ *Chaldæos* significat, idem etiam valet quod prædatores, imo & quod dæmones: vt docuit Hieronymus ad illud *Isai. XLIIX. vt auferret semen Chaldæorum.* Sane ita putat Origenes *lib. 1. in Iob*, cuius verba statim adducemus. imo, vt ex Origene refert Pineda *cap. 5. sect. 6. num. 1.* (apud quem tamen ego non inuenio) ipsi etiam vermes, qui Iobi arrodebant carnes, dæmones fuerunt, quorum vis erat ad nocendum maxima, & ad omnem dolorem acerbissima.

96. *Quæcumque vexarunt Iobum, aut doradi ripuerunt, dæmones existimantur, siu prædatores, & venti etiam.* Hæc omnia coniungit Origenes *lib. 1.* vbi Iobum cum dæmone in hunc modum loquentem inducit: *Ex te hæc, (o diabole) & non ex Deo: ex tua iniquitate, & non ex creatoris missione: de teipso hæc loqueris, infelix diabole. Tu videlicet es ventus ab eremo veniens: tu quatuor angulos domus tetigisti, atque filiorum internecionem fecisti: tu es, qui aliquando in hostes prædantes te transfigurasti: aliquando in ignem de cœlo cadentem: nonnunquam autem in tres turmas equitum: sicut & nunc in procellam venti quatuor angulos domus tangentem, & ipsam domum a fundamentis subvertentem & eos, qui intrinsecus erant interficientem*, &c. Neque ratio deest, aut certe grauis aliqua coniectura, quæ hæc suadeat. De vento iam diximus: qui si a sua tantum natura regeretur, non videbatur vno tempore atque impetu in quatuor simul angulos impingere potuisse. De reliquis illa communis & grauissima ratio: quia non videbantur causæ, quæ a natura, vt ventus, & ignis, & aliæ, quæ a ratione requiruntur, vt Sabæi, atque Chaldæi, sic esse attemperatæ, vt eodem die simul omnes in Iobi fortunas conspirarent, & alia omnia relinquerent intacta. At dices, 97.
ex Chaldæa & Saba excitatos a diabolo cuneos illos latrunculorum, qui Iobi greges auehérent, & seruos occiderent. quibus persuaserat, magnam in illis locis esse prædam, & magnum ex illa futurum esse lucrum. Sed si sequenti die, aut proximo (vt est communis opinio) hæc transacta sunt: quomodo vno aut altero die a facta dæmoni facultate conflatæ sunt copiæ, & longo spatio eo usque perductæ? Quod si adhuc vrgeas, dicasque, in illis Idumæorum finibus grassari tunc illas vtriusque nationis prædabundas cohortes, & facile a cacodæmone posse in illas regiones instigari. Respondeo, mirum nihilominus videri tum esse ad dæmonis votum paratos prædones, vt haberet ad manum: & cum impetum facerent in diuersos greges, emitti eodem tempore de cœlo ignem, & de deserto ventos excitari, qui quod attingere non potuerunt prædones, id omne perderent, & in vnum omnino Iobum coniurati sæuirent.

Hæc mihi superiora faciunt non prorsus in- 98.
credibilia: sicut neque vxorem Iobi inique contra maritum fuisse locutam; sed per illam dæmonem, (qua de re agemus postea suo loco.) Sed a magis communi sententia non recedo, & potius arbitror, hæc omnia conflata aut excitata a dæmone; imo & ab illo vim ad nocendum additam, quæ fecit, vt quæ venti & flamma non possent, illa facile, dæmone in illis cooperante, perficeret, & vis esset in vermibus ad rodendum acrior, & ad dolorem inferendum vehementior.

Explorandum item est, an nuncii, qui de 99.
pecudum armentorumque strage, & filiorum cæde Iobum docuerunt, homines fuerint, aut pag. 35. b
potius

Nuncii, qui dura Iobo retulerunt, dæmones existimantur.

potius dæmones. Chrysost. *hom. 1. de patientia Iob.* dæmones esse putat, quod negat Origenes *lib. 1. in Iobum.* Chrysostomum ex recentioribus nonnulli sequuntur. Olympiodorus non improbat: sequitur Stunica. Rationes habes apud Chrysostomum, & Stunicam, quæ non ita graues sunt, vt omnino conuincant, suadent tamen. Quia mirum est, vnum tantum, qui nunciaret, in communi prædatione ac cæde fuisse superstitem: & omnibus eadem pene data verba: & ita cursum temperasse, vt alius alii ita succederent, vt vnius oratio, alterius continenter orationem exciperet, ne daretur Iobo ex priore dolore respirandi locus. Et in quarto nuncio peculiaris inuenitur ratio: quia ille retulit, filios Iobi, cum ederent & biberent, oppressos esse subito ruina domus, quam ventus ab eremo perflans a quatuor angulis funditus euertit. *Vt discas,* (inquit Chrysostomus) *quod homo non erat, qui hoc Iobo narrabat, sed ipse diabolus hominis in speciem transformatus. Cum omni diligentia aduerte, quod dicit: filiis tuis, & filiabus vescentibus,* &c. *Vnde nouisti, dic mihi, o nuncie, quoniam ventus venit de deserto, & excussit quatuor angulos domus? Si homo es, & intra domum fueras, quomodo quæ extra facta sunt, videras?* Idem de hoc postremo nuncio videtur Origenes sentire; nam cum prius dixisset *lib. 1. in Iob. Non angeli fuerunt, vt quidam arbitrantur, neque & spiritales dæmones, sed homines quidam ex famulis Iob conseruati ab aduersario, atque succensi a diabolo, ad dicenda omnia atque facienda, per quæ possent Iobum subuertere ad Dei blasphemiam.* Sed *eodem lib.* paulo post indicat, diabolum esse, qui domus ruinam & filiorum mortem annunciauit. Sic autem cum hoc nuncio Iobum loquentem inducit: *Dicis, quod ab eremo veniens spiritus, hoc est, ventus, & tangens quatuor angulos domus deiecit eam, & filios meos interfecit: sed mentiris* (inquit) *o diabole, & me non irridebis.* & paulo post: *de te ipso loqueris, infelix diabole: tu videlicet es spiritus ab eremo veniens, tu quatuor angulos domus tetigisti.*

100. Plerique homines esse putant hos nuncios, & Iobi seruos: aut quia id docent expresse; aut quia ita loquuntur, vt de seruis videatur institutus sermo. Neque rationes, quas supra adduximus, vehementer premunt in oppositum. Quid enim impedit, quo minus, quando domus corruit, seruus ille exierit domo, viderítque discumbentes conuiuas comedentes, & bibentes vinum. Tunc autem videre potuit, quomodo cecidisset domus: & quia paulo antea comedentes videret, neque dubitaret, durare adhuc atque calere conuiuium, dicere vere potuit: Cum comederent, & biberent; quod idem est atque cum assiderent mensæ, domum repente corruisse. Alia omnia præstare potuere nuncii, etsi homines essent eo modo, quo mox explicabimus.

Ego primum communem amplector sententiam, & homines esse arbitror Iobi seruos: & quarto loco seruum primogeniti filii, aut aliorum, qui socialem operam epulis darent. Illos tamen arbitror exagitatos a dæmone ad illum modum, quo agitari solent energumeni, & magno impetu adductos ab obsidente aut assistente dæmone: & ita attemperatum cursum, vt eo ordine, quo accidissent omnia, Domino suo narrarent, qui maiorem videretur allaturus dolorem, & deiecturus eum a perpetua vitæ constantia: ac tandem adducturus ad verba blasphemiæ. Primum narrant externa bonorum facultatumque naufragia, abacta seu occisa pecora cum seruis, qui rem curabant pecuariam & rusticam: deinde filiorum mortem. Eo enim tempore grauior existimari poterat illa iactura, viuis adhuc filiis, quorum causa plerumque bona comparantur a patribus: doleret enim tunc filiorum inopiam, quos illa maxime plaga perculerat. Post auditam filiorum stragem minus haberet acerbitatis, aut fortasse nihil, cum prior plaga sensum illi doloris abstulisset, inducto sensuum stupore, aut in priorem plagam, eamque omnium acerbissimam absorpta cogitatione. 101.

Verisimilius est, nuncios fuisse homines, exagitatos tamen, aut instructos a dæmone.

pag. 36. a

Mirum dæmonis artificium ad vexationem Iobi.

Deinde cum a primo nuncio didicisset Iobus, arantes boues, & rusticos seruos, aut ablatos, aut occisos, & spem futuræ messis, aut omnino, aut magna ex parte sublatam videri, suspicari potuit, Deum ipsius commoditatis abiecisse curam: neque ab illo quicquam in posterum sperare oportere, cum iam 102.

inter-

interruptum esset vallum, quod Dominus ipsius agris & bonis stabile prætenderat, ne cui ad prædam, seu conculcationem paterent. Quod norat Satan, cum dixit supra: *nonne tu vallasti eum, ac domum eius, vniuersamque substantiam per circuitum?* Deinde cum dixit, lapsum de cœlo ignem, & ab illo ouium greges esse consumptos, & ventos excitatos, & ab illis conuulsam a fundamentis domum, & obrutos filios: id omnino significare studet, Deum non solum non curare amplius, aut custodire bona tanquam tutorem & patrem ab hostili manu, sed etiam mutasse animum eo vsque beneuolum, & spiritus imbibisse hostiles, & quod vis nulla potuisset præstare humana, in ipsius damnum & exitium creaturas armasse; quibus neque mens esset, aut sensus, qualis fuit ignis e cœlo, aut ventus e deserto: quibus vnus Deus videbatur imperare potuisse.

103. Hæc porro continenter Iobo nunciata sunt, vt simul coniuncta nullo interiecto spatio grauiorem haberent petitionem: neque spatium darent respirandi, seipsum colligendi, vt diuinam recognosceret manum, quam prius liberalem fuerat expertus: & meditaretur quod iam pridem assidue versabat in animo, non esse recusandum, ab illius manu esse iucunde accipienda mala, a qua iamdudum accepisset bona. Et cum ad extremum illud aduenisset fulmen de filiorum repentina cæde, sui iam impos neque vlla meditatione repressus linguam in Deum exerceret blasphemam & impiam, quod cupiebat dæmon: vt homo, in quo sibi Deus tantopere placuerat, minus appareret fidelis, dura illa tentatione probatus. Hoc plane diabolicum artificium fuit, qui eo tempore nuncios mitti simul aut adesse curauit, & illis verbis instruxit, quibus vires acciperet illa tentatio. Ita pene omnes Interpretes, S. Thomas, S. Gregorius, Chrysostomus, Origenes, & e recentioribus plerique.

104. Vers. 20. *Tunc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua.*] Audierat Iobus, direptas facultates & opes; & tamen nullum dederat perturbationis aut doloris signum, quia illa omnia aliena putabat, & fortunæ, iniuriisque tam temporum, quam hominum obnoxia. Cum autem filios periisse audiuit, præstare illorum funeri voluit, quod consuetudo & charitas exigebat a patre, ne pietati defuisse videretur & legi, & suo exemplo non probare, quod tot sæculorum consuetudo firmauerat. Quare cum ad hunc vsque articulum sedisset immobilis, pag. 36. b tunc sui omnino compos prudensque id fecit, quod si omisisset, in omnium gentium reprehensionem incurreret. Neque externa illa signa, doloris acerbitas, aut impotentia animi, sed mos multis iam sæculis inueteratus expressit. Quod autem in dolore scindantur vestes, & quæ deinde fecisse Iobus dicitur, docent tam sacra, quam profana monumenta, vt nos pluribus ostendimus *in nostris Commentariis in Ioelem*, ad illud *c. II, 13. Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Scidit Iacob vestimenta sua *Gen. XXXVII, 34.* cum Iosephum filium a bestia laceratum audiret. Scidit Dauid in funere Saulis, *2 Reg.* 105.
I, 11. & iterum in funere Abner, *cap. III, 31.* iussit, vt omnes vestimenta scinderent: quod & fecerunt Ezechiæ legati *4. Reg. XIIX, 37.* & ipse Ezechias *c. XIX, 1.* cum audissent, quam impie contra Deum loquerentur Assyrii, & quam grande Hierosolymæ immineret excidium, quod esse vsitatum & quasi legitimum in luctu, docuit locus nuper citatus ex Ioele, & Ieremias *c. XXXVI, 24.* vbi miratur, combusto ac lacerato libro regis a Ioacim, neque timuisse, neque discidisse vestimenta, qui tunc aderant, quasi id ferret illius populi consuetudo. Neque id vni Hebræorum populo proprium fuit, sed commune cum aliis. Probat hoc Achab *3. Reg. XXI, 27.* qui in vitæ religionisque modo non procul aberat a gentibus. & Iobus, qui (vt vidimus) gentilis erat, ex Idumæorum genere, & imitatus creditur suæ gentis mores in suorum funere. Hoc fecisse Lacedæmonios, re a Mardonio infeliciter gesta, autor est Herodotus *l. 1.* item Sabinos, Liuius *l. 1.* Ex hac consuetudine Virgilius in summo dolore ac desperatione Latinum regem inducit diuisa veste lugentem vxoris deforme suspendium, *lib. 12. Æneidos.*

Iobo qualis luctus in filiorum funere.

Vestes in funere & dolore conscindi solitæ.

It scissa veste Latinus
Coniugis attonitus fatis, vrbisque ruina.

Et illius item vxorem in simili dolore hoc idem fecisse docet:

Purpu-

Purpureos moritura manus discindit amictus.

Hæc puto, ratio Iobum adduxit, vt propria sibi manu vestimenta concerperet, sicut etiam vt tonderet caput, & in terram se & sordes abiiceret, licet in eo consilio nonnihil vis acerbissimi doloris effecerit.

106. *Apud Hebræos in dolore graui caput tonderi solitum, aut capilli euelli.*

Et tonso capite corruens in terram adorauit.] Hoc quoque vsitatum in dolore graui, aut tondere sedato animo comas, aut impotenti atque furioso lacerare; ita vt nudum ostendatur caput a capillis; quos totondit consuetudo: aut euulsit, seu lacerauit dolori admixtus furor. Dilacerari in dolore, nec sine dolore pilos, siue ex barba, siue ex capite, exempla docent apud sacros profanosque non pauca. Quæ nos adduximus ad illud *Michææ I, 16. decaluare, & tondere super viros delitiarum tuarum.* De sacris est illud *Esther. XIV, 2. omnia loca, in quibus antea lætari consueuerat, crinium laceratione compleuit.* idem fecit *Esdras l.1.c.IX,v.3.* cum populum suum audiisset cum gentili populo miscuisse connubia. *Cum audiissem* (inquit) *sermonem istum, scidi pallium meum & tunicam, & euelli capillos capitis mei & barbæ.* & multis locis in graui dolore ac metu, caluitii, seu decaluationis nomen audimus: vt *Amos IIX,10. Isai. XV,2. Ierem. VII, 29.* Ex quo constat, quam sint hæc apud Hebræos familiaria.

107. *Item apud Gentiles.*

Quod hanc legem vel consuetudinem externi quoque populi coluerint, multi docent. De Persis probat Quintus Curtius *l.3.* vbi fœmi- pag. 37. næ, quæ Darii Regis vxori iam captiuæ aderant, his rebus sui doloris dederunt documenta: *Ingens* (inquit) *circa eam nobilium fœminarum turba constiterat laceratis crinibus, abscissaque veste pristini decoris memores.* id quoque Phrygibus atque Italis fuisse vsitatum, indicat Virgilius. De Italis in Lauinia *l. 12.* vbi dirum matris suspendium luget:

Filia prima manu flauos Lauinia crines,
Et roseas lacerata genas.

De Phrygibus in Euriali matre *l. 9.*

Euolat infelix, & fœmineo vlulatu,
Scissa comam.

De Græcis Hom. qui in dolore Agamemnonem vellentem inducit capillos *l. 1. Iliad.* & Cicero *l.3. Tusculanarum Quæst. Sunt* (inquit) *varia & detestabilia genera lugendi, pædores, muliebres lacerationes genarum, pectoris, fœminum, capitis percussiones. Hinc ille Agamemnon Homericus, & idem Accianus.*

Scindens dolore identidem intonsam comam.

Sed est alius modus nudandi capitis a suo naturali vestitu, non a furore & impotentia; sed a pietate & officio, qui non tam expectat cruciatum, aut cum cruciatu fit, quam consuetudinem. Qui non vnguibus fit, sed sedate, aut cum tondetur forfice, aut cum tonsoriis cultris ad cutim vsque raditur. Et hoc modo posteriori arbitror resecuisse sibi comam Iobum, sedato quidem animo, licet non sine dolore graui de filiorum interitu concepto, obsecutus patriæ potius consuetudini, quam dolori suo, quem de diuina prouidentia altior quædam cogitatio moderabatur. Quod autem hoc esset in suorum funere Idumæis familiare, ex eo fit verisimile, quia Deus *Leuit. XIX, 28. & Deut. XIV, 1.* iubet populo suo (vt ab aliis, opinor, secernat) *ne sibi super mortuos caluitium faciat*, id est, ne tondeat comam. Quasi dicat, populi alii, qui diis alienis supplicant, in suorum funere comam sibi attondent; vos autem, quos ego mihi in populum elegi, aliud erga mortuos pietatis officium exhibete. Loquebatur autem, (vt ego suspicor) de vicinis populis, quorum Hebræi mores, & superstitiones quotidie intuebantur, ne ab illis peregrinas contraherent sordes. Nam de aliis, qui longius aberant, non videbatur tantopere esse metuendum. De his igitur ait Dominus *Deut. XIV, 1. & Leuit. XIX, 28. Filii estote Domini Dei vestri: non vos incidetis, neque facietis caluitium super mortuos, quoniam populus sanctus es Domino tuo.* Si ergo id Idumæorum ferebat consuetudo, qui fines attingebant Israeliticos, ex quibus ortus Iobus: non est improbabile eorum potius consuetudini, quam suo dolori parere voluisse. Quod vero gentes detonsam sibi comam, aut eodem quo mortuorum cadauera sepulchro condiderint, aut in eandem coniecerint pyram, in qua mortuorum cremabantur corpora, diximus super *Ieremiam c. XVI.* Exempla habes plurima apud *Alexandrum Neapolitanum lib.3. cap.7.*

108. *Totondit comam Iobus & scidit vestes non tam vi doloris, quam ratione & consuetudine adductus.*

Corruens in terram adorauit, & dixit.] 109. *Iobus quo-*

Non

modo se ad certamen & tentationem parat. Non deiecit Iobum doloris magnitudo, sed ipse vltro se, vt adoraret Deum, in terram abiecit. Et quemadmodum, quia Deo placere vidit, vt ipse vitam ageret inopem, abiectam & ægram, Deum ipsum adiuuit, dum vestimenta discindit, & manet nudus, dum comam detondet, & manet sordidus, dum testa saniem radit, vt dolorem augeat, ita vltro seipsum abiicit in terram, & paulo post cubat in sterquilinio, vt magis videatur despicabilis. Est autem ad mores grauis Origenis illa cogitatio,
pag. 37. b quæ *lib. 1. in Iob* spirituali athletæ præclara proponit exempla: vt se ad dura spiritualis pugnæ discrimina comparet, siue vt cum Deo congrediatur legitime, aut cum hoste communi constanter & vtiliter. Et primum obseruat, cum bellum instaret, quod iam odorabatur non futurum sine sanguine, statim surrexisse. Qui status constantiam indicat & alacritatem ad pugnam. Neque enim, qui iacet aut sedet, conniti viribus potest, aut se ad firmitatem intendere, vt vtiliter inferre possit aut declinare vulnus. Sic, inquit, cum surgeret, secum meditabatur Iob: *Nunc belli tempus, nunc approbatio, nunc victoriæ acceptio, nunc coronarum compositio, nunc retributionis expectatio.* Quam ad rem, vt commodius pugnaret, vestimenta conscindit, & se antagonistæ suo nudum opposuit, vt cum nudo pugnaret, ne hac in parte congrederetur inferior, & impeditus cum expedito certans indecore succumberet. *Ob hoc* (inquit) *conscidit, vt expeditior atque constantior extitisset in prælio, vt illa, quæ retardant, deponeret, & illa, quæ impediunt, a se proiiceret. Nam & vere talis est mos in aliquibus gentibus, vt cum ad durum prælium venerint, tunc nimirum scindentes vestimenta sua cum furore atque indignatione current contra aduersarios intemperanter nudo pectore cum fiducia se offerentes, vt est Syrorum gens. item vero aliæ barbaræ gentes*
110. *spoliantes se*, &c. Aut etiam fecit Iob, quod illi solent, qui cum certo sciant in pugna maxime nauali futurum esse superiorem aduersarium, si qua fuerint ornamenta aut commoda, quæ ventura timent in hostiles manus, illa aut in mare proiiciunt, aut incendio tradunt, aut alio quouis disperdunt modo: ne saltem in illis victorem hostem cum ignominia graui triumphare videant. Atque ideo vestimenta conscidit, ne integra possideret hostis, & dum integras vestes retinere vult, & illas perdat, & cum illis dignitatem & animam. Quam ad rem similitudinem commodam adducit ex illius temporis consuetudine, illorum, qui in sepulturam inferri se iubent cum pretiosa veste, discissa tamen, & ad alios vsus inutili, ne forte, quod sæpe contigisse scimus, latrones pretiosarum vestium cupiditate capti, dum illas captant, corpus effodiant, proiectumque foras ignominiose putrescat. Mortuum se considerabat Iobus, neque ad se pertinere putabat quicquid habuit prius, neque quod adhuc reliquum erat e naufragio: atque ideo illud conscindit, ne quid habeat, quod sibi ex defuncti bonis vendicet diabolus, & in quo quasi hæres aut prædator exultet. Quod præclarum documentum est his, qui pro mortis articulo sibi ac suis bonis sapienter consultum esse volunt, vt nihil relinquant; in quod auidas atque rapaces manus diabolus iniiciat. Sic autem Iobum cum diabolo loquentem inducit: *O maligni & iniqui aduersarii, mortuum me existimatis: anticipo in pretiosam meam sepulturam conscindere pretiosas atque regales meas vestes, vt ne post mortem gaudeatis eas possidentes.*

Hoc eodem artificio, aut luctandi genere vsus videre potuit contra Deum, quod non tam contra Deum, quam cum Deo contra seipsum pugnare visus est. Considerauit enim, quod in illo duro certamine Deo propositum esset, & quid illud certaminis exordium aut minaretur, aut promitteret: atque ideo, vt propugnatorem ac patronum haberet, quem seuerum & grauem experiri cœperat, in seipsum quasi in infestissimum hostem arma sumit, & auxiliares Deo manus præbet. Videbat Iobus, aut meditari poterat placere Deo, vt ipse nudus esset ab omnibus aut vitæ subsidiis, aut dignitatis ornamentis. Atque ideo quicquid reliquum habebat a naufragio, prudens libensque proiicit, siue vt cum Deo faceret, a quo spoliari se putabat, siue ne quid retineret eorum, quæ, quia diabolus non abstulit, a diabolo concessa poterant videri. quomodo latro his existimatur dedisse vitam, quibus III. *Quomodo viriliter cum Deo pugnandum contra nos.* pag. 38. a

quibus non abſtulit. Ita *hoc loco* Origenes, qui Iobum cum diabolo loquentem inducit: *Ecce o maligni, peculium conſumpſiſtis, filios perdidiſtis, ſubſtantiam diripuiſtis, nec quicquam aliud niſi ſolum corpus, atque hanc veſtem mihi reliquiſtis. Tollite,* (inquit) *& hanc veſtem, proiicio etiam hanc vobis. Nihil apud me remaneat ex his, quæ in poteſtatem nequitiæ veſtræ data ſunt: Non ſit mihi ex vobis hoc beneficium, oleo peccatorum non ungetur caput meum.*

112. Videbat præterea, aut ex initio pugnæ coniectare poterat, vt in omnia bona atque familiam ſæuitum fuerat, ſic quoque in corpus ſuum iri ſæuitum; & quia plagas expectabat & vulnera, non tegit corpus, ſed potius nudat & diſponit ad plagam. Et facit ipſe prius, quod faceret lictor, qui veſtes detrahit, & reum conſtringit, ne & ſi velit, poſſit repugnare, aut detinere plagam. Sic autem Iobus iam nudus dixiſſe videtur Deo id, quod dixiſſe Diabolo meditatur Origenes: *Ecce* (inquit) *& ipſum corpus nudum, detectum parati ad pœnæ ſupportationem, ad dolorum tolerantiam: torque, contunde, verbera.*

113. Videbat ſtrenuus hic & ſapiens athleta, ſublatis ornamentis omnibus lautæ ac regiæ domus, ſibi in poſterum ignominiam parari; vsque adeo illam non horret, quia id a Domino prouenire meditatur, vt ipſe præterea vltro aliquid ad ignominiam addat. Neque enim tantum paſſus, vt e regio capite regium detraheret inſigne; quodcunque illud eſſet ab hominum ambitione excogitatum: ſed & naturale detraxit ornamentum, detonſa coma: qua humanum caput ad honorem & venuſtatem natura veſtiuit: Notum eſt illud:

Turpe pecus mutilum, turpis ſine gramine campus:
Et ſine fronde frutex, & ſine crine caput.

Eodem conſilio (vt ſuo dicemus loco) e regia exceſſit domo, & in deſerto loco in ſterquilinio ſibi hoſpitium elegit, & ad dolorem, quem ſibi morborum afferebat vis dira & multiplex, addebat non parum, dum teſtarum fragmentis ex viſceribus ſaniem & vermes detergebat.

114. *Corruens in terram adorauit.*] Non cecidit exanimatus Iobus, quaſi ſubitum illud fulmen mentem ademiſſet & ſenſum, aut vim doloris ſuſtinere non poſſet: ſed vt Dominum agnoſceret illum, a quo eſſet tam graui vulnere percuſſus: & illum ſupplex adoraret, a quo illorum bonorum aliquandiu accepiſſet vſuram, & a cuius bonitate, quod adhuc viueret & ſpiraret, haberet. Qua in re deluſit prorſus ſpectationem Satanæ, qui id cupiebat maxime, moliebaturque, vt malis ſubinde ingeminatis, illum ad impia verba & blaſphemiam impelleret.

Verſ. 21. *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.*] Nihil putabat Iobus earum rerum, quas turbo, flamma & prædonum violentia ſuſtulerat, eſſe ſuum. Atque ideo in eo naufragio nihil ſibi periiſſe meditabatur. Illud putabat eſſe ſuum, quod, quocumque pergeret, ferebat ſecum; quod nimirum naſcens extulit in lucem; reliqua omnia reputabat aliena: atque ideo inferri ſibi iniuriam non putabat, ſi talis tunc eſſet, qualem illum principio natura produxiſſet. Deinde conſiderabat magnus hic Philoſophus, ſibi neceſſario illa eſſe relinquenda, quæ tunc eſſent ablata. Et ideo ſapienter ratiocinabatur, illa ſua non eſſe, quando neque ipſe ſecum attulit naſcens, neque, ſi maxime vellet, conſeruare potuit. Quocirca, cum ortum conſideraret & obitum, id eſt, principium & finem, ad hæc extrema, quod erat, ætatis medium attemperabat, conformabatque: neque ab his quicquam inſtitutam viuendi formam deflectebat: unde fiebat, vt rectam ageret & ſimplicem, non tortuoſam & vanam. quemadmodum ab vno puncto in aliud recta ducitur linea, niſi ſe curuata in latera diſtorqueat. Et ideo in Iobum optime conuenit elogium illud in principio poſitum: *ſimplex & rectus, & timens Deum, & recedens a malo.* De hac Iobi philoſophia dicemus plura ad illud *cap. III, 25. Timor, quem timebam, euenit mihi.* 115.

Illud noſtrum eſt, quod nobiſcum ſemper erit, reliqua aliena.

pag. 38. b

Ille rectus, qui extrema cum primis coniungit.

116. Quod ad litteram attinet, obſcurum eſt, quænam ſit illa mater, de cuius vtero Iobus nudus egreſſus eſt: neque enim videtur eſſe illa, quæ proprie dicitur mater: illa nempe, in cuius viſceribus parentis opera conceptus eſt, nam illuc reuerſurus eſſe dicitur, vnde egreſſus eſt: at in matris vterum reuerti non potuit. Quare de hac re varie ſentiunt & loquuntur

Terra mater dicitur.

Inter-

Interpretes. Quidam terram esse putant, quæ communis est mater, & varia illi matris nomina accommodant: & primum vocari matrem, quidquid aliquid producit & sustinet, obscurum non est. Stirps & radix plantæ mater vocatur a Marone *lib. 12.*

Cum semel in syluis imo de stirpe recisum
Matre caret.

Quo loquendi modo vtitur Plinius *l. 12. c. 5.* quo & nomine vocatur terra, ex qua multiplex funditur plantarum species: idem *lib. 11.*

Qualem virgineo demessum pollice florem,
Cui neque fulgor adhuc, nec dum sua forma recessit,
Non iam mater alit tellus viresque ministrat.

117. Et sicut terra mater plantarum dicitur, quia illos in suo concipit gremio, suo sustentat succo: sic & mater appellatur omnium animantium. Sic sane Apuleius *de mundo: Genetrix atque altrix animantium omnium tellus.* Plinius *libr. 2. capit. 6.* sic de terra: *Cui vni rerum naturæ partum eximia propter merita cognomen indidimus maternæ venerationis. Sic hominum illa, vt cœlum Dei, quæ nos nascentes excipit, natos alit, semelque editos sustinet semper: nouissime complexa gremio iam a reliqua natura abdicatos, tunc maxime, vt mater operiens:* Hæc & hominum dicitur mater a Varrone *ex Epicharmo: Ista terra gentes omnes peperit, & resumit denuo.* A quo dicendi modo Scriptura non abhorret. *Ecclesiast. XL, 1. Iugum graue super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium.* De hac matre locum istum accipit Chrysostomus. *Cuius* (inquit) *vteri meminit? nempe primi illius opificii, suæque e terra coagmentationis primi parentis opificium imitantis. Nudus e terra diuino munere conformatus sum, minime fucatus, nulla re superuacanea oneratus, ac prope dixerim a materiæ concretione secretus. ergo nudus quoque reuertar*

pag. 39. a *illuc. Quo? nempe ad locum plangore liberum. Si enim ad eum vterum, qui in promptu est, cogitationem traduxeris, crederisque maternam aluum, vnde extitisti, tibi rursus subeundam esse, rationis decorum atque verborum apta consecutio perierit.* Hanc sententiam probat S. Thom. *hic,* & dixit Iob, *Nudus egressus sum de vtero matris meæ* (scilicet terræ, quæ est communis mater omnium) *& nudus reuertar illuc* (id est, in terram) idem putat Eugubinus.

Ego primum hanc cogitationem non improbo: & puto, Iobum de terra omnium parente atque altrice locutum esse: Eo sensu, quo terram nostram, & matrem appellamus regionem illam, in qua parentes nostri nati sunt: licet plurimæ intersint generationes, quæ a regione illa procul abierunt, neque nouerunt vnquam. Sic qui e Cantabria oriundi longa auorum serie extra Cantabriam vixerint, patriam tamen suam & matrem Cantabriam appellant. Et quidem ex hac consuetudine, vt refert Liuius *l. 1.* pythium oraculum respondit, illum summum Romæ habiturum imperium, qui omnium primum matrem oscularetur. Quod cum Brutus homo cautus & prudens intellexisset, osculatus est terram, & adeptus imperium. Matrem Troianorum appellauit Virgilius regionem illam, quæ multis antea sæculis Troianorum sanguinis parentem tulerat. Quæ & seram posteritatem genuisse traditur, quia parentem genuit. de quibus Maro *libro 3 Æneid.* 118. *Terra mater hominum, quia ex illa formatus Adam.* *Mater dicitur terra illorum, qui in ea nati sunt.*

Dardanidæ duri, quæ vos a stirpe parentum
Prima tulit tellus, eadem vos vbera læto
Accipiat reduces: antiquam exquirite matrem.

Neque nouum est aut inusitatum, vt posteris, quantuncumque a maiorum suorum sæculo distantibus, quæ maiorum sunt gesta, tribuantur, vt si quis Iudæos hoc tempore præsentes laudaret aut reprehenderet, optime diceret: vos rubrum mare sicco vestigio traiecistis, cœlesti cibo pasti, & fonte de silice fluenti potati, Cananæis eiectis terram, lacte melleque manantem, habitastis; & tamen ad idolorum cultum animum adiecistis. Cum tamen qui talia de se audiunt, nihil horum fecerint, tentauerintque. Tale est illud *Oseæ XIII, 5.* cum ageret cum sui temporis hominibus. *Ego* (ait) *Deus cognoui te in deserto, in terra solitudinis.* & *Mich. VI, 3. 4. Popule meus, quid feci tibi? aut quid molestus fui tibi? responde mihi. Quia eduxi te de terra Ægypti, & de domo seruientium liberaui te,* &c. Sed hi, quibus tunc per Oseam loquebatur Deus, neque in deserto fuerunt, neque in Ægypto commorati sunt. 119. *Quæ fecerunt patres, filiis attributa.*

Cum

120. Cum ergo Adam, a quo ortum se Iobus cognouerat, terram haberet matrem: eandem sibi matrem communi gentium more meditabatur. Et sicut Adam in terra formatus, & quasi in terræ vtero conceptus, nudus emersit: & in terræ gremium, cum e viuis excessit, nudus reuersus est; sic Iobus, qui parentis sui suam sibi conditionem esse cogitabat, ex vtero terræ natum se esse dicit, nudum & inopem: neque magis ornatum in sepulturam, quæ vteri similitudinem & nomen habet, reuersurum.

121. *Terra natus, aut terræ filius pro ignobili ac sordido.* Et fortasse hoc loquendi modo vilem se Iobus sordidumque considerat, quasi non aliud sibi genus aut alios agnoscat natales, quam puluerem, argillam, & lutum: quod, vt res est vilissima, sic ad rerum vilissimarum amplificationem adhiberi solet. Est autem tam in sacra, quam in profana Scriptura vsitatum, pag. 39. b vt qui ignobiles censentur, aut sordidi, illi aut terra nati, aut terræ filii per conuitium dicantur: idque prouerbiali specie. De profanis exempla habes plurima apud Adagiographum *in prouerbio*, *terræ filius.* De sacris est illud *Psalm. XLIIX, 3. Quique terrigenæ, & filii hominum, simul in vnum diues & pauper.* Vbi communi Interpretum consensu terrigenæ homines sunt ignobiles, sordidi, nulla generis nobilitate commendati. Vbi Vulgatus *terrigenæ*, Hebr. est, בני אדם *bene Adam.* quod idem ferme est, atque filii terræ, quia Adam terrenum aliquid sonat. Hæc pro Chrysostomi, S. Thomæ, Eugubinique sententia, quam e recentioribus aliqui non improbant.

122. Ego primo loco illam matrem intelligo, quæ proprie vocatur mater; quæ Iobum concepit, decemque menses gestauit in vtero, lactauit infantem, & gestauit in vlnis. Neque, meo iudicio, quicquam incommodat, quod illuc reuersurus esse dicatur. Nam hic modus, licet valde videatur implexus, solutiones tamen habet non difficiles. Prima est, priori loco matrem proprie sumi, posteriori metaphorice. Neque nouum est, vt nomen proprium cum figurato eodem filo, atque eadem oratione coniungatur, vt si dicas, *presbyterum non esse presbyterum*, ita vt altero loco sacerdotem, in altero senem intelligas, & similia, aut potius eodem exemplo de puero, qui simul atque natus est, obiit, legisse memini, *de tumulo fuisse ad tumulum translatum.* Vbi secundo loco tumulus proprie, priori figurate pro vtero vsurpatur. Neque durus videatur sermo, si de eodem infante quis diceret, *e matris gremio ad matris*, id est, ad terræ sinum fuisse traductum. Neque fortasse aliud sibi voluit Iobus, quam quod *Eccles. V, 14. Sicut egressus est nudus de vtero matris suæ, sic reuertetur, & nihil auferet secum de labore suo.* & *Eccles. XL, 1. Iugum graue super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum vsque in diem sepulturæ.* Quod item dixit Paulus *1. Timoth. VI, 7. Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quin neque auferre quid possimus.* Et huc conspirant Interpretum & Patrum plerique. Quæ explicatio neque aliena videtur, neque a textu distorta.

123. REGVLA *Relatio semper sit non ad expressa verba, sed ad cogitationes.* Aliter posset expediri nodus, si quod in Scriptura sacra frequens est, *illuc*, referri dicamus non ad aliquid, quod prolatum voce, aut notatum est in Scriptura; sed ad id, quod secum aliquis cogitatione versat. Vnde sæpe contingit, vt relatiuum sine vllo antecedenti ponatur: quia aliquid in[illegible]etur non expressum, sed in animo reconditum. Exemplis abundamus: *Psalm. LXXXVI, 1. Fundamentum eius in montibus sanctis*, scilicet Hierosolymæ, quam amabat, & tunc animo contemplabatur Dauid. Et *Psalm. CXIII, 2. Facta est Iudæa sanctificatio eius*, id est, Dei. *Thren. III, 1. Ego vir videns paupertatem meam, in virga indignationis eius*, id est, Dei, cuius horrebat iram. Et clarius *Ioan. XX, 15.* Magdalena, *Domine, si tu sustulisti eum*, id est, Christum, de quo nullum verbum antea cum hortulano existimato: quia in Christo erat tota, neque de alio nisi de Christo cogitabat. Sic fortasse Iobus ad illud retulit relatiuum *illuc*; quod ipse tunc tacitus in animo versabat. Aut enim cogitabat de Deo, a quo illatam plagam illam meditabatur, aut de terra, in quam se resolutum iri cogitabat: aut in sepulchrum breuiter inferendum: maxime cum iam sese in terram abiecisset; imo & amplexus teneret. Quare sensus esse potuit: pag. 40. a Nudus egressus sum de vtero matris, & nu-

dus reuertar ad Deum. Quod summi beneficii loco pono, cum nihil iam habeam in terra, cui adhærescat animus, aut quod retardet cursum, ad Deum incitatum. Neque hanc plagam videtur tulisse grauiter, qui infra *capit. XIX, 26.* dicebat, *& rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum*, &c. *Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Nyssenus *oratione de quadraginta Martyribus*, & Clemens *in catena* ad hunc locum: *Nudus* (inquit) *reuertar illuc, nimirum ad Deum: ad illum, inquam, beatum finem, & requietem.* Quasi diceret, si nudus reuersurus ad Deum, neque ex terra quicquam ad illum allaturus sum, cur doleam, si illis rebus spolier, quas necessario relicturus sum, neque cum ad Deum venero, illis indigebo?

124\. REGVLA. *Aduerbia localia non solum locum, sed tempus, personam, & accidentia significant.*

Aliter item explicari potest: sed antequam ad explicationem accedo, obseruo, aduerbia localia non solum connotare locum, sed etiam tempus, personam, statum & conditionem, quomodo dicimus: *Huc causa deducta est*, id est, ad hanc conditionem, seu statum. *Eo miseri peruenimus*, id est, ad illam calamitatem. *Pauperes nati sumus, & primum parce & anguste nutriti; illuc tandem post varias rerum vicissitudines reuersi sumus*; id est, ad paupertatem & rerum angustias. Quare sine vlla vi referri potest aduerbium *illuc* ad priorem statum: ita vt sit sensus, ad nuditatem illam reuertar, quam primum nascens in mundum intuli. ita S. Thomas *in secunda explicatione: Potest* (inquit) *& aliter intelligi, vt quod dicitur de vtero matris meæ, accipiatur ad litteram de vtero mulieris, quæ genuit eum: quod autem dicitur, nudus reuertar illuc, intelligitur, in illum statum, quem habuit in vtero matris.* Et quidem qui statum, quem in maternis visceribus habuit, meditatus fuerit attentius, si quid in externis commodis aduersum accideret, facile suum dolorem consolari poterit, cum illis, antequam videret lucem, caruerit, neque conditionem habere possit angustam magis & infelicem, quam habuit, cum lateret in materno claustro, quasi in ergastulo ac tenebris. de statu atque habitu in vtero, diximus *in nostris Commentariis* ad illud *3. Reg. XIIX, 42.* de Elia, *posuit faciem suam inter genua sua.*

Ex his explicationibus postrema placet magis, & attemperate ad eam subditur:

Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est.] Considerarat 125.
Iobus, aliena esse, quæcumque habuisset antea, & nunc omnia fuerunt repente sublata. Quod ex eo collegerat, quia neque a principio habuit, cum nudus esset susceptus in lucem; & licet omnis vis abesset & iniuria, nudus tamen esset abiturus a luce. Et ideo quicquid habuit, diuinæ liberalitati referebat acceptum, quodque illud idem a Domino fuisset ablatum, non putabat iniuriam. Quare sapienter dicit: Si Deo placuit, illa prius humana commoda largiri gratuito; non esse mirandum, aut dolendum, si eidem placuerit, illa eadem auferre. Quare tam longe fuit, vt quod optabat, & omni artificio moliebatur diabolus, vt succenseret Deo, aut offensi animi documentum ederet, vt potius illi gratias ageret, quod dedisset; non autem indignare- pag. 40, b
tur, quod eriperet, cum dedisset; non autem abstulisset aliena. Quod autem fecit Iobus, id naturali tantum illustratus lumine docuit Seneca *ad Polybium cap. 29. Iniquus est*, inquit, *qui, muneris sui arbitrium danti non relinquit: auidus, qui non lucri loco habet, quod accepit; sed damni, quod reddidit: ingratus est, qui iniuriam vocat finem voluptatis: stultus, qui nullum fructum esse putat bonorum, nisi præsentium, qui non & in præteritis acquiescit, & ea iudicat certiora, quæ abierunt, quia de illis, ne desinat, non est timendum.* Et iterum ibidem *cap. 30. Si quis pecuniam redditam soluisse se moleste ferat, eam præsertim, cuius vsum gratuitum receperat, nonne iniustus vir habebitur? Cogita iucundissimum esse, quod habuisti, humanum, quod perdidisti.* Hoc idem paucis Origenes *lib. 1. Dedit sua, abstulit sua; postquam sum vsus, mutuanti gratias ago.*

Sit nomen Domini benedictum.] Nomen 126.
pro eo sumi, cuius est nomen, res est satis nota; & nos plura attulimus exempla ad illud *Cantic. I, 3. Oleum effusum nomen tuum.* Sed hæc peculiaris est ratio, cur pro Deo Dei sumatur nomen; quia cum laus aut vituperatio a lingua fit, cum eius coniungitur nomine, qui laudatur aut vituperatur. Id ergo videtur

videtur Iobus velle, vt cum vbique terrarum Dei audiatur nomen, illum laus & benedictio comitetur, & ab illo procul absit maledictio, conuitium, & quidquid aliquid sonat indecorum & turpe.

127. Vers. 22. *In omnibus his non peccauit Iob labiis suis: neque stultum quid contra Deum locutus est.*] In Hebræo non est, *labiis suis.* Atque ideo omnes alii Interpretes a Vulgato illud omittunt; sane Septuaginta ita legunt: *In omnibus his, quæ acciderunt ei, nihil peccauit Iob coram Domino.* & omnes Patres Græci iuxta hanc lectionem sic Iobum a peccato liberant, vt etiam dicant, nullam in eo fuisse cogitationem a peccato fœdatam; Vulgatus tamen interpres habuit magis correctos, aut illud consulto addidit explicationis gratia: vt ostenderet, non assecutum dæmonem quod optabat, quodque tot captabat machinis, nempe, vt in Deum maledicam exereret linguam, & probaret, ideo a Iobo cultum esse Deum, quia illum expertus fuerat beneficum, & eorum, quæ liberali manu largitus fuerat, custodem & vindicem. Sumpsit autem ex *cap. II, 10.* vbi dicitur in labiis non peccasse. Non itaque vulgata lectio negat, quod docet Hebræus textus, quem nunc habemus, & Septuaginta Seniorum antiqua translatio: Sed tantum, longe aliter accidisse dæmoni, quam ipse cogitaret: & pro maledictione, quam auidis expectabat auribus, benedictionem & laudem audiuisse. Neque tantum diaboli ignea vis & ardentes sagittæ, quam Iobi in tanto conflictu constantiæ & diuinæ laudes vulnerarunt. Sic Origenes *libro 1. Non tantum tetigerunt Iob diaboli sagittæ, quantum diabolum vulnerauerunt Iob gratiarum actiones.*

128. Porro cum dicitur Iob in his omnibus non peccasse, non ideo existimandum est, postea omnino fuisse a peccatis saltem leuioribus immunem, vt supra diximus *Prolegom. 4.* quia nihil Scriptor sacer de eo, quod deinde sequitur, affirmat, sed de eo, quod hunc rerum articulum antecessit. pag. 41. a

Iob non peccauit labiis suis ante congressum cum amicis.

Et quidem prodigii simile est, subito illo tot malorum concursu, & rerum omnium tam misero ac repentino naufragio, neque de sua mente fuisse commotum, neque in vnum verbum stultum erupisse. Multa hic de Iobi incredibili constantia dicunt Interpretes & Patres. Ego vnum adducam Chrysostomum, qui diaboli pugnam & Iobi victoriam miro quodam artificio descripsit, *tom. 2. homil. 27.* ex variis in Matthæum locis dicit:

Grauis pugna Iobi cum diabolo.

Et fortiter colluctatus est diabolus, sed athletam vincere non potuit: immanes suscitauit fluctus, & firmissimam petram mouere non potuit: machinationes suas adhibuit, & turrem validissimam non strauit; arborem concussit, & poma non decerpsit: & ramos quidem confregit, sed radici nihil nocuit: parietem perforauit, sed thesauros auferre non potuit. Neque id mirum; cum illum sui cognitio, & cœlestium spes proposita in illo duro certamine firmaret. pag. 41. b Sic enim alte in sua vilitate radices egerat, vt vehemens procella non conuelleret. Sic in cœlestibus spei suæ defixerat anchoram, vt inde illum nullus turbo deiiceret. Et quanto sursum attollebatur sperans; tantum deorsum per suam cognitionem seipsum demittebat, illi omnino similis quercui, in qua fortissimi viri constantia describitur a Marone *lib. 4. Æneid.*

Ac veluti annosam valido cum robore quercum
Alpini Boreæ nunc hinc, nunc flatibus illinc
Exuere inter se certant: It stridor, & alte
Consternunt terram concusso stipite frondes,
Ipsa hæret scopulis: & quantum vertice ad auras
Ætherias; tantum radice in tartara tendit.

ARGVMENTVM CAP. II.

pag. 41.

CVm illa tentatione perfecisset nihil Satanas eorum, quæ mente conceperat & spe certissima deuorarat, rediit iterum ad eundem consessum, in quo coram Deo angeli sicut ante constiterunt, dixitque, non videri mirum, si externis spoliatus bonis laudaret Iobus Deum, cum retineret adhuc vitam, & ab omni vulnere corpus incolume. In quibus ne quic-

quam a Deo pateretur aduersum, illum laudabat, laude tamen non religiosa ac pia, sed plane mercenaria. Quare Deus, vt veram Satanas credat esse laudem, veram solidamque virtutem, in corpus quoque Iobi licere permittit, quicquid animo collibuerit, modo ab illius nece rabiem stimulosque contineat. Exeruit ille statim omnes aculeos, nihil reliquit in toto corpore a saniosis vlceribus vacuum, sic ab amicis morborumque leuamentis exuit, vt nihil haberet præter acutum tegulæ fragmentum, quo saniem raderet ab exeso corpore. Neque illum mouit a sua constantia importuna & procax vxoris oratio, quam ideo grauiter, modeste tamen & amice corripuit. veniunt ad extremum amici consolandi gratia, quominus tamen septemdiali spatio loquerentur, fecit stupor, & dolor ex cruciatu Iobi vehementi conceptus.

CAPVT II.

1. FActum est autem, cum quadam die venissent filii Dei, & starent coram Domino, venisset quoque Satan inter eos, & staret in conspectu eius,

2. Vt diceret Dominus ad Satan: Vnde venis? Qui respondens, ait: Circuiui terram, & perambulaui eam.

3. Et dixit Dominus ad Satan: Numquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, vir simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo, & adhuc retinens innocentiam? Tu autem commouisti me aduersus eum, vt affligerem eum frustra.

pag. 41. a 4. Cui respondens Satan, ait: Pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima sua.

5. Alioquin mitte manum tuam, & tange os eius & carnem, & tunc videbis, quod in faciem benedicat tibi.

6. Dixit ergo Dominus ad Satan: Ec-

PARAPHRASIS.

1. 2. Cum autem a prima tentatione aliquot intercesissent dies, accidit, vt, sicut antea, angeli coram Deo consisterent, & inter eos ipse quoque assisteret Satanas. A quo cum interrogaret Dominus, ex quo venisset loco, se totam terram lustrasse, & eam peruagatum esse respondit.

3. Ad quem Deus: numquid considerasti, quod prius audieras a me, in terra reperiri neminem, qui cum Iobo simplicitate, & puritate animi, & studio colendæ virtutis, & aberrandi ab omni improbitatis specie conferri possit? Ecce adhuc, spoliatus bonis, & abs te omni artificio prouocatus ad malum, innocentiam tamen retinet, neque ab illo sanctitatis statu depulsus est, in quo ante in prosperitate constiterat. Quare cum eorum, quæ optabas, nihil consecutus fueris, frustra a me in illius bona facultatem impetrasti; frustra tuas in illum vires contulisti.

4. Cui respondit Satanas, benedictionem illam & laudem non tam ex animo prouenisse religioso & pio, quam ex studio retinendi vitam, & tuendi corporis valetudinem, de qua multo laborabat magis, quam de alia quauis commoditate externa. Quæ vt homo tueatur ac seruet, subibit omnia rerum dispendia non grauate. pag. 42. b

5. Quare manum tuam extende ad os & carnem illius, aut certe permitte mihi, vt liceat in illius corpus libere sæuire, & tunc experiere, an quondam te, & nunc recens, ex animo coluerit, & vnde illa, quæ videri potuit benedictio, prouenerit.

6. Non recusat Dominus conditionem, gnarus,

ce in manu tua est, veruntamen animam illius serua.

rus, qualis duri certaminis futurus esset exitus. Quare natiuam Iobi pellem, id est, corpus & ossa, dæmoni crucianda permittit, vt illam quam vellet acerbissime subigat ac laceret, ita tamen, vt vitæ parcat & animam seruet.

7. Egressus igitur Satan a facie Domini percussit Iob vlcere pessimo, a planta pedis vsque ad verticem eius.

7. Non diu distulit dæmon, quod tam cupiebat ardenter, aut segnem esse voluit & otiosam, quam recens acceperat a Domino, facultatem. Quare exiliit statim, & totum Iobi corpus ita percussit, vt pars illius nulla ab vlcere pessimo maneret immunis.

8. Qui testa saniem radebat, sedens in sterquilinio.

8. Qui eo adactus miseriæ & solitudinis fuit, vt haberet nullum magis opportunum, aut molle diuerticulum, quam e fimo & sordibus congregatum aceruum, in quo non linteo delicato & mundo stillantem ex vlceribus tergebat saniem, sed acuto & aspero radebat tegularum fragmento.

9. Dixit autem illi vxor sua: Adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic Deo & morere.

9. Ad quem accessit instigata a dæmone, & grauiter animo commoto coniunx, quæ cum videret virum suum in ea dolorum excarnificina laudantem nihilominus Dominum, cum offensione & irrisione subamara dixit: I nunc, & in laudando Deo perseuera stulte plane, & frustra, vt tute ipse, nisi mens absit, experiri potes, quando post tot laudes nihil iam tibi reliquum est, nisi vt miserum hunc spiritum, quem ægre ducis, tandem exhales.

10. Qui ait ad illam: Quasi vna de stultis mulieribus locuta es, si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus? In omnibus his non peccauit Iob labiis suis.

10. Ad quam sedato animo Iobus: Dum verba hæc loqueris, doloris & molestiæ, vt apparet, impatiens, tuam videris deposuisse personam, modestam videlicet & piam, & alienam suscepisse, gentilis nimirum & Idumææ fœminæ. Neque enim a tuo ingenio religioso & pio sperari poterat, tam aliena a tua disciplina, & tam leuis oratio. Si Deum ad hoc vsque tempus tam liberalem & fauentem habuimus, cur si eundem nunc seuerum experiamur & durum, indignemur? si bona suscepimus iucunda, cur mala non putemus subeunda patienter? in omnibus, quæ hucusque acciderunt, licet ad ignominiam grauia, ad dolorem acerba; nullum tamen edidit Iobus aut impatientis animi signum, aut offensionis argumentum. Neque verbum dixit vllum, in quo appareret aliqua species vel leuissima peccati. pag. 43. b

pag. 43. a 11. Igitur audientes tres amici Iob omne malum, quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, Eliphas The-

11. Longo autem tempore postquam Iobum afflixit dura illa vexatio, accesserunt tres Idumæi Principes, & amici Iobi, sicut inter illos ante conue-

manites, & Baldad Suthites, & Sophar Naamathites. Condixerant enim, vt pariter venientes visitarent eum, & consolarentur.

conuenerat, vt Iobum tam aspere iactatum inuiserent, & qua possent ratione solarentur. Eliphaz Themanites, Baldad Suthites, Sophar Naamathites, omnes & sapientiæ laude, & Regio nomine conspicui.

12. Cumque eleuassent procul oculos suos, non cognouerunt eum, & exclamantes plorauerunt, scissisque vestibus sparserunt puluerem super caput suum in cœlum.

12. Cumque procul aspicerent, tanta erat fortunæ vultusque mutatio, non cognouerunt eum; cum tamen didicissent esse Iobum, quem antea florentem opibus, & regia dignitate, & formæ maiestate conspicuum agnouerant, illius vicem claro lugubrique clamore prosecuti sunt, scissis de more vestimentis, & sparso super caput, & in cœlum sursum iactato puluere.

13. Et sederunt cum eo in terra septem diebus & septem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem esse vehementem.

13. Et vt ostenderent sibi cum Iobo dolorem illum esse communem, sederunt in puluere prope illum septem diebus, & totidem noctibus, neque interea eorum, quæ meditati venerant, quicquam locuti sunt, ne mœrore afficerent, quem dolore vehementi cruciari videbant.

Vers. 1. *Factum est autem, cum quodam die venissent filii Dei, & starent coram Domino, venisset quoque Satan.*]

pag. 43. a 1. HOc exordium ad finem vsque *vers. 3.* explicatum est *cap. I. vers. 6.* neque aliquid est, quod additum esse magni nostra intersit. Tantum hic quærendum, quantum interfuerit inter priorem & posteriorem consessum, vbi primum Satanæ in bona Iobi externa data fuit potestas: deinde in corpus, excepta tantum vita; de qua re nihil omnino certum. Modus tamen dicendi non parum temporis interiectum insinuat. *Factum est* (inquit) *cum quadam die.* Si eodem contigisset die, aut tertio, vel quarto, aliter credo Scriptor sacer dixisset. Sic enim nos loquimur, cum numerum dierum ignoramus. Si tamen exiguum intercessit tempus, ignorari non solet. Scriptura porro sacra verborum modum ad hominum consuetudinem accommodat. Autores nihil certi definiunt. Interlinearis eadem die rediisse dicit Satanam inter filios Dei, Origenes *lib. 1.* post primam Iobi victoriam. idem S. Thom. indicat, dum ait, dies hic per diuersas operationes distingui: *Sicut in principio* (inquit) *Genesis secundum diuersa rerum genera, quæ creabantur, diuersi dies describuntur.* Neque id videtur improbabile, si Satanæ ingenium calliditatemque consideres. Nam & odium in Iobum, & ardens inuidia, quæ illum cessare non sinebant: & quia pugnator acer, & bellis iam pridem assuetus, experientia norat, quantum sit in celeritate momenti, & vrgeri pag. 43. b continenter hostem, antequam a pertinaci congressione respiret, & interposita mora ad noua se rursus certamina confirmet.

Sed plus apud me momenti habet dicendi 2. modus, qui non exiguum docet interiectum moræ. Neque Satanas, qua est superbia, auderet victus Domini iterum subire conspectum, cum edidisset nihil eorum, quæ se consecuturum iactarat, & quorum spem certam animo conceperat. Imo vt affirmat Iulianus *in Catena: venit in medium Angelorum quasi captus: nam illum pudebat, fugamque meditabatur.* Verum cum eo aspiraret, vt Iobum, quem Deus tantopere commendarat, a statu deiiciat, & contra Deum subditos ante spiritus illius armaret, videretque in affligendo corpore plurimum esse momenti, idque sibi a Domino non esse concessum, vicit pudorem affligendi hominis immensa libido: & iterum venit in Dei conspectum; neque verbum loquitur ullum, ne Iobi constantiam, & suam

Aliquot dies videntur intercessisse inter primam & secundam tentationem.

suam infirmitatem & ignominiam proderet, donec a Domino interrogatus est, qualem illum antagonistam foret expertus.

3. Vers. 3. *Et adhuc retinens innocentiam.*] Dixerat dæmon in priori consessu, tunc Iobum ostensurum aperte, quo animo coleret ac benediceret Deum, cum Deus illius tetigisset bona, id est, vel auferret, vel attereret, quæ prius dederat, conseruarat, ornarat; sustulit Dominus externa omnia, quæ numerantur in bonis, momento temporis: neque tamen mutato rerum statu ac conditione mutatus est patientis animus, neque minus, aut segnius benedicit Domino, quam cum adhuc esset fortuna integra. Satanæ igitur insultat Dominus, quia superatus est a mortali manu. Neque cum omnes admouisset machinas, conuellere potuit, aut mouere de statu antagonistam suum. En (inquit) fractæ sunt vires, neque quicquam abs te tanta contentione perfectum est. Stat adhuc turris integra ariete muralique tormento verberata crudeliter. Erectam video rupem in medio mari, cui nihil tot fluctus, tamque violenter allisi nocuerunt: concusserunt vehementer incitati venti generosam arborem, & incuruescente vbertate, & pondere baccarum, neque tamen e multis pomum vnum amisit. En quo abiit inimica rabies, inueteratum odium, furoris & inuidiæ inflammatæ faces. Hæc & plura continent pauca illa verba, quibus humano modo Deus Satanæ ambitiosos spiritus deridet.

pag. 44. a

Tu autem commouisti me aduersus eum.]
4. Humano modo loquitur Deus, sicut in Scriptura millies, cum talia dicit, qualia patiuntur homines. Decreuerat quidem Deus, seruum suum Iobum, quem fidelissimum atque constantissimum esse cognouerat, variis exercere modis, vt mundus haberet, quod imitaretur, propositum exemplar. Qui vero id fecit, cum diabolus Iobi sanctitatem in suspicionem vocaret, vt reipsa experiretur, quantus esset vir Iobus, quam sincero ac recto animo coleret, ac benedixisset Deo: Ideo dicit Deus, a diabolo se fuisse commotum, vt Iobum affligeret, quia in rerum articulo illum affligere & probare decreuerat. Neque proprie Deus commotus dicitur quasi a priori mente a diabolo depulsus, aut furore percitus, vt in Iobum tam seuere sæuierit: sed vt bene Greg. *lib. 3. Moral. c. 2.* Scriptura ad hominum ingenium accommodate de Deo loquitur; *quia nos ferire, nisi commoti nescimus: ipsa diuina percussio commotio vocatur, & ad nostra verba diuina voce descendit, vt eius factum ab homine vtcumque capiatur.*

Vt affligerem eum frustra.] Illud *frustra* non respicit Dei intentionem: nam reuera Deus id est cumulate consecutus, quod sibi proposuerat. Nam non solum illud sæculum habuit, quod imitaretur, exemplar, cum aliquid occurreret aduersum & durum, sed etiam ad nostrum vsque tempus omnis ætas, in qua semper recens est & viuax tot laborum memoria, quam ad mundi vsque postremam diem nulla obliterabit obliuio. Neque si Iobum aspicias, frustra afflictus est, quia (vt putat hoc loco Gregorius) non exiguos cepit ex hac dura vexatione prouentus. Percussus esset frustra, si nihil perfecisset in Iobo labor ille, quemadmodum si vas obductum rubigine, & ex frequenti vsu, aut collisione contritum, aut distortum, nihil accepisset a fornace, quæ rubiginem excoquit, nihil ab artificis opere: qui quod in vase quassatum est & tritum, consolidat & reficit. Sed Deus per Ieremiam frustra se laborasse dicit *c. VI, v. 39.* cum metaphoricum vas, id est, populum Iudaicum, tundendo & conflando reficere non potuit. *Defecit sufflatorium, in igne consumtum est plumbum, frustra conflauit conflator: malitiæ enim eorum non sunt consumptæ.* & *c. II, v. 30. frustra percussi filios vestros, disciplinam non receperunt.* Hoc itaque sensu non afflixit Dominus frustra Iobum, quando ex fornace & incude exiit tandem egregium illud vas, & purum magis, & eximiis cælaturis excultum.

5. *Frustra quid factum dicitur.*

pag. 44. b

Sed si ad dæmonis animum & consilia respicias, frustra afflictus est Iobus; cum id, quod optabat, suo frustratus voto, consecutus non sit: emicuit enim magis Iobi virtus, quam obscurare tentatione voluit. ita S. Thom. & cum eo Interpretum plerique. Gregor. *lib. 3. Moral. c. 2. Ideo frustra dicit afflictum esse Iobum, quia sine vllo suo merito acerbe vexatus est.* Vbi paucis ea pene omnia complexus est, quæ nos hic pluribus explicuimus. *Aperta* (inquit) *aliis* 6.

virtutis exempla non daret, si ipse sine tentatione permaneret. Et statim: *Beatus Iob & non frustra percutitur, quia augetur meritum; & tamen frustra percutitur, quia nullum punitur admissum. frustra enim percussus est, cui culpa non reciditur, & non frustra percussus est, cui virtutis meritum cumulatur.* Neque longe hinc abit Origenes *libr. 2. in Iob*, vbi inutilis dæmoni; Iobo autem vtilissima dicitur illa vexatio. *Diabolus* (inquit) *sine causa petiuit* (nempe res Iobi) *nihil enim peregit, neque perfecit, cum res eius perdidit, nisi suam despectionem atque humilitatem ostendit. Iob vero hæc res non sine causa prouenit; sed ad ingentem gloriam & laudem huius rei perditio prouenit coram Deo & angelis eius.*

7. Vers. 4. *Pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima sua.*] Imminuit adhuc diabolus Iobi sanctitatem, quam adhuc mercenariam esse vult. Quia licet bona amiserit externa, adhuc tamen superest, quod possit amitti, quodque homines omnium maxime seruatum esse cupiunt, salutem nempe corporis & vitam, quam emunt rerum omnium dispendio non grauare. Ait ergo diabolus eo spectare Iobi benedictionem, & religionis, vt ipse interpretatur, nudam speciem, non vt Deum veneraretur & coleret, sed vt vitam conseruaret, quæ sola ex illo miserabili naufragio relicta est: cui timebat vehementer, cum tam inopinato ac breui numerosa familia foret extincta, neque se magis tutum esse cogitabat. ita putat S. Thom. & Olympiodorus cum Chrysostom. *in catena*.

8. *Vita omnibus charior.* Quid sit *pellem pro pelle*, obscurum est, & varie ab autoribus expositum. in sensu plerique conueniunt, in explicando illo rationeque reddenda non item. Sensus est, nihil in humanis præferendum esse vitæ, quam vt homo tueatur, facile ferre rerum aliarum quancumque iacturam. Quæ sententia, si humanas tantum rationes intueamur, verissima est: & ipsa docet experientia, cuius quotidie noua occurrunt exempla. Quædam Origenes adducit *lib. 2.* Hi, qui nauigant, ne absorbeantur ab æstuante pelago, absorberi patiuntur opes, quas magno labore atque impendio quæsierant, atque ideo illas non grauate in mare proiiciunt. Neque quisquam dubitat medicos accersere, medicinas vndecumque conuehere rerum suarum dispendio, si aliter vitam non putat retinendam. Et quemadmodum amputantur rami, qui quasi membra sunt arboris & prognati filii, ne senescat & pereat: sic & homines membra sibi vri atque lacerari patiuntur, ne a vita decedant: & suos aliquando filios lacerant & comedunt, vt vitam redimant, cum in extremum periculum deductam esse vident. Hæc itaque sententia satis est explorata, ratio vero nominis obscura.

Quidam in pelle omnia bona contineri, putant. ita Cyprianus Cistерciensis: eamque suæ cogitationis rationem adducit, quia Iobi temporibus nondum erat inuentus pecuniarum vsus, ob eamque rem apud Idumæos pelles pecuniarum vsum obtinebant. Quæ explicatio eo laborat incommodo, quia ante sæculum illud, in quibus Iobus vixit, Abrahami & Iacobi temporibus pecuniarum vsus invenitur. Fieri tamen potuit, vt pecunia eo tempore diceretur pellis, quia olim pellibus necessaria vitæ commoda comparabantur. Et quod in aliis rebus vsu venit, mutatis rebus, antiqua tamen rerum nomina manent immutata. Vino quidem & sale seruorum annuæ compensabantur operæ; vnde mercedes annuæ congiaria dicebantur, atque salaria. Nunc mutata mercede licet ære, aut argento pensentur seruiles operæ, salis tamen & congii retinent nomen: & salarium nostro etiam tempore, & congiarium frequenter audimus. Et magis ad hanc cogitationem accommodate, pecora olim pro pecunia fuerunt, vnde deductum fuit pecuniæ nomen. Sed licet hæc vera sint, neque huic expositioni quicquam incommodet, quod superioribus sæculis frequens esset pecuniarum vsus; tamen alia complura huic cogitationi minus fauent. Cur enim pelles pecuniarum obtinerent vices, cum essent alia plurima, quæ hunc vsum præstare potuissent multo melius. Permutationes factas esse scimus ante signatum æs, aut etiam rude. Sed tunc non solum pelles aut pecora, sed illa etiam omnia, quæ hominibus vsui esse poterant, permutationi suberant. Deinde quæ hominibus esse poterat

pag. 45. a 9 *Pellis cur pro pecunia, aut humanis commodis vsurpata.*

ex illa permutatione commoditas, si pellis permutaretur cum pelle?

10. *Pecuniæ magna potestas.* Minus abs re, meo iudicio, diceret, qui in pelle pecuniam intelligeret, quæ olim alicubi signabatur in pelle, aut corio: cum autem pecuniæ obediant omnia, & pecunia omnia, siue vitæ subsidia atque delitiæ, siue pacis ornamenta comparentur, qui pecuniis abundat, rebus abundat omnibus. Potens est, vt expugnare posit omnia: pulcher, honestus, quem salutant, venerantur, & comitantur omnes. Sane quam verissimum est, quod apud *Ecclesiast. cap. X, 19.* legimus: *pecuniæ obediunt omnia.* Quod inter prouerbia adduxit Adagiographus, vbi ex profanis adducit non pauca. Dixit ipsa rerum experientia doctus Cicero *lib. 3. in Verrem: nihil esse tam sanctum, quod non violari, nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia possit.* Et explicatius Horatius *lib. 2. Satyra 3.*

Omnis enim res
Virtus, fama, decus, diuina, humanaque pulchris
Diuitiis parent, quas, qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, iustus, sapiens etiam, & Rex,
Et quidquid volet.

Pelles publico charactere consignatæ. Et *lib. 1. epist. 6.* eadem ferme repetit. Augustinus præterea *de doctrina Christiana lib. 1. cap. 3.* pecuniæ nomine quidquid est in rebus significari docet. *Totum, quod homines in terra habent, & quorum domini sunt, pecunia dicitur, quia antiqui quod habebant, in pecoribus habebant.* Quare, si vt est omnium pene gentium conspirans & multiplici experimento iamdudum confirmata sententia, in pecuniis esse omnia, qui pecunias, id est, pelles publico charactere signatas tradiderit, amiseritue, ille tradidisse, aut amisisse omnia censeri potest.

pag. 45. b
11. *Corium pro pecunia.* Quod vero variæ nationes olim, inter quas fortasse numerari possunt Idumæi, pro ære, corio, in coemendis distrahendisque rebus vterentur: neque apud illos aliud esset pecuniarum genus, id nobis explorandum est. Coriaceæ pecuniæ meminit Plutarchus *in vita Numæ*, & Hieronymus *contra Rufinum*, ad quem sic scribit: *& cum montes auri pollicitus fueris, ne scorteum quidem nummum de thesauris tuis proferas.* Donatus in illud Virg. *lib. 1. Æneid.*

Mercatique solum facti de nomine byrsam
Taurino quantum posset circumdare tergo.

tradit, pecuniam ex corio bubulo priscis temporibus fuisse, & a pecore tunc primum duxisse, deinde adhuc mutata materia, retinuisse vocabulum. Sic autem a quibusdam expositum dicit Virgilianum carmen: tantum agri emptum a Didone, quantum nummi valerent, qui ex corio bubulo cudi potuissent. Lacedæmonios coriaceo vsos esse numismate, docet Nicolaus περὶ ἐθῶν, & ex eo Stobæus *cap. 42.* & aperte Seneca *de beneficiis lib. 5. cap. 14. Æs* (inquit) *alienum habere dicitur, & qui aureos debet, & qui corium forma publica percussum, quale apud Lacedæmonios fuit.*

Alii in pelle vitam intelligunt, & hunc esse sensum arbitrantur: vsque adeo homini 12.
charam esse suam vitam, vt præ illa reliqua contemnat omnia, pellem nempe pecorum, id est, vitam, pellem item filiorum, quos periisse nihil habet pensi, dummodo illorum morte suam vitam redemerit. Quæ sententia vera est, quia homini nihil est charius quam ipse sibi. Quare cum vitam Iobus adhuc retineret suam, facile fert, sublatos esse numerosos armentorum greges, oppressos esse filios, ruente domo, & ab omnibus omnino fuisse nudatum.

Alias explicationes omitto, ne longus sim: 13.
& quid ipse sentiam, iam expediam. Et primum non respuo, quæ modo produxi, licet in illis aliquid inueniam, quod minus probem, & deinde puto, quod alii etiam ante me, hoc esse prouerbium illis sæculis, & Idumæis forsitan præcipue familiare, quo significant antiqui, pro tuenda vita omnium rerum iacturam esse subeundam non illibenter.

Præterea antiquissimis sæculis vestes fuisse 14.
pelliceas, ipsa rerum natura docet, quia illa tempora fuerunt rudia, quæ inuentis potius, & oblatis a natura tam in cibis, quam habitaculis, & corporis tegumentis, quam artificio aliquo quæsitis & ornatis vtebantur. Quare dico, vt dicit Plinius *lib. 7. cap. 56.* specus fuere pro domibus: quia illæ relictæ fuerant a natura, neque vlla indigebant hominum molitione. Cibus erat, quem vltro terra fun- *E pellibus ad longa secula vestes hominum.*

 deret,

deret, siue ex herbis, siue ex arborum fructi-
Cibus olim, & domus a natura, non ab arte. bus. Donec (vt docet Plinius *supra*) Eurialus & Hyperbeus fratres domus construxere lateritias, & Doxius luteas, exemplo sumpto ab hirundinibus. Et Ceres artem molendi, coquendique frumenta reperit. Vnde Panificii existimata est Dea. Neque vinum ante Noe tempora cognitum est. Profani vini vsum Libero, seu Baccho ascribunt. De quibus Maro *lib. 1. Georg.*

Liber, & alma Ceres, vestro si munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutauit arista
Poculaque inuentis Acheloia miscuit vuis.

Vt ergo hæc habuerunt antiqui non ab artis aliquo lanicinio, sed a natura, quæ simplicior est: neque tam amat, aduocatque,
pag. 46. a
quam respuit hæc artificum nimis delicata & ambitiosa commenta: sic & quæ accepit a Deo ab ipsis parentum nostrorum incunabulis integumenta, pelles nimirum belluarum, ad longissimum vsque tempus cum simplicitate retinuit: donec artem ducendi fila ex lino, ac lana, & textrinum opus hominum siue elegantiæ studium, siue mollities inuenit.
Quis inuentor lanificii & artis restiariæ. Quis autem inuenerit, incertum valde est. Neque credo aliquid affirmarunt antiqui, nisi coniectando. Lyra in *c. 4. Gen.* & Abulensis ibidem *q. 4. v. 22.* Noemam filiam Lamech, & sororem Zubal Cain lanificium inuenisse tradunt ad conficiendas vestes, cum ante illud tempus belluarum pellibus tegerentur. Sed vnde id acceperit Lyra, non dicitur, neque ego inuenio. Rabbinorum hoc credo commentum esse, qui cum noui aliquid afferant, & ad plausum; de rerum fide non admodum laborant. Profani hoc ad Palladem referunt, cuius solertiæ opus adscribunt textile. Plinius *lib. 7. cap. 56.* hoc artificium Arachnæ, & eius filio Closteriæ tribuit.

15. Quicquid de indumentorum inuentoribus, & eorum ætate sit, constat, antiquissimis sæculis quam diutissime pellicea integumenta durasse. Hic communis hominum sensus, qui in suis siue historiis, siue in scenis & ludis antiquos homines pellibus induunt: quo referunt, atque imitantur antiqui temporis consuetudinem.
Heroes antiqui, & senes in scena vestiti pellibus induuntur. Sic sane Pollux *cap. 18.* & comicos senes, & vetulas διφθέρας, inducunt, id est, pellibus. Dii, qui a gentilibus prima mundi ætate vixisse existimantur, nudi plerumque, aut pelliceis vestibus induti finguntur. Bacchus fingitur cum Tigridis exuuio, cum leonis Hercules, & Heroës antiqui aut cum pelle sola, aut pelle dignitatis gratia vestibus inducta. Sic Virgilius de Euandro *lib. 8. Æneid.*

Demissa ab læua Pantheræ terga retorquens.

Et de Rege Aceste *lib. 5. Æneid.*

Occurrit Acestes
Horridus in iaculis, & pelle Libitidis vrsæ.

Paridem Homerus *lib. 3.* pardi pelle, & Agamemnonem leonis induit, quos posteri deinde imitati sunt. Indutum leonis exuuio Annibalem inducit Silius *lib. 15.* & conscripti patres primis Romanæ reipublicæ temporibus (vt cecinit Propertius) pelliceis vtebantur tegumentis, qui ideo vocantur Pelliti.

Curia prætexto quæ nunc nitet alta senatu,
Pellitos habuit rustica corda patres.

Lucretius primæuos homines dicit vixisse nudos, (qua in re procul dubio fallitur,) nec nisi longo post tempore vestes habuisse, easque pelliceas:

Nec dum res igni scibant tractare, neque vti
Pellibus, & spoliis corpus vestire ferarum.

Neque tantum Heroes dignitatis gratia adhibuerunt sibi ferarum exuuias, sed etiam He- 16. *Heroides pellibus vsæ.*
roides, id est, illustres fœminæ: quia id sibi futurum putabant ad dignitatem. De Camilla puella Regia Virgilius *lib. 11. Æneid.*

Pro crinali auro, pro longæ tegmine pallæ
Tigridis exuuiæ per dorsum a vertice pendent.

Et *lib. 1. Æneid.* Venerem, quam nympham venatricem facit, inducit de sororibus venatricibus quærentem.

Monstrate mearum
Vidistis si quam hic errantem forte sororum,
Succinctam pharetra & maculosæ tegmine lincis. pag. 46. b

Deinde obseruo, *cutem*, seu *pellem* aut *pel-* 17. *Cutis, seu pellicula pro toto animali.*
liculam sumi pro toto animali, rem nimirum continentem pro contenta. Quod etiam Latini obseruant; & modus loquendi illis familiaris non obscure docet, *curare pelliculam*, idem est, atque indulgere genio, & suam curare valetudinem, ita vt nihil in toto corpore ægre habeat, quod intra pellem, seu cutem continetur. Horatius *lib. 2. Satyra 5.*

Pelli-

Pelliculam curare iube.
Et *Epistola 2. lib. 1.*
In cute curanda plus æquo operata iuuentus.
Et iterum *epistola ad Albinouanum:*
Me pinguem, & nitidum bene curata cute vises.

Quem sensum explicuit Hispanus, qui dum alicui significat esse suæ vitæ, aut valetudinis curam, hoc declarat modo: *cuyda, o mira por su pelleio.*

18. Ad extremum observandum id quod supra dicebamus ex Sancto Thoma, & Chrysostomo, & Olympiodoro, ex diaboli siue sententia, siue malitia ideo spoliatum Iobum a rebus aliis, nempe ab armentorum gregibus, & lauta atque numerosa familia, benedixisse Deum, & quicquid erat reliquum obtulisse: vt vitam, quam solum retinebat, ex illo naufragio conseruaret potius, quam quod amaret Deum, aut illum eo sacrificio venerari vellet.

19. His omnibus ita constitutis explicationem aggredior, eo mihi gratam minus, quod autorum patrocinio caret, a quo non parum acciperet momenti. Si, vt superiorum temporum ferebat consuetudo, Iobus tegumento vteretur pelliceo, ita ut quam discidit vestem, pellis esset, explicatio, quam informare studeo, minus esset difficilis. Tunc enim dixisse diabolus videri potuit, non esse mirum, discidisse Iobum pellem, id est, vestem, quam tunc pelliceam habuit, & eam obtulisse, quandoquidem de sua pelle videbat agi, id est, de sua vita, cuius periculum oblata pelle declinare voluit. & ideo dedit pellem externam pro natiua & propria, & Deum, a quo abhorrebat animus, simulata laude prosecutus est. Hæc diabolus.

20. *Iobus non videtur vestem habuisse e pellibus.* Non puto Iobum vestitum esse pellibus, quemadmodum Adam, aut qui priora mundi sæcula viderunt. Tum quia illius ætas elegantior erat & cultior: neque Regia, neque regiæ proxima conditio syluestrem illum cultum patiebatur. Tum etiam, quia iam fertilis erat lana, & linum, & ars inuenta, quæ habilia corpore tegumenta, imo & pretiosa quædam ornamenta conficeret. Sane velamen oculorum, quod dedit Saræ Abimelech *Genes. XX.* ex pellibus non erat, quando pro illo emendo mille accepit argenteos Abraham. Neque apte in pelliceas vestes conuenirent ornamenta ex auro, quæ data sunt Rebeccæ pro nuptiali cultu. Et vestis polymita, quam dedit Iacob filio suo Ioseph, non videtur esse potuisse pellicea. Adde, quod ab ipso Iobo discimus, sua ætate opus fuisse textrinum *cap. VII, 6. Dies mei velocius transierunt, quam a texente tela succiditur.*

Sed est eadem omnino ratio, si pellem habuit externam aliis inductam vestibus, qualem, vt nuper dicebamus, habuerunt Heroes: & quæ erat regiæ aut splendidæ dignitatis insigne. Quam cum Iobus disrupit, abiecisse videbatur, quam apud suos habuit dignitatem & locum, maxime cum se pariter abiecisset in terram. Quo significabat, nihil sibi esse cum sublimi statu, sed omnia voluisse reddere illi, a quo se habuisse eo corporis habitu profitebatur. Quod si neque hoc posteriori modo vestem Iobus habuit pelliceam, non tamen ideo nostra laborat explicatio. nam (vt paulo ante dicebamus) vsitatissimum est in omni natione ac lingua, vt mutata materia nomen tamen antiquum retineatur. Quo modo annua militum aut seruorum stipendia nominantur *congiaria*, siue *salaria*, quia vino & sale illorum quondam operæ pensabantur. Et hoc ipsum verbum *penso*, quod mihi excidit, proprium erat æris rudis, quod olim a libripende pendebatur, seu pensabatur. Nunc autem eo frequenter vtimur, cum pecunia signata numeratur. Atque ideo ad antiqua tempora respectantes dicimus: pendere pecuniam, metiri stipendia. Rudioribus sæculis ex carice & calamo fiebant scriptoria instrumenta, quæ stylis & graphiis successerunt. nunc illa licet, vt iam pridem fert vsus, ex auium pennis concinnentur, aut etiam, vt lautiorum hominum vanitas induxit, ex auro fiant, vel argento; nihilominus retento antiquo nomine calami vocantur. Duo habemus exempla a Seneca *libr. 5. de beneficiis cap. 13. & 14.* Pyxis capsella est ex buxo, quæ ideo ab Hispan. *buxeta* dicitur. Sed quia hæc ad continenda vnguenta antiquissimum olim & aptissimum vsum præbuit, fit, vt quodcunque vasculum, quod talem habuit vsum, ex quacunque materia perfectum appelletur pyxis, sicut etiam ab Hispanis *buxeta.*

21\. (right margin, beside "Sed est eadem omnino ratio")

pag. 47. b (right margin, beside "abiecisset in terram")

REGVLA: *Rerum, quæ iam exoleuerunt, nomen seruant, quæ illorum loco suffectæ sunt.*

virtutis exempla non daret, si ipse sine tentatione permaneret. Et statim: *Beatus Iob & non frustra percutitur, quia augetur meritum; & tamen frustra percutitur, quia nullum punitur admissum. frustra enim percussus est, cui culpa non reciditur, & non frustra percussus est, cui virtutis meritum cumulatur.* Neque longe hinc abit Origenes *libr. 2. in Iob*, vbi inutilis dæmoni; Iobo autem vtilissima dicitur illa vexatio. *Diabolus* (inquit) *sine causa petiuit* (nempe res Iobi) *nihil enim peregit, neque perfecit, cum res eius perdidit, nisi suam despectionem atque humilitatem ostendit. Iob vero hæc res non sine causa prouenit; sed ad ingentem gloriam & laudem huius rei perditio prouenit coram Deo & angelis eius.*

7. Vers. 4. *Pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima sua.*] Imminuit adhuc diabolus Iobi sanctitatem, quam adhuc mercenariam esse vult. Quia licet bona amiserit externa, adhuc tamen superest, quod possit amitti, quodque homines omnium maxime seruatum esse cupiunt, salutem nempe corporis & vitam, quam emunt rerum omnium dispendio non grauare. Ait ergo diabolus eo spectare Iobi benedictionem, & religionis, vt ipse interpretatur, nudam speciem, non vt Deum veneraretur & coleret, sed vt vitam conseruaret, quæ sola ex illo miserabili naufragio relicta est: cui timebat vehementer, cum tam inopinato ac breui numerosa familia foret extincta, neque se magis tutum esse cogitabat. ita putat S. Thom. & Olympiodorus cum Chrysostom. *in catena.*

8. *Vita omnibus charior.* Quid sit *pellem pro pelle*, obscurum est, & varie ab autoribus expositum. in sensu plerique conueniunt, in explicando illo rationeque reddenda non item. Sensus est, nihil in humanis præferendum esse vitæ, quam vt homo tueatur, facile ferre rerum aliarum quancumque iacturam. Quæ sententia, si humanas tantum rationes intueamur, verissima est: & ipsa docet experientia, cuius quotidie noua occurrunt exempla. Quædam Origenes adducit *lib. 2.* Hi, qui nauigant, ne absorbeantur ab æstuante pelago, absorberi patiuntur opes, quas magno labore atque impendio quæsierant, atque ideo illas non grauate in mare proiiciunt. Neque quisquam dubitat medicos accersere, medicinas vndecumque conuehere rerum suarum dispendio, si aliter vitam non putat retinendam. Et quemadmodum amputantur rami, qui quasi membra sunt arboris & prognati filii, ne senescat & pereat: sic & homines membra sibi vri atque lacerari patiuntur, ne a vita decedant: & suos aliquando filios lacerant & comedunt, vt vitam redimant, cum in extremum periculum deductam esse vident. Hæc itaque sententia satis est explorata, ratio vero nominis obscura.

Quidam in pelle omnia bona contineri, pag. 45. a
9 *Pellis cur pro pecunia, aut humanis commodis vsurpata.* putant. ita Cyprianus Cisterciensis: eamque suæ cogitationis rationem adducit, quia Iobi temporibus nondum erat inuentus pecuniarum vsus, ob eamque rem apud Idumæos pelles pecuniarum vsum obtinebant. Quæ explicatio eo laborat incommodo, quia ante sæculum illud, in quibus Iobus vixit, Abrahami & Iacobi temporibus pecuniarum vsus invenitur. Fieri tamen potuit, vt pecunia eo tempore diceretur pellis, quia olim pellibus necessaria vitæ commoda comparabantur. Et quod in aliis rebus vsu venit, mutatis rebus, antiqua tamen rerum nomina manent immutata. Vino quidem & sale seruorum annuæ compensabantur operæ; vnde mercedes annuæ congiaria dicebantur, atque salaria. Nunc mutata mercede licet ære, aut argento pensentur seruiles operæ, salis tamen & congii retinent nomen: & salarium nostro etiam tempore, & congiarium frequenter audimus. Et magis ad hanc cogitationem accommodate, pecora olim pro pecunia fuerunt, vnde deductum fuit pecuniæ nomen. Sed licet hæc vera sint, neque huic expositioni quicquam incommodet, quod superioribus sæculis frequens esset pecuniarum vsus; tamen alia complura huic cogitationi minus fauent. Cur enim pelles pecuniarum obtinerent vices, cum essent alia plurima, quæ hunc vsum præstare potuissent multo melius. Permutationes factas esse scimus ante signatum æs, aut etiam rude. Sed tunc non solum pelles aut pecora, sed illa etiam omnia, quæ hominibus vsui esse poterant, permutationi suberant. Deinde quæ hominibus esse poterat

ex illa permutatione commoditas, si pellis permutaretur cum pelle?

10. *Pecuniæ magna potestas.*

Minus abs re, meo iudicio, diceret, qui in pelle pecuniam intelligeret, quæ olim alicubi signabatur in pelle, aut corio: cum autem pecuniæ obediant omnia, & pecunia omnia, siue vitæ subsidia atque delitiæ, siue pacis ornamenta comparentur, qui pecuniis abundat, rebus abundat omnibus. Potens est, vt expugnare posſit omnia: pulcher, honestus, quem salutant, venerantur, & comitantur omnes. Sane quam verissimum est, quod apud *Ecclesiast. cap. X, 19.* legimus: *pecuniæ obediunt omnia.* Quod inter prouerbia adduxit Adagiographus, vbi ex profanis adducit non pauca. Dixit ipsa rerum experientia doctus Cicero *lib. 3. in Verrem: nihil esse tam sanctum, quod non violari, nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia possit.* Et explicatius Horatius *lib. 2. Satyra 3.*

Omnis enim res
Virtus, fama, decus, diuina, humanaque pulchris
Divitiis parent, quas, qui construxerit, ille
Clarus erit; fortis, iustus, sapiens etiam, & Rex,
Et quidquid volet.

Pelles publico charactere consignata.

Et *lib. 1. epist. 6.* eadem ferme repetit. Augustinus præterea *de doctrina Christiana lib. 1. cap. 3.* pecuniæ nomine quidquid est in rebus significari docet. *Totum, quod homines in terra habent, & quorum domini sunt, pecunia dicitur, quia antiqui quod habebant, in pecoribus habebant.* Quare, si vt est omnium pene gentium conspirans & multiplici experimento iamdudum confirmata sententia, in pecuniis esse omnia, qui pecunias, id est, pelles publico charactere signatas tradiderit, amiseritue, ille tradidisse, aut amisisse omnia censeri potest.

pag. 45. b
11. *Corium pro pecunia.*

Quod vero variæ nationes olim, inter quas fortasse numerari possunt Idumæi, pro ære, corio, in coemendis distrahendisque rebus vterentur: neque apud illos aliud esset pecuniarum genus, id nobis explorandum est. Coriaceæ pecuniæ meminit Plutarchus *in vita Numæ*, & Hieronymus *contra Rufinum*, ad quem sic scribit: *& cum montes auri pollicitus fueris, ne scorteum quidem nummum de thesauris tuis proferas.* Donatus in illud Virg. *lib. 1. Æneid.*

Mercatique solum facti de nomine byrsam
Taurino quantum posset circumdare tergo.

tradit, pecuniam ex corio bubulo priscis temporibus fuisse, & a pecore tunc primum duxisse, deinde adhuc mutata materia, retinuisse vocabulum. Sic autem a quibusdam expositum dicit Virgilianum carmen: tantum agri emptum a Didone, quantum nummi valerent, qui ex corio bubulo cudi potuissent. Lacedæmonios coriaceo vsos esse numismate, docet Nicolaus περὶ ἐθῶν, & ex eo Stobæus *cap. 42.* & aperte Seneca *de beneficiis lib. 5. cap. 14. Æs* (inquit) *alienum habere dicitur, & qui aureos debet, & qui corium forma publica percussum, quale apud Lacedæmonios fuit.*

Alii in pelle vitam intelligunt, & hunc esse sensum arbitrantur: vsque adeo homini 12.
charam esse suam vitam, vt præ illa reliqua contemnat omnia, pellem nempe pecorum, id est, vitam, pellem item filiorum, quos periisse nihil habet pensi, dummodo illorum morte suam vitam redemerit. Quæ sententia vera est, quia homini nihil est charius quam ipse sibi. Quare cum vitam Iobus adhuc retineret suam, facile fert, sublatos esse numerosos armentorum greges, oppressos esse filios, ruente domo, & ab omnibus omnino fuisse nudatum.

Alias explicationes omitto, ne longus sim: 13.
& quid ipse sentiam, iam expediam. Et primum non respuo, quæ modo produxi, licet in illis aliquid inueniam, quod minus probem, & deinde puto, quod alii etiam ante me, hoc esse prouerbium illis sæculis, & Idumæis forsitan præcipue familiare, quo significant antiqui, pro tuenda vita omnium rerum iacturam esse subeundam non illibenter.

Præterea antiquissimis sæculis vestes fuisse 14.
pelliceas, ipsa rerum natura docet, quia illa tempora fuerunt rudia, quæ inuentis potius, & oblatis a natura tam in cibis, quam habitaculis, & corporis tegumentis, quam artificio aliquo quæsitis & ornatis vtebantur. Quare dico, vt dicit Plinius *lib. 7. cap. 56.* specus fuere pro domibus: quia illæ relictæ fuerant a natura, neque vlla indigebant hominum molitione. Cibus erat, quem vltro terra fun-

E pellibus ad longa sæcula vestes hominum.

 deret,

deret, siue ex herbis, siue ex arborum fructibus. Donec (vt docet Plinius *supra*) Eurialus & Hyperbeus fratres domus construxere lateritias, & Doxius luteas, exemplo sumpto ab hirundinibus. Et Ceres artem molendi, coquendique frumenta reperit. Vnde Panificii existimata est Dea. Neque vinum ante Noe tempora cognitum est. Profani vini vsum Libero, seu Baccho ascribunt. De quibus Maro *lib. 1. Georg.*

Cibus olim, & domus a natura, non ab arte.

Liber, & alma Ceres, vestro si munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutauit arista
Poculaque inuentis Acheloia miscuit vuis.

Vt ergo hæc habuerunt antiqui non ab artis aliquo lanicinio, sed a natura, quæ simplicior est: neque tam amat, aduocatque, quam respuit hæc artificum nimis delicata & ambitiosa commenta: sic & quæ accepit a Deo ab ipsis parentum nostrorum incunabulis integumenta, pelles nimirum belluarum, ad longissimum vsque tempus cum simplicitate retinuit: donec artem ducendi fila ex lino, ac lana, & textrinum opus hominum siue elegantiæ studium, siue mollities inuenit. Quis autem inuenerit, incertum valde est. Neque credo aliquid affirmarunt antiqui, nisi coniectando. Lyra in *c. 4. Gen.* & Abulensis ibidem *q. 4. v. 22.* Noemam filiam Lamech, & sororem Zubal Cain lanificium inuenisse tradunt ad conficiendas vestes, cum ante illud tempus belluarum pellibus tegerentur. Sed vnde id acceperit Lyra, non dicitur, neque ego inuenio. Rabbinorum hoc credo commentum esse, qui cum noui aliquid afferant, & ad plausum; de rerum fide non admodum laborant. Profani hoc ad Palladem referunt, cuius solertiæ opus adscribunt textile. Plinius *lib. 7. cap. 56.* hoc artificium Arachnæ, & eius filio Closteriæ tribuit.

pag. 46. a

Quis inuentor lanificii & artis vestiariæ.

15. Quicquid de indumentorum inuentoribus, & eorum ætate sit, constat, antiquissimis sæculis quam diutissime pellicea integumenta durasse. Hic communis hominum sensus, qui in suis siue historiis, siue in scenis & ludis antiquos homines pellibus induunt: quo referunt, atque imitantur antiqui temporis consuetudinem. Sic sane Pollux *cap. 18.* & comicos senes, & vetulas διφθέρας, inducunt, id est, pellibus. Dii, qui a gentilibus prima mundi ætate vixisse existimantur, nudi plerumque, aut pelliceis vestibus induti finguntur. Bacchus fingitur cum Tigridis exuvio, cum leonis Hercules, & Heroës antiqui aut cum pelle sola, aut pelle dignitatis gratia vestibus inducta. Sic Virgilius de Euandro *lib. 8. Æneid.*

Heroes antiqui, & senes in scena vestiti pellibus induuntur.

Demissa ab læua Pantheræ terga retorquens.

Et de Rege Aceste *lib. 5. Æneid.*

Occurrit Acestes
Horridus in iaculis, & pelle Libitidis vrsæ.

Paridem Homerus *lib. 3.* pardi pelle, & Agamemnonem leonis induit, quos posteri deinde imitati sunt. Indutum leonis exuuio Annibalem inducit Silius *lib. 15.* & conscripti patres primis Romanæ reipublicæ temporibus (vt cecinit Propertius) pelliceis vtebantur tegumentis, qui ideo vocantur Pelliti.

Curia prætexto quæ nunc nitet alta senatu,
Pellitos habuit rustica corda patres.

Lucretius primæuos homines dicit vixisse nudos, (qua in re procul dubio fallitur,) nec nisi longo post tempore vestes habuisse, easque pelliceas:

Nec dum res igni scibant tractare, neque vti
Pellibus, & spoliis corpus vestire ferarum.

Neque tantum Heroes dignitatis gratia adhibuerunt sibi ferarum exuuias, sed etiam Heroides, id est, illustres fœminæ: quia id sibi futurum putabant ad dignitatem. De Camilla puella Regia Virgilius *lib. 11. Æneid.* 16.

Heroides pellibus vsæ.

Pro crinali auro, pro longæ tegmine pallæ
Tigridis exuuiæ per dorsum a vertice pendent.

Et *lib. 1. Æneid.* Venerem, quam nympham venatricem facit, inducit de sororibus venatricibus quærentem.

Monstrate mearum
Vidistis si quam hic errantem forte sororum,
Succinctam pharetra & maculosæ tegmine lincis. pag. 46. b

Deinde obseruo, *cutem*, seu *pellem* aut *pelliculam* sumi pro toto animali, rem nimirum continentem pro contenta. Quod etiam Latini obseruant; & modus loquendi illis familiaris non obscure docet, *curare pelliculam*, idem est, atque indulgere genio, & suam curare valetudinem, ita vt nihil in toto corpore ægre habeat, quod intra pellem, seu cutem continetur. Horatius *lib. 2. Satyra 5.* 17.

Cutis, seu pellicula pro toto animali.

Pelli-

Pelliculam curare iube.
Et *Epistola 2. lib. 1.*
In cute curanda plus æquo operata iuuentus.
Et iterum *epistola ad Albinouanum:*
Me pinguem, & nitidum bene curata cute vises.

Quem sensum explicuit Hispanus, qui dum alicui significat esse suæ vitæ, aut valetudinis curam, hoc declarat modo: *cuyda, o mira por su pelleio.*

18. Ad extremum observandum id quod supra dicebamus ex Sancto Thoma, & Chrysostomo, & Olympiodoro, ex diaboli siue sententia, siue malitia ideo spoliatum Iobum a rebus aliis, nempe ab armentorum gregibus, & lauta atque numerosa familia, benedixisse Deum, & quicquid erat reliquum obtulisse: vt vitam, quam solum retinebat, ex illo naufragio conseruaret potius, quam quod amaret Deum, aut illum eo sacrificio venerari vellet.

19. His omnibus ita constitutis explicationem aggredior, eo mihi gratam minus, quod autorum patrocinio caret, a quo non parum acciperet momenti. Si, vt superiorum temporum ferebat consuetudo, Iobus tegumento vteretur pelliceo, ita ut quam discidit vestem, pellis esset, explicatio, quam informare studeo, minus esset difficilis. Tunc enim dixisse diabolus videri potuit, non esse mirum, discidisse Iobum pellem, id est, vestem, quam tunc pelliceam habuit, & eam obtulisse, quandoquidem de sua pelle videbat agi, id est, de sua vita, cuius periculum oblata pelle declinare voluit. & ideo dedit pellem externam pro natiua & propria, & Deum, a quo abhorrebat animus, simulata laude prosecutus est. Hæc diabolus.

20. *Iobus non videtur vestem habuisse e pellibus.* Non puto Iobum vestitum esse pellibus, quemadmodum Adam, aut qui priora mundi sæcula viderunt. Tum quia illius ætas elegantior erat & cultior: neque Regia, neque regiæ proxima conditio syluestrem illum cultum patiebatur. Tum etiam, quia iam fertilis erat lana, & linum, & ars inuenta, quæ habilia corpore tegumenta, imo & pretiosa quædam ornamenta conficeret. Sane velamen oculorum, quod dedit Saræ Abimelech *Genes. XX.* ex pellibus non erat, quando pro illo emendo mille accepit argenteos Abraham. Neque apte in pelliceas vestes conuenirent ornamenta ex auro, quæ data sunt Rebeccæ pro nuptiali cultu. Et vestis polymita, quam dedit Iacob filio suo Ioseph, non videtur esse potuisse pellicea. Adde, quod ab ipso Iobo discimus, sua ætate opus fuisse textrinum *cap. VII, 6. Dies mei velocius transierunt, quam a texente tela succiditur.*

Sed est eadem omnino ratio, si pellem habuit externam aliis inductam vestibus, qualem, vt nuper dicebamus, habuerunt Heroes: & quæ erat regiæ aut splendidæ dignitatis insigne. Quam cum Iobus disrupit, abiecisse videbatur, quam apud suos habuit dignitatem & locum, maxime cum se pariter abiecisset in terram. Quo significabat, nihil sibi esse cum sublimi statu, sed omnia voluisse reddere illi, a quo se habuisse eo corporis habitu profitebatur. Quod si neque hoc posteriori modo vestem Iobus habuit pelliceam, non tamen ideo nostra laborat explicatio. nam (vt paulo ante dicebamus) vsitatissimum est in omni natione ac lingua, vt mutata materia nomen tamen antiquum retineatur. Quo modo annua militum aut seruorum stipendia nominantur *congiaria*, siue *salaria*, quia vino & sale illorum quondam operæ pensabantur. Et hoc ipsum verbum *penso*, quod mihi excidit, proprium erat æris rudis, quod olim a libripende pendebatur, seu pensabatur. Nunc autem eo frequenter vtimur, cum pecunia signata numeratur. Atque ideo ad antiqua tempora respectantes dicimus: pendere pecuniam, metiri stipendia. Rudioribus sæculis ex carice & calamo fiebant scriptoria instrumenta, quæ stylis & graphiis successerunt. nunc illa licet, vt iam pridem fert vsus, ex auium pennis concinnentur, aut etiam, vt lautiorum hominum vanitas induxit, ex auro fiant, vel argento; nihilominus retento antiquo nomine calami vocantur. Duo habemus exempla a Seneca *libr. 5. de beneficiis cap. 13. & 14.* Pyxis capsella est ex buxo, quæ ideo ab Hispan. *buxeta* dicitur. Sed quia hæc ad continenda vnguenta antiquissimum olim & aptissimum vsum præbuit, fit, vt quodcunque vasculum, quod talem habuit vsum, ex quacunque materia perfectum appelletur pyxis, sicut etiam ab Hispanis *buxeta.*

Margin: 21. — pag. 47. b — REGVLA: *Rerum, quæ iam exoleuerunt, nomen seruant, quæ illorum loco suffectæ sunt.*

xeta. Olim ex ære percusso, aut interdum rudi fiebat moneta, quod nomen postea in re nummaria datum est auro & argento, aut etiam corio, quod quibusdam nationibus pro pecunia fuit. Sic debitor dicitur esse sub alterius ære, aut æs alienum contraxisse. *æs* (inquit) *alienum habere dicitur, & qui aureos debet, & qui corium forma publica percussum.* Sic etiam cum multis sæculis vestes essent non ex lana textili, sed ex pellibus, quid mirum, si vestis, ex quocunque textu seu materia fiat, pellis vocetur?

22. Cum autem pellis referri possit ad omnia bona, quæ Iobo siue a prædonibus, siue ab igne cœlesti, siue a ventorum turbine erepta atque subuersa sunt, ita vt Iobus, dummodo suam retineat pellem, id est, incolumitatem & vitam, de suorum pecorum, aut filiorum pelle non laboret, quia libenter commutaret pro sua. quod plerique sentiunt & fortasse bene; tamen potius arbitror referri debere ad illa, quæ post auditam filiorum cædem & bonorum omnium direptionem, ipse vltro sibi eripuit, & Deo obtulit, vt diximus supra ad illud *cap. I, 20. Scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram adorauit.* Conscissio enim vestium, & capitis tonsio, & in terram abiectio, non fuit nata a subita consternatione impotentis animi, sed ab antiqua meditatione, qua se suaque omnia largitori eorum iam ante tradiderat. Quare vestimenta, quæ diabolus nunc pellem vocat, dum conscindit, Deo reddit, a quo ipse meditabatur reliqua fuisse concessa atque sublata. Atque ideo dixit, *Deus abstulit.* & cum tonsus esset & stratus humi, id est, exautoratus & vilissimus hominum, quidquid habebat reliquum dignitatis, diuinæ dispositioni subiecit, & licet acerrime tentatus, stetit tamen, & antiquam retinuit innocentiam, quam celebrauit Deus, obiecitque dæmoni quodammodo insultans, quod tam dura vexatione non potuerit durissimum athletam vel ad vnum tantum verbum adigere, quod impietatis aliquid oleret.

pag. 47. b

23. Quod vero hæc tantum, aut præcipue respexerit dæmon, ex eo coniecto, quia refutare voluit verbum illud *adhuc retinens innocentiam*, id est, subuersis opibus, extinctis filiis, (id enim valet illud *adhuc*) adhuc tamen iustus est & recedens a malo: adhuc quod reliquum habuit mihi tradit; adhuc pellem, id est, corporis tegumenta conscindit; adhuc terram amplexus adorat: neque vnquam magis aut subditus, aut deditus mihi, quam cum tuos in illum stimulos adegisti, & ornamentis omnibus & vitæ subsidiis spoliasti.

His commode subiicit dæmon, quod Iobus pellem externam laceret, id est, vestimenta, offeratque Deo stratus humi; quod laudet Deum, quod gratias agat, quod pronus veneretur, mirum non esse, cum adhuc supersit, quod seruatum velit: pro cuius possessione nullam homines iacturam recusant, nullum non aggrediuntur laborem. Quod si velit experiri Iobi virtutem & sincerum animum, tunc obtinebit facile, cum non externam laceret pellem; sed internam & propriam lacerari videat. id est, cum sibi a diuina potestate liceat corpus percutere, & plagis ad ignominiam fœdis, ad dolorem acerbis, & deformare turpiter, & cruciare vehementer. 24.

In *pelle* porro non tantum intelligi vitam, quod plerique censent, sed corpus, facile ex eo colligere posse videor; quia ex ea pelle dæmon voluit experimentum capi, in quam videbat nihil sibi a Deo fuisse permissum. Quod autem cuperet, ipse significauit, cum addidit: *mitte manum tuam, & tange os eius, & carnem: & tunc videbis*, &c. Cuius Deus petitioni sic arrisit, vt alteram partem concesserit, alteram negauerit. Concessit, vt carnem tangeret, & ossa; iussit tamen, vt ab illius anima, id est, vita, omnino temperaret. Hæc mea cogitatio est, in qua nihil impeditum, aut difficile videtur; quam ita propono, vt alias non improbem, imo potius lectori maxime commendem. 25.

Et tunc videbis, quod in faciem benedicat tibi.] Quid sit in faciem benedicere, explicuimus *c. I, ad v. 11.* Illud *benedicat*, tempus indicat, quod antecessit proxime. cum stratus humi cecinit Iobus, *sit nomen Domini benedictum.* Quod quia proxime auditum fuerat, Scripturæ more iudicari pro præsenti potuit. Aut fortasse ex quo plagam illam ingentem accepit, diuinas laudes nunquam intermiserat. Sed adhuc in ipso articulo laudabat Dominum: 26.

num: illique se totum, & quicquid habebat reliquum, offerebat. Ait ergo diabolus, tetigisti adhuc illa, quæ Iobum non tangunt, tange os & carnem, & tunc apparebit simulatam esse ac mercenariam laudem, non tam e corde sincero ac pio, quam ex cupiditate atque ambitione profectam.

27. Huc vsque diabolus: cuius verba, si rationes expendas tantum humanas, quæque nihil intuentur sublimius, quam verissima sunt. Neque enim homo quicquam seipso charius habet. Quare pro pelle propria, id est, pro corpore, vt illud seruet a plaga atque dolore vacuum, facile patitur aliarum rerum detrimentum, & multo magis pro vita, cui vel ab hoste, vel a morbo, vel ab alia naturæ aut fortunæ necessitate periculum timet. Dixit itaque, quod ipse, vt est humanarum rerum, aut studiorum scrutator acerrimus, optime nouerat, *cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima sua.* Nemo vnquam dubitauit, cum aliter non potest, omnes opes latroni tribuere, vt ex illius manibus liceat incolumem abire. Recusauit nullus merces proiicere, ac ornamenta omnia, vt liber a fluctibus enatet in littus. Facile quis iam appetenti tauro, vt in Hispanorum ludo sæpe videmus, pallium abiicit, & nudus mauult saluus euadere, quam oneratus pallio misere perire.

Pro vita facile contemnuntur reliqua.

pag. 48. a

28. Sed, vt dixi, hæ humanæ rationes sunt. nam qui diuina expectat, præ quibus humana hæc adeo vilia sunt, vt omnino sordescant, facile pellem ipsam vitamque contemnunt, cum de meliori pelle ac vita vident esse periculum. Et sicut casto adolescenti Iosepho difficile non fuit, pellem, id est, pallium relinquere in adulteræ manibus, ne castitatem, & fidem Domino suo debitam, id est, longe meliorem pellem amitteret: Sic qui ad stolam immortalitatis aspirant, non dubitant stolam illam deponere, quæ corrumpit, & non tam munit & roborat, quam debilitat animam.

Pro beatitudine relinquenda & sustinenda omnia.

29. Sic faciunt quotidie innumeri prope prudentium greges, qui vitam abiiciunt suam, quam nimirum hauserunt ab Adamo, vt induerent Christum. Neque legi iam obsequentur membrorum, sed ab spiritu & a maiori ac meliori Domino reguntur. Qui serpentis prudentiam imitati pellem dant pro pelle, licet angustæ atque asperæ rimæ, & sentes implexæ subeundæ sint, vbi pellem hiberno situ squalidam & scabram exuant, vsque ad oculos: ita vt seipsos retexuisse atque exuisse videantur; quod faciunt non grauate, vt pellem induant nouam, & nitentem. De quibus Tertul. *lib. de pallio: Serpens* (inquit) *quod fortius est, conuertit corium, & æuum, si quidem vt senium persensit, in angusta se stipat, parietis specum ingrediens, & cute egrediens (id est, egrediens ab antiqua cute: & quodammodo a seipso) ab ipso statim limine erasus, exuuiis ibidem relictis, nouum se explicat cum squamis, & anni recursant.* Quid aliud religiosi faciunt, dum artam ingrediuntur viam, quæ ad vitam ducit, nisi vt a seipsis egressi per rerum omnium abdicationem, & omnino nudi per angustos aditus ad meliorem pellem verumque tepore menitantur? Est autem illud ad hoc institutum obseruandum maxime, serpentibus, dum senecta deponitur, lacerari oculos & caudam amputari. quæ tamen (vt autor est Aristoteles *libr. 8. hist. animalium cap. 17.*) renascuntur iterum. Quod apte explicat, quid religiosi viri ex hac commutatione consequantur, qui eruunt sibi oculos, quos hybernus situs in subterraneis latebris credidit aut cœcos, aut obtusos, & assumunt perspicaces & firmos, qui longe contemplantur: neque illos aut alta fugiunt, aut lucida perstringunt. Esse vero serpentum perspicacem & firmam oculorum aciem, ipsum indicat nomen; dicitur enim aut ὄφις ab ὄπτω, aut draco a δέρκομαι, vtrumque autem cernere significat, vnde ortum prouerbium ὄφεως ὄμμα, id est, serpentis oculus, pro nimis acuto.

Serpentis imitanda prudentia, quæ pellem exuit.

Serpentis acuta oculorum acies.

Vers. 6. *Ecce in manu tua est: verumtamen animam illius serua.*] Non recusat Dominus conditionem, gnarus, qualis futura Iobi constantia, qualis futurus esset exitus vexationis duræ. quare natiuam Iobi pellem, id est, corpus & ossa dæmoni permittit, vt illam quam vellet acerbissime subigat ac laceret: ita tamen, vt animam seruet, id est, parcat vitæ, quam ad extremum, vbi perfunctus fuerit longo certamine, munerare vult. Multi hic de spirituali morte sermonem esse putant. Et in his Gregorius, Origenes, Olympiodorus;

pag. 48. b
30.

Quæ potestas sit diabolo denegata in animam Iobi.

rus; quod sane videtur durum: nam Deus non prohiberet dæmoni, quod in ipsius potestate non esset. At dæmon, nisi vltro velit homo, non potest in peccatum inuitum trahere. Suadere quidem & latrare potest; at persuadere, nisi homo velit, aut mordere non potest. Deinde non prohibet, ne omnes adhibeat machinas, vt illum ad peccandum inducat: neque enim quicquam posset, aut tentaret dæmon, quod sibi non prius foret a Domino permissum. Et ea omnia, quæ ad oppugnandum Iobum comparauit tormenta, eo spectabant omnia, vt antagonistam suum ad verbum impelleret blasphemiæ: vt reipsa probaret non tam esse iustum, quam prædicabatur a Domino. Quod non esset assecutus, nisi Iobus tentationi succumberet & ad animum peccatum admitteret.

31. Alii in animam Iobi diabolo potestatem negatam esse dicunt: quia licet diabolus nequeat hominem ad peccatum trahere, id est, ad animæ mortem; potest tamen illi variis nocere modis, & sic afficere, vt ad virtutum opera sit inepta, & pro eo statu meritorum incapax, vt si illius obscuretur debiliteturque facultas; quibus ligatus neque meditari possit, aut velle honesta, aut ea facere, quibus Deus in cœlo paratum habet præmium. Hoc vero aliquo modo tangere est animam, & licet non deducitur ad mortem, eo tamen adigi potest, vt censeri posit infirma. ita ex Rab. Salom. refert Lyra, & Eugubinus. Tenent aperte Didymus & Olympiodorus, vterque *in catena:* & expresse Cassianus *col. 7. c. 12.* quæ est Abbatis Ier. vbi cum docuisset, quomodo diabolus obscurare mentem atque infatuare posset, sicuti vini exuperantis æstu, aut morbo, aut graui aliqua capitis collisione contingit, addit: *Quod ne Beato Iobo diabolus, qui carnis eius acceperat potestatem, molitetur inferre, præcepto Domini prohibetur, dicentis: Ecce trado eum in manus tuas; tantum animam eius custodi, tantummodo eum amentem ne facias debilitato animæ domicilio.* Eadem pene Didymus *in catena.* Qua in re duo Deus præcipue spectasse videtur, si vera est Cassiani Didymique sententia. alterum, ne Iobi illata tam acerba vexatio aliquo tempore excideret inutilis, quando nimirum indu-

Mens hominis quo modo possit infatuari a dæmone.

Deus nullam laboris nostri partem carere vult mercede.

cto mentis stupore, neque sentiret, neque cum pateretur damnum, neque cum sui foret impos, laudaret Deum, & talia ederet virtutis documenta, qualia integris sensibus, & sui omnino compos omnibus dedit. Vbi Dei mirabilem in suos prouidentiam agnosce, qui nec punctum temporis suis perire vult, neque partem laboris minimam carere mercede.

Alterum, ne sibi voluptatem illam eriperet, quam ex illo certamine capiebat. Dum spectaret agonistam strenuum multis confossum plagis; stantem tamen erecto animo, & hostem ipsum prouocantem, offerentem vltro iugulum, & obuersante ante oculos morte, laudantem Deum, & illius in se triumphum gloriose canentem. ita de Iobo Chrys. *in Catena. Obserua* (inquit Deus Satanæ,) *ne quid in vitæ ratione patiatur, etenim si de medio eum sustuleris, theatrum nobis non plaudet amplius.* Dixit hoc idem Seneca adeo sapienter, & pie, vt si gentili quædam nomina summoueas, Christianum putes. Sic autem ille *de diuina prouidentia c. 2.* vbi docet, cur bonis viris mala aliquando accidant: *Spectant* (inquit) *Dii magnos viros colluctantes cum aliqua calamitate. Nobis interdum voluptati est, si adolescens constantis animi irruentem feram venabulo excepit, si leonis incursum interritus pertulit.* Tantoque spectaculum est gratius, quanto id honestius fecit. Non sunt ista, quæ possunt Deorum in se vultum conuertere, *sed puerilia, & oblectamenta humanæ leuitatis. Ecce spectaculum dignum, ad quod respiciat intentus operi suo Deus. Ecce par Deo dignus vir, fortis cum mala fortuna compositus. vtique si & prouocauit. Non video, inquam, quid habeat in terris Iupiter pulchrius, si conuertere animum velit, quam vt spectet Catonem iam partibus non semel fractis, stantem nihilominus inter ruinas publicas erectum.* Hæc Seneca. Et quid idem diceret, si Iobum nostrum nosset, aut de illo accepisset talia, qualia de illo prodit non humana, quæ sæpe fallax, sed Spiritus sancti certa fides?

32. *Ex iustorum in tribulationibus patientia magnam Deus voluptatem capit.* pag. 49. a

Pulchra Senecæ de patientia sententia.

33. Quod si Iobi menti stuporem indidisset diabolus, aut vllum induceret morbum, qui phrenesim affert, non maiorem Deo voluptatem afferret certamen illud nobilis athletæ, quam belluarum pugna, aut hominis, qui vena-

Deus non permisit diabolo, vt animæ Iobi stuporem aut phrenesin induceret.

venabulo traiicit syluestrem feram: quæ Seneca nuper oblectamenta vocauit puerilia humanæ leuitatis. Is enim, qui stupore captus est, aut efferatus phrenesi, vt sensus aliquid habeat; mentis tamen aut nihil habet, aut adeo obscuratum & debile, vt vere possit amens, id est, sine mente existimari. Quid ergo Deus voluptatis caperet, si lacerare feram, aut exagitari a venatore cerneret? Non sane magis si virum videret iustum, commotum tamen mente, & sui omnino impotem a dæmone torqueri: vbi quia nulla est libertas, aut rationis vsus, neque habet Deus, quid laudet, aut probet: aut vlla videt merita, quæ mercede compenset. Stupidum autem hominem truncum appellamus, stipitem, aut saxum. Quare qui hominem compungit, lacerat, ac versat, cui inest stupor, similis est illi, qui saxum tundit, qui lignum dedolat, qui truncum decorticat, aut flammis abolet. Ex quo labore si alia desint, quæ hoc opus honestant, quæ Deo voluntas? Hinc igitur Deus tam seuere præcipit dæmoni, ne anima aliquo modo debilitata ac læsa in phrenesim Iobum, aut mentis stuporem inducat, vt Deus in tanto viro habeat, quo se oblectet, & quod debita mercede compenset. Quomodo vero dæmones excæcare possint atque infatuare homines, docet Martinus del Rio *lib. 2. disput. magicarum quæst. 24.* illum tu vide: neque enim mihi aut otium est, aut voluntas, ea de re pluribus disputandi.

34. Hæc sententia non omnino displicet, tamen placet magis illa, quæ in anima totum hominem, aut etiam hominis intelligit vitam. Quod in Scriptura sacra frequentissimum est: *anima alicuius* pro eo sumitur, cuius est anima. vt, *anima Petri*, pro Petro; eo sensu dicitur, *qui amat animam suam*, id est, seipsum: *animæ iumentorum* pro iumentis; pro vita millies. Hinc illud, *anima in manibus meis, & iustorum animæ in manu Dei sunt.* Hinc illud Eliæ *3. Reg. XIX, 4. tolle animam meam*, id est, occide me: & proxime, *pellem pro pelle dabit homo pro anima sua.* Iubet ergo Deus dæmoni, vt ita suam in Iobum potestatem & sæuitiam exerceat, vt vitæ parcat: & hominem excruciet, non extinguat. Hæc communis est sententia. ita paulo ante citatus Chrys. S. Thom. & omnes pene recentiores. Neque ratio deest, quia vt Deus voluit Iobi patientiam omnibus sæculis esse notam, vt haberent illustre ad imitationem exemplar, vt in dæmonis tentatione ac laborum tolerantia non deficerent: sic etiam voluit, vt benignitatis suæ atque fidelis prouidentiæ extaret exemplum, quod homines in media fornace & dolorum carnificina confirmaret, & ad omne certamen adeundum alacres redderet & audaces; cum videretur certamen non esse sine brauio, & labori largam propositam esse mercedem. Neque enim si exstinctus esset a dæmone noster Iobus, ea, quæ sublata fuerant ante, duplicata recepisset a Domino, neque vitam postea produxisset felicem & longam, quæ longæ posteritati diuinam commendaret liberalitatem & fidem.

Anima pro vita, aut pro toto homine.

pag. 49. b

Iubetur porro diabolus, Iobi seruare vitam, non quomodo is, cui alicui datur tutelaris & custos, qui attentus inuigilat, ne quid clienti suo accidat aduersi. Quid enim boni sperari ab eo possit, qui tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret? Quæ salus ab illo, qui hiantibus faucibus ad nostram cædem totus anhelat? Quid ouis speret a voraci lupo? Quid ceruorum hinulus a leone famelico? sed ea ratione a dæmone seruatur vita, quomodo a latrone seruatus dicitur, qui spoliatus licet ab illo, tamen interfectus non est. Latro enim illi dedisse dicitur, cui non abstulit vitam. Qui modus loquendi a Scriptura sacra alienus non est: in qua viuificatus ille ab eo dicitur, a quo vita priuatus non est. Vide quæ diximus *in nostris Commentariis ad lib. 1. Reg.* ad illud *cap. XXI, 5. Sanctificabitur in vasis*; & *cap. XXVII, 11.* ad illud, *vinum, & mulierem non viuificabat Dauid.* 35.

REGVLA. *Illud ab aliquo datum dicitur, a quo ablatum non est.*

Vers. 7. *Percussit Iob vlcere pessimo a planta pedis vsque ad verticem capitis.*] Cum primum facultatem accepit dæmon in Iobi corpus ante negatam, vt erat hostili quadam rabie atque furore percitus, egressus a facie Domini (quo sensu a nobis obseruatum est sup. *c. I, 12.* ad eadem verba) corpus, a vestibus iam antea conscissis nudum, sic acerbe lateque percussit, 36.

Quo morbo vexatus Iobus.

ſit, vt a vertice capitis ad plantam vſque pedum ab vlcere peſſimo nihil vacuum reliquerit. Quod ſit iſtud vlcus, nemo certo definire poteſt, quia nihil Scriptura certo definit; ſed vniuerſe vlcus appellat peſſimum: cuius generis variæ ſunt formæ. Neque ſigna, quæ ſacra proponit hiſtoria, eiuſmodi ſunt, vt certum aliquem morbum latentem prodant, cum multis morbis communia ſint: qui & turpiter fœdant & vehementer cruciant hominum corpora. Nam, quod corpus ſoluatur in ſaniem, & ſcateat vermibus, quod totum vlceroſum & putre, quod grauem aſpiret halitum, id a multis morbis prouenire poteſt.

Quidam in Iobo non vnum aliquod, ſed multa morborum genera videre ſe putant: quorum ſententiam ſicut probare non poſſumus niſi diuinando, ſic neque improbare aut volumus, aut audemus. Quare ab hac diſputatione prudens abſtineo: videat qui volet Pinedam noſtrum, qui hac de re latisſime, & Origen. *lib. 2. in Iobum*, vbi mirifice Iobi dolores & ſordes amplificat.

37. *Doloris & vlcerum Iobi amplificatio.* pag. 50. a

Verſ. 8. *Qui teſta ſaniem radebat*] Mire amplificat morbi vim, & Iobi in ea calamitate ſolitudinem: quando nemo illi operam præſtat neceſſariam ad ſiccanda vlcera, & ſaniem detergendam a toto corpore manantem. Qui nihil habuit in tam anguſto articulo commodius quam durum e tegula fragmentum; quod ad illud opus plane miſerabile non aliena, ſed ſua ſibi manu admouebat. Hic multa ſe nobis offerunt expendenda, quæ hunc Iobi ſtatum, & diaboli æſtuantem rabiem vehementem exaggerant. Qui eo adduxit hominem, in quem illi Deus poteſtatem fecit: vt cum eum miſerum reddiderit, & omnium opera ſiue ad animi ſolatia, ſiue ad doloris leuamentum indigentem; tamen ſic eſt ab omnibus derelictus, vt nulli miſerabilis videri potuerit: tetra enim ſpecies, & ex vlceroſo ac tabido corpore grauis anhelitus arcebat omnes. Neque ſi maxime cuperent ad illum accedere, permittebat odor, qui ex eo non tam viuenti corpore, quam putri cadauere expirabatur. Quod ipſe confeſſus eſt Iobus *cap. XIX, 17. Halitum meum exhorruit vxor mea.* Quo loco queritur ab omnibus ſe fuiſſe deſertum, qui piam ac miſericordem operam præſtare debuerunt.

Deinde obſeruandum, tantam vim eſſe humoris illius purulenti, tantam in eo ſtatu Iobi paupertatem, vt neceſſarium fuerit teſta detergi, quomodo domus a fimo & ſordibus emundari ſolent, quæ nemo manu tangere audet, nauſeante ſtomacho, & ipſa horrente natura. Quare cum lenius poſſet manu contrectare vlcera, & a ſanie taboque ſiccare, ipſa tamen vlcerum fœditas, & ex tetro aſpectu concepta nauſea faciebat, vt teſtaceo fruſto acuto & aſpero radere maluerit, quam manu leni, & tactu benigno magis, cum dolore longe leuiori mundare. Niſi quod pie nonnulli meditantur, ſicut prius diſciderat veſtes, vt magis eſſet nudus, quia ſe nudum eſſe Deo placere cogitabat: ſic etiam dolorem illum vltro ſumere voluit, quia dolores illos infligi ſibi a Deo meditabatur. Vel certe, quia ſic dolor contraxerat articulos, & manus ſic exederat morbus, vt ad omnem vſum redderet inutiles. Quare teſta manuum ſubiit miniſterium: & vtcumque digitis apprehenſa radebat potius, quam tergebat vulnera. Hæc duo poſteriora docuit Orig. *l. 2.* dum dicit, vſque ad vngues pollicum peruaſiſſe morbum, neque vllam fuiſſe partem a grauiſſimo dolore vacuam. Quocirca fruſtra adhiberet digitos & vngues, quorum non minor ſqualor & dolor erat, quam in reliquo corpore. Deinde docet, ideo ſumpſiſſe teſtam, vt dolorem augeret: *Non* (inquit) *accepit molle aliquid, vt abſtergeret molliter: ſed accepit teſtam duram, aſperam, vt raderet cum dolore ſaniem, & non extergeret blande.* Cuius rei rationem reddentem, Iobum ipſum inducit, & cum dæmone, earum rerum architecto, hunc in modum loquentem: *Ecce o malignisſime diabole, ſicut tunc, cum rem familiarem & filios mihi auferres: tunc denique ego, quod ſupererat, veſtem atque comam capitis conſcindens atque tondens tibi proieci, veſtem poſt rem familiarem, & comam poſt liberos. Sic etiam nunc, cum me ſæuisſima plaga percuteres, quod tibi ſuperfuit huius doloris, hoc nimirum ita abiicio, hac teſta dolores prouocando, atque exaggerando, atque exaſperando.* Ab hoc non diſſentiunt Gregor. Sanct. Thom. Apoll.

38. *Iobus vltro ſibi dolorem aſſumſit.*

39. *Iobus cum Deo contra ſeipſum facit.*

Apoll. *in catena*. Lyra, Dionys. Hugo, Al-
40. bertus. Quod si verum est, quod Tertull. docet *libr. de patientia capitul. 14.* multo est hæc tot autorum cogitatio verisimilior. Cum enim dixisset idem ferme, quod modo Origenes, addit, vsque adeo non declinasse aut lenisse dolorem molliori aliquo fomento, vt etiam sibi nouas doloris causas accerseret: *Dissecabat* (inquit) *malus*, id est, diabolus, *cum Iob immundam vlceris sui redundantiam magna æquanimitate distringeret, cum erumpentes bestiolas inde in eosdem specus, & pastus foraminosæ carnis ludendo reuocaret.* Hic Chrysostomus pulchre de hac Iobi sanie ac testa cogitat, & loquitur, in quibus aliquid pretiosum & expetendum maxime latere significat: quasi margaritam videat in concha conclusam, vnguentum in pyxide, in arca thesaurum: *Testam* (inquit) *accepit, qua sanies seruaretur; decuit ipsum dicere habentem testam illud 2. Corinth. IV, 7. habemus thesaurum hunc in vasis fictilibus.* Vere thesaurus est, qui corpus attenuat, qui exteriorem hominem corrumpit; interiorem renouat.

pag. 50. b

Vermes Iobus amare videtur, non horrere.

41. *Sedens in sterquilinio.*] Pro sterquilinio Hebraice est, אפר, *Epher*; quam vocem tam noster quam Interpretes alii, modo *puluerem*, modo *cinerem* vertunt. Quare quidam locum esse putant lugentibus aut pœnitentibus idoneum: qui ideo iacere dicuntur in squalore ac sordibus. & huc fortasse respexit Iobus ipse, dum *cap. XLII, 3. 6.* ait: *Insipienter locutus sum: idcirco ago pœnitentiam in fauilla & cinere.* Et eodem, quo Iobus, habitu ac loco sedisse existimari possunt ipsius amici, qui sedisse dicuntur in terra, & conscidisse vestes, & super caput suum sparsisse puluerem, vt socii viderentur doloris & luctus, & quadam illius conditionis communione, aut communionis specie dolorem illius amice solarentur. ita ex recentioribus putant Vatablus, & alii, licet obscurius. Est tamen communis omnium consensus, in sterquilinio iacuisse Iobum, id est, in fimeto & coaceruato stercore. Quod eo consilio fecisse existimatur, vt sicut radendo vulnera tegulæ fragmento dolorem acuebat; sic contempto lecto & molliori recubitu, vt antiquam dignitatem & splendorem abiiceret, illum elegit locum, vbi canum & iumentorum cadauera putrescunt.

Magnum Iobi humilitatis exemplum.

Hoc Iobi præclarum opus mirificis encomiis efferunt Patres; & in describendis doloribus, quos in illa palestra, aut potius carnificina pertulit, quodammodo luxuriant. 42.
Multa hic afferri poterant ex Chrysostomo, Gregorio, Hieronymo *ep. 34.* Basilio *orat. de patientia.* Addo tamen ex multis, quæ adducit Origenes, pauca, tu ab eo plura pete; ex *lib. 2. Omne corpus & membra iusti illius vno circumdata erant dolore: omnia vsque ad ipsa pedum vestigia vno vulnere destillabant, vna putredine detentus erat, iisdem vermibus scatebat: iacere non poterat, sedere non valebat; requiem non habebat, resumptionem non inueniebat: & quod erat omnium maximum super hæc vniuersa fame & siti necabatur. Nam manibus cibum sibi, vel potum ad os porrigere non poterat: tametsi manibus ad os porrigere valeret, ore ac labiis, putredine ac vermibus plenus recipere non valebat. Attestatur idem ipse dicens paulo post: Scatere video escas meas tanquam odorem leonis.* Eadem pene Chrysostomus *hom. 5. ad populum.* Dirum sane ac miserabile spectaculum, os exesum ab vrente morbo manans sanie: quod non tam recreatur, quam exulceratur a cibo: quia a saniosa manu non sine grauissimo dolore per summam difficultatem admouetur.

Descriptio exulcerati corporis.

Hoc mihi certius est, quod de aceruato stercore dicebamus: quia eo conspirat frequens Interpretum sententia. Neque tamen ideo mihi videtur improbabile, quod 43.
suspicabar *in Commentariis super Hieremiam* ad illud *cap. XVI, 4. In sterquilinium super faciem terræ erunt.* vt enim stercus non solum dicitur fimus; sic etiam sterquilinium non semper est fimetum. Est autem sterquilinium locus immundus, quæcumque in illum locum sordes congerantur. Terra sane & puluis, in quibus miseri atque lugentes sedent, etiam si in illis obscœni nihil sit, aut confecti, & digesti iam cibi animalium nullæ reliquiæ, stercus appellatur. Etsi illa paulo sit immundior, nihil obstat, quominus posset sterquilinium appellari: illud indicant *Psal. CXII, 6. 7.* vbi quid eo loco *terra* significet, posterius hemistichium ostendit, quod per epexegesim

pag. 51. a

Sterquilinium quid.

gesim priorem partem continet, & declarat: *Suscitans de terra inopem, & de stercore erigens pauperem.* quam prius *terram*, postea *stercus* vocat. & *1. Reg. II, 8. Suscitat de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem;* vbi similis est epexegesis. Sic ego putabam, in citato Ieremiæ loco sterquilinium vocari partem illam terræ, in quam mortuorum cadauera proiecta sunt, aut vbi in illa strage ceciderunt. Neque aliud esse puto sepultura asini sepeliri, quod de Ioachim dicitur *Ier. XXII, 19.* quam super terram inhumatum iacere, vbi coruos pascat, & laceretur a canibus. Neque enim in eo, quod proprie sterquilinium dicitur, putrescunt asini, sed in eo plerumque loco, in quem eos cadere contigerit. Certe qui, duce Sisara, ceciderunt de Madian, quia insepulti manserunt, facti sunt stercus terræ: atque ideo illa cadauerum congeries appellari iure optimo potuit sterquilinium. De quibus *Psal. LXXXII, 11. Disperierunt in Endor, facti sunt, vt stercus terræ.* Hebraice, *facti sunt stercus.* Quare in sterquilinio dici potest iacuisse Iobus, qui eo erat in statu sic ab atra lue liquefactus atque consumptus, vt vocari non posset homo, sed spirans cadauer, aut hominis mortui viuum simulacrum: quia ibi ex sanie ac tabe madebat solum, putridæ carnis frustis fœde constratum: ex quibus non leuior aspirabat fætor quam exhalat fimus, aut putre cadauer. Hæc mihi placeret maxime, nisi contra staret communis autoritas.

44. *Iobi sterquilinium videtur fuisse extra ciuitatem.* Hic quæret aliquis, an in ciuitate aut in domo sua iacuerit Iobus, an vero extra ciuitatem sub cœlo? In ciuitate regiaque domo, ac sua nonnulli putant: quia neque legunt, domum illam regiam fuisse subuersam: neque passuros esse credunt cognatos, aut ciues, de quibus ipse fuerat optime meritus, quasi mortuum canem, aut moribundum asinum excubare foris in sterquilinio; quod non vnius Iobi foret, sed commune dedecus ciuitatis. Sed est illa sententia recepta magis, quæ tetrum illud & obscœnum hospitium extra ciuitatem constituit, idque non pariete, non velo ac stramine tectum, sed omni ex parte apertum ac subdiale, ita vt omnes cœli ac temporis iniurias admitteret. Ita multis in locis Chrysostomus *homil. 4. in Iob* & *tom. 5. homil. 14.* Orig. *l. 2. in Iob.* Beda, Polychronius ac Apollinaris *in catena*, & ex recentioribus Eugubinus, & Pineda. Quam sententiam confirmat magis Septuaginta translatio: vbi disertis verbis dicitur Iobus extra ciuitatem illud diuersorium habuisse, & pernoctasse sub dio. Neque ratio defuit, quæ tot autores in illam cogitationem induxerit.

Prima dæmonis insidiosa malitia, quæ ciuibus atque cognatis persuasit, quo magis derelictum hominem ad desperationem adigeret, seu ad verba blasphemiæ, vt illum tanquam commune contagium & publicam pestem euitarent, & foras eiicerent: ne ex illius familiari atque incauto congressu in publicum damnum contagio serperet. Id vero ita contigisse ipse docet Iob. *c. VI. & XIX.* 45. pag. 51. b

Altera est ipsa Iobi necessitas: quia, vt dicit Chrysostomus, neque illi a dæmone relicta domus est, quam euertisse existimari potest, sicut euertit illam, vbi ipsius filii agitabant sociale conuiuium. Neque credibile est huic pepercisse, cum in omnia bona antagonistæ sui potestatem haberet, & a domus ruina non leuem videretur plagam accepturus. Cum igitur nullam haberet domum, & omnes illum tanquam pestem horrerent, ne quid oblato hospitio tetrius inhalaret, & suggerente dæmone grauiora metuerent, quam ipsa morbi natura minabatur; necessario illi in aliquem desertum locum abeundum fuit.

Tertia, quia fortasse sicut postea Israelitis edictum fuit, vt extra castra eiiceretur leprosus, ne quid ab illo noxium reliqui contraherent. *Leu. XIII, 46.* Sic fortasse idem cautum erat apud Idumæos. Quod, vt opinor, non minus Iobus seruaret, quam Israelitæ: apud quos tantum habuit ponderis, & publica salus, & legis obseruantia, vt Rex Azarias qui & Ozias *4. Reg XV, 5. 2. Par. XXVI, 21.* separatam habuerit domum ab aliis, quia leprosus, neque ad mortem vsque fuerit ad aliorum societatem admissus. Quod si ita esset, Iobus, qui Rex, qui custos legum & vindex erat, qui salutis publicæ curator, & patriæ pater, non exigeret a seipso, quod reliqui e populo, ipso agente rege, subire debuissent? 46. *Leprosi extra ciuitatem eiecti.* *Cur Iobus extra ciuitatem esse voluit.*

Quarta, quia id exigebat, etiam si nihil esset 47.

set a lege perscriptum, patriæ & subditorum charitas, quorum ipse saluti cauere debuit. Vt ergo nihil ab ipsius congressu pateretur commissus sibi populus, pati ipse voluit, & ignominiam summam, & eo carere leuamento, quod in eo dolore videbatur fere non exiguum. Eam rationem adducit Origenes *lib. 2. Sedebat* (inquit) *super aceruum stercoris extra ciuitatem: me solum, inquiens, circumdant mala mea: mihi soli molesta sunt mea vulnera. Non efficiet, inquit, etiam aliis execratio, ne sim his, qui intra ciuitatem sunt, abominatio: ne exacerbentur etiam ciues ciuitatis propter meos dolores.* Hæc pia est cogitatio, & quidem, qui omnibus placere studuit, & quibus potuit modis commodare, verisimile est noluisse quicquam, si in hominum cœtu commoraretur, esse fastidio.

48. Alia ratio adducitur ab Origene *supra*, Chrysostomo *homil. 4. de Iob.* Polychronio *ad hunc locum in catena*, ideo voluisse in loco iacere humili, & extra ciuitatem, ibique patienter pertulisse omnia tam honoris, quam valetudinis incommoda, quia illa passurum esse Christum præuiderat, & illius se esse typum cognouerat: quæ cogitatio illi magna in tot laboribus consolatio fuit. tum quia gloriosissimum fuit Seruatoris stigmata in suo corpore gestasse; quod Paulus in summi honoris ac beneficii loco statuebat: tum quia Christi ignominiam ac mortem mortalitate ac gloria compensandam norat. Vnde sperabat, statum illum suum ærumnosum & sordidum non dissimiles habiturum exitus. de quibus *cap. XIX, 25. Scio, quod redemptor meus viuit: & in nouissimo de terra surrecturus sum,* &c. *reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Quam spem, sicut proposito quantolibet pretio non venderet: sic etiam puto, neque fimetum illud cum lautorum hominum deliciis & regio splendore commutaret.

Qui Christum patientem spectat, omnem ignominiam libenter subit.

Quomodo se homo ad labores & mortem comparare debeat.

49. Cum breuis esse studeam, vix tamen a meipso impetrare possum, vt ab isto Iobi sterqui-
pag. 52. a linio recedam. Ex quo plures, magisque pretiosas gemmas sumit pius & attentus lector, quam in Ennii stercore inuenit ille, qui Latinorum Poëtarum existimatur princeps. Sicut diu se ad illa corporis, & quæ vulgo putantur infortunia, comparauerat Iobus, quæ postea pertulit, ex quo id assecutus est boni, vt secundam fortunam moderate, & aduersam ferret non impatienter, vt dicemus pluribus ad illud *c. III, 25. Timor, quem timebam, euenit mihi:* Sic etiam mortem ipse secum diu ac sæpe meditatus, imo quoad ejus fieri potuit, non semel expertus, ad mortem se viuus ac sepulturam præparabat. De quo sic Orig. *l. 2. in Iob: Sedebat*, inquit, *super aceruum stercoris: stercus supra stercus, putredo supra putredinem. Nam quia omnis homo putredo, & filius hominis vermis, is, qui in putredine vermium est conuersus, sedet in putredine stercoris. Quod efficiuntur omnes homines post exitum animæ putredo & vermis. Hoc, inquit,* (Iobus) *præueniens adhuc anima in corpore posita, ego effectus sum.* Similia habet Didymus ad hunc locum *in catena.* Optime Gregor. *l. 3. Mor. c. 4. Beatus Iob, vt considerationem suæ fragilitatis etiam ex circumstantibus traheret, & ante oculos suos vim suæ despectionis augeret, non qualibet in terra, quæ pene vbique munda reperitur, sed in sterquilinio sedisse perhibetur; in sterquilinio ponebat corpus, vt ex terra assumpta, quæ esset carnis substantia, bene proficiens perpenderet animus. In sterquilinio ponebat corpus, vt etiam ex loci fœtore caperet, quod festine corpus ad fœtorem rediret.* Hæc eadem repetit Hugo, & addit, a tugurio & sordibus magis esse ad cœlum, quam a palatio & throno expeditam viam. Quid timeret mortem Iobus, qui se mortalem esse didicerat, & omnia pene iam esset expertus, quæ mors hominibus inferre aut auferre solet? Cum esset ab externis fortunæ bonis, ac filiis, & ab amicis nudus, sic a morbo putris, vt cadauer potius, quam animatum corpus censeri posset? Et ne quid huic statui deesset, sepulturam sibi delegit, eamque, vt mos illius temporis ferebat, extra ciuitatem, non ex pretioso marmore, quia se Regem esse non putabat, neque hominem quidem, sed hominis potius corpus exanime; sed sterquilinium, vt stercus cum stercore, & odorem pestilentem & grauem cum odore graui, itemque pestilente coniungeret.

50. *Præparatio ad mortem.*

Elegit item sterquilinium, quia acre sibi certamen futurum intelligebat, aut cum Deo, a quo se percussum & spolitatum putabat;

aut cum dæmone, cuius vim & calliditatem
51. & ingenium cognouerat. Humilitas enim, & propriæ vilitatis profunda cognitio, extorquet a Domino arma de manibus. Neque Deus illum hostili percutit aut infensa manu, quem abiectum videt, neque sibi iam amplius repugnantem; quod de leone tradunt historici rerum naturalium. Vide Plinium *l. 8. c. 18.* Ouidius *l. 3. Tristium eleg. 5.* sæuire negat leones in animalia prostrata: quod non attribuit ignobilioribus animalibus.

Quomodo cum Deo pugnandum, aut cum dæmone.

Leo non sæuit in prostratos.

Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni:
Pugna suum finem, cum iacet hostis, habet.
At lupus, & turpes instant morientibus vrsi,
Et quæcunque minor nobilitate fera est.

Neque diabolus habere solet potestatem in humilem, qui ferre non potest humilitatis telum, a quo ipsius impetus debilitatur & frangitur. Præda diaboli familiaris superbus est: humilis diaboli laqueos aut euitat, aut rumpit, neque ruinæ patet, qui sublimia non amat. Quinimo non habet, vnde deiici a potentiori possit. Qui altam molitur siue veram, siue cogitatione solum informatam molem, id agit, vt inde grauiorem sibi lapsum struat. Ergo sterquilinium elegit Iobus, quia statio illa magis est munita; & aduersarii cautius & frangit impetus, & eludit insidias. Superauit diabolus Adam in paradiso per vxorem, cuius in virum, & potestas maxima, & molliores illecebræ. Tentauit in sterquilinio Iobum, adsciuit sibi in adiutorium coniugem: quam a se reprehensione dura repulit Iobus, qui multo hic in sterquilinio, quam ille in paradiso tutior: magis inter dolores & sordes, obuersante ante oculos mortis imagine; quam ille inter delitias: necdum damnatus morte potentior. Quare ille vxoris blandimento succubuit; hic vxorem adeo non audiuit, vt etiam a suo conspectu ignominiose repulerit, conuitio graui & dura admonitione perculsam. Libet hic ad extremum addere, quod de Iobi sterquilinio religiose culto tradit Chrysost. *homil. 5. ad popul. in princip.* *Ex fimo*, inquit, *Iob viso omnem quis capiet vtilitatem, & disciplinam multam & exhortationem ad patientiæ rationem. Itaque multi nunc longam & transmarinam nauigationem a terræ finibus in Arabiam abeunt; vt fimum illum cernant: & conspicati terram deosculantur, quæ illius viatoris certamina, & cruorem omni auro pretiosiorem suscepit.*

Humilitas spiritualem athletam armat.

Locus humilis statio ad pugnandum optima.

Iobi sterquilinium religionis gratia visitari solitum.

Vers. 9. *Dixit autem illi vxor sua.*] Oppres- 52.
sit diabolus filios & filias Iobi, qui condolere possent, & vxorem reliquit, per quam illum oppugnaret, & obtineret, quod olim ab Adamo per Euam: norat enim, quid posset in viros vxorum indulgentia mollior, & longa atque intima vitæ ac thalami consuetudo. Et per illam obtinere se posse credebat, quod per alios modos longe grauissimos obtinere non potuit. Est qui putet, hanc non fuisse vxorem Iobi, sed dæmonem, qui vxoris assumpta specie, vt tentationi aliquid accederet gratiæ, a qua momentum non leue est, ad blasphemiam illum & diuini nominis execrationem instigabat. ita dicit Chrysostomus *in catena* aliquibus fuisse persuasum. Sed neque id tacuisset Scriptura, neque simpliciter appellasset vxorem. Illud certius, deceptam esse a diabolo, vt ipsa virum postea deciperet, sicut prius in eundem finem Euam deceperat: quam verbis instruxit in eam curam potentissimis, quæ virum in desperationem inducerent, & ad blasphemas voces incitarent. Cuius orationem expressit Septuaginta translatio, quæ etiamsi ab vxore non esset, maximi tamen ad inclinandam animam ad omne consilium, quantumuis temerarium & audax, pondus habuisset: quam nos orationem mox adducemus. Imo aliqui putant, vt dæmon olim per serpentem, sic etiam nunc per vxorem fuisse locutum, & sicut energumeni non tam sua, quam dæmonis verba, ignari omnino & sui prorsus impotes, effantur: sic etiam hanc fœminam, intus agente dæmone, locutam existiment. Sic Chrys. *hom. [illegible] in Iob:*
Vere, inquit, *diaboli verba sunt hæc quousque* 53.
torquentis vxorem. Clarius Orig. *l. 2. Dixit ad eum vxor eius; vxorem dixit dixisse, sed vere diabolus dixit. Sic namque & olim ait: Dixit serpens ad mulierem, serpentem dixit dixisse, sed non serpens dixit, sed diabolus, qui per serpentem locutus est.* Dixerat autem paulo ante, illud sibi sumendum instrumentum ad sternendum eo vsque indomitum athletam, quod ante expertus fuerat potentissimum. *Coniu-*

Dæmon a nonnullis creditur & vxoris Iobi speciem sumpsisse.

Vxor Iobi a dæmone incitata, & instructa.

Per os & vxoris dæmon locutus existimatur.

giam

giam (inquit) *ad antiqua mea arma, per quæ Adam seductum supplantaui. ibi serpentem me induens ad Euam locutus sum, deinde per Euam locutus Adam seduxi. Habet etiam Iob vxorem, qua me induens subtiliter per illam eum seducam.*

pag. 53. a

54 Deinde pluribus ostendit, quemadmodum sæpe per fœminas locutus excitarit odia, mores corruperit, perturbarit non solum domos ac vicinos, sed etiam remp. sparseritque vberrima vitiorum semina, & scintillas, quæ magna interdum attulerunt incendia. Quot dæmon per mulieres inuexerit mala, quot seminauerit & ad incrementum adduxerit hæreses, diximus *in nostris Commentariis super acta* ad illud *c. XIII, 50. Concitauerunt mulieres religiosas & honestas.* Porro cognitas esse Iobo latentes in vxore dæmonis insidias, ipse docet Orig. non longe post, quem hoc modo cum vxore loquentem inducit: *Cur teipsam vas diaboli effecisti? cur teipsam habitationem maligni præparasti? cur diabolus locutus est per os tuum, infatuans primum mentem tuam atque animæ tuæ intellectum?* Quare sicut Isaac eodem prope tempore vocem agnoscebat Iacob & manus Esau: sic Iobus in vxoris voce manus videbat, id est, opera atque insidias diaboli, vocem autem vxoris.

Mulieres maxime dæmonis instrumentum.

55. Rationem vxoris longam tradit Septuaginta translatio, quam agnoscunt Orig. Chrysost. Basil. *oratione de patientia & tolerantia;* qui omnes orationem illam exponunt, & amplificant; sicut etiam plerique eorum Patrum, quorum *in catena* testimonia citantur, vt habent Sixtiani codices, hæc sunt. *Tempore autem multo transacto dicit ei vxor eius: quousque sustinebis, dicens: Ecce permaneo tempus adhuc paruum, spectans spem salutis meæ: ecce enim delatum est memoriale tuum de terra filii & filiæ mei vteri dolores & labores, quos in vacuum laboraui cum ærumnis, tu vero in putredine vermium sedes pernoctans sub dio; & ego errans, & ancilla locum ex loco, & domum e domo exspectans solem, quando occidet, vt requiescam ab ærumnis & doloribus, qui me nunc premunt. Sed dicito aliquod verbum in Dominum, & morere.* Hæc, vt dixi, Græci Patres admittunt, & quidam illorum luculenter explicant. Vnum tantum adducam Basil. *orat 11.* citata, vbi complexus est omnia illustrauitque commemoratione breui: *Cum hosti nihil iam relinqueretur, quod deinde faceret, ad veteres suas insidias descendit, vxorisque illius mentem ad insaniam ac nefandam sententiam adducens, illius opera athletam frangere conabatur. ac sane illa quidem longo dolore renuncians, capite in terram demisso iusto astabat, manus ob ea, quæ intuebatur, concutiens, & pietatis fructus illi exprobrans. Recensebat præterea veterem illam abundantiam rerum omnium; præsentia vero mala ostendebat, ac qualem ex qualibus adeptus esset vitam: & cuiusnam modi pro multis sacrificiis ac victimis mercedem a Domino accepisset, idem eadem ipsi inculcabat. Vsurpabat autem semper verba animi parui ac demissi plena, atque simul talia, quæ & virum fortem commouere & animum quamuis generosum inflectere possent: Errabunda & serua vagor, dicebat, Regina seruitutem seruio, & ad seruorum meorum manus respicere coacta sum; quæ quondam multos benigne nutriui, nunc ipsa ex alienis nutrior. Ac sane, inquibat illa, longe honestius & conuenientius esset, si te ipsum e medio tolleres, gladium iræ creatoris acuendo, quam res aduersas æquo animo sustinendo, molestiam & tibi & coniugi proferres.* Hæc Basil. eodem ferme modo Chrysostomus & Origenes.

Ratio vxoris ad Iobum.

56. Quæ fuerit hæc vxor, supra a nobis explicatum est. Hebræi Dinam Iacobi filiam esse putant: quibus subscripsit Chaldæus Paraphrastes ad hunc locum; Philo, seu potius pseudo-Philo *in antiquitatibus biblicis*, vbi docet, Iobum ex Dina filios suscepisse septem, & tres filias, antequam vexationem, de qua nuper, pateretur, & totidem, cum meliori fortunæ & sibi ipsi restitutus est: Quorum ibi refert nomina, & dicit, illa tam his qui prius, quam qui posterius geniti, fuisse communia; sed illius pseudo-Philonis fides leuissima est. Vide historiam Schol. *c. 92. in Gen.* vbi ab Hebræis aliquid refert fabulosum. Neque video, quomodo Dina Iobo nubere potuerit, cum inter Idumæos & Israelitas mortales fuerint inimicitiæ. Et quidem si Iobus ex genere fuit Esau, & ab eo quartus, non videtur Dinam potuisse ducere, nisi iam vetulam, effœtam, & parum rei vxoriæ idoneam, & minus iam

Iobi Vxor a nonnullis creditur fuisse filia Iacob, sed falso.

pag. 53. b

iam fœcundam, quam vt eniti potuerit filios quatuordecim, & sex filias. Neque Iobus Rex vxorem duceret, quam esse a Sichem ante violatam ignoraret nemo; cum illius stupri æternum extaret monumentum in ciuitatis ruinis, quam in vltionem stupri occisis Sichimitis euerterunt filii Iacob. Multo magis probabile est, fuisse ex Arabia, ex patria nimirum Iobi, aut illi vicina: quia id plerumque accidit, vt contribulem quisque ducat atque vicinam, non ex longinquo sibi vxorem accersat. Hoc habemus in codicibus Græcis Septuaginta, & Sixtianis, *c. XLII.* vbi Iobi vxor Arabissa dicitur, & ex ea filius generatus, cui nomen Emmon. An vero eadem hæc fuerit, quæ modo Iobo audacius insultat, incertum est.

Probabilius est, fuisse Arabissam.

57. *Adhuc tu permanes in simplicitate tua.*] Multum iam temporis exactum fuerat, antequam hæc adueniret ab vxore tentatio. Sic sane indicant Græci Patres, qui diabolum desperantem inducunt de victoria, & quasi defessum pugnando, ad acerrimum tandem telum confugere, id est, ad vxorem, de cuius appetione & vulnere sanguis plerumque sequitur, & nonnunquam mors: illud *adhuc* pertinaciam indicat, quæ moram insinuat, in qua quis in suo consilio obstinato ac pertinaciter hæsit. Quam expressere Septuaginta, dum mulieris orationi præponunt: *Tempore multo transacto dixit ei vxor eius.* *Simplicitas* hoc loco stuporem eius & stoliditatem indicat, qui neque præterita considerat, neque ex præteritis futura coniectat: neque quid rerum fiat, expendit, neque præsentibus malis medicinam adhibet, neque futuris, & iam iam impendentibus occurrit: stupor autem in eo spectatur atque obiicitur ab vxore maledica, aut potius a dæmone, a quo illa aut instimulabatur acriter, aut obsidebatur miserabiliter: quia cum dura ac longa vexatione, & opes, & familiam, imo & corpus ferme totum amisisset, neque quicquam haberet reliquum præter miseram animam, eamque diris afflictam modis; tamen spem non abiecisset melioris fortunæ, neque tot ærumnis remedium vel a ferro aut laqueo petiisset, aut certe blasphema atque maledica lingua diuinam stimularet iram, quæ fulmen vibraret e cœlo, aut aliquo alio modo de medio tolleret, & tandem breui atque leniori morte longam redimeret & duram. ita pene Patres Græci iuxta LXX. translationem; quæ in hanc sententiam vehementer propendet.

Simplicitatis *vox.*

Benedic Deo, & morere.] Quid sit benedicere, supra a nobis explicatum est: vbi diximus minus nobis probari, quod visum est plerisque, maxime Græcis, hic per euphemismum significari contrarium; positum autem esse *benedico*, ne aliquid, quod Hebræi horrent, cum Deo coniungeretur, quod minus tanti nominis maiestatem deceret; vt enim minime decet in Deum maledictum iactari, sic etiam nefas esse putant maledictionem cum diuino nomine vtcumque coniungi. Atque ideo obseruat Origenes, a dæmone prius, & nunc a muliere, seu potius a dæmone iterum, qui per obsessam mulierem loquebatur, non esse positum verbum *benedicere*, sed illud postea suppositum a Moyse, cum historiam scriberet, vt rem indecoram figuratæ locutionis lenitate & suauitate leniret. 58.

Benedicendi *verbum.*

Moyses creditur verbum, maledico, *quo vsus est dæmon, per* benedico, *expressisse.*

pag. 54. a

Reliqui hic vxoris pietatem agnoscunt non quidem in Deum; quid enim pietatis in maledictis? sed in coniugem. ita Chrysostomus *homil. 6. in Iob.* quæ cum doleret Iobum tam dure excruciari, & totum insanie fœde dissolvi, cupiebat illum tandem cum vita illo quoque certamine horribili defungi. Hic autem Iobi palestram & plagam describit, vt nihil videatur significari posse horribilius, talia dicit pati viuens adhuc corpus, qualia destitutum ab anima cadauer iam putre, iam quatriduanum. *Si quisquam nunciaret, homines viuos sic putrescere vermibus, quomodo mortui putruerunt, quid esset grauius? Mitius in carne humana ferrum sæuiret, quam vermis: tolerabilius de vulneribus sanguis erumperet, quam de putredine sanguis distillaret: cadauer corrumpi respicis & horrescis: sed ideo minor pœna, imo ideo nulla pœna, quod absens est anima; at vero in Iob præsens erat anima, quæ sentiret, ligata, ne fugeret, subiecta, vt doleret, coniuncta, vt blasphemaret; sustinuit tamen,* &c. vt coniugem ab ea molestia liberaret, vxor laborasse indicat Chrysost. & subiicit, *videte fratres charissimi, quemadmodum illi mors beneficium fuit, & tale beneficium nemo illi dabat.* 59.

Vxor Iob ex pietate creditur locuta.

Iulia-

60. *Vxor Iobi a nonnullis ab impietate defensa.* Iulianus *in catena* aliter hanc fœminam ab aliis vindicari ab impietate asserit, licet eorum cogitationem ipse non probet. dicunt enim, religiosam illam fœminam, & quæ olim a coniuge pietatem didicerat; eo consilio suasisse viro, vt precibus ad se mortem accerseret: ne forte aliqui, illius calamitatem contemplati, qui virum sanctum esse putauerant, de illo ac Deo improbe atque impie loquerentur: atque eam ob causam vxorem stultam appellatam, non impiam. Neque ratio deest, cur hæc fœmina a tam graui impietatis crimine, imo ab illius suspicione vindicari debeat. Quis enim credat, fœminam, quæ tam diu cum Iobo commorata est, quæque haurire potuit pietatis & religionis documenta præclara, eo peruenisse impietatis & amentiæ, vt religiosam linguam viri sui ad blasphemiæ verba impudenter acueret? Sed hæc ratio leuis est, si statuamus, hæc verba non tam esse mulieris, quam dæmonis, qui illam obsederat, quique in illius ore impia verba formauerat. aut certe sic inuaserat violenter, vt præceps & impos sui talia demens proferret, qualia fortasse nunquam in mentem venerant.

61. Communior est illorum sententia, qui in benedictione per antiphrasim maledictionem intelligunt, licet non eodem omnes modo explicent. Græci Patres secuti Septuaginta translationem, qui ita conuertunt: *dicito aliquod verbum in Dominum, & morere.* maledicendo prouocandum esse Deum ab vxore iuberi putant, vt offensus Deus, vel fulmine, vel alio modo Iobum ad mortem adigat, & tam graui eximat molestia. Alii, vt Deum tot laborum autorem lingua proscindat maledica, & eo modo suæ indignationi ac dolori satisfaciat, licet eam ob rem statim ab offenso Deo subeundum sit capitale supplicium, vt lætus moriatur, suum qua ratione potuit dolorem vltus. Alii, vt talia verba proferat, qualibus a lege indicitur capitis pœna: vt vel ea ratione ab iis, qui legis sunt ac religionis
pag. 54. b vindices, mortem subeat, quæ ab alia morte liberet, quæ longior est.

62. Ego *benedico* hic, sicut aliis locis, de quibus *supra*, impropria significatione sumo, quod item fecere alii. ita sane videtur accepisse S. Thom. tenet aperte Caietanus, & Eugubinus, & Vatablus. Sed hi varie accipiunt. quidam in benedictione & laude preces intelligunt, quod ab Scripturæ sacræ vsu alienum non est, qui *laudare* pro orare, & *laudem* pro oratione frequenter vsurpat, vt diximus ad illud *Ierem. VII, 16. Tu vero noli orare pro populo hoc, neque laudem sumas.* Quare iuxta hoc id videtur voluisse, ac monuisse hæc mulier, vt oret Deum Iobus, vt tandem ipsum a tot angoribus & molestiis exoluat, cum multo sit optabilius, breui & semel, quam singulis prope momentis duram mortem subire. ita Vatablus.

Sed placet magis, quod autores proxime citati censent, hic aliquid ab vxore sub amara ironia obiectum esse marito, quasi illum stuporis accuset. Quod cum videat, nihil sibi benedicendi Deo assiduitatem profuisse, benedicat tamen in ipso dolorum atque angorum æstu: cum videat, quantumcumque sit in illam laudandi contentionem intentus; adhuc se scatere vermibus, adhuc insanie omnia membra liquescere. Est autem huic ironicæ dicendi formæ accommodatus imperandi modus: sic *Thren. IV, 21. Gaude, & lætare filia Edom, &c. a die, quo perueniet calix: inebriaberis atque nudaberis.* & *Ecclesiast. XI, 9. Lætare ergo iuuenis in adolescentia tua, &c. & adducet te Deus in iudicium.* idem esset sensus, si dixisset: *Gaude, & lætare, & inebriare, & nudare: & lætare iuuenis, & veni in iudicium.* Id Latini sæpe exprimere solent præposito imperatiuo, in quo subamara quædam significatur irrisio. Sic Virgilius *lib. 9. Æneid.* de Numano, qui dum aliis insultat, spiculo traiectus occubuit, 63. *Ironia in Scriptura usitata.*

I, verbis virtutem illude superbis.

& idem *libr. 4.* cum Æneæ Dido naufragium minaretur, dicit:

I, sequere Italiam ventis, pete regna per vndas.

Hoc dicendi atque imperandi modo non infrequenter vtimur, cum aliter nobis euenit quam sperabamus: idque cum aliqua aut offensione, aut reprehensione, vt si quis, postquam alicui Principi minus grato longam nauauit & fidelem operam, deinde ab illo male acceptus fame pereat, quasi se ipsum stuporis incu- 64. *Quando locus aptus ironiæ.*

incusat, secum ipse loquens dicat: *serui infideli Domino, & fame peri*; & qui plantauit vineam, & ab iniquo possessore ab illa depulsus est, audire posset ab insultante, vel monente, *planta & fuge*, & qui post nutricationem aut maternam indulgentiam pro gratia contumeliam, aut iniūriam extorqueat, audire solet tritum illud: *ale luporum catulos*. Sic sane posset ille dicere, qui *Hebr. VI, 8.* seminauit agros, rigauit, & tandem tribulos colligit & spinas, quæ non alunt, sed pungunt: *Semina, & pungere*; & posset etiam maledictionem addere: *quia terra sæpe bibens imbrem, proferens autem spinas & tribulos, reproba est, & maledicto proxima.* Neque opinor inusitatum esse, vt cum quis obliuionis aut ingratitudinis arguitur, maledictionem aut execrationem audiat, vt indicat locus iste, qui videtur ab hominum ingenio ac consuetudine desumptus. Est ergo sensus huius reprehensionis atque conuitii, quo vxor a dæmone siue instincta, siue exagitatā, violenter & callide maritum suum exulcerat & pungit.
pag. 55. a I nunc, & in laudando Deo persevera stulte (vt tute ipse, nisi mens absit, reipsa experiri poteris, quando illum expertus es in inferendo tam diro vulnere crudelem, & in renouando, atque augendo magis quotidie ac magis inclementem) quando nihil iam tibi reliquum est, nisi vt miserum hunc spiritum, quem ægre ducis, tandem exhales.

Lenis moderata reprehensio. Vers. 10. *Quasi vna de stultis mulieribus locuta es.*] Acerba est ista, modesta tamen Iobi reprehensio, qua ita impiam illam sermonis libertatem carpit, vt tamen religiosos mores, & superioris vitæ honestatem & modestiam commendet. licet enim illa locuta fuerit stulte atque impie, dum negat prudentis esse, cum Deus sic vexet acerbe immerentem hominem, in illius tamen laudibus studium non remitti; non tamen illam stultam vocat, sed in eo sermone stultarum mulierum mores imitatam, quasi a seipsa defecerit, & quasi in alienos mores & ingenium abierit. ita indicat *in catena* Chrysostomus: *Nihil*, inquit, *te, nihil institutione, disciplinaque mea dignum attulisti.* Quæ porro sunt stultæ illæ mulieres, quarum tunc orationem Iobi vxor imitata est, non est coniectare difficile. Chrysostomus *in catena* Euam putat hic stultitiæ notatam, quæ decepta atque instincta ab antiquo serpente, virum aggressa est, illumque a paradiso, & a vita fortunata deiecit. Ego non puto ad vnam Euam contractam esse similitudinem; sed ad omnes potius fœminas esse extensam: in quibus parum est mentis, parum pietatis & pudoris: qua facile a suo vel amore, vel odio, aut etiam fastidio atque dolore rapiuntur, & illa aut loquuntur, aut faciunt, quæ quam longissime abeunt a sana mente.

Sed præcipue arbitror, Iobum ad Idumæas 65.
fœminas spectasse, quarum ingenium norat, & mores in omne facinus & audaciam proiectos. Quibus cum aliis gentibus commune fuit, vt Deos suos non secus acciperent, atque homines, in quibus nihil spectarent sublimius, aut colerent excellentius. Gentiles enim in suos Deos, si parum illos propitios habuerint, non solum conuitiis, quod frequenter accidit, sed etiam manu & talis inuehunt: vide Homerum *Iliade*, & mille in Deos audies eaque turpissima conuitia. *Gentilium in Deos suos efflata conuitia.* Ad eius imitationem, & ex hominum obseruata consuetudine Virgilius inducit homines, etiam pios, in Deos suos animatos hostiliter, & intemperantius inuectos, Virgil. *Eclog. 5.*

Cum complexa sui corpus miserabile nati
Atque Deos, atque astra vocat crudelia mater.

Et *lib. 2. Æneid.* de Ænea, quem religiosum & pium inducit:

Quem non incusauit amens hominumque Deumque. 66.

Mille huiusmodi inueniet exempla studiosus & attentus lector; illud non omittam, quod prodit Plutarchus *de primo frigido in Persis*, & Strabo *lib. 15.* vbi primum docent, Persis ignem esse Deum, a quo comminationibus & iniuriis, aut malum deprecantur, aut beneficium extorquent; vnde apud illos ea superstitio nata, vt his nihil negandum crederet, qui ignem deportassent in fluuium, & nisi optata obtinerent, ignem se mersuros in aquam & extincturos minarentur. *Persarum in Deum suum minæ ac ceremoniæ ridiculæ.* Hæc, opinor, aut similia faciebant Idumææ fœminæ, quibus nihilo maior erat in suos Deos obseruantia, quarum ingenium tunc imitata videbatur Iobi vxor, cum Deo vero significat nullam deberi laudem, cum pag. 55. b

plagam illam tam diram intulerit, neque vlla ex parte leuarit ægrotantem; aut spem offerre videatur sanitatis, aut melioris fortunæ. Ait igitur Iobus vxori, nimis in ipsum crudeliter insultanti, illam exuisse religiosos & pios, & barbaros atque alienos induxisse mores; neque cogitasse, qualis fuerit disciplina domestica, qua se & suos per tot iam annos sapienter excoluit; sed expectasse, quod Idumææ fœminæ in suo vel dolore, vel studio facere consueuissent; atque ideo deposita religiosæ fœminæ persona, Idumææ, id est, impiæ atque stultæ speciem assumpsisse.

67. *Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus?*] Vt grauissima fuit omnium hæc ab vxore oblata tentatio, sic etiam, opinor, maiorem Iobo dolorem attulit, quam reliquæ plagæ, quas siue in bonorum naufragio, siue in filiorum strage, & in suo etiam corpore ad extremum pertulit, vt docet Basilius *orat. 11. de patientia.* Est enim viro sancto dolor ille acerbissimus, qui ex offenso Deo, violata religione, collapsa domestica disciplina, concipitur. Quare sui doloris & angoris immemor, vxoris studet mederi morbo, quo tunc laborabat vehementer. Cuius hic breuis summa ab historia sacra proponitur, quod in Scriptura sacra sæpe fit, vt obseruauimus *in nostris Commentariis super Acta cap. II, 40.* Quam late Basilius, & Chrysostomus prosequitur, de qua mox, quia morbi vis acris talem exigebat medicinam. Cuius summam paucissima hæc verba complectuntur. In qua licet aliquid fuerit acerbitatis, quia vxoris verba a religioso coniuge non aliter accipi debuere; temperavit tamen reprehensionem, dum non illam stultam & impiam vocat, sed locutam dicit, non vt antea solitam, sed quemadmodum stultæ fœminæ, quales sunt Idumææ, loqui consueuerunt. In quo oratoris maximi & viri sanctissimi zelum & prudentiam intueor. qui neque exulcerare voluit verborum asperitate vxoris animum, ne parum haberet beneuolum, atque idoneum ad excipiendam disciplinam, quam illi statim obducere parabat. (quod præceptum maxime commendatum est) neque tamen ideo a reprehensione abstinuit, ne vxor sibi persuaderet, ab eius sermonibus abfuisse culpam. Accedebat, quod, vt antea diximus, verba illa impia non tam erant vxoris, quam diaboli, qui in vxoris ore & ex illius halitu verba formabat, sicut facit cum his, quos intus excruciat, obsidet, & exagitat. Aut certe si verba sunt vxoris, 68. aliqua ratione illi ignoscendum fuit, cum grauis esset dolor, ingens inopia, & supra quam ferre posset muliebris infirmitas, turpis ignominia. Maxime cum vrgeret dæmon, & non minus in vxorem, quam in eius virum eo rerum articulo sæuiret; quo grauior esset ab hoc telo intenta petitio. Atque ideo vt vxorem in virum callidus armauerat, sic etiam illi verba suggessit, quæ spiculorum instar in coniugis sui viscera vibraret. Hæc autem omnia, vt ait Chrysostomus *tom. 2. homil. 14. in cap. IV. Matth.* videbat Iobus. *Vidit* (inquit) *dolosam dæmonis escam vir ille mirabilis, & loquentem ex diabolo coniugem maxima repente prudentia in silentium coarctauit. Quod nos quoque facere conuenit. Nam etsi fratris, etsi amici Christiani, etsi coniugis, etsi necessariorum, & cuiuslibet alterius personam indutus, aliquid nobis eorum, quæ solet, loquatur, non illum, per quem loquitur, sed illum, qui loquitur, auersari atque horrere debemus.*

Vir sanctus omnium maxime dolet Dei offensam.

Qualis Iobi in vxorem reprehensio.

Dæmon aduersus Iobum vxorem armauit.

Dæmon in eo loquitur, qui turpia suadet, aut loquitur.

Porro verba hæc Iobi ad tranquillandum animum, quem dura vexatio, aut fortunarum honorisque iactura conturbat, potentissima sunt. Quæ sic explicat Basil. amplificatque *orat. 11. de patientia. Veniant*, inquit, *tibi in mentem illa bona, quibus primum cumulata eras: perpende meliora cum deterioribus: & reperies nullius hominis vitam omni ex parte beatam esse. Semper enim fortunatum esse, solius Dei est. Sed tu, si ex rebus præsentibus dolorem percipis, ex præteritis consolationem pete. Nunc lacrymas profundis; & tunc risum edebas. Nunc inopem vitam agis; & prius deliciis affluebas. Clarum vitæ laticem bibisti; nunc turbidum bibens bono animo esto. Nam neque fluminum cursus perpetuo clari apparent; vita autem nostra, vt scis, veluti flumen quoddam est perpetuo fluens, & vndis vicissim succedentibus refertum: cuius vna pars iam præterfluxit, altera vero in cursu est: alia iam de fontibus manauit; alia vero post fluet, & vniuersi ad commune mortis mare festinamus.*

pag. 56. a
69.

Oratio Iobi ad vxorem suadentem impia.

Apta miserorum consolatio in bonorum iactura.

stinamus. Si bona suscepimus a Domino; mala num non sustinebimus? Num cogemus iudicem eiusdem generis res nobis perpetuo suppeditare? Num credimus Dominum quomodo nostram vitam gubernare debeat? Ipse suarum sententiarum potestatem habet. Quomodo vult, res nostras regit: sapiens autem est: & quod ex vsu est seruis suis suppeditat. Hæc eadem *in catena* tribuuntur Chrysostomo, apud quem tamen ego non inuenio. Est tamen vtroque Doctore explicatio non indigna.

70. *In his omnibus non peccauit Iob labiis suis.*] Exhausta iam videbatur diaboli pharetra, neque vllum apparebat telum, quod in sui furoris atque inuidiæ scopum præterea vibraret, extremam adhiberet manum ab vxoris fastidiosa querimonia, quæ nihilo magis rem promouit, quam antea, cum toto belli pondere in virum inermem, abiectum & afflictum incubuisse videbatur. Exciderunt itaque inanes Satanæ conatus & insidiæ, neque verbum vllum extorserunt, quod vel minimum impietatis aut impatientiæ redoleret. Quæ verba intelligenda sunt ad hoc vsque tempus; nam post hunc articulum in labiis illius aliquid hæsisse culpæ, verisimile est, imo meo iudicio certum, vt pluribus ostendimus supra *Prolegom. 5.* quæ tu vide. Est plane mirabile, in hac tribulationum fornace, in hoc bellorum æstu, in hoc tot rerum aduersantium concursu, neque vnum excidisse verbum, quod generosum athletam impietatis, inconstantiæ, aut infirmitatis argueret. *O vas*, inquit Chrysostomus *tom. 1. homil. 1. in Iob, summi pretii vno in Arabiæ loco reconditum per totum orbem suauis vnguenti odorem transmittens! O vas lapidibus, & plagis, & telis a diaboli ictu unguentum non effundens! plurimum itaque laboris diabolo accidit, quo vas illud contereret, vnguentumque boni odoris perderet, qui statuit per ulcerum fœtorem, vnguenti odorem denigrare. Nam & huius corpus sanie vulnerum efferuescere fecit. Sed & mansit vas vulneratum, & non amissum vnguentum.* Perit vnguenti suauis odor, si in illo moriantur muscæ. *Ecclesiast. X, 1.* Muscæ cogitationes sunt leuiculæ, quæ circumuolitant, & quocunque spectes opportune occursant, Quæ nusquam non obuiant, nunquam non infestant. Sed hæ cogitationes licet essent frequentes, cum necesse erat, cum tot Iobi constantia & fides oppugnaretur modis, nulla tamen in hoc pretioso vase mortua fuit: nulla cœlestis huius vnguenti perdidit suauitatem. Non verbum inconsideratum ac præceps, non motus immoderatus ac deuius. Sanctitatem Iobus aspirabat vbique & bonum Christi odorem, cuius erat typus.

Patientiæ Iobi commendatio & exemplum.

pag. 56. b

Vers. 11. *Igitur audientes tres amici Iob omne malum, quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo.*] Hos Iobi amicos fuisse Reges, habemus ex *lib. Tobiæ cap. II, 15.* Quales vero Reges, diximus *Prolegom. 4.* Neque est quod præterea addamus. Hi autem, opinor, fuerunt Idumæi vicini omnes, qui cum Iobo vicino suo videntur consuetudinem habuisse, & familiarem vsum: sane Theman, vnde Eliphaz Themanites vocatur, esse in Idumæa, vbi scholæ fuerunt & sapientiæ domus, habemus *Ierem. XLIX, 7.* Ad quam partem Idumææ pertineant regiones illæ, siue oppida, vbi suum qualecumque regnum hi Iobi familiares habuerunt, incertum mihi est. Neque admodum refert explorare diligentius. Tantum obseruandum, loca, vbi tres hi Principes dominati sunt, paulo aliter in Septuaginta translatione nominari. vbi enim Vulgatus reddidit, *Eliphaz Themanites, Baldad Suites, & Sophar Naamathites*, illi legunt, *Eliphaz Tæmanorum Rex, Baldad Saucheorum Tyrannus, Sophar Minæorum Rex.* vbi expresse Reges nominantur. Quod autem vicini fuerint, ex eo fit satis verisimile, quia vicissim sibi condixerunt, vt simul amicum laborantem inuiserent; idque certo die. Quæ non videbantur fieri potuisse commode, si illorum sedes longo essent interuallo disiunctæ. 71.

Amici Iobi Idumæi, & Reges.

Quo tempore obierint hi tres Reges amici istud humanitatis officium, incertum est; est tamen satis verisimile, non paucos præteriisse dies. Nam ante horum aduentum, iam præcesserat vxoris illiberale conuitium, vt paulo ante dicebamus; vxoris autem oratio, siue subamara reprehensio post dies accidit non paucos, ex quo Iobus in sordibus atque stercore iacuit. Sic autem de vxore apud Septuaginta: *tempore autem multo transacto dixit ei vxor eius*, &c. Quare non est improbabi- 72.

Amici Iobi quo tempore venerunt.

babile, menses aliquot iacuisse in sordibus Iobum, antequam amici officii atque consolationis gratia conuenerunt. Adde, quod tunc videtur finita Iobi dura vexatio, quando finita quoque fuit disputatio ab amicis Iobi importune suscepta, vt indicat non obscure caput vltimum: in quo orasse dicitur Iobus pro amicis, & in priorem fortunam restitutus. Quare eo tempore iam dura Iobus certamina subierat; iam corpus erat resolutum in saniem; iam pellis consumptis carnibus ossibus adhæserat: iam tandem rebus illis perfunctus fuerat magnus hic athleta, quas ipse non semel in hac cum amicis altercatione commemorat.

73. Vers. 12. *Cumque eleuassent procul oculos suos, non cognouerunt eum.*] Cum multi iam exacti forent dies, sic erat Iobus a morbo consumptus, sic exesus a vermibus, sic denique a regia natiuaque specie deformatus, vt alius videretur a se ipso, imo speciem exuisse humanam, & spirantis cadaueris assumpsisse. Quare ab attentis amicis agnitus non est. Qui, vbi aliorum, opinor, relatione Iobum esse norunt, aut Iobi deforme simulacrum, fecerunt, quod homines solent in amicorum luctu: sciderunt videlicet vestimenta sua, & regium caput insperso puluere fœdarunt. Quomodo in dolore ac luctu vestimenta scindantur, diximus sup. *cap. I.* Caput porro cinere, aut puluere conspergi, probauimus multis *in nostris Commentariis super Ezechielem* ad illud *cap. XXVII, 30.* de Tyro euersa: *Superiacient puluerem capitibus suis, & cinere conspergentur.* Et Jerem. *Thren. II, 10. Sederunt in terra, conticuerunt senes filiæ Sion, consperserunt cinere capita sua.* Qui secus ostendit hoc, quod fecisse dicuntur hi Iobi amici, fuisse in luctu cognatorum & familiarium, aut omnino aut pene legitimum, quando sparsisse dicuntur puluerem super caput, & in terra lugentes consedisse. Hoc puto certius. Neque illud displicet, voluisse homines non omnino inurbanos & inscios eo habitu significare, sibi cum Iobo dolorem illum & calamitatem fuisse communem. Atque ideo sicut nudus Iobus iacebat humi sordidatus; sic etiam ipsi ad illius imitationem sordidati esse voluerunt, & nudi.

pag. 57. a

Sparserunt puluerem super caput suum in cælum.] Credo, in dolore solitum esse puluerem versus cœlum in sublime iactari, vt non solum homines, sed etiam cœlum ipsum dolere & obscurari videatur, quasi nubibus obscuretur, & habitum sumat funebrem & squalidum. Puluerem autem significare nebulam, & nubem caliginosam & turbidam, diximus *cap. sequ. v. 4.* ad illud, *Dies ille vertatur in tenebras.* Quod vero in dolore ac perturbatione puluis iactetur in aërem, docet illud *Actuum cap. XXII, v. 23.* vbi sic de Iudæis contra Paulum indignatis: *Vociferantibus autem eis & proiicientibus vestimenta sua, & puluerem iactantibus in aërem.* Vide quæ nos hac de re pluribus ad locum proxime citatum ex *c. III.* 74.

Pulu is in cælum iactari solitus in magno dolore.

Vers. 13. *Et sederunt cum eo in terra septem diebus, & septem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum.*] Assumpserunt, vt diximus, mœrentium habitum: aut quam fieri commodissime potuit, lugentis amici præ se tulerunt speciem, neque minus temporis laboranti amico lugentes impenderunt, quam impendi solet his, qui vita functi parentalibus ornantur honoribus: *Ecclesiastic. XXII, 13. Luctus mortui septem dies.* Quo dierum spatio Iacobo *Genes. L, 10.* parentatum est. Neque puto, continuum illud tempus impensum dolori ac luctui: esset enim valde molestum, tum amicis, qui ferre non possent tamdiu grauem illum anhelitum, quem corpus resolutum in saniem, & tot perforatum vlceribus emittebat? tum etiam fortasse multo magis ipsi Iobo, qui suum lugendo consolari dolorem in amicorum oculis sine pudore non poterat. Deinde, quia credibile non est, totum illud tempus transegisse ieiunos. Nam in eo loco fœtenti ac sordido in Iobi conspectu, quis posset vel in extrema fame cibos sumere, nauseante stomacho? Septem igitur dies, & totidem noctes dicuntur amico suo lugentes assedisse, quia illud tempus siue diurnum, siue nocturnum impenderunt, quod ab illis solet impendi legitime, qui alios in suo dolore consolentur. Quomodo toto anno dicitur magister docere, quod de illo tantum tempore intelligitur, quo haberi scholæ solent: & nunquam aliquis amicis defuisse, eo nimirum tempore, in quo illis no- 75. 76.

Septem dies funebri honori impendi soliti.

REGVLA. *Totum tempus dicitur positum in aliquo opere ac loco, quando tunc ponitur, cum legitime solet.*

 stra

ſtra opera neceſſaria eſt. Et de Chriſti diſcipulis dicitur *Lucæ XXIV, 53. & erant ſemper in templo, laudantes & benedicentes Deum;* illis nempe horis, in quibus vacari orationi ſolet; aliis enim, etiamſi maxime cuperent, non permitteretur. Denique vniuerſalia ſigna, aut quæ illorum videntur habere vim, non ſemper vniuerſaliter ſumuntur, ſed ad rei naturam accommodate. Cum enim *Lucæ II, 1.* totus orbis a Cæſare deſcribitur, de illa tan-
pag. 57. b tum orbis parte intelligitur, quæ Romano parebat imperio, & *Actor. II, 5.* conueniſſe dicuntur Iudæi ab omni natione, quæ ſub cælo eſt, in qua nimirum habitabant Iudæi: Sic ergo amici Iobi aſſediſſe dicuntur ſeptem diebus ac noctibus: illo videlicet tempore, quod ad illud humanitatis officium e diebus & noctibus aſſumi ſolet. ita puto. Quod vero non totis continenter diebus ac noctibus, ſed eo ſpatio certis temporibus aſſederint, docet S. Thomas, Caietanus, & Lyra, & Olympiodorus *in catena:* vbi ea de re optime.

77. *Quæ leuia ſunt, aut raro fiunt, negantur fuiſſe.*

Et nemo loquebatur ei verbum.] Vſitatum eſt in omni, vt reor, idiomate, & in Scriptura ſacra frequentiſsimum, vt quæ leuia ſunt, aut raro fiunt, negentur fuiſſe: & quæ parum abſunt ab aliqua forma, ſeu habitu, quicunque ille ſit, ab illa forma nominentur. Sic vulgo cœcus vocatur ille, cui hebes eſt & infirma oculorum acies; mutus, qui aut raro, aut impedite loquitur; ieiunus, qui parce cibos & modice guſtauit. Quomodo *Actor. XXVII, 33.* qui ſimul cum Paulo nauigabant, ieiuni fuiſſe dicuntur quatuordecim dies: quia videlicet toto illo tempore pertenui cibo famem ſuſtentarunt. Sic nudus ciuitatem obiiſſe traditur Iſaias *cap. XX, 2.* & nudus prophetaſſe Saul: nudus item ſaltaſſe Dauid in maximo populorum concurſu. At quis putet, viros tantos omnia prorſus depoſuiſſe tegumenta. Dixit hoc ſumptum ex vulgari loquendi mo-

Nudus, qui male veſtitus.

do Seneca *lib. 5. de beneficiis cap. 13. Quædam,* inquit, *etiamſi vera non ſint, propter ſimilitudinem* (addo, & propter vicinitatem) *eodem vocabulo comprehenſa ſunt. Sic illiteratum non ex toto rudem, ſed ad litteras altiores non perductum: ſic qui male veſtitum & pannoſum vidit, nudum ſe vidiſſe dicit.* Sic ego exiſtimo, Iobi amicos non proprie illa ſeptemdiali mora ſiluiſſe; ſed quia ad horribile illud ſpectaculum exanimati ac ſtupidi perquam modice cum Iobo, & inter ſe fortaſſe locuti ſunt; ideo dici, longum tenuiſſe ſilentium, neque vllum cum Iobo habuiſſe ſermonem.

Quo ſenſu amici Iobi ſeptem diebus ſiluiſſe dicantur.

Hæc mihi difficilia non ſunt, vel eo maxime, quod ſilentium doloris argumentum eſt. Qui enim dolent, in Scriptura ſæpe ſilentes inducuntur: quia dolor ſtuporem nonnunquam inducit, eripitque perſæpe loquendi facultatem.

Ego aliter putabam extremam hanc partem 78.
explicari poſſe, & fortaſſe commodius, ita vt non ſimpliciter negentur amici familiarem cum Iobo ſermonem habuiſſe. Cur enim illi ſilerent, cum maxime illorum verbis conſolatoriis tam grauis & eo iam tempore diuturnus labor leuari potuerit? neque dolor aut ſtupor, ex amici calamitate conceptus, ſermonis facultatem abſtulerit? neque enim negantur inter ſeſe conſeruiſſe colloquia, ſed tantum cum Iobo fuiſſe locuti. *Et nemo,* inquit, *loquebatur ei verbum.* Puto igitur ſæpe & diu egiſſe cum Iobo, & illius doluiſſe vicem, & dolori tanto, quam potuerunt humaniſsime, adhibuiſſe medicinam. Eo enim conſilio venerant, vt illius dolorem conſolando leuarent. Cum vero dicuntur verbum nullum cum Iobo contuliſſe, de illis verbis accipio, quæ exactis hiſce ſeptem diebus habuerunt, in quibus plurimum fuit acerbitatis & fellis. cum illi exprobrarint inſolentes ſpiritus, impietatem in Deum, & illa omnia, quæ multis longiſque diſputationibus conti-
nentur. Cur autem nullum verbum eous- pag. 58. a
que dixerint obiurgatorium, ratio redditur ſatis idonea: *videbant enim dolorem eſſe vehementem.* Quare inhumanum putabant, illum aſpero exulcerare ſermone, quem tam videbant excruciari vehementer. Perſuaſe- 79.
rant ſibi, opinor, propter ſua peccata vulneratum a Deo, & talia paſſum, qualia ante illum nemo: idque inter ſe in via familiari ſermone contulerant. Et quod fecerunt die a ſuo aduentu ſeptimo, id facere, cum primum illum conueniſſent, conſtituerunt: quo ſuum peccatum cognoſceret, doleretque, & a Deo per pœnitentiam placato veniam obtineret, & mitiorem deinde experiretur manum, quam ſue-

Quid amici ſibi de Iobo perſuaſerunt.

seueram suorum peccatorum vltricem agnoverat. Hæc illi secum in via meditati fuerant; cum tamen illius dolorem vehementem esse ex ipso corporis habitu atque specie cognoscerent, abstinuerunt ab admonitione illa, quæ licet pia, non poterat non esse grauis, cum admixtam haberet reprehensionem; donec post Iobi verba (de quibus statim in illam obiurga-
pag. 58. b tionem eruperunt, quam eo vsque in animo compresserant. Quam habuisse ante, siue in via, siue eo septemdiali spatio meditatam, ostendit Eliphaz *cap. IV*, 2 qui sic ad Iobum: *Si cœperimus loqui tibi, forsitan moleste accipies; sed conceptum sermonem tenere quis poterit?*

Hic porro obseruandum, persuasum esse tribus hisce Principibus, impios suorum in hac vita scelerum pœnas luere. Quæ barbarorum hominum cogitatio fuit. Quod item sibi persuaserant Melitenses insulani, qui cum viderunt *Actor. XXIIX.* viperam Pauli inuasisse manum, suspicati sunt, illum aliquid admisisse, quod Deus viperino morsu punire vellet. Atque ideo dixerunt *v. 4. Vtique homicida est homo hic, qui cum euaserit de mari, vltio non sinit eum viuere.* Vide Plutarchum *de sera numinis vindicta.* Et ex communi Gentium sensu dixit Valerius *lib. 1. c. 1. Lento gradu ad vindictam sui diuina procedit ira, tarditatemque supplicii grauitate compensat.* *Quæ fuerit Gentilium de hominum aduersitate cogitatio.*

ARGVMENTVM CAP. III.

CVm diu Iobus silentium tenuisset, tamen septimo ab amicorum adventu die illud tandem rupit, doloremque suum, ærumnosamque vitam, eo dicendi modo significauit, qui Israelitis & Idumæis videtur fuisse familiaris, qui cum execrationis præ se ferat speciem, ab execratorio tamen spiritu quam longissime abest; videtur enim illa imprecari diei suo natali, & nocti, in qua conceptus fuit, quæ ab offenso & inimico animo iactari solent; quia in illo lucem, in hac qualemcumque vitam & spiritum accepit. Et beatos appellat, qui aut in maternis visceribus extincti sunt, aut qui cum primum emerserunt in lucem, periere. Deinde quot sint in morte commoda, quamque illa desiderari soleat & debeat, eleganti oratione describit. Ad extremum videtur queri, quod cum vitam eo vsque egerit continentem & piam, non tamen obtinuerit, quo minus fœdo atque crudeli vulnere percussus intereat.

CAPVT III.	PARAPHRASIS.
pag. 58. 1. POst hæc aperuit Iob os suum, & maledixit diei suo, & locutus est.	*1. Postquam diu Iobus vocem continuit, septimo tandem die ab amicorum aduentu, oratione figurata, quæ execrationis præ se ferebat speciem, suum dolorem testatus est.* pag. 58.
2. Pereat dies, in qua natus sum, & nox, in qua dictum est: 3. Conceptus est homo.	*2. 3. Deleatur dies, quæ me nascentem primum aspexit; & nox, in qua mea me mater in vtero concepit, e fastorum censu. Neque vllo celebretur festiuo cantico, aut geniali conuiuio, vt non tam mihi de more genethliacum nascenti, quam epicedium mortuo cantari videatur.*
4. Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus desuper, & non illustretur lumine.	*4. Obscurent diem meum natalem nocturnæ tenebræ, & illam habeat speciem, quam ante duo luminaria creata habuit vniuersum. Neque illius Deus vllam rationem habeat, neque ei de illis ornamentis, aut commodis prouideat, quæ ad humanos vsus necessaria sunt.*

pag. 59.

5. Obscurent eum tenebræ, & vmbra mortis, occupet eum caligo, & involuatur amaritudine.

5. Absint ab illo die solares radii, neque a cœlo aliquid habeat præter sempiternam noctem, neque eo die plus habeant homines lucis, quam qui vita iam defuncti in sepulcris morantur; neque illi aliquid adueniat nisi tetrum, dirum, & amarum.

pag. 59.

6. Noctem illam tenebrosus turbo possideat, non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus.

6. Neque solum nox illa tenebris, in quibus perpetua sit mortis imago, sed etiam tempestatibus & procelloso turbine inhorrescat, indigna denique magno suo merito iudicetur, quæ diebus anni mensiumque annumeretur, & illorum augeat aut impleat legitimum numerum.

7. Sit nox illa solitaria, nec laude digna.

7. Sit nox illa inauspicata, in qua homines horreant, aut lætos aut publicos obire conuentus. Neque in illa festiuo cantico aliquid præclare factum, aut beneficium a Domino singulare celebretur, sicut in aliis faustis atque auspicatis noctibus fieri assolet.

8. Maledicant ei, qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leuiathan:

8. Sicut quædam sunt carmina, quibus vtuntur, qui alicui homini, aut tempori fausta precantur, sic etiam sunt alia, quæ execrantur homines, aut aliquid diris deuouent, & furialibus monstris, quale est illud, quo suscitatur, & euocatur ad crudele aliorum exitium horribile monstrum Leuiathan. Precor igitur, vt pro festiuo & auspicato carmine, inauspicatum & lugubre assumant cantores, & inuocato Leuiathan, nocti, quæ me concepit, serio maledicant, & infausta precentur.

9. Obtenebrentur stellæ caligine eius: expectet lucem & non videat, nec ortum surgentis auroræ:

9. Astra, quæ cælum admirabili varietate distinguunt & illuminant, crassa illius noctis caligine obscurentur, & lateant; sitque nox illa inauspicata, aut æterna, aut æternæ similis: quam nunquam illustrent pleni solis & communes radii, licet illos expectet & optet; neque ambiguæ lucis splendor nascentis auroræ.

10. Quia non conclusit ostia ventris, qui portauit me, nec abstulit mala ab oculis meis.

10. Ideo solitudinem, caliginem & maledictionem precor illi nocti, quia non occlusit vteri claustra, cum coniugali concubitu conceptus sum; quia si nox illa dira vitæ mihi primordia non dedisset, non ego vitam traherem ignominiosam, & ægram, & vere non vitalem.

11. Quare non in vulua mortuus sum? egressus ex vtero non statim perii?

11. Quod si reserato materni vteri claustro conceptus sum, cur non iterum resignata vteri munimenta conclusit, ne ex illo naturali carcere viuus emergerem. Quod si recusari non potuit, quin ex materna vulua solutus aspicerem lucem, cur non quæ prima fuit, eadem etiam postrema mihi contigit vitæ dies.

12. Cur

12. Quare exceptus genibus? cur lactatus vberibus?

12. Cur cum natus in terram cecidi, fuit qui inde tolleret, & exciperet in gremio, foueret sinu, admoueret vberibus; ac tandem tenellæ ætati indulgeret infantile subsidium.

pag. 60. 13. Nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem.

13. Profecto si numquam vidissem lucem, aut cum luce prima extinguerer, vna morte opportuna & leni, multas, easque acerbissimas mortes redemissem, quieuissem enim iam a tantis laboribus ab eo tempore, neque vllus vmquam clamantem audiret. pag. 60.

14. Cum regibus & consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines.

15. Aut cum principibus, qui possident aurum, & replent domos suas argento.

14. 15. En quid mihi ab illa immatura morte accidere posset aduersi? an tanti est, ærumnosæ vitæ, aut humanæ, ac regiæ maiestatis iacturam pati, quam mors deinde esset ablatura? nonne hoc ipsum passi Principes & terrarum Domini, qui ad ipsas vsque solitudines, & suarum voluptatum diuerticula, & sui nominis monumenta produxerunt. Qui vim auri ingentem vndecumque corradunt, & argenti magnos cumulant aceruos, eosque in domos suas ambitiose comportant?

16. Aut sicut abortiuum absconditum non subsisterem, vel qui concepti non viderunt lucem.

16. Esset mecum actum multo benignius, si numquam in meipso subsisterem, sed quodammodo existerem in alio, maternæ videlicet alligatus vuluæ; sicut fructus arbori, sicut abortiuus, qui non tam videtur ortus, quam abscissus ab vtero. Aut si conceptus essem, ipsæ me vteri opprimerent angustiæ, neque in vitalem auram lucemque susciperer.

17. Ibi impii cessauerunt a tumultu, & ibi requieuerunt fessi robore.

17. Magna secum apportat commoda, quocumque aduenerit tempore, benigna mors, liberat enim a malis, quæ extrinsecus adueniunt ab impiorum fraude, tumultu & præda; ab illis item malis, quæ ipsa secum affert naturæ necessitas, a quibus nos, cum aduenerit, mors reddit immunes.

18. Et quondam vincti pariter sine molestia, non audierunt vocem exactoris.

18. Qui vincti ob æs alienum vitam trahebant ægram & angustam, dum viuerent, cum ex hac ærumnosa vita decesserunt, ab illa molestia liberantur: quia nihil iam a creditore, aut exactore metuunt, qui dum vita maneret, soluendo non erant.

19. Paruus & magnus ibi sunt, & seruus liber a domino suo.

19. Cum mors aduenerit, vt cessat Regum ac potentiorum dominatio, & ex ea natum crudele & insolens ingenium, sic seruulorum & pauperum exilis & misera fortuna. Quare ibi communis est omnium & æqua conditio.

20. Quare misero data est lux, & vita his, qui in amaritudine animæ sunt.

20. Quare ergo lucis vsura datur illi, cui durus contingit & plane miserabilis viuendi modus?

dus? cur vita producitur ei, qui ægrum trahit & amarum spiritum?

21. Qui expectant mortem, & non venit, quasi effodientes thesaurum,

22. Gaudentque vehementer, cum inuenerint sepulchrum?

23. Viro cuius abscondita est via, & circumdedit eum Deus tenebris?

21. 22. 23. Quare vita conseruatur illi, qui non laborat minus, vt mortem inueniat fugientem, quam qui scrutatur thesauros, quos natura aut hominum calliditas terræ visceribus inclusit. Neque minus gaudent, cum mortis sese ostentat necessitas, quam cum quæsitus diu thesaurus occurrit. Quid enim durius, quam vita longa, quam vndique mala multa circumstant, cum interim ex duris & assiduis incommodis nullus se ad libertatem & pacem aditus aperiat?

24. Antequam comedam, suspiro: & pag. 61. tanquam inundantes aquæ, sic rugitus meus.

24. Cum hæc considerarem, accidere mihi posse, quæ alii in eodem temporis articulo patiebantur, cum essem in florenti integraque fortuna, nunquam tamen ex commodis, quibus tum existimabar affluere, voluptatem capiebam solidam ac puram. Nam ante cibum præcedebat creber ex animo singultus, & ex animo similis aquarum murmuri rugitus audiebatur. pag. 61.

25. Quia timor, quem timebam, euenit mihi, & quod verebar, accidit.

25. Neque vana fuit hæc mea cogitatio, ac otiosus timor, cum nullum malum in aliis spectarem, aut ipse cogitatione fingerem, aut etiam mihi meditando proponerem, quod non postea fuerim expertus.

26. Nonne dissimulaui? nonne silui? nonne quieui? & venit super me indignatio.

26. Ea moderatione regnum administraui, vt non facile, qui me ante non nosset, Regem esse crederet. Si quid enim ab aliquo contra meam dignitatem & animum esset admissum, silentio, quiete, atque modestia ita dissimulabam, vt nihil ea de re aut vidisse, aut cognouisse crederer. Cumque hoc perpetuo vitæ tenore sperarem mihi Deum futurum esse beneuolum, expertus sum infensum, & durum, non quasi muneratorem recte factorum, sed quasi scelerum censorem & vindicem.

---

pag. 61. a 1. *Dæmon quam ad nocendum promptus, & acer.*

ANtequam caput tertium aggrediar, in quo Iobus grauiter de sua fortuna & conditione queritur, & nonnullorum opinione minus moderate, quam ipsius sanctitatem & modestiam deceret: præmittamus oportet breuiter causas, quæ illum ad eos acriores motus permouerunt. Et primum statuamus, quidquid ad torquendum & concitandum Iobum audimus, id totum comparatum & instructum fuisse a dæmone, qui & Iobum vehementer oderat, neque ad illum exagitandum ingenium aut facultas deerat. Cui inerant illa, quæ de furiarum maxima cecinit Maro *Æneid.* 7.

-- Cui tristia bella,
Iræque, insidiæque, & crimina noxia cordi.

De quo verius dicas, quam de Alecto idem statim cecinit vates:

Tu potes vnanimes armare in prælia fratres,
Atque odiis versare domos, tu verbera tectis,
Funereas-

Funereasque inferre faces: tibi nomina mille,
Mille nocendi artes: Fœcundum concute pectus:
Disiice compositam pacem.

2. *Quam ardens in Iobum dæmonis furor.* Hic ergo acerbissimus bonorum hostis nihil non tentauit, quo Iobi patientiam prosterneret, & in verba blasphemiæ religiosam illatenus linguam acueret. Quare omnia bona Iobi diripuit: & calliditate mira, aut alios immisit dæmones, qui seruorum assumpserunt speciem, aut seruorum sic attemperauit adventum, sic tristem legationem instruxit, vt ferreos animos emollire posse viderentur. Accessit dolor ex vlceribus & vermium scatebris grauissimus, sterquilinii fœtor, & ignominia, vxoris oratio, aut potius dæmonis in ore vxoris artificiose formata. *Variæ causæ Iobi patientiam tentarunt, probaruntque.* Adde subsannationes illorum, qui seruilem ante aut mercenariam operam Iobo locauerant: qui & insultabant procaciter, & libero lacerabant convitio: vt ipse queritur *cap. XXX.* & explicatius *cap. XIX.* Neque parum ex eo doloris accessit, quod illi, quibus cum erat aut vitæ, aut sanguinis, generisque communio, ab illo recesserunt, reliqueruntque quasi alienum: neque sæpius implorati aliquid attulerunt, aut languoris solatium, aut morbi medicinam.
3. Late hæc Iobus ipse *cap. XIX, 16. Seruum meum vocaui, & non respondit: ore proprio deprecabar illum.* Persuaserat fortasse diabolus domesticos & seruos, peccatorem esse Iobum & hypocritam, sicut etiam amicos, qui nunc consolationis gratia conuenerunt, & sanctitatem, quam præ se ferebat exterius, insidiosam esse, & omnino fucatam. Quare non solum deseruerunt, prodideruntque querulum & supplicem; sed etiam libero prosciderunt conuitio. *Iobus a suis desertus, & illusus.* Vocabat item vxorem: sed illa eadem persuasione delusa, & quia grauem halitum, quem vlcerosum, & pene iam emortuum corpus spirabat, ferre non poterat, non audiebat clamantem. Vocabat filios, qui ex cæde superfuerant, sed illi ad paternas voces obsurduerunt. Hi autem filii suscepti fuerant ex concubinis, vt putat Chrysostomus *tom 5. orat. 5. contra Iudæos. Famuli* (inquit ex persona Iob) *mei, & concubinarum mearum filii insurrexerunt aduersum me.* Quod item Iobus ipse docet *c. XIX, 17. Et orabam filios vteri mei.* Hi autem oppressi non fuerunt ruente tecto, quia vtpote minus nobiles inuitati non fuerant. *Iobi filii ex concubinis non oppressi ruina domus.* Hæc grauissima fuerunt, quæque vehementer tentare & expugnare poterant pectus adamantinum. Sed fuerunt alia graviora, quæ religiosum virum cruciabant magis. Nam eum, qui vere Deum amat, non tam læsum corpus, quam diuinæ maiestatis læsæ non solum crimen, sed etiam leuissima criminis suspicio discruciat. Hæc autem suspicari de se poterat Iobus, quia tam illi externi, quam domestici, & amici, atque adeo cognati, & vxor obiiciebant peccata: propter quæ a Deo hostiliter vexari suspicabantur. pag. 62. a *Nihil tam cruciat virum sanctum, quam peccati conscientia aut suspicio.* Neque ab hac machina diabolus abstinuit, qui cum vigilem non posset, dormientem variis oppugnabat modis. Sic Chrysostomus nuper: *& in somnis terrores, & cogitationum perpetua quædam fluctuatio.* Quapropter non in somno lenius, quam in vigilia torquebatur. Atque ideo frustra quærebat noctis somnique quietem, cum cruciarent magis oblatæ rerum imagines, quam vermes & vlcera, & quidquid vigilans pati atque audire poterat. Quod ipse non tacuit, *cap. VII, 13. Si dixero, consolabitur me lectulus meus: & releuabor loquens mecum in strato meo: terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties.*

Varia porro sunt, quæ dæmon obiicere solet 5.
dormientibus, quæ cruciant vehementer, & in peccandi periculum trahunt incautos. *Dæmon variis modis tentat & cruciat in somnis.* Primum immittit somnos vsque adeo molestos & graues, vt homini videatur, aut spiritum præcludere, aut illos suo pondere subiectos opprimere. Qui a Latinis incubi, a Græcis dicuntur Ephialtæ, quia in dormientes insiliunt hostili more. Alii πνιγάμωνα vocant, id est, suffocantem. Hispani appellant *pesadilla.* *Hispane pesadilla quid.* Vide Rhodiginum *libr. 27. cap. 14.* Hæc autem insomnia vsque adeo molesta sunt, vt qui his infestantur, non minus horreant noctem atque quietem, quam hostile certamen. Talia patiebatur quidam ex profanis miser & exul, qui de se ipso cecinit *libr. 1. de Ponto eleg. 2.*

At puto cum requies, medicinaque publica curæ
Somnus adest, solitis nox venit orba malis.

Somnia me terrent veros imitantia casus,
Et vigilant sensus in mea damna mei.
Aut ego Sarmaticas videor vitare sagittas,
Aut dare captiuas in fera vincla manus.

Quare neque diem habuit neque noctem a dolore vacuam: talem namque noctem duxit, vt exspectaret lucem, & cum hæc affulsisset, rursus expectaret tenebras. Audi ipsum *c. VII, 4. Si dormiero, dicam, quando consurgam, & rursum expectabo vesperam, & replebor doloribus vsque ad tenebras.*

6. *Peccati conscientia grauis dolor.* Hæc, quæ corpus vexant, & spiritum conturbant, & terrent, leuia sunt illis, qui religionem amant, & peccatum auersantur, & horrent: grauiora multo sunt, & ipsa morte multo horribilia magis, quæ nos a Deo separant, a quo habemus omnia, & quæ desunt, speramus. Facile est, opes, quantumcunque maximas, perire, ab illustri loco & nomine cadere, tabescere corpus, & omnino defluere, & quidquid natura horret mortalium tolerare; at Deum habere contrarium, id vero vir religiosus & sapiens, qualis erat Iobus, non putat esse tolerabile. Id, opinor, Iobum passum a dæmone non solum soporatum, sed etiam a somno solutum & liberum, cui dæmon obscœnas obiiciebat rerum imagines, & quæ nunquam viderat, cogitaratue, non cogitationi solum, quod facit sæpe, sed sensibus etiam externis repræsentabat. Quæ sic erant acres & viuidæ, vt dubitare posset, an fecisset vltro vigilans & videns, quod dormiens & inuitus patiebatur. Neque tantum oblatæ illæ species molliores erant, & quæ voluptuarios sensus oblectant & capiunt; sed etiam aliæ horribiles & diræ, qualis est desperatio, & iamiam absorbens gehennalis vorago, & mortis ineluctabilis festinaque necessitas, ita vt mortem optarit, & (vt nonnulli putant) spiritu desperationis adductus, de voluntaria morte cogitarit. Quod ipse videri potest indicasse *c. VII, 14. sq. Terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties. Quamobrem elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea. Desperaui, nequaquam vltra iam viuam.* Sed de horum explicatione suo loco nonnihil ex Hieronymo.

pag. 62. b

7. *Quibus modis Virgo* Quid in hoc certamine ab astuto antagonista fortissimus hic athleta pertulerit, quales siue dormiens, siue vigilans exceperit petitiones, explicuit B. Angela de Tulgino, dum refert *capitul. 19. vitæ suæ*, quid ipsa passa fuerit a dæmone: vbi videre videor quoddam exemplar eorum, quibus Iobi patientia tentata atque explorata est. Sic autem de se Beata Angela, quæ verba repetit Martinus del Rio *libr. 2. Magiæ quæst. 24.* quæ parum Latine reddidit interpres: *Tormenta* (inquit) *& animæ passiones, quas sine comparatione acerbiores & plures esse dico, quam corporis, patior quasi assidue ab ipsis dæmonibus. Nec scio aliam assignare similitudinem, quam de homine suspenso in pergula, qui ligatis manibus post tergum, & velatis oculis suspensus remansisset in patibulo, & viueret: cui nullum auxilium, nullum remedium, vel fulcimentum superesset. Dico quod adhuc desperatius & crudelius a dæmonibus torqueor. Video enim, quod dæmones ita animam meam suspendunt, quod sicut suspensus non habet aliquid sustentamenti; ita animæ nullum videtur remanere sustentamentum; & omnes virtutes animæ subuertuntur sciente ac aspiciente anima mea. Et quando anima videt subuerti omnes virtutes, & discedere, & quod non potest se ibi opponere, est tantus dolor animæ, quod vix aliquando possum plorare, propter desperatum dolorem & iram; aliquando vero ploro irremediabiliter. Aliquando vero tanta ira venit in me, quod vix possum me tenere, cum me totam dilaniem: aliquando non possum me tenere, quin me horribiliter percutiam: & percutiendo meipsam tumefacio aliquando caput meum, & alia membra.* *quædam a dæmone vexata.*

8. *Dæmon quam acriter castitatem oppugnet.* *Item aliud tormentum patior, quia omnia vitia in me reuixerunt, & aliquando reuiuiscunt, non quod in vita durabili rationem meam subiicientes, sed præbent mihi & afferunt magnam pœnalitatem. Et etiam vitia, quæ nunquam fuerunt in meo corpore, veniunt in me, & incenduntur, & afferunt mihi magnam pœnalitatem* &c. *Et quandoque sum in tenebra horribilissima dæmonum, vbi videtur omnino deesse omnis spes bona: & est illa tenebra horribilis, & suscitantur vitia in corpore, quæ cognosco intus in anima esse mortua. Sed extra animam suscitant ea dæmones, & etiam illa vitia, quæ non fuerunt, suscitantur: & in corpore ad minimum patior in tribus locis. Nam in locis vere-*

verecundis est tantus ignis, quod consueui opponere ignem materialem ad exstinguendum ignem concupiscentiæ; donec confessor meus mihi prohibuit. Cum sum in illa tenebra, credo, quod citius eligerem assari, quam prædicta tunc pati: imo tunc clamo, & aduoco mortem, vt per quemcunque modum mihi Deus concederet eam euenire. Et tunc Deo dico: Domine, si me debes mittere in infernum, cito facias, & ne differas, & ex quo me reliquisti, compelle, & submerge me in profundum. Plura de se suaque probatione refert sancta hæc fœmina, quæ prudens omitto, qualia ab eodem aduersario passum esse Iobum non est improbabile. Id vero familiare esse dæmoni in tentationum æstu, docuit Laurentius Iustinianus *de disciplina monastica c. 12. Quandoque*, inquit, *dæmones horribiliter humanæ menti se ostendunt per tetras imagines & insolitos aspectus, atque per terribiles comminationes insuetosque terrores tremorem conantur ingerere vehementem: quatenus relicta confidentiæ anchora in pusillanimitatis pelagus ipsam demergant.* Vnde quiuis coniectare non difficile non poterit, quid in suo stadio ac puluere passus fuerit magnus hic athleta; & quam assidua & grauis, quam denique multiplex fuerit plorandi materies: cum nulla pars corporis a doloribus, nulla pars animæ ab angore vexationeque vacauerit.

pag. 63. a

9. *Quamdiu Iobus vexatus.*

Accedit, quod ad exaggerandam vexationem plurimum facit illius diuturnitas. De qua licet nihil certum ex Scriptura constet, & autores non parum inter se dissentiant, tamen ex ipso loquendi modo colligimus, non fuisse paucorum dierum. Origenes *lib. 2. in Iob.* quorundam refert sententiam, qui affirmant, tres annos cum dimidio in sterquilinio iacuisse, quam tamen ipse non probat; sed potius aliquot menses attribuit patienti Iobo, neque tamen illos numerat. Chrysostomus *homil. 25. ad populum* multos menses: Olympiodorus longum tempus: Suidas annos septem. Nihil certum. Illud videtur dicendum, probationem illam fuisse longam, alioqui non satis constaret diabolo, quanta esset Iobi constantia & sanctitas; neque mundus haberet tam illustre exemplar, quod intueretur imitareturque, si breuis esset illa vexatio: cum interdum, idque non raro, contingat, afflictiones hominum esse diuturnas. At vt habes *Tobiæ II, 12.* hanc Iobi vexationem posteris Deus exemplum voluit esse patientiæ: *Hanc autem tentationem ideo permisit Dominus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius, sicut & sancti Iobi.*

10. Illud mihi certum, horum trium Principum aduentum, & hanc Iobi de sua afflictione querimoniam accidisse sub finem agonis illius, & vltimo fortasse die. Quod ideo mihi persuadeo, quia, vt ante diximus, vxoris verba longo tempore post vulneratum corpus acciderunt: vt habent aperte Septuaginta. Deinde talia passus est, qualia ipse commemorat Iobus, dum ad amicorum obiecta disputando respondet. Quæ videntur in dura illa probatione fuisse postrema. Tandem quia, vt ex *c. XLII.* satis liquet, antequam tres illi amici in suas sedes remigrarent, perfunctus est illa tentatione Iobus, & suo loco atque ordini restitutus. Nam, iubente Deo, pro suo peccato sacrificium obtulerunt amici, quibus Iobus oratione sua placauit Deum. Deinde nihil audimus, nisi victoris gloriam, cumulatam domum opibus multo quam antea maioribus, auctam familiam seruis & præclara sobole; nihil denique defuisse, quod regiæ domui necessarium videretur, vel ad vitæ delicias, vel ad dignitatis ornamenta.

Amici ad finem agonis Iobum inuiserunt.

pag. 63. b

Hæc a me pluribus dicta sunt, ne quis miretur, tam fuisse Iobum questum amare, cum grauia pateretur in corpore, grauiora in animo, idque postquam longum tempus derelictus ab omnibus, lacessitus ab externis pariter ac suis, in sterquilinio posuisset.

11. Vers. 1. *Post hæc aperuit Iob os suum, & maledixit diei suo.*] Sicut ad finem *cap. II.* diximus, locutos fuisse tres amicos Iobi, & salutationis atque consolationis obiisse officium, cuius causa venerant, & ideo diu non esse locutos Iobo; quia sermonem compresserunt obiurgatorium, quem iam inde, ex quo illam rerum vicissitudinem agnouerunt, secum meditabantur: sic etiam cum septemdiali spatio amicos resalutasset Iobus, & pro illo humanitatis officio gratias egisset; non tamen ad hunc vsque articulum dicitur os aperuisse, quia nihil dixit, quod disputationi longæ, seu verius

 obiur-

obiurgationi aperuisset aditum. Aperuit autem, cum maledixit diei suo natalitio, quo verbo sic affecit amicos alioqui beneuolos, vt longa illum oratione pupugerint. Aperuit itaque Iobus contra se os suum; quia amicorum etiam aperuit ora, & linguam procudit iam antea ad increpationem incitatam & facilem.

12. *Nulla execratio vel peccatum in verbis Iobi, quæ videntur esse execratoria.*

An his verbis peccarit Iobus, diximus in principio *Prolegom. 3.* vbi varias sententias & explicationes adduximus, quas hic iterare neque libet, neque necesse est. Et nonnulla infra *c. X.* ad illud *v. 18. Quare de vulua eduxisti me.* Tantum addam, confirmaboque magis, quam ibi dicebam existimari posse non improbabilem, nimirum nullam hic execrationem videri, aut orationem ortam ex immoderato atque impatienti pectore, sed tantum eo dicendi genere explicari vim doloris maximam; sicut per interiectionem dolentium explicari solet: & idem valere prorsus, quod *heu*, *hei mihi*, *miserum me*, & similia. Qua de re egimus late *eo Prolegomeno* & *2. Reg. I, 21.* vbi Dauid montibus Gelboæ imprecatus est sterilitatem & sitim, quia in illis ceciderunt fortes Israel, & copiosius *in nostris Commentariis ad c. XX. Ieremiæ*, vbi in suo dolore Propheta iisdem prope vsus est verbis, quibus hoc loco Iobus. Cum enim dixit Dauid, *Montes Gelboe*, *nec ros*, *nec pluuia veniat super vos.* nihil mali montibus imprecatur, aut optat; sed tantum dolet de casu fortium & strage publica in montibus Gelboe. Quasi dicat, væ Israeli, væ misero mihi! O quanta Israeliticæ domus ruina facta est! O montes Gelboe, quis mihi nunc daret, ne vnquam in vobis commissum foret tam luctuosum, tam indecorum Israelitico nomini certamen? Eodem sensu explicari posset illud *Ieremiæ XX, 14. Maledicta dies*, *in qua natus sum*, id est, væ misero mihi, cur conce-

pag. 64. a

13. ptus, cur natus sim, cum me tam misera maneret & acerba conditio? Neque aliud hac execratoria figura significari a Ieremia putat

Sæpe in mortis voto, aut vitæ tædio dolor exprimitur ingens.

Theodoretus, quam ingentem dolorem. Dolor enim, desperatio, ac metus, & si qui alii affectus sunt eiusmodi; aut angusta & ærumnosa conditio nullo possunt modo explicari commodius, quam vitæ fastidio, aut mortis desiderio. Sic Mathatias *1. Machab. II, 7.* hac figura significauit, quam doleret grauiter patriæ suæ, gentisque fortunam, cum dixit: *Væ mihi: vt quid natus sum videre contritionem populi mei, & contritionem ciuitatis sanctæ?* Quod perinde est, ac si diceret: *Vtinam natus non essem, aut periisset vtinam dies natiuitatis meæ: ne ego vnquam in lucem prodiissem.* Sic cum Elias Iezabelem fugeret, & de sua salute desperaret *3. Reg. XIX, 4. Petiuit animæ suæ, vt moreretur, & ait: Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam.* Sic Paulus *ad Romanos VII, 24. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Quo etiam dicendi modo in magno suo dolore, seu desperatione vtuntur externi. Virgilius pauca pro multis suppeditauit exempla *lib. 1. Æneid.*

O terque quaterque beati,
Queis ante ora patrum Troiæ sub mœnibus altis
Contigit oppetere: O Danaum fortissime gentis
Tidide, me ne Iliacis occumbere campis
Non potuisse; tuaque animam hanc effundere dextra.

Et apud eundem Andromache *lib. 3.* sic suam deplorat fortunam:

O felix vna ante alias Priameia virgo
Hostilem ad tumulum Troiæ sub mœnibus altis
Iussa mori.

Hoc puto solum voluisse Iobum. Vt quid enim malum precaretur illi diei, qui iam non erat: neque fieri poterat, vt rediret? Neque aliquid significasse aliud, quam quod dixit statim: *Quare misero data est lux?* Hæc videntur sentire, certe non improbare Theodoretus *in locum Ieremiæ supra citatum*, Chrysostomus *in catena* ad illud: *Quare non in vulua mortuus sum: egressus ex vtero non statim perii?* Quemadmodum dixit Christus, *melius erat ei, si natus non fuisset.* id tantum significauit, difficilia illum & acerba manere: ita cum hoc loco Iobus ait, vtinam natus non essem, aut natus continuo periissem, non Dei succenset opificio, sed magnitudinem tantum calamitatis ostendit. idem pene ad eadem verba Olympiodorus. Quæ autem hoc loco ab illis dicuntur, ad alia omnia, quæ præcesserunt, optime conueniunt. 14.

Horret caro, quod spiritus appetit.

Quod si cui hæc explicatio minus placet, 15.

amplе-

amplectatur, me iudice, illam, quæ *Prolegomeno 3.* pluribus a nobis explicata est. Quæ putat, hanc vocem esse naturæ sentientis, non eius, quæ ratione atque consilio efferuescentes animi motus moderatur. Horret enim natura, idque non obscura significatione demonstrat, quod amarum est, & aliquid minatur acerbitatis & doloris; quod tamen appetit ratio, & impenso interdum comparat pretio.

pag. 64. b Quod in ægroto quotidie videmus, qui horret cauterium, & chirurgi manum, & potionem amaram: quam cum præsentem habet, fastidiente aut nauseante stomacho, haurit tamen non illibenter, & agit gratias illi, a quo propinari atque curari contigit.

16. Vers. 2. *Pereat dies, in qua natus sum; & nox, in qua dictum est: conceptus est homo.*] Ex dictis facile constat, quæ sit horum verborum, & totius ferme capitis nostra sententia. Nempe significatio doloris acerbissimi, quem optime prodit & exaggerat, fastidium lucis & vitæ, & mortis desiderium. Quo constituto, cætera difficilia explicatu non sunt: cum tantum describant, quæ in hominum partu plerumque contingunt; & quæ diem aliquem ornare ac commendare solent; quæ ab illo die procul esse vult, quem habuit natalem: & grata videri solent & illustria nocturno tempore; illa quam longissime arcet ab illa nocte, in qua virilis opera ipsum maternis visceribus inclusit.

17. Quid porro sit perire diem, explicemus oportet. Hinc enim constabit magis, quid hoc loco Iobus aut optet, aut indicet. Illud in Scriptura sacra dicitur non esse, quod non cognoscitur: & esse desiisse cum excedit ex hominum memoria. Sine patre & matre, & sine genealogia dicitur ab Apostolo Melchisedec *Hebr. VII, 3.* quia illius genus & origo nescitur. Sic *Matth. XI, 12.* a diebus Ioannis Baptistæ regnum cœlorum dicitur vim pati: quia tunc id mundus ex Ioannis prædicatione cognouit, cum tamen ante illud tempus vim quoque pateretur. Et Horatius *libr. 2. Satyra 5.* hominem ignobilem, cuius ignotum genus, *sine gente* vocat. Et quibus incerti sunt parentes, quia ex illegitimo concubitu nati sunt, sine patre dicuntur, & ex his notantur litteris, S. P. vnde spurii vulgo nominati.

REGVLA: Id dicitur non esse, quod non cognoscitur; & esse desiisse, quod excedit ex hominum memoria.

Vnde filii nothi spurii vocati.

Quare cum Iob optat, vt pereat dies, in qua natus est, id optat aut indicat, vt deleatur e fastis & hominum memoria, neque anniversariis festis renouetur: & eo habeatur loco, quasi nullo vnquam tempore illuxisset.

Quod vt magis constet, obseruo, natalitios dies in festis a quibusdam censeri, qui celebrantur, aut publice, quales sunt Regum, in quibus aut publicum præbetur epulum, aut alia eduntur spectacula, quæ dies illos geniales esse docent: aut certe priuatim, quales sunt illorum, quibus est priuata vita, & quæ nondum ad regni nomen & dignitatem attollitur. Quare quia dies ille notus est, & anniuersario circulo renouatus, viuere existimatur; & contra ille periisse, qui aut nunquam in fastos relatus est, aut propter indignum aliquod facinus e fastis expunctus. Sic sane Plato *in Alcibiade primo* de Persis: *Postquam natus est primogenitus, qui succedit in regno, primo quidem eum diem omnes, qui sub regno sunt, celebrant; atque ita in posterum quotannis natalem Regis diem sacris ac festis omnis Asia colit.* Suum quoque diem natalitium celebrauit Pharao *Genes. XL.* & Herodes *Matthæi XIV.* & Antiochus *2. Machab. VI, 7.* 18.

Natalitii dies celebres & festi.

Sed fuerunt etiam vulgarium & priuatorum hominum sui quoque celebrati natales, vt tradit Herodotus de Persis *libr. 1. Ex omnibus diebus præcipue colendum censent suum quique natalem: nimirum hoc die plus aliis æquum censent ciborum apponere. Et ditiores integros boues eis in mensam apponunt: pauperes natalem minoribus pecoribus celebrant, cibis vtuntur perpaucis, bellariis multis.* Id quoque vsitatum esse Romanis, multa docent, quæ prudens omitto, vno, aut altero testimonio contentus. Tibullus *ad Cherinthum* de die illius natali: 19. pag. 65. a

Natalis dies quomodo a Persis celebratus.

Quomodo a Romanis.

Est qui te, Cherinthe, dies dedit; hic mihi sanctus,
Atque inter festos semper habendus erit.

Et Ouidius *lib. 3. de Tristibus eleg. 13.* Quid in suo natali die fecisset antea, multis exponit, cuius statim adducentur verba. Et Augustinus, natalem diem conuiuio a se celebratum docet *in lib. de ordine*, vbi dicit, in suo natalitio die disputationem quandam cum suis habuisse

buisse conuiuis. Cum igitur Iobus natalem suum perire vult, id videtur optare, vt deleatur e fastis, si in fastos est relatus (quod est verisimile, cum regiam obtineret dignitatem: & honore publico celebratus) ne illius in posterum memoria viuat. Nam, vt paulo ante diximus, quod ignoratur, perinde censetur, ac si non esset: & tunc mori ac sepeliri incipit, cum primum in obliuionem venerit. Vnde sæpe audimus, mori, aut perire memoriam, & alicuius nomen, aut res gestas obliuione sepeliri.

20. *Vita misera, mors existimata.* Alio etiam modo perire dici potest natalitius dies: quem prius quam propono, obseruo, vitam illam communi hominum sensu appellari vitalem, quæ commodis abundat, quæ deliciis affluit, cui omnia suppetunt, & succedunt ex voto; illam vero non censeri vitalem, imo instar obtinere mortis, aut potius esse mortem, quam diri circumdant casus, infortunia premunt, & nunquam deest, quod timeas, aut doleas. Sane apud externos, imo etiam apud sacros Scriptores non raro parœmialis est species, illum mori potius quam viuere, cui ad vitam necessaria defuissent, aut tristis contigisset ærumnosaque conditio. Vnde apud illos frequens *mori* pro *mœrere*, aut *anguste viuere*. & contra *viuere*, pro esse in deliciis, & cum nulla aduersantis fortunæ necessitate conflictari; sic certe Seneca:

Mortis habet vices
Cum lentis trahitur vita gemitibus.

Et Sophocles *in Antigone:*

Nam nulla cui mentem voluptas recreat,
Non viuere illum Hercle existimo, sed mortuum,
Viuentis illum ferre præ se imaginem.

Idem Martialis *lib. 6. Epigram. 69.*

Et quantum tetricæ tulere febres,
Aut languor grauis aut mali dolores.
A vita meliore separentur,
Non est viuere, sed valere vita.

Et homines, qui e suo gradu deiecti sunt, & graue aliquod patiuntur, aut timent, tam in scena quam in sermone familiari, periisse clamant. Quod in homine videmus experimurque quotidie, id etiam in temporibus multo etiam frequentius exspectamus: nam

Dies quomodo dicantur periisse.

quæ solemni aliqua celebritate ac plausu honestari solent; si ludi intermittantur, & festiva sacra, tempora illa periisse dicuntur: & multo magis si choris, & canticis, sertis, & vnguentis, genialique mensæ lacrymæ succedunt, & eiulatus, ieiunium, sordes: Tunc multo magis periisse existimantur dies ante illud tempus festiui & læti. Quales fuerunt illi, de quibus *1. Maccab. I, 41. Dies festi eius conuersi sunt in luctum, sabbatha eius in opprobrium: honores eius in nihilum.* pag. 65. b

Multis modis olim tam viri Principes, quam reliqui, qui non in mediocri solum, sed etiam infima & angusta fortuna fuerunt, dies suos, & sacra natalitia, pro sua quique facultate, peregerunt. Neque minore, vt reor, studio ac cura natalem diem Iobus obierat, quo tempore dies illi florere & viuere existimari poterant. Quia nihil erat, quod non exhilararet atque reficeret vitam, cuius tunc homines primum liberam vsuram habuerunt. Quæ autem tunc adhiberentur animorum oblectamenta, habemus ex Herodis Assuerique conuiuiis, ad honorem natalitium instructis. Sed hæc minutius explicant profani. Primum quoad ornamentum, albis vtebantur vestibus, boni ominis gratia. Ouidius *lib. 3. Tristium eleg. 13.* sic ad diem suum natalem: 21. *Quomodo sacra natalitia celebrata.*

Scilicet expectas solitum tibi moris honorem?
Pendeat ex humeris vestis vt alba meis?

Hoc ipsum docet *lib. 5. de Tristibus eleg. 6.* vbi vxoris celebrat natalem diem. Horatius *lib. 2. Satyr. 2.*

Ille repotia, natales, aliosue dierum
Festos albatus celebret.

Erant vnguenta, & rosæ, quæ ornare atque exhilarare solent geniale conuiuium: Tibul. *lib. 2. eleg. 2.*

Ipse suos adsit genius visurus honores,
Cui decorant sanctas florea serta comas.
Illius e puro destillent tempora nardo,
Atque satur libo sit, madeatque mero.

Genium pro natali die sumi, aut in natali die coli, notius est, quam vt a me probari debeat. Ouidius, cum in suo exilio vitam magis horreret, quam amaret, sic ad natalem diem, qui ipsi inuisus & molestus illuxit, supra:

Fumi-

Fumida cingatur florentibus ara coronis?
Micaque solenni thuris in igne sonet?
Libaque dem pro te genitale notantia tempus?
Concipiamque bonas ore fauente preces?

Deinde bona coniuiæ dicebant verba, precabanturque, vt dies ille sæpe & lætus rediret, vt dixit proxime Ouidius. Tibullus:

Dicamus bona verba, venit natalis ad aras,
Quisquis adest lingua vir, mulierque faue.

Quod vero longos conuiuæ, aut qui festis aderant natalitiis, annos precarentur, docet Martialis *lib. 8. epigr. 24.* qui dum diem celebrat natalitium, augeri sibi optat & precatur annos: & clarius *lib. 4. epigram. 1.* de natali Domitiani:

Cæsaris alma dies, & luce sacratior illa
Conscia Dictæum quæ tulit Ida Iouem.
Longa precor Pylioque veni numerosior æuo,
Semper & hoc vultu, vel meliore nite.

Vtrumque coniunxit Tibullus *lib. 1.* vbi dies precatur hilares & multos:

pag. 66. a *At tu natalis multos celebrande per annos,*
Candidior semper, candidiorque veni.

Sic ab antiquis hæc dies celebratur, neque vt dixi, hoc officium omissum ante fuerat a Iobo, cum abundaret opibus & filiis, & super ipsius caput splenderet lucerna, & suos butyro pedes ablueret. At cum eodem deductus est, vt eum iam tæderet vitæ, cui decedere mallet dies, quam accedere; non vota facit, vt sæpius redeat natalis; sed potius optat, vt postremus venerit. Et prorsus optat, vt omnia omnino adueniant contraria; & tam absit, vt dies ille splendeat, & quoad eius fieri possit, viuat, vt potius illum obscurari velit, & perire.

22. Vt autem fortunati diei suo natali omnia secunda optant; sic Iobus omnia illa desiderat, quæ diei festiuo ac læto iudicantur futura contraria. Optant fortunati ac læti, vt candidus sit dies; optat Iobus, vt obscuretur caligine. Aduocant bona verba ab his, qui adsunt; at Iobus id postulat, vt maledictis diem prosequantur. In reddenda autem caussa sic est facundus, vt illorum nemo, qui diem natalem aut laudat, aut illi precatur secunda omnia, cum Iobi lugubri & male ominanti oratione conferri debeat.

23. *Funesti dies quomodo ab Hebræis obiri soliti.* Quod autem optat hoc loco Iobus propter dolores atque ignominiam tam longam & grauem, quo sensu a nobis explicatum est: nempe, vt dies esset luctuosus & tristis, aut de dierum numero, aut festorum censu deleretur, id datum est aliis, tam Hebræis, quam externis, quibus dies illi, in quibus duram aliquam accepere plagam, quotannis redeunt funesti ac lugubres. Affligunt se Iudæi & ieiunio macerant illis diebus, in quibus capta est Hierosolyma, & exustum templum; excæcatus Sedecias, occisus Godolias. Neque Dauid voluit, vt numeratio populi, quæ grauem Israelitidi genti vastitatem induxit, referretur in censum, vt, si fieri posset, consilium illud perniciosum & audax obliuio deleret. De quo *1. Paralip. XXVII, 24. Ioab filius Seruiæ cœperat numerare, nec compleuit: quia super hoc ira irruerat in Israel: & idcirco numerus eorum, qui fuerunt recensiti, non est relatus in fastos Regis Dauid.* Et diem illum, 24.
Iudæi quomodo quotannis lugent excisam Hierosolymam. quo capta est a Romanis Hierosolyma, sic Iudæi recolunt squalidi, gemebundi & miseri, vt parentare videantur non solum extinctæ patriæ, sed etiam sibiipsis; quod obseruauit Hieronymus sæpe: & quod vidit descripsit eleganter *in suis Commentariis in Sophoniam*, ad illud *cap. I, 14. Vox diei Domini amara. Videas*, inquit, *in die, quo capta est a Romanis & diruta Ierusalem, venire populum lugubrem, confluere mulierculas decrepitas, & senes pannis annisque obsitos, in corporibus & in habitu suo iram Domini demonstrantes, plangere ruinam templi sui, populum miserum, & tamen non esse miserabilem.* Talia videtur optare Iobus, vt exhibeantur ab amicis, cum redeat quotannis natalis dies, vt potius morientis aut mortui funera, quam nascentis genethlia celebrentur.

Duo ad extremum afferam loca, quæ cum 25.
Iobi sensu mire colludunt, in quorum altero vir dolens & miser male accepit diem suum pag. 66. b
natalem, quod toties aduenerit, & vitam, quam dedit, faciat esse diuturnam, in altero talem dicit fuisse natalem diem, qualem Iobus optat fuisse suum. Alterum dixit Ouidius *lib. 3. Tristium eleg. 13.* vnde nuper nonnulla sumpsimus. Alterum idem *in Ibin*, vbi odiosi atque infelicis hominis natalitia describit. De priori sic ad natalem diem:

Ecce

Ecce superuacuus (quid enim fuit vtile nasci?)
Ad sua natalis tempora noster adest.
Dure quid ad miseros veniebas exulis annos?
Debueras illis imposuisse modum.
Si tibi cura mei, vel si pudor vllus inesset,
Non vltra patriam me sequerere meam.
Quoque loco primum male sum tibi cognitus infans,
Illo tentasses vltimus esse mihi.

Deinde ostendit, quomodo illius diei sacra a fortunatis celebrentur; & quomodo a miseris obiri debeant. De inauspicatis natalitiis in epistola *ad Ibin* non procul a principio.

Natus es infelix (ita Dii voluere) nec vlla
Commoda nascenti stella, leuisue fuit.
Lux quoque natalis, ne quid nisi triste videres,
Turpis, & inductis nubibus atra fuit.
Sedit in aduerso nocturnus culmine bubo,
Funereoque graues edidit ore sonos.

Hæc pauca nos carpsimus ex illa epistola: tu si vacet, & placet, plura leges. Quod vero in natalitio die bonis ac felicibus ab amicis reuocarentur præclare gesta festiuo cantico; & contra infortunatis atque improbis scelera refricarentur, & indecore gesta, docet *eodem loco* Ouidius non minus obscure, vbi sic ad Ibin vulgato sine dubio more, cum diras occineret imprecationes:

Hæc tibi natali facito Ianique calendis
Non mentituro quilibet ore legat.

26. *Pereat dies, in qua natus sum.*] id est, iuxta ea, quæ supra diximus, deleatur e fastis: ne quod hucusque fecere mei familiares ac domestici, & illi etiam, quos ego pro mea regia dignitate moderabar, illam genethliaco conuiuio & plausu celebrent; petantque, vt quam sæpissime anniuersario circulo recurrat. Aut certe mutata specie, luctus tunc & lamenta personent, & obscuretur nebula; vt non tam mihi de more genethliacum nascenti, quam epicedium mortuo cantari videatur. Quæ non hoc loco diei natali suo precatur Iobus, magis ad squalorem funeris faciunt, quam ad natiuitatis lætitiam.

27. *Et nox, in qua dictum est: conceptus est homo.*] Hic multi multa dicunt: mihi simplicissimus hic videtur sensus, qui offertur magis, quam extorquetur a textu: ita vt non solum natali diei precetur Iobus, quod diurnæ luci contrarium est (de quo mox) sed etiam nocti, in qua primum mater experimento didicit, & coniectura non dubia, se concepisse, aut didicisse potuit. Norunt enim fœminæ, quando conceperunt, vt Bethsabee *2. Reg. XI.* & Agar *Genes. XVI.* Quis scit, an Iobi mater in nocte dixerit se concepisse, & lætam illam vocem exceptam a domesticis, ingens toti populo attulisse gaudium: & illam tandem noctem fuisse festiuam, cum ex eo conceptu natus esset homo, quem omnes amabant propter suauissimos mores, & quia ab illo quotidianis excipiebantur officiis: & quasi parentem obseruabant. Quod si ita esset, non fore explicatio difficilis, vt enim a die natali suo Iobus plausum remouet, & alia signa grati ac exultantis animi; sic etiam ab illa nocte anniuersaria, in qua dicebatur esse conceptus, nocturnas remouet faces, & si quid est aliud, quod noctem illustret & exhilaret. pag. 67. a

Verum non puto, neque a matre, neque ab alio quodam dictum esse illa nocte, hominem, id est, Iobum fuisse conceptum, neque id spectasse Iobum, aut aliud voluisse, quam inauspicatam fuisse noctem illam, in qua ipse conceptus est. Nam sicut nomen in Scriptura pro eo sumitur, qui nominatur: unde *nomen Petri*, idem est quod *Petrus; nomen meum* idem quod *ego:* sic etiam *vocor, dicor*, & similia idem valent quod *sum.* Isai. *XLIIX, 8. transgressorem ab vtero vocaui te*, id est, transgressor fuisti. & *cap. IX, 6. vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius*, &c. id est, erit admirabilis. *Isaiæ LXII, 4. Non vocaberis vltra derelicta*, &c. sed *vocaberis voluntas mea in ea.* id est, non eris derelicta, sed erit in te voluntas mea, nempe, vt te bonis omnibus augeat. Et *Ezech. XLIIX, 35. & nomen ciuitatis ex illa die, Dominus ibidem.* id est, erit in ea Dominus. sic etiam nunc, cum dicitur, *in qua dictum est: conceptus est homo*, nihil est aliud, quam in qua conceptus est homo. 28.

Dicor, vocor, *& similia idem quod* sum.

Sed erit fortasse magis soluta horum verborum explicatio, si illud *dictum est*, exponas, *dici potuit*, quod neque in Scriptura sacra, neque apud Scriptores profanos infrequens, qui participium passiuum præteriti temporis pro verbali nomine in *bilis* nonnunquam vsurpant: sic 29.

REGVLA. *Participium præteriti passiuum pro verbali in* bilis

sic *inuisum* vocant odiosum, quodque propter molestiam videri non potest, inuictum pro inuincibili, illaudatum pro illaudabili, id est, pro eo, quod laudari neque debet, neque potest. Sic etiam cum dicit Iobus, *& nox, in qua dictum est: conceptus est homo*, explicari sic potuit: & nox, quæcunque illa sit (de qua constare difficile potuit) in qua primum dici potuit, conceptus est Iobus. Et in hunc modum explicat Sanctus Thomas.

30. *Diei quæ præcipua laus.* Vers. 4. *Dies illa vertatur in tenebras.*] Diei hæc existimatur prima & maxima commendatio, si candidus sit & lucidus: & hoc nomine commendatur fortunatus & auspicatus dies, quem felicem vocamus, cum magis splendet, neque obscuratur nubibus. Quare diem tristem nubilum dicimus & obscurum. Verti illum in tenebras optat Iobus, ita vt pars sit noctis, illique continua, aut certe nocti quam simillimus: obscurus nempe, teter, frigidus, in quo nihil, quod ames, videas; plurima, quæ oderis & horreas.

31. Hic mihi aliquid subit nouum, an ad rem apte, lector ipse videat & emendet. Diximus supra, videri non improbabile, contraria optare Iobum diei natali suo, quam antea in meliori fortuna eidem a domesticis & subditis solita fuissent impendi. Quare vt hi diem illum genialem luce, cantu, conuiuiis & verbis bene precantibus hilarem reddebant & splendidum, sic etiam optabat, vt modo, quam possent maxime tristem redderent & obscurum; id autem nullo alio modo videbatur fieri posse commodius, quam si puluerem in cœlum spargerent, ex quo nubes fieret obscura, quæ lucem eriperet; & si non omnino, aliquo
pag. 67.b *Puluis dictus nubes.* tamen modo tenebras obduceret. Puluerem autem eo modo excitatum vocari nubem, &, quod valde ad nostram cogitationem facit, caliginosam, fumosam, & nigram, satis est notum. Virgil. *lib. 8.* puluercam appellat nubem. & Silius *lib.* 3. Lucretius *lib. 5.* pulueris nebulam. Virgilius sic de puluere ab equitum turmis excitato loquitur, vt noctem putes ab illo caliginosam describi, *lib. 9.*

Hic subito nigro glomerari puluere nubem,
Prospiciunt Troës; ac tenebras insurgere campis.
Primus ab aduersa conclamat mole Caicus,
Quis globus, o ciues, caligine voluitur atra?
Hostis adest.

Et *libr. 11.* cum fumo comparat excitatum puluerem:

At simul Æneas fumantes puluere campos
Prospexit.

Hæc certa sunt; illud non item, quod pro- 32.
batum oportuit, ab his, qui lugent, aut ab illis, *In dolore*
qui aliorum seruiunt dolori, & dolorem suum *puluis in cœlum iactatus.*
aliquo signo testari volunt, solitum esse puluerem in cœlum aëremue dispergi, quo pulueris offundatur siue nubes siue nebula; quæ cœlum obscuret, reddatque turbidum & triste. Sed neque huius rei nobis coniecturæ desunt. Nam, vt vidimus nuper *cap. II, 12.* amici Iobi puluerem in cœlum iactauere, cum viderent amicum tam fœde ac grauiter vulneratum: *Exclamantes plorauerunt, scissisque vestibus sparserunt puluerem super caput suum in cœlum.* Quod item in dolore atque ira fecerunt Iudæi *Actor. XXII, 23. Vociferantibus autem eis, & proiicientibus vestimenta sua, & puluerem iactantibus in aërem, iussit tribunus induci eum in castra, & flagellis cædi.* Neque fortasse erraret, qui suspicaretur, hoc esse Idumæis in dolore ac suorum funere legitimum, de quibus admodum pauca e sacris & profanis Scriptoribus accepimus. Sed, vt dixi, hac in re nihil affirmo, sed meam coniecturam diuinando propono.

Non requirat eum Deus desuper, & non il- 33.
lustretur lumine.] Requirere iudicis est, qui *Requirendi verbum.*
causarum explorat merita, & pro eis, aut præmium aut supplicium decernit. Quomodo Zacharias iam moriturus dixit *2. Paralip. XXIV, 22. videat Deus, & requirat.* & iuxta hæc sensus erit: pereat hic dies, neque vnquam sit in rerum natura; quod explicatur per effectum. Nam cum Deus omnia requirat, expendat & iudicet, quæ singulis diebus fiunt: neque fieri possit, vt aliquis sit dies, in quo ab hominibus nihil sit factum, vel omissum, si hunc diem Deus non requirat & scrutetur, efficitur plane, non fuisse talem diem. Huc inclinat Caietanus. Sic per effectum, cum sterilitatem Dauid Gelboe montibus imprecatus est, primitiarum meminit, quæ agrorum prouentus consequuntur: *Neque sint*, inquit, *agri primitiarum.*

34\. S. Thomas *requirat* aliter explicat, scilicet ne Deus illum sibi diem vendicet, propriumque sibi atque solemnem faciat; quæ diei magna & singularis commendatio est. Esse autem dies sanctos, quos suo sibi honori Deus assignauit, & præcipua quadam religione obseruari voluit, nemo nescit. Quem honorem abesse vult Iobus ab illo die inauspicato & tristi, qui primum illum nascentem vidit, mille videlicet deuotum infortuniis. Mihi placet quod visum est Pinedæ, hæc esse referenda pag. 68. a ad Dei beneuolentiam, quæ rebus omnibus ad splendorem & vsum necessaria suppeditat. Gerit se Dominus in vniuersi administratione ad diligentis & prouidi patris familias similitudinem: cuius eo incumbunt curæ, ne quid desit domesticis, quæ eorum status & natura desiderat. Sic Deus, qui creauit omnia, & rebus omnibus suam indidit inclinationem, & vsus attribuit constantes & ratos: vt humano concipiam & loquar modo, inuigilat, ne quid cuiquam desit, & quid cuiusque postulet natura & necessitas, sedulo requirit. Quare diei indulget lucem, ne homines in suis operationibus errent, aut illas minori saltem cum molestia peragant: neque vllus est dies, quæ diuinam prouidentiam non agnoscat & prædicet. Optat igitur Iobus, ne Deus illam requirat diem, sed ita relinquat illud spatium, quale futurum esset, antequam Deus duo cœlo affixisset luminaria, & tenebræ essent super faciem abyssi. Quare, vt magis explicaret, quid haberet in votis, addidit: *& non illustretur lumine.* Quam deinde multis iterat modis, quæ repetitio auiditatem indicat & studium ardens: nam quæ optamus maxime, illa frequenter ad os & sermonem redeunt.

Dei in res a se creatas prouidentia paterna.

35\. Vers. 5. *Obscurent eum tenebræ.*] Sententia est eadem per contrarium iterata. Quod enim prius per illustrationem & lumen explicuerat, id nunc explicat per obscuritatem & tenebras; qui amplificandi modus in Scriptura frequens: quale est illud, *confessus est, & non negauit;* & illud, *morieris, & non viues, & eris infra, & non supra.*

36\. *Et vmbra mortis.*] Vmbra mortis non quælibet est vmbra, sed maxima, in qua esse existimantur mortui, qui in sepulchris iacent, quæ solares radii non illustrant, aut in absconditis profundisque terræ finibus, vbi tunc seruabantur inclusæ mortuorum animæ. Aut certe vmbra dicitur mortis, quia vt *nox* pro morte sumitur, sic etiam pro nocte *mors* vicissim adhiberi solet. Quare vmbra mortis, idem erit, quod *vmbra noctis.* Quare sensus erit, optare Iobum, vt inter diem natalem, quem oriri candidum prius in votis habuit, & noctem nulla sit omnino differentia. Quod autem nox pro morte sumatur, mille docent exempla. Horatius *libr. 1. Ode 4.*

Vmbra mortis quid.

Nox pro morte.

Iam te premet nox.

Et *Ode 28.*

Sed omnes vna manet nox,
Et calcanda semel via lethi.

Virg. *lib. 10.* & iterum *lib. 12.*

Olli dura quies oculos, & ferreus vrget
Somnus, in æternam clauduntur lumina noctem.

Neque id mirum, cum etiam a non Poëtis vita dicatur lux, vnde homo dicitur *indignus luce, priuatus luce.* Mors præterea pro nocte sumitur, quia cum nox aduenit, moritur dies. Sic Tertull. *in Apol. Lux quotidie interfecta resplendet, & tenebræ pari vice decedendo succedunt: Sidera defuncta viuescunt.* idem de resurrectione carnis, dies moritur in noctem, & vsquequaque sepelitur. *Et statim eadem* (nempe dies) *tota vniuerso orbi reuiuiscit, interficiens mortem suam noctem, rescindens sepulturam suam tenebras.* iuxta hanc metaphoram locutus est Maro *lib. 1. Æneid.*

Lux pro vita.

Ante diem clauso componet vesper Olympo.

Compono, enim verbum est, quod ad mortuos & sepulturam pertinet, quod Lybitinæ importat opus & officium. Quare vmbra mortis nihil videtur aliud quam vmbra noctis, pag. 68. b quæ solis eripit lucem, & rerum species. Et cum Iobus diem suum natalem obscurari vult ab vmbra mortis, nihil videtur velle aliud, quam vt nocturnis tenebris obscuretur, & horreat. De vmbra mortis diximus plura *in nostris Commentariis in Ieremiam,* ad illud *cap. XIII, 16. Expectabam lucem, & ponet eam in vmbram mortis.* Vbi putabamus, illum dici esse in regione vmbræ mortis, cuius vsque adeo est ærumnosa vitæ conditio, vt in ea sæpius occurset aut moriendi necessitas, aut mortis desiderium. Hæc porro ærumnosa condi-

Componendi verbum.

conditio mortis appellatur vmbra, aut simulacrum: nam vmbra interdum imaginem significat. Porro miseros appellari mortuos, docuit *Ezechiel. c. XXXVII.* vbi eos, qui captiui tenebantur Babylone, mortuos vocat, & exilium sepulchrum.

Vmbra pro imagine.

37. *Quarundam arborum vmbræ noxiæ.*

Neque omnino displicet, quod non nemo putabat, vmbram mortis illam appellari, quæ grauis est & pestilens: notum est enim, arborum quarundam vmbras esse graues, & capiti dolores inferre his, qui ad illas in æstu confugerunt: tum deinde noxias vsqueadeo, vt subiectas herbas vrant, & quo minus crescant impedimento sint. Tales vero sunt, quæ a syluestribus lignis funduntur, vt a iunipero, picea, pinu, abiete; vide Plinium *lib. 17. cap. 12.* Huiusmodi vmbra obscurari vult Iobus natalem suum, quæ non solum molesta sit hominibus & inuisa, sed etiam noxia.

38. *Noctis incommoda.*

Occupet eum caligo, & inuoluatur amaritudine.] Prior pars explicatio est eius, quæ proxime antecessit, quæ natalitium diem solaribus radiis illustrari non vult. Posterior aliquid aliud addit, quod secum circumfert noctis silentium & obscuritas: & alia præterea precatur, quæ licet non semper, sæpe tamen nocturnis tenebris inesse solent. *In nocte*, vt ait Tertullianus nuper *in libr. de resurrectione carnis; funestatur mundi honor: omnis substantia denigratur, sordent, silent, stupent cuncta: vbique iustitium est, quies rerum: ita lux amissa lugetur.* Hæc raro absunt a nocturna caligine. Sed sunt alia, quæ in nocturno silentio miseros conturbant & premunt, qualia sunt illa, quibus vexari Iobum, non multo antea putabamus, vt molesti somni, quos ephialtas aut incubos appellant, ægritudo animi, quæ silentio & solitudine grauior fit; & dolores tam corporis, quam animi, quos aggrauari tenebris & sole oriente releuari quotidiana docemur experientia. Inuolui porro amaritudine magnum aliquid sonat: nempe malis vndique circumfundi, neque apparere aliquod tribulationis effugium. Sic Maro de nocte, quæ totum obsidet & operit mundum, *lib. 2. Æneid.*

Vertitur interea cælum & ruit Oceano nox,
Inuoluens vmbra magna terramque polumque.

Et deinde *lib. 3.*

Inuoluere diem nimbi, & nox humida cælum
Abstulit.

Vers. 6. *Noctem illam tenebrosus turbo possideat.*] Egit hactenus de die, in qua natus est; nunc autem de nocte, in qua conceptus est: Quam non solum obscuram esse precatur, & illunem; sed etiam infestatam a turbine procelloso, quem comitantur fulgura, fulmina, & horribiles tonitruorum fremitus. Talem noctem nobis descripsit *in Agamennone* Seneca, cuius hic verba libuit afferre: neque recusare possum, quin ex Poetis aliquid interdum adducam: quod facio non illibenter; quia cum Poëtam agit hoc loco, aut Iobus, aut is, qui Iobi scripsit historiam, ad eius explicationem Poëtæ non importune veniunt. Sic ergo ibi Seneca: 39.

Noctis procellosæ descriptio.

pag. 69. a

Nox prima cælum sparserat stellis, &c.
Cum subito luna conditur, stellæ cadunt:
In astra pontus tollitur, & cælum petit.
Nec vna nox est, densa tenebras obruit
Caligo, & omni luce subducta fretum,
Cælumque miscet. Vndique incumbunt simul,
Rapiuntque pelagus infimo euersum solo
Aduersus Euro Zephyrus, & Boreæ Notus.
Mundum reuelli sedibus totum suis,
Ipsosque rupto crederes cælo Deos
Decidere, & atrum rebus induci chaos.
Premunt tenebræ lumina, & diræ stygis
Inferna nox est; excidunt ignes tamen,
Et nube dirum fulmen elisa micat.

Non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus.] Non solum diem illum natalem perire vult, quo sensu diximus, sed illius etiam & nomen ex hominum memoria omnino deleri. Computabatur prius dies ille in diebus anni, quia relatus erat in Idumæorum fastis, vt illum agerent genialem & festum, qui Iobi ante hunc rerum articulum imperio suberant. Nunc petit, vt expungatur ex fastis: neque de illo celebrando deinceps publica sit ac domestica cura. Chaldæus sic exponit: *Non computetur in diebus solemnibus anni, in numerum kalendarum mensium non veniat.* Hæc explicatio mihi difficilis non est, quæ non vult diem illum esse festiuum & genialem: cui fauet, quod in secundo dicitur he- 40.

misticchio: *nec numeretur in mensibus.* Nam primi dies mensium, quæ kalendæ, aut neomeniæ dicuntur, solemnes sunt. Quare sensus esse posset, non numeretur inter neomenias: quod videtur voluisse Chaldæus. quia nullus est dies, qui in annis ac mensibus inclusus non sit. Qui optat, ne dies sit in annis ac mensibus, ille omnino desiderat, ne sit ille dies: & ideo his verbis nihil aliud videri posset voluisse Iobus, quam quod dixerat prius, *pereat dies*, &c. ita Origenes *lib. 3. in Iobum.* Sed placet magis, quod proxime diximus.

41. Sed alii aliter explicant, neque improbabiliter, ita vt si fieri posset, hunc Deus diem de dierum numero omnino deleat, neque esse velit in rerum natura, ita vt mensis ille, in quem dies Iobi natalitius incurrerit, vno die sit minor, quam alii menses. Neque an id fieri posset, laborandum est: nam qui in dolore sunt, aut grauiori aliquo concitati affectu, multa dicunt, aut cogitant, quæ rerum natura non patitur; vt sæpe in tragœdiis, quæ hominum mores & affectus exprimunt, obseruamus. At in dolore summo hæc dixisse Iobum, certum est. Neque minus esset contra id, quod natura postulat, si modo id esset verum, quod nonnulli volunt, petere, vt dies ille, in quo natus est Iobus, pereat, cum fieri non possit, quin perierit. At hoc aliqua ratione fieri potuit, si ille, qui dies esse debuit, vt optabat Iobus, inuolueretur caligine. & sic interiecta nocte, & cum priori ac posteriori continuata, non interlucente die, dies ille absorberetur a tenebris, & omnino periret: quomodo fabulantur Poetæ, vt conciperetur Hercules, ex vno die ac nocte vnam

pag. 69. b noctem esse compositam. Quod exemplum, si modo verum, satis esset accommodatum. Sed quomodo id cunque fuerit, non laboro: cum multa ab his, quos dolor aut sollicitudo exagitat, aut minus considerate, aut hyperbolice dicantur. Optabat Iobus de illo die, quem inauspicatum putabat, id decerni, quod de filiis, qui morum intemperantia genus obscurant, alioqui clarum & illustre, parentes, aut cognati, atque adeo reipublicæ patres decreuerunt. Nam si horum imagines inter maiorum stemmata esse contigerit, illas ex eo honesto loco ac gentilitio numero deturbant; ne quid sit, ex quo maiorum nobilitas sordes ac ignominiam trahat. Qualia passus est, quicumque ille fuit, de quo Iuuenalis *Sat. 8.* qui fumosis maiorum imaginibus gloriabatur:

Degeneres filii e nobilium numero expuncti, *& eorum imagines sublatæ.*

Squalentes traducit auos, emptorque veneni 42.
Frangenda miseram funestat imagine gentem.

Sed dices, hoc loco non esse sermonem de die, cum nox antecessisset proxime, & statim succedat, cum dicatur, *sit nox illa solitaria;* quare quid mirum, si non computetur in diebus anni, cum in dierum numero censeri non debeat. Respondeo, de vtroque hic esse sermonem: vtrumque enim, tam natiuitatis diem, quam conceptionis noctem ex hominum memoria perire vult. Cum autem ex die ac nocte vnus componatur viginti quatuor horarum naturalis dies (vt audimus sæpe *Genes. I. factumque est vespere & mane dies vnus.* ea figura, qua pars pro toto ponitur) in nocte etiam dies, & in die nox etiam contineri potuit, nisi mauis diem his locis vocari noctem; quia sic dicitur esse caliginosus, vt instar obtineat noctis. quasi dicat, dies ille, qui adeo est obscurus & teter, vt nox censeri debeat, non computetur in diebus anni.

Vers. 7. *Sit nox illa solitaria, nec laude digna.*] Noctes quædam olim, hodieque celeberrimæ fuerunt: quales illæ, in quibus noui coniuges de more in suam domum traducebantur a comitante atque plaudente turba. Quæ nox laudabatur ab omnibus, quasi bonum auspicium nuptialibus sacris attulisset. Neque erat solitaria, quia illa sponsos hominum multitudo stipabat, vt cum numeroso militum exercitu comparari potuerit. Vnde in Canticis legimus *cap. VI, 3.* de sponsa: *Terribilis quasi castrorum acies ordinata;* quia sponsæ nuptialem incessum vis hominum maxima sequebatur. Eædem etiam noctes laude dignæ, quia illa anniuersario circulo laudabantur, quæ in illis gloriose contigerunt, vt quæ Israelitis aperuit aditum in terram promissionis, siccato mari Rubro: aut emergere fecit ex Ægypto, occisis primogenitis. Aut certe, quia in illis aliqua fiunt, quæ non sine choris & plausu peragi consueuerunt. Hæc omnia Iobus arcet a natali suo, nempe, vt nullus sit, qui illum laudet, quod hominem extu-

43. *Quæ nox solitaria.*

extulisset ad publicam lucem & vitalem auram. Nullus, qui in illa nocte inauspicata & fatali quicquam facere audeat, quia infelices iure optimo timere possunt exitus: neque domo prodire, quia eo infelici tempore magna vndecumque occurrent incommoda. Fortasse eo sensu hic dicitur *nox solitaria*, quo dicta est a Marone *sola. l. 6. Æneid.*

Ibant obscuri sola sub nocte per vmbras,

Perque domos Ditis vacuas, & inania regna.

Talis enim solitudo mœrorem indicat & horrorem.

44. pag. 70. a Chaldæus, vbi Vulgatus *solitaria*, habet צערה *saarah*, id est *tribulatio* seu *angustia*. Et idem pene LXX. qui reddiderunt ὀδύνη, quæ vox *dolorem* significat *vehementem*, qualem in partu patiuntur puerperæ; & vbi Vulgatus, *nec laude digna:* vtrique, *neque veniat cantus, aut lætitia in eam.* Sed est significatio aut eadem, aut parum diuersa. In noctibus enim inauspicatis & tristibus non solent fieri hominum conuentus, nisi forte ad publicum aliquem planctum: & in diebus iisdem, in quibus actum est nihil lætum atque laudabile, non resonant cantus ad voluptatem artificiose compositi, sed threni, funebreque lamentum, quod contrahit animos, & lacrymas ciet. In Chaldaica paraphrasi, quæ manu scripta seruatur in Complutensi Bibliotheca, habemus: *non veniat in eam canticum galli syluestris.* Qui dicendi modus miram indicat inauspicatæ noctis solitudinem & silentium: ita vt neque galli cantus audiatur, quo nocturna distinguuntur spatia. Hispanis antiquissima est cantilena, quæ infortunati hominis natalitium describit tempus, quæ ab illa nocte gallorum remouet cantum, & canum latratum. Poetæ in eo infausto articulo vlulatum se audire dicunt feralium volucrum, qualis est bubo, vultur, striges. Sane in hominis infortunati atque improbi natali cecinisse dicitur non gallus, qui nuncius est lucis, sed bubo, qui lugubre aliquid & obscœnum occinit. ita Ouidius *in Ibin.*

Noctis inauspicatæ descriptio.

Qui simul impuræ matris prolapsus ab aluo est,

Cyniphiam fœdo corpore pressit humum.

Sedit in aduerso nocturnus culmine bubo,

Funereoque graues edidit ore sonos.

Et Statius *lib. 3.*

Monstra volant, diræ strident in nocte volucres,

Nocturnæque gemunt striges, & feralia bubo

Damna canens.

Vers. 8. *Maledicant ei, qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leuiathan.*] Locus hic 45.
diu multumque torsit ac distraxit Interpretes: quorum referre ac informare sententias longum esset. Ego ab hoc longo atque molesto labore prudens abstineo, & illa referam, quæ minus videntur impedita, ac tandem, quid mihi aut placeat magis, aut displiceat minus, significabo. Et primum videndum, quinam hi sint, qui maledicunt diei. Quidam eos esse putant, qui Leuiathan, grandem videlicet piscem, de quo infra *cap. XL.* piscatu persequuntur, qui tantum nocte capitur, quem cum elabi sentiunt, affulgente die illum execrantur. Et vt hoc piscatorum genus minus de religione atque modestia curat, nimium se in omne maledictionis genus effundit. Sed hæc sententia multa incerta, imo, vt puto, falsa, pro veris & certis assumit.

Alii hos piscatores esse dicunt, qui, cum 46.
turbatur mare, neque spes est vlla piscatorii compendii, sed potius vitæ periculum, suum institutum atque consilium damnant, & illum execrantur diem, in quo ingressi sunt mare, & sibi ad portum & vitam reditum præcluserunt.

Alii aliter. Ego antequam ad meam ex- 47.
plicationem accedo, obseruo, hæc a Iobo dicta fuisse accommodate ad patrios mores, & ad id, quod in regione sua frequenter viderat. Cum autem de Idumæorum institutis nihil, pag. 70. b
aut certe parum, idque valde obscurum habeamus; necesse est cœcis ingrediamur vestigiis, & coniecturis vtamur obscuris & incertis. Hoc primum mihi certum est, his verbis designari certum hominum aut etiam fœminarum genus, quorum illud erat institutum, vt oratione, aut cantico festiuo ac læto precaretur alicui felices exitus, aut bene gesta commendaret & caneret: quale est Epinicium, Genethliacum, Epithalamium; aut plangeret mortuum, & rem infeliciter gestam, aut durum aliquem casum lamentaretur, aut malediceret his, a quibus alienos haberent animos.

A quibusdam ex instituto læta, aut tristia cantari solita.

mos. Hi autem omnes lacrymas habuere venales, & hymeneas, aut ferales voces. Illud vero *maledicunt*, non tam actum, quam habitudinem, facultatem, aut consuetudinem importat; quod in omnium litteratura frequens est. Sic enim de magistro, cantore, medico, agricola, dicimus: ille *docet*, *canit*, *medetur*, *arat*. Erant igitur quidam docti plangere, laudare, maledicere: qui ad hæc omnia suam vocem & linguam aliis mercede locare consueuerunt. De Idumæis nihil habemus, quod ego viderim, in sacris ac profanis monumentis: facit tamen verisimile Hebræorum vicinitas, a quibus sicut alia, sic etiam hoc hominum institutum & genus acceperunt. *Ierem IX, 17. Vocate lamentatrices, vt veniant, & ad eas, quæ sapientes sunt, mittite.* Et infra: *Audite mulieres verbum Domini, docete filias vestras lamentum, & vnaquæque proximam suam planctum, quia ascendit mors per fenestras.*

48. *Viri, ac fœminæ ad lamenta conducti.*
Neque tantum fuere lamentatrices fœminæ, quæ lacrymas venderent & gemitus, sed etiam viri lamentatores, qui venale habebant illud artificium simulate lugendi. Quod non obscure habemus ex *2. Paralip. XXXV, 25.* vbi viri ac fœminæ legitimo planctu prosequi dicuntur Iosiæ funus: *Omnes*, inquit, *cantores, atque cantatrices, vsque in præsentem diem lamentationem supra Iosiam replicant.* & ex Amos *V, 16. Vocabunt agricolam ad luctum, & ad planctum eos, qui sciunt plangere.* Vbi vocantur ad planctum non solum agricolæ, qui ex animo lugent, cum lachrymas & planctum simulare nesciant, sed etiam qui sciunt plangere, id est, qui plangendi ac lachrymandi simulatoriam artem didicerunt.

49. *Quidam ad maledicendum conducti.*
Quod autem alii etiam fuerint, qui ad maledicendum mercede conducantur, quales sunt harioli, & diuini, & superstitiosi viri, qui suis verbis execratoriis vim inesse noxiam & pestilentem prædicant: quique verba habuerint ad hoc turpe ministerium venalia, habemus ex *c. XXII. Numer.* vbi Balac Rex Moabitarum Balaam hariolum mercede conduxit, vt Dei populo malediceret, a qua maledictione putabat illius populi vires infirmatum iri. Quis autem dubitet, eandem consuetudinem Idumæis esse, qui & loco vicini, & ingenio, ac religione forent non dissimiles?

Isti ergo maledicunt diei, aut quia in diebus, in quibus aliquid accidit funestum & lugubre, lamentantur, quod faciebant in Iosiæ anniversario funere, *2. Paralip. XXXV, 25.* & virgines Galaaditides quotannis filiam plangebant Iephtæ: aut, quod ego potius arbitror, aliorum precibus aut pretio maledicebant diebus, in quibus inimici aliquid moliebantur, ne quid eo die ex votis succederet: & quod quidam putant astrorum facere in inferioribus varium concursum; id putabant accidere ex infensa hominum istorum imprecatione. Seu etiam maledicebant rerum exordiis, vt ex inauspicato principio cætera omnia infelices haberent & miserandos exitus. Et vt alii, qui animati melius nascenti puero omnia optant, precanturque secunda: qualia Salonino puero Virgilius *eclog. 4.* sic etiam isti certo aliquo carminum, seu incantationum genere nascentes deuouent, & iniquæ fortunæ stimulis addicunt.

pag. 71. a 50.

Qui parati sunt suscitare Leuiathan.] Hic maior Interpretum dissensio. Quidam piscem esse putant, de quo infra *capit. XL.* quem dum piscatores captant, aut quia effugit retia, aut quia, aduentante die, non sperant tantæ prædæ se futuros esse compotes, seipsos maledictis onerant. Si piscem statuamus esse, alia fortasse ratio est: quia patria superstitione Idumæi carminibus magicis e suis latibulis euocant, ist est, suscitant ad retia, in quibus sunt diræ execrationes & obmurmurationes horribiles, quales audiri solent a Magis. Aut illud piscationis genus tunc existimatur futurum esse lucrosum & vber, si crebra toto piscationis tempore admisceatur maledictio. Sane ea fuit inter homines minus, quam Idumæi, barbaros opinio, tunc quarundam plantarum vberiores esse fructus, quando cum maledictis & execrationibus sererentur. Sic Plinius docuit *lib. 12. cap. 7. Ocimum*, inquit, *cum maledictis & probris serendum est, vt lætius proueniat. Cuminum, qui serunt, precantur, ne excat.* Idem de ruta Palladius *cap. 9.* 51. *Suscitare Leuiathan quid.* *Plantæ quædam in maledicto seri solitæ.*

Ego hic neque de piscatione puto, neque de pisce Leuiathan esse sermonem; sed tantum in execrationibus admisceri solitum nomen 52. *In execrationibus horribilia assumuntur.*

men Leuiathan. Quod quidem accommodatum est, siue in propria sumatur, siue in figurata locutione. In execrationibus illa communiter adhibentur, quæ horribilia sunt, quæque hominibus metum ac stuporem incutiunt: in aquatilibus nihil audimus horribilius Leuiathan, id est, balæna, quæ sua mole nauigium magnum, imo & insula procul spectantibus apparet. Cuius ea vis est, vt oneratam nauem simul cum vectoribus demergat. Quocirca, qui alicui balænæ precaretur occursum, mortem optaret. Quod si in Leuiathan diabolum intelligas, aut dæmonum principem, vt multi putant ad illud *Isai. XXVII,1. Super Leuiathan serpentem vectem.* hoc sæpius venit in execrationem, quia non existimatur exiguum futurum esse malum, quod a dæmone, imo a dæmonum principe denunciatur.

53. Si ergo hæc intelligas de his, qui lamentantur euentum aliquem infaustum, qualis est alicuius ignominiosa ac immatura mors, aut diræ cædes, aut familiæ, aut generis fœda labes, aut grauis ruina; tunc quæ est hominum, præcipue barbarorum, væsania, excitatur Leuiathan, id est, diabolus, qui diem illum turbet & polluat, in quo homo, aut familia tantum accepit dedecus & plagam. Et quidem satis est frequens, vt in tragœdiis audimus sæpe, & ipsa docet hominum insania, maxime vbi ad angorem animi accedit furor, vt in eius affectu immoderatius concitato suscitetur Leuiathan, id est, inuocetur diabolus, cui se suaque omnia libere permittit: aut aliquid, quod ad inferos pertinet, qualis est orcus, furiæ, inferni manes, a quibus extingui cupere se dicunt, & in æternum torqueri: Sic apud Maronem *lib. 9. Æneid.* Euriali mater, vbi filium cecidisse nouit:

pag. 71. b

—In me omnia tela
Coniicite o Rutuli: me primam absumite ferro.
Aut tu, magne Pater diuum, miserere, tuoque
Inuisum hoc detrude caput sub tartara telo.

Et apud eundem Dido *lib. 4.* vt a se omnes intemperantiæ suspiciones depellat, hac se execratione defigit:

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
Vel Pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras
Pallentes, vmbras Erebi, noctemque profundam,
Ante, pudor, quam te violem.

Quod vero ad maledictionem alterius pertinet, est optimum exemplum Ouidii *in Ibin*, vbi in illius caput Parcas, & furias, & inferorum flumina, & alia monstra aduocat:

Noxque tenebrarum specie reuerenda tuarum,
Quæque ratum triplici pollice netis opus,
Quæque per infernas horrendo murmure valles
Imperiuratæ laberis amnis aquæ:
Quasque ferunt toto vittatis angue capillis,
Carceris obscuras ante sedere fores, &c.

Vt autem hic ab aliis aduocantur inferna monstra, sic ab Idumæis in maledictis aduocabatur Leuiathan, vtpote maximum monstrum, aut aliorum princeps.

Illi porro dicuntur suscitare Leuiathan, 54.
quia ille inter alia inferna monstra censebatur maximum, aut quia in illo magico seu execratorio carmine illius nomen sæpius audiebatur. Aut certe, quia prima illius execrationis verba erant, *suscitare, & huc ades, o Leuiathan*, aut similia. Sicut nos, cum significare volumus, aliquem Pontificiis diris & execrationibus obnoxium, dicimus in illius caput cantatum esse: *Domine laudem meam ne tacueris*, quia illud est execratorii carminis initium. In Scriptura porro Sacra tale habent nomen opera, & libri, quale eorum est principium. Vnde liber Genes. vocatur *Beresith*, id est, *in principio*, & liber Exodi *veelle semoth*, id est, *hæc sunt nomina*. Aut certe carmen illud dicebatur Leuiathan; quomodo multa carmina ab illis sumpserunt nomina, de quibus instituta sunt. Hoc nostro Marianæ non displicet: & adducit quoddam prouerbium acceptum ab Hebræo quodam, quo mulier prohibetur in diebus festis suscitare Leuiathan, id est, canticum illud execratorium assumere, cuius initium esset Leuiathan, aut in quo Leuiathan ad magicum opus aut noxium sæpius inuocaretur. Hæc mihi in re difficili, & in tanta autorum varietate visa sunt non improbabilia. Meliora ab aliis libenter suscipiam.

pag. 72. a

Vers. 9. *Obtenebrentur stellæ caligine eius.*] 55.

Quæ-

Quædam sunt noctis ornamenta propria; quædam aliena, & foris tantum ascita. Aliena dico, vt si in nocte aliquid illustre contingat, qualia sunt nuptialia sacra, faustus Principis atque optatus ortus, & si quid aliud festum siue a fortuna, siue ab hominum consilio atque virtute proueniat. Hoc Iobus a die suo natali remouerat. Nunc illa abesse precatur, quæ propria noctis ornamenta sunt, vt stellæ, quæ speciem illustrem obiiciunt in nocte, quæ mira varietate & ordine, & tenent oculos, & animum oblectant. Deinde magnum hominibus vsum præbent, dum nauigantium dirigunt marinos cursus, & viatoribus ostendunt viam ea luce, quam licet exiguam, non tamen habent otiosam & vacuam. Hanc lucem & speciem obscurari vult ab illius inauspicatæ noctis densa caligine. Quod *in Ibin* quoque precabatur Naso quasi magnum aliquod malum:

Nec tibi sol clarus, nec sit tibi lucida Phœbe,
Destituant oculos sidera clara tuos.

Expectet lucem, & non videat, neque ortum surgentis auroræ.] Æternam optat esse noctem illam, cui nulla succedat dies, cuius splendore depulsis tenebris aliquid æger animus habeat mœroris leuamentum, neque tantum plenam facessere iubet lucem, qualis est a sole iam exorto, sed etiam imperfectam & inchoatam, qualis est ab aurora: quam nos diluculum appellamus. Hic porro status eius est, qui iam excessit e viuis, aut qui iam æternis & gehennalibus tenebris damnatus est, qui nullam expectat lucem, nec vllum a cœlo beneficium. Quem statum optime in glaciali regione descripsit Solinus *cap. 20. Damnata*, inquit, *pars mundi & a rerum natura in nubem æternæ caliginis mersa. Sola terrarum non nouit vices temporum, nec de cœlo aliud accipit, quam hyemem sempiternam.* Hæc mortis Poëtica descriptio est. Virgilius *libro 10. Æneid.* de quodam agente iam animam:

Inferni descriptio.

In æternam clauduntur lumina noctem.

56. Vers. 10. *Quia non conclusit ostia ventris, qui portauit me.*] Ostia ventris illa sunt, quæ *Prouerb. XXX, 16.* appellantur os vuluæ, cui natura claustra quædam obdidit, quæ signa sunt & munimenta virginitatis, quæ conceptus primum, deinde magis partus animalis laxat & resignat. Dolet primum Iobus, quod quo tempore gignendæ soboli dabant parentes coniugalem operam, ostia vuluæ clausa non sunt, ita vt virili opera non potuerint reserari. Et ideo supra maledixit nocti, in qua conceptus est. Neque enim ille vitam inde hausisset tot deuotam malis, nisi ad illam materna vulua primum aperuisset aditum: neque conclusus atque conceptus in vtero emersisset in lucem, si nascituro infanti sic se obstruxisset arcte, vt ex illo naturali carcere exolui non posset. Et ideo subditur, *quare non in vulua mortuus sum?* Quod si recusari non posset, quin nasceretur, illud ad extremum in votis habuit, vt eadem esset postrema, quæ prima fuisset vitæ dies: *egressus ex vtero non statim perii.* Hæc iterat *cap. X, 18.* Quod multis post annis ad hæc, opinor, Iobi verba respectans dixit Ieremias *cap. XX, 18. Quare de vulua egressus sum*, &c. Ex quo suspicor, hæc verba quasi legitima a miseris vsurpari solita, dum suas sibi calamitates lugent.

Ostia ventris quæ.

pag. 72. b

Vers. 12. *Quare exceptus genibus? cur lactatus vberibus?*] Nollet Iobus esse conceptus, & quando hoc euitare non potuit, nollet esse natus: sed antequam susceptus esset in lucem, in tenebris vteri materni adhuc immaturus & informis obiisse diem. Sed quia nimirum fuit viuax, neque innumeris prope incommodis, quæ fœtum in maternis vrgent visceribus, exanimari potuit, ægre videtur ferre, quod eleuatus e terra fuerit, cum primum editus est, & exceptus a nutrice in gremio, aut super genua, & ibi inuolutus pannis, curatus, & lotus, ac tandem nactus languentis ætatulæ commune subsidium, lactatus a nutricis vberibus, & contra naturæ imbecillitatem & temporum iniurias munitus. Hæc obscura non sunt. Sed cur Iobus infortunatum seipsum vocat, quod receptus fuerit in nutricis gremium, & illius lacte opportune nutritus, quasi vllus fuerit aut reiectus a gremio, aut a lacte depulsus? 57.

Sed non sine aliqua causa hoc sibi beneficium negatum fuisse queritur Iobus. Cum hoc in regione Chanaatitide fieret non infrequenter, vt recens natus infans non modo 58.

Infantes nati a genibus a terra leuari non soliti.

non

non sugeret lac maternum, sed etiam non leuaretur e terra, in quam ex materno cecidisset vtero, & ibi relinqueretur in sanguine puerpuræ, vel lacerandus a feris, vel ab ipsa temporum iniuria perimendus, quibus resistere non posset tener & nudus. Quod autem in ea regione Chanaatitide nudi relinquerentur recens nati infantes morituri, docet illa puella, de qua pluribus *Ezechiel XVI, 3. seq.* quæ & proiecta dicitur in terram, neque vllum accepisse beneficium eorum, quibus mundari solet & confirmari infantile corpusculum, de qua Deus per Ezechielem: *Radix tua, & generatio tua de terra Chanaan: pater tuus Amorrhæus, & mater tua Zethæa. Et quando nata es, in die ortus tui non est præcisus vmbilicus tuus: & aqua non es lota in salutem, nec sale salita, nec inuoluta pannis. Non pepercit super te oculus, vt faceret tibi vnum de* pag. 73. a *his, misertus tui, sed proiecta es super faciem terræ in abiectione animæ tuæ, in die, qua nata es.* Hæc, quæ de Chananæa fœmina dicta sunt, seu potius de Ierusalem sub specie Chananææ iuuenculæ, crebro videntur contigisse. Neque enim parabolæ, qualis hæc videtur esse, sumuntur, nisi ab his, quæ crebro & de more fiunt. Hæc autem ab Idumæis gente inculta & barbara fieri sæpe solita incredibile non est, tum quia gentilis erat, tum etiam, quia insolens habuit & ferinum ingenium. *Gentilibus vsitatum filios perituros abiicere.* Quam ad rem obseruo, vsitatum esse gentibus, vt filios, aut quos alere non possent, aut quorum forma ac species minus placerent, in agris exponerent, aut alio quouis modo statim opprimerent, maxime si e sexu essent fœmineo, qui molestus potius in posterum, quam vtilis fore videbatur. Quare pro his, quos patres seruatos esse vellent, Deam constituerunt, quæ a leuandis infantibus, vbi primum a materna prodiissent vulua, Leuanam appellarunt. *Leuana Dea pro leuandis e terra infantibus.* De qua vide Augustinum *de ciuitate lib. 4. cap. 11.* Vnde ortum apud Gentiles familiare illud: *natos tollere*, seu *leuare*, quod idem valet, atque eleuare e terra, & in sinum excipere, *Tollere natos quid.* quos aut dignos putarent esse vita, aut incolumes vellent. Terentius *in Andria actu 1. scena 4. Quicquid peperisset, decreuerunt tollere.* & *in Heautont. actu 1. scena 1. Si filiam pareres, nolle tolli.* Quod ita apud nonnullas nationes vsitatum fuit, vt legitimum pene fuerit, filios recens natos, si illorum species nihil bonum promitteret, statim extinguere. Quod ita fuit olim gentibus in vsu, vt Thebani seuerissime cauerint, autore Æliano *de var. histor. lib. 11.* ne cui Thebano impunita foret infantium cædes, aut in syluis, aut in agris expositio. *Thebanorum lex de non occidendis infantibus.* *Lex hæc*, inquit, *Thebanorum rectissime atque humanissime posita est, ne ciui Thebano liceat infantem exponere, neque in solitudine abiicere, capitis supplicio deuincta. Verum si in extrema mendicitate pater sit constitutus, si mas sit, siue fœmina infans, cogitur eum statim a materno partu ad magistratum cum ipsis fasciis afferre, qui acceptum alicui tradit leui pretio, cum quo pactum & conditiones intercedunt, vt per suam fidem infantem alat, & adultum serui, vel seruæ loco habeat; sic vt alimentum, & educatio seruitute compensetur.* Sane Plutarchus *in Lycurgo* refert, ex ipsius instituto Lycurgi nutriendi liberos facultatem penes parentem non esse. Iubebat enim, vt pater simul atque nati forent liberi, ad locum deportarent, qui *Lesche* dicebatur, *Barbara lex apud Lacedæmonios.* vbi qui natu essent maximi, de forma atque habitu quasi arbitri iudicaturi consederant. Si quis esset pulcher, aliquidque in posterum promitteret boni, alebatur a patribus; qui ignauus apparebat, & inutilis patriæ, aut ignominiosus futurus, præceps mittebatur e prærupto loco. Quod nostra etiam ætate apud gentiles vsitatum: Iaponiis enim, vt ex nostrorum literis accepimus, si minus habent ad alendos liberos facultatis, vsitatum est fœtus elidere, maxime si fœmineos esse cernerent. At apud Iudæos sic erat inusitatum, *Iudæorum in alendis infantibus studium.* vt in perdita etiam ac profligata disciplina nullo vnquam tempore contigerit. Quod docet Clemens Romanus *lib. 9. recognit.* non longe a fine: *Nunquam*, inquit, *apud eos* (Iudæos) *infans natus exponitur.* Quod item tanquam aliquid inusitatum & nouum, de Iudæis prædicat Cornelius Tacitus *lib. 2.* pag. 73. b. 59.

Vers. 13. *Nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem.*] Somnus imago quædam mortis est. *Somnus pro morte, dormio pro morior.* Atque ideo propter similitudinem translatione non difficili pro morte sumitur non a profanis solum, sed etiam a

Scriptoribus sacris. Sic passim in Calendario dormisse dicuntur viri sancti, quo die ex hac vita decessere, & polyandrium, id est, commune sepulchrum, aut locus sepulturis frequens, cæmeterium dicitur, quod Græce valet *dormitorium*. Sic plane *Actor. VII.* sic alios frequenter audimus dormisse cum patribus suis. Somnium pro morte posuit Maro *lib. 10.* a pluribus exemplis abstineo, quia passim occurrunt attento lectori. Silere deinde mortui dicuntur ab effectu maxime noto: neque enim mortuus quantumcumque vexatus queritur aut loquitur, nisi forte alieno inflatus spiritu, sicut buccina aut tibia tubicinis inflatu resonat, id est, alieno spiritu, non suo: & animæ mortuorum *silentes*, & locus, vbi mortui iacent, *silentium*, aut *tacitus*, seu *silens*. Virgil. *lib. 6. Æneid.*

Cæmeterium idem, quod locus dormientium.

Dii, quibus imperium est animarum, vmbræque silentes,
Et Chaos, & Phlegeton, loca nocte silentia late.

Ouidius *lib. 5. Fastorum:*

Mos etiam lemures animas dixere silentum.

Requiescere vero dicitur mortuus, quia iam labore molestiisque defungitur, quibus addita est atque damnata vita mortalium, cui perpetua quædam militia subeunda est. de quo Iobus *cap. VII.*

60. Vers. 14. *Cum Regibus & Consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines.*] Ostendit Iobus, cur talis vitæ seu mortis conditio sibi expetenda fuerit; quia nihil est in hac mortali vita, quod expeti magnopere debeat, cum illa brevis sit, laboris atque sollicitudinis plena, & cui semper ante oculos obuersetur vmbra quædam mortis, aut eius votum. Neque melior est Regum Consulumque conditio, quos eadem manet sors, qui non minus in marmoreo tumulo, quam pauperes in suo puluere, aut etiam insepulti putrescunt. An ipse effugere posset, quod euitare non potuerunt viri heroes, quorum ambitiosæ potentiæ terrarum amplitudo non sufficit? An miser haberetur, si talem tandem esset conditionem nactus, qualem nunc habent, qui suo sibi imperio, quantus quantus est, vniuersum orbem subiugarunt?

61. In Regibus & Consulibus illi intelliguntur, qui suo vel imperio vel consilio communes publicasque rationes moderantur. hi porro ædificare dicuntur solitudines, quia vel pro condendo seruandoque cadauere vastas excitant moles, easque vario ornant emblemate, quasi eo artificio habituri futuri essent in hominum memoria immortale nomen. Quales fuere Ægyptiorum pyramides, Romanorum obelisci, & illud Mausolæum, quod Cares laudibus ad astra efferunt. Hæc porro sepulcra in solitudine fuerunt, quia incestari antiqui ciuitates putabant, si intra illarum ambitum exanimata corpora conderentur. Aut certe, quia ad suam dignitatem pertinere putabant viri ambitiosi & diuites, si in agris hortos haberent, & in illis domus, quæ prætoria a Latinis appellantur, ad quæ secederent voluptatis gratia. Qualia habuit Salomon in saltu Libani: & alii hoc nostro æuo, in quibus immanes fiunt & barbari sumptus, vbi multæ ponuntur horæ, neque vtiliter semper & honeste.

In agris ædificata sepulcra, & domus splendidæ.

Sed credo hic notari potentiorum studia, qui honori sibi ducunt domos ita laxas ædificare, vt non satis habeant, quidquid spatii est intra ciuitatum mœnia insanis occupare molibus, sed etiam in deserta se explicant loca, ad quæ ædificiorum superbiam extendunt. Sic sane Nero, qui, vt stomachosius *in suo amphitheatro* Martialis, sic regiam laxauit domum, vt nihil ad publicos, nihil ad priuatos hominum vsus ex vrbe tota reliquisse videretur, de quo est illud tritum in Neronem conuitium, quod in illius vita Suetonius attulit: 62. pag. 74. a

Roma domus fiet, Veios migrate Quirites,
Si non & Veios occupet vna domus.

Suo etiam tempore queritur Horatius, non solum agros, sed etiam maria immanibus subtractionibus occupari: sic autem ille *l. 2. Ode 15.*

Iam pauca aratro iugera regiæ
Moles relinquent.

Et *lib. 3. Ode 1.*

Contracta pisces æquora sentiunt,
Iactis in altum molibus. Huc frequens.
Cæmenta demittit redemptor
Cum famulis: dominusque terræ
Fastidiosus.

Vers.

63. *Abortiuum quid.* Verſ. 16. *Aut ſicut abortiui abſconditum non ſubſiſterem, vel qui concepti non viderunt lucem.*] Duo hic, vt opinor, imperfectorum fœtuum proponuntur genera. Alterum eorum, qui adhuc immaturi, non tam a matribus ſunt in lucem editi, vt viuant, quam reiecti & expulſi, & quia ante ſuum tempus, nunquam vitales. Hi porro ex Iſidoro *in Etym. lib. 10.* abortiui dicuntur, quia non orti videntur quam exciſi: aliqua nimirum vi, externa plerumque, quæ excutit ex vtero inutilem fœtum, ſicut ventus incitatus & vehemens arborum fructus adhuc acerbos, qui neque eſui ſunt, neque humanis commodis vſum aliquem afferunt. Hic autem dicitur abſconditus, quia neque aliquid fecit, quod in hominum potuerit hærere memoria, neque nomen habuit, a quo ille notus eſſe poſſet: aut ſi quod habuit vitale tempus, illud fuit abſconditum in anguſtis materni vteri clauſtris. Nam qui inde excidit, excidit etiam e vita: neque ſubſtitit, id eſt, per ſe, aut in ſe ſtetit, quia modicum illud tempus, in quo extra vuluam fuit, perinde cenſeri potuit, ac ſi non fuiſſet. Quod *Eccleſiaſt. VI, 4.* his verbis expreſſit: *Fruſtra enim venit, & pergit ad tenebras.* Fruſtra venit ad mundum & lucem, qua non fruatur, ſed potius videtur a tenebris translatus ad tenebras, ab vmbra vteri ad vmbram mortis. & vt dixit Iobus *cap. X, 19. Fuit, quaſi non eſſet, de vtero translatus ad tumulum.* Dicitur præterea, non ſubſtitiſſe, id eſt, fuiſſe in ſeipſo, quod ſubſtantiæ eſt proximum, ſed fuiſſe in alio admodum nimirum accidentis, in matris nempe viſceribus, quomodo eſſe exiſtimatur fructus in arbore: qui non tam exiſtere in ſe, quam in ramo accidentali quodammodo inexiſtere videtur.

Vel qui concepti non viderunt lucem.] Vidit abortiuus lucem, ſed perexiguo tempore: at qui hoc poſteriori hemiſtichio deſcribitur, lucem nunquam vidit, quia in vtero aut vitam, aut vitæ ſpem amiſit.

64. *Mortis quæ commoditas.* Verſ. 17. *Ibi impii ceſſauerunt a tumultu, & ibi requieuerunt feſſi robore.*] Oſtendit Iobus, quænam homini ſequatur ex morte commoditas: vt mors vitam finit, ſic etiam vitæ innumeras præcedit moleſtias, natas ſiue ab aliorum violenta tyrannide, ſiue ab iniuriis, quas inferunt impudenter & libere viri, quos non tam ratio atque æquitas regit, quam rapit præceps furor, & aliorum affectuum intemperantia. Tunc enim impii ceſſabunt a tumultu, id eſt, quantumcunque tumultuentur, & vim ac fraudes moliantur & intentent: nihil tamen erit, quod ſibi ab illorum ſcelerato conſilio metuant, qui in viuis eſſe deſierunt: quos mors adueniens ex illorum inſidiis & fraudibus exemit. Ceſſabunt itaque a tumultu impii mortuorum comparatione: quia illorum tumultus & cauilli nullo modo ad mortuorum ſtatum pertinebunt.

pag. 74. b

Et ibi requieuerunt feſſi robore.] Quædam mala ab aliis, quædam a ſua quiſque natura, aut neceſſitate patitur: a quibus liberari quocumque id modo contingat, magnum putatur beneficium; ab altero, vt proxime diximus, id eſt, ab impiorum tumultu, liberat mors; ab altero, quod leuius non eſt, nos quocumque tempore mors aduenerit, reddit immunes. Mirum eſt, quam ſe homo dure exerceat, dum humana quærit commoda, quibus ſeipſum ac familiam ſuſtentet. vt militiam ſubeat, quam eſſe vitam hominum ſuper terram Iobus ipſe affirmat, dum terram ſubigit, & cum ſudore vultus ſui veſcitur pane, dum negociatur terra marique, neque diem habet vllum a labore vacuum: dum mille denique iactatur incommodis, dum honori ſeruit, dum captat ſua ſuorumque vitæ neceſſaria ſubſidia. Exhauſto iam & laſſo corpore, & robore debilitato ac perdito, quieſcit tandem ab opere moleſto & duro, mortis beneficio. 65. *Hominum in hac vita quantus labor.*

Verſ. 18. *Et quondam vincti pariter ſine moleſtia non audierunt vocem exactoris.*] Quos alienum æs in vincula coniecit, ibi ægrum traxerunt & anguſtum ſpiritum, at mortui ſine moleſtia illa ſunt, quam ab iniquo & duro creditore ſubierunt; quia ex eo tempore ab ære contracto liberi ſunt, cui, dum viuerent, ſoluendo non fuerant. Neque timent aut audiunt vocem exactoris, qui debitum petit, & obtorto collo in carcerem trahit. Quia neque iugulum habet, quod exactor obtorqueat; neque corpus, quod tetro in carcere vincula conſtringant. 66.

67. Exactoris porro nomen odiosum est, siue eius, qui vsuras exigit, quod plerumque fit Calendis, siue eius, qui regium curat fiscum, & a subdito populo annuum colligit vectigal, aut alia tributa, maxime si eiusmodi sunt, vt non nisi a tyrannis imponi potuisse videantur.

Exactoris odiosum nomen.

Quare hoc nomen, vt odiosum & turpe, in sacris litteris sæpius audimus. *Isai. XIV*, 4. contra regem Babylonis: *Quomodo cessauit exactor, quieuit tributum? contriuit Dominus baculum impiorum, virgam nominantium?* & *Zachariæ IX*, 8. *Non transibit super eos vltra exactor.* Neque minus apud profanos molestum & execrabile. Plutarchus *in libr. de non fœnerando: Neque* (qui se a fœnerando abstinet) *kalendarum memoriam refricat: quæ cum sit omnium dierum sacerrima & sanctissima, nefastam tamen, & horribilem, ac tristem faciunt fœneratores.* Quem diem sic horrent, qui fœnebrem pecuniam ex pacto dependent, vt in prouerbium abierit, & comparationem eorum, quæ maxime detestamur. Horatius *libr. 1. Satyr. 3.*

pag. 75. a *Odisti, & fugis, vt Drusonem debitor æris,*
Qui nisi cum tristes misero venere kalendæ,
Mercedem, aut nummos vnde vnde extricet.

68. Vers. 19. *Paruus, & magnus ibi sunt, & seruus liber a Domino.*] Dum spiritu hoc vitali fruimur, necesse est, vt qui fortuna sunt tenui, grauia a potentioribus incommoda subeant. Et qui aliis seruilem operam & libertatem suam addixerunt, recusare non possunt, quin cum duris semper conflictentur ingeniis, & grauiora subeant, quam ferre honeste possit ingenuus pudor, & tolerare facile mortalis infirmitas. At vbi omnes ex hoc mortali statu decesserint, æqualem habent conditionem, quoad humanam attinet œconomiam. Cum enim mors aduenerit, vt cessat Regum & potentiorum dominatus, & insolens ambitio, sic infirmorum & pauperum seruilis & misera conditio. Dixit hoc optime Seneca *in consolatione ad Martiam cap. 20. Mors*, inquit, *seruitutem, inuito Domino, remittit: hæc captiuorum catenas laxat, hæc e carcere educit, quos exire imperium impotens vetuerat. Hæc est, in quo nemo humilitatem suam sensit. Hæc, quæ nulli pepercit: hæc, quæ nihil quidquam alieno fecit arbitrio. Hæc, vbi res fortuna male diuisit, & æquo iure genitos alium alii donauit, exæquat omnia.*

Mors omnia æquat.

Vers. 20. *Quare misero data est lux, & vita his, qui in amaritudine animæ sunt?*] Hæc sententia communis est, & ab his, qui in dolore sunt, millies repetita: qui si vitam ducant non vitalem, cum morte affirmant commutari posse non insipienter. Quod quotidie legimus in externorum fabulis, quæ mores exprimunt vulgares: & ad naturæ sensus accommodatæ sunt, vbi multi sunt, qui quo se ab his vitæ calamitatibus expediant, mortem optant. Satis nos exemplorum adduximus ad *c. XX. Ieremiæ*, vbi idem prope est argumentum, cum eo, quod nunc commentatione versamus. Eandem habemus sententiam *Ecclesiastic. XXX*, 17. *Melior est mors, quam vita amara, & requies æterna, quam languor perseuerans.* Et iterum *c. XLI*, 3. *O mors, bonum est iudicium tuum homini indigenti, & qui minoratur viribus defessa ætate, & cui de omnibus cura est, & incredibili, qui perdit patientiam.* Incredibilis autem eo loco dicitur, qui diffidit de meliori futuro & humano subsidio. De hac re nos plura *in nostris Commentariis in 3. Reg. XIX*, 4. ad illud de Elia, *petiuit animæ suæ, vt moretur.* 69.

Vita quando cum morte commutabilis.

Vers. 21. *Qui expectant mortem & non venit, quasi effodientes thesaurum.*] Non maiori studio ad opes auarus inhiat, quam is, qui amaro est animo, ad mortem. Neque laborat minus, vt mortem inueniat fugientem, quam qui scrutatur terræ viscera, vt thesauros inueniat, quos natura in terræ visceribus inclusit: aut hominum calliditas & metus abdidit in terram, vt latronum laterent oculos, & solertiam eluderent. Porro quanto studio hominum auaritia scrutetur omnia, & ad ipsa vsque terræ viscera descendat, vt prodat in lucem & in humanos vsus, quæ natura tanto artificio ac prouidentia celarat, satis ostendit labor etiam longus & durus eorum, qui ærarias scrutantur venas, ac secturas, aut qui in manifesta se pericula coniiciunt, dum suæ cupiditati seruiunt, & eo se præcipites agunt, pag. 75. b
vnde spes aliqua se ostentat lucri. 70.

Vers. 22. *Gaudentque vehementer, cum inuenerint sepulchrum.*] Quidam hunc locum ad illos referunt, qui thesauros inquirunt, dicuntque 71.

que illos gaudere vehementer, cum sepulcrum inueniunt, quia in illo de more defossæ sunt diuitiæ, & ornamenta maxima, quæ comitantur illos in morte, quia illas, dum vixerant, aut sua congregarunt industria, aut aliorum beneficio, aut naturali iure consecuti sunt. Et quidem si externos consulas, inuenies apud illos magnam partem funebris honoris in his diuitiis positam esse, quæ simul cum dominis in eorum sepulturam illatæ sunt. Et, vt de aliis sileam, hoc etiam videtur apud Hebræos vsitatum, vt enim refert Iosephus *lib. 13. c. 15. Antiq.* & Egesippus *lib. 1.* Hircanus quo Antiochum ab obsidione summoueret, & ciuitatis periculum pretio redimeret, reserauit Dauidis Mausolæum, vbi Salomon filius eius cum paterno cadauere millia talentorum multa condiderat. Et Sozomenus *lib. 9. c. vltimo* in Zachariæ prophetæ tumulo inuentum dicit regium puerum cum aurea corona, aureis calceamentis, & pretiosa veste. Neque aliam ob causam putat Hieronymus *in Ieremiam c. IIX.* effossa fuisse Regum sepulchra, & disturbata, nisi vt inde extraherentur diuitiæ, quas filiorum pietas in paternum sepulchrum quondam intulerat. Vide quæ nos *in nostris Commentariis* ad illum Ieremiæ locum. Id porro gentilibus quoque in vsu fuisse, docet Donatus ad illud *Virgilii 6.* de funere Miseni:

In Dauidis sepulcro multæ dicuntur diuitiæ a Salomone reconditæ.

---- *Decorantque super fulgentibus armis.*

Sed est sine dubio illa expositio expedita magis, quæ ad viros hæc refert miseros, qui mortem optant, quique non minus gaudent, cum sepulcrum inuenerint, quam qui in thesaurum incurrunt, ad quem toto aspirabant corporis & animi conatu. Hæc communis expositio est Hieronymi, Sancti Thomæ, Bedæ, Dionysii, Hugonis, Lyræ, & aliorum fere omnium.

72. Vers. 23. *Viro, cuius abscondita est via.*] Hæc coniunge cum eo, quod nuper antecesserat: *Quare misero data est lux?* Quasi dicat, illum virum miserum puto, cuius abscondita est via. Qui locus varie a variis exponitur: communiter Interpretes in hunc accipiunt sensum: vere illum existimari posse miserum, cui odiosa esse possit ac debeat vita, qui viam suam ignorat, quique nescit, quis illum post tot naturæ ac fortunæ vexationes exitus maneat: qui an odio sit, vel amore dignus. Et quidem vir, qui nouit boni malique distantiam, quantumque intersit inter damnatorum beatorumque sortem, nihil accidere potest molestius (peccatum excipio,) quam nescire ad quam partem ferat, quam ingressus est, via, quam densæ vndecumque circumfundunt tenebræ: neque dubitat in ea regione, per quam ambulet, difficiles esse salebras & occultos hiatus, obuia præcipitia, quæ si euitari contingat etiam lucente die, prodigii existimatur simile. Quod autem sequitur per epexegesim, quæ in Scriptura sacra frequens est; eandem sententiam iterat atque exponit, *& circumdedit eum Deus tenebris;* vbi ignoratio proponitur occultæ viæ, & vndecumque circumstant tenebræ, quæ lucem eripiunt, neque locum ostendunt vllum, in quo tuto possint poni vestigia. pag. 76. a.

Ille miser est & anxius, cui vitæ exi- tus, & post mortem conditio incerta.

73. Explicatio hæc facilis est, & ad mores grauis: sed nescio, quam apte in hunc locum ac temporis articulum accommodes. Sane si hæc dixisset Iobus, postquam ab amicis impietatis accusatus est: cum tamen hoc ille in seipso non agnosceret crimen; dicere quam aptissime potuit illum esse miserum, qui viam, per quam ambulat, ignorat: quæ cum ad mortem & tumulum deducat, existimatur tamen ab ignaro ad vitam ducere, & securam rerum abundantiam. Et se longe miserrimum, qui cum pius esse desideret, sic tamen vitam insipienter instituit, vt a viris non insipientibus iudicetur impius. Sed ante hoc tempus nihil ab amicis audierat tale, neque ex ipsis verbis colligimus ante hoc tempus hac illum cogitatione torqueri.

Quare nihil existimo a Iobo aliud hic significari, quam esse omnino miserum, neque cum illo humaniter agi, quem cum vndique circumstent & vrgeant mala, vitæ tamen vsura diuturna contingat: cum interim ex duris & asiduis malis, nullus se ad libertatem & pacem aditus aperiat. Quod autem *tenebræ*, aut, quod idem esse arbitror, *absconditum*, pro misera conditione sumatur, notum est. De corporeis humanisque incommodis accipiunt S. Thom. Dionysius, Vatablus, Eugubinus, Stunica. Aliæ sunt explicationes, quas consulto prætereo, quia minus videntur solutæ.

Tenebræ, & absconditum pro misera conditione.

74. Vers. 24. *Antequam comedam, suspiro, &*

Iobus cur ante cibos gemerit.

 tan-

tanquam inundantes aquæ, sic rugitus meus.] Hæc ad præsens atque præteritum tempus referri possunt: si ad præsens referas, hic videtur sensus non alienus, quem indicauimus supra *cap. II. num. 42.* vbi ex sententia Origenis dicebamus, diro atque fœtenti vlcere percussas esse manus, & os, ac linguam, ita vt si vellet cibum sumere, vt naturam sustentaret deficientem, maiorem ex illo dolorem caperet, quam ex fame & morte. Quare cum illum cruciaret fames, & ad gemitus & lacrymas adigeret, adeo tamen ipsos horrebat cibos, qui dum reficiebant corpus, os & linguam exulcerabant acerbe, vt doleret magis, & lacrymaretur affluentius, quam dum præ fame mortis immineret extrema necessitas. Hæc mihi non leuis videtur gemitus ac lacrymarum causa. Aliam ipse adducit *cap. VI, v. 7. Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt.* Sed cur Iobi anima illos horrebat cibos? fortasse quia male conditi, neque aspersi sale, aut quia in suo genere insuaues & fatui: neque enim sine causa proxi-

75. *Cur Iobo insuaues cibi.* me præcesserat: *Aut poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum, aut potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem?* id est, cuius gustatio instar est mortis. Chrysostomus *tom. 1. homil. 5. de Iobo* alias assignat causas: *Quis dixerit, famem illam nouam, & interpretatu difficilem, voluntariam an inuitam nescio. Quomodo enim appellemus? voluntariam? sed nolebat apposita degustare. inuitam? sed aderant cibi, nemoque impediens erat; appositæ sedebat mensæ, visosque non tangebat cibos. Nam is, qui circa corpus ab vlceribus erat fœtor, deceptioni accedens desiderium resoluebat, ipsamque mensam ærumna quadam replebat; putores, inquit, meos cibos esse video: & famis quidem necessitas apposita tangere cogebat. fœtoris vero magnitudo e carne proueniens vim famis superabat* Hoc poro *cap. VI, 7.* dixit ipse Io-

pag. 76. b bus iuxta lectionem Septuaginta, quam hoc loco secutus est Chrysostomus, *fœtorem enim video escas meas. sicut est odor leonis.* Quam grauiter oleant carnes a leonis halitu, docet Plinius *libr. 8. c. 16.* & Ælianus *libro de historia animalium c. 39* vide hac de re plura *cap. VI, 7.* ad illud, *quæ prius nolebat tangere anima mea.*

76. Sed posset hoc ad tempus præteritum referri, ita vt dicat Iobus, nunquam se ita elatum affluentibus & arridentibus bonis, vt exultauerit immoderate: aut lætitiam, quæ est a ciborum suauitate atque munditia, qualiter in regia mensa reperitur, nunquam se puram habuisse, sed admixtam doloribus. Et iocos aut plausus geniales sic temperasse lacrymis crebrisque singultibus, vt potius ad domum fletus, & ad plangendum mortuum, quam ad epulas & animi laxamenta venisse videatur. *Ciborum suauitas luctu temperanda.* Quia, vt magnus erat Philosophus, noueratque, res humanas subesse mutationibus, & momento temporis sic interdum conuerti, vt vix antiqui status vestigia relinquant. sic suam intuebatur regiam fortunam, vt deficere posse meditaretur, sic mensam instructu regio instratam, & frequentibus oneratam ferculis videbat, vt tamen non ignoraret, in aureis poculis hauriri venenum, & extremo gaudio luctum succedere. Quare neque se in ridenti fortuna efferebat magnifice, neque præ se alios contemnebat, quos norat iacere in sordibus, & angustæ fortunæ incommodis vrgeri. Erat enim in die bonorum, malorum me- 77.

Timor non sinit solidum esse gaudium. mor: neque cum homo esset, humanum a se quicquam alienum putabat. Neque hæc cogitatio sinebat solidum esse gaudium, ex qua excipiebat plurimum prudens timor; vt enim qui splendidæ assidet mensæ, vbi mille sunt omnium sensuum oblectamenta maxima, si scelerum conscientia illum exagitet, & vindicem virgam imminere sentiat, non tam præsentis opulentiæ delectatur fructu, quam instantis supplicii turbatur metu. Sic Iobus, cum in se naturæ infirmitatem agnoscat, cui mors est affinis: & fortunæ instabilitatem, quæ nullam promittit in statu meliori constantiam, gemit, quod timet malum, neque ex bono solidam voluptatem capit. Neque aliter, opinor, afficiebatur Iobus, cum ad regias epulas accumberet, quam Damocles ille Dionysii assiduus adulator, de quo Cicero *lib. Tusculanarum 5.* cuius verba hic libet referre, quia valde explicant, quem Iobus inter regias delitias haberet affectum: *Cum quidam ex Dionysii assentatoribus Damocles commemoraret in sermone copias eius, opes, maiestatem, dominatum, rerum abundantiam, magnificentiam ædium regiarum: negaretque vnquam beatio-*

rem

rem quemquam fuiſſe. Vis ne igitur, inquit, o Damocle, quoniam hæc te vita delectat, ipſe eandem deguſtare, & fortunam experiri meam? Cumque ſe ille cupere dixiſſet, collocari iuſſit hominem in aureo lecto, ſtrato pulcherrimo, textili ſtragulo, magnificis operibus picto, abacosque plures ornauit argento, auroque celato: tum ad menſam eximia forma pueros delectos iuſſit conſiſtere, eosque ad nutus illius intuentes diligenter miniſtrare: aderant vnguenta, coronæ: incendebantur odores, menſæ conquiſitiſſimis epulis extruebantur. Fortunatus ſibi Damocles videbatur. pag. 77. a *In hoc medio apparatu fulgentem gladium e lacunari, ſeta equina appenſum, demitti iuſſit, vt impenderet illius beati ceruicibus: itaque nec pulchros illos adminiſtratores aſpiciebat, nec plenum artis argentum: nec manum porrigebat in menſam: iam ipſæ defluebant coronæ: denique exorauit Tyrannum, vt abire liceret, quod iam beatus nollet eſſe. Satis ne videtur declaraſſe Dionyſius, nihil eſſe ei beatum, cui ſemper aliquis terror impendeat?* Hæc Cicero.

78. *Vir ſapiens Bon ſine dolore Boluptate fruitur.*

In hoc Damocle videri mihi videor viuam quandam Iobi ad menſam accumbentis imaginem: qui ſic præſenti voluptate fruitur, vt futurum metuat, idque iam proxime impendens malum. Quod in Damocle excogitauit Dionyſius, id facit in ſapientis animo occurſans ſæpe, & humanæ naturæ multis modis explorata infirmitas, & ex innumeris prope cauſis mortis neceſſitas. Pendebat ex equina ſeta Damoclis vita, quod faciebat, ne ex regiis delitiis vlla capi poſſet, vel exigua voluptas. At hominum vita ex t[illegible]i pendet filo, neque aliud habet fundamentum humana felicitas. Quod dixit quidam:

Omnia ſunt homini tenui pendentia filo,
Et ſubito caſu quæ valuere ruunt.

Hæc ſpectabat Iobus, atque ideo, antequam cibos ſumeret, ſuſpirabat, quia norat, quæ tunc habebat ante oculos, quæque curioſi admirantur, aut etiam laudant, illa facili momento poſſe defluere, ſicut bulla, quæ qua facilitate tumet, eadem facilitate vaneſcit. Vide prouerbium: *homo bulla.* In hanc explicationem inclinat Sanctus Thomas, & aperte Chryſoſtomus *tom. 5. homil. 14. de auaritia,* de qua ſtatim adducemus nonnulla.

79. *Gemitus cum aqua ſtrepenti, aut funebri rugitu comparatus.*

Comparat autem Iobus rugitum ſuum, id eſt ſingultum, occultum nimirum gemitum, qui ſic intus premebat, vt tamen licet modice foras erumperet, (quod faciunt in dolore viri, quibus turpis exiſtimatur eſſe gemitus: nam fœminæ ſuum plerumque dolorem eiulatu teſtantur) comparat, inquam, gemitum ſuum cum aquarum inundantium murmure: qui ſane acutus non eſt, ſed raucus, & quaſi clauſus eſſet, obſcurum aliquid & occultum ſonat. Talis gemitus fuit Ieremiæ ſuper Moab *cap. XLIIX, 36.* & Iſaiæ *c. XVI, 11.* vbi dicunt, lugendum ſibi eſſe Moabitidis terræ calamitatem, non tam vlulatu externo, quam interiori rugitu. *Super hoc*, ait Iſaias, & eodem prope modo Ieremias: *venter meus ad Moab, quaſi cithara ſonabit, & viſcera mea ad murum cocti lateris.* De quo nos plura ad illa duorum Prophetarum loca. Illud hic non omittam, inſtrumentum fuiſſe olim muſicum, quo mortui efferebantur ad tumulum, quod viſcerum rugitum imitaretur, cum vacua ſunt, qui obſcurus eſt, & internum aliquid & raucum ſonant. De quo ſic Galenus *libro 3. de Symptomat. cauſis. Porro,* inquit, *ſunt alii, nempe viſcerum rugitus latiſſimarum tibiarum non abſimiles, quales habere ſolent hi, qui timbaulæ, id eſt, ſiticines nominantur.* Harum autem tibiarum ſonitus ſimiles videntur illi murmuri, quod edunt aquæ, dum vel per occultos meatus cum ſtrepitu labuntur, vel dum exundantes excedunt aluum, & per circumfuſos campos late diffluunt.

Inſtrumenta muſica in funeribus qualia.

Quidam ſuſpiria atque rugitus Iobi non pag. 77. b ſine vbere lacrymarum fluxu ſignificari putant: tunc autem lacrymas cum ingenti aquarum inundatione conferri arbitrantur, & fortaſſe vere.

Verſ. 25. *Quia timor, quem timebam, euenit mihi, & quod verebar, accidit.*] Hic varias 80. hominum cogitationes inuenio. Quidam ex eo putant, Iobum durum illud diuturnumque certamen ſubiiſſe conſtanter: neque tot ſuccubuiſſe machinis, quas diabolus ſtudio pertinaci compegerat, quia illa nunquam timuerat, & ſe vſu contra illas & exercitatione munierat. Quod tribus modis facere potuit: Vel ſicuti Chryſoſtomus docuit *tomo 2. homil. 24.* in *cap. X. Matth.* vbi ſic de Iobo: *Perpende,*

Quomodo se homo ad labores munire possit. pende, *quomodo corporis dolorem & membrorum abscissionem, antequam putaretur, cura & cogitatione ferebat. Nam quoniam nihil tale vnquam pertulit, sed in diuitiarum viuebat deliciis, alienas calamitates præ oculis in dies sibi proponebat. Id enim significat dicens, timor, quem formidabam, peruenit ad me: & quem trepidabam, offendit me. Et rursus: ego vero super omni imbecillo plorau, & ingemui in necessitate hominem videns. His igitur de causis nulla rerum acerbitas, nullus calamitatum impetus eum perturbauit.* Et iuxta hæc sensus videtur esse satis ad mores grauis; plorasse Iobum & rugiisse, antequam comederet: quia secum ipse dolenter cogitabat, quam dura tum pauperes, cum abundaret ipse, paterentur incommoda. Et deinde addit, quod timebat ipse, & dolebat in aliis, id iam reipsa experimento didicisse, cum talia tunc pateretur, qualia in aliis miserando pertulerat.

81. *Patientium compassio tolerabilem facit dolorem nostrum.* Quod autem Iobus miserando calamitates alienas fecerit suas, ipse docet *c. XXXI.* vbi affirmat *v. 18: Ab infantia mea creuit mecum miseratio.* Quod autem, qui miseretur & compatitur, alterius ad se calamitatem & angorem transferat, docuit Gregorius *libr. 20. Moral. c. 26.* ad illud Iobi *c. XXX. Compatiebatur anima mea pauperi. Ille,* inquit, *perfecte tribuit, qui cum eo, quod afflicto porrigit, afflicti quoque in se animum sumit, vt prius in se dolentis passionem transferat, & tunc contra dolorem illius per ministerium concurrat.* *Compassionis natura.* In pauperum ergo miseriis ad se per miserationem traductis, quia compati solitus, pati etiam suas didicit constanter, & strenue. Quare cum nudo nudus esse, cum leproso leprosus, cum saucio saucius esse didicerat; sordidum illum reddiderant alienæ sordes; aliena illum fames excruciarat; alienum dedecus indecorem fecerat. Nihil denique in suo naufragio passus est, quod non prius in aliorum ærumnis pertulisset.

82. *Meditanda nobis sunt aduersa, & exercenda dura in prosperitate, vt facilius ferantur.* Alii ad hæc incommoda alacrius atque facilius perferenda hoc consilium Iobum suscepisse putant. Cum enim sciret grauius esse vulnus, quod non expectatur: & illa ægrius tolerari, quibus non se prius aliquis assuefecisset; Hæc Iobus voluntarie subiit, cum res adhuc domestica integra esset, quæ postea illi, conuersa fortuna, necessario fuerunt toleranda; ita Cyprianus Cistertiensis: Quod Seneca præceptum dedit his, qui minori cum molestia voluerint, quæ acciderint a fortuna incommoda subire: nempe, vt prius pag. 78. a
sese exerceant in duris ministeriis, aut infortuniis, quæ timent, & contra illa longo obdurescant vsu: ne casus illos securos & incautos opprimant. Sic autem Seneca *lib. 2. Epistol. 18: ad Lucilium: Interpone,* inquit, *aliquot dies, quibus contentus minimo atque vilissimo cibo, dura atque horrida veste dicas tibi: Hoc est, quod timebatur. Tum ipsa securitate animus ad difficilia se præparat, & contra iniurias fortunæ, contra beneficia firmetur. Miles in media pace decurrit sine vllo hoste: vallum iacit, & sine vllo labore lassatur, vt sufficere necessario possit. Quæ in reipsa trepidare nolueris, ante rem exerceas. Hoc secuti sunt, qui omnibus mensibus paupertatem imitati prope ad inopiam accesserunt, ne vnquam expauescerent, quod sæpe didicissent.*

Ego consentanee ad illud, quod in *superiori versu* censebam verisimile, existimo, timuisse Iobum rerum vicissitudinem, & in rerum omnium affluentia aduersa omnia, quasi iam a fortuna, seu a Deo parata formidare, & quasi iam proxime ex insidiis exceptura. Id sibi velle dicebamus illud, *antequam comedam, suspiro.* Nunc vero cum dicit, *quia timor, quem timebam, euenit mihi,* nihil aliud significat, quam timorem suum non fuisse vanum: cum nihil ante præuiderit, gemueritque, quod non deinceps expertus fuerit cumulate. Videbat circumfusam magnam filiorum sylvam, sicut oliuarum nouellas in mensæ circuitu, & timebat, quod tandem accidit, ne illos subita ruina domus, aut repentinus aliquis casus opprimeret. Videbat seruos alacres & sedulos in ministrando: timebat, ne quando conuersa fortuna conuersis ipsi animis insultarent iacenti, qui tam prompto studio stanti seruierant. Ac denique ne ipse odiosus omnibus, vlcerosus, & squalidus, omnium egenus extra domum & vrbem in sterquilinio tabesceret, cum domus esset tunc splendida ac lauta, neque quicquam deesset, quod a fortuna, atque hominum beneuolentia, & gratia expectare posset. Hæc multis & 84.
elegan-

83. *Timenda rerum vicissitudo.*

eleganter docuit Chryſoſtomus *tom. 5. homil. 14. de auaritia*, vbi oſtendit, quomodo in rerum affluentia, & fortunæ ſecundo afflatu non extulerit inflatum & geſtientem animum; ſed ſe in anguſtis animi moderati ſpatiis continuerit. Et cum dixiſſet, illum ſtrenuum ſeſe in perferendis laboribus præbuiſſe, rationem illius inuictæ conſtantiæ reddit: *In cauſa*, inquit, *fuit, quod cum diues eſſet, expectabat egeſtatem: cum ſanus eſſet, expectabat ægrotationem: cum tot liberorum eſſet pater, expectabat, vt ſubito fieret orbus. Atque hunc timorem ſemper apud ſe ſuſcepit, & hanc anxietatem ſemper apud ſe aluit, intelligens rerum humanarum naturam, momentaneamque volubilitatem negotiorum conſiderans. Eoque dixit, timor, quem timebam, euenit mihi, & periculum, quod metuebam, occurrit mihi.*

85. Sed huic cogitationi nonnihil incommodat illa particula, *quia*: quæ ſi cauſam reddit, hanc videtur habere ſententiam, quam ex multis probauere non pauci; quaſi ideo in ſuo naufragio ante cibum ploret, & præ dolore rugiat, quia illa patitur, quæ timuerat ante: quaſi cognitio, quæ præceſſit, dolorem augeat. Quæ explicatio ideo non placet, quia præuiſum, aut anticipatum cogitatione malum, minus ferit & cruciat. pag. 78. b Alii luctum & rugitum Iobi ad illud tempus coarctant, in quo ille a ſuis derelictus & proditus iacebat in ſordibus, & variis vndique modis cruciabatur, quaſi diceret: ideo ante cibum lugeo quia illa patior, quæ metuebam antea. Quæ expoſitio nec difficilis eſt, neque vim vllam videtur afferre litteræ. Sed licet hanc non improbem, illam tamen non poſſum non probare magis, quam Chryſoſtomus probat, quæque magis aperit expeditque aditum ad reliqua: vt conſtabit magis ex ſequenti verſu.

86. *Quia in Scriptura ex Hebræorum idiomate aliquando otioſum.*

Pro qua ſententia obſeruandum eſt, particulam *quia* non ſemper eſſe rationalem, ſicut Hebraicam כי *ki*, ſed omnino expletiuam, & otioſam apud Latinos. Nam apud Hebræos propter illorum idioma aliquid orationi addit, magis tamen ad ornatum, quam ad ſenſum. Hoc Euthymius docuit ad illud *Pſalm. IX, 3. Quoniam laudatur peccator;* exempla inuenies non pauca apud Salmeronem *Proleg. 16.* Quod multis alibi probauimus exemplis; nunc pauca accipe. *Ioan. IV, 17. Bene dixiſti, quia non habeo virum. Matth. VII, 23. Tunc confitebor illis, quia nunquam noui eos.* & *cap. XXI, 3. Dicite, quia Dominus his opus habet. Pſalm. XVII.* quater ponitur particula כי Hebraice, & Latine *quoniam*, otioſe, & prorſus expletiua *v. 28. 29. 30. 32.* & *Oſeæ cap. X.* bis *verſ. 3. & 5.* Quare ſi quis diceret, *bene dixiſti, te non habere virum*, idem diceret, quod, *quia non habeo virum.* Sic ergo modo cum dixiſſet Iobus prius, ante quam comedam, ſuſpiro, &c. quia timor omnem mihi, aut certe magna ex parte voluptatis ſenſum eripuerat: addit: *quia timor, quem timebam, euenit mihi*, id eſt, neque vanus timor fuit, nam quæ timebam omnia euenerunt mihi.

Quod ſi *quia* otioſum eſſe non admittas, & aliquem habere vſum in Latina translatione contendas, habebit tunc non rationalis vim, ſed aduerſatiuæ particulæ. qualis eſt *attamen, veruntamen, at vero, nihilominus.* Quod quia alicui duriuſculum videri potuit, exemplis confirmabo. 87. *Quia interdum particula aduerſatiua.* *Iſai. cap. LXVI, 8.* cum dixiſſet: *Nunquid parturiet terra in die vna*, addidit, *quia parturiuit, & peperit Sion filios ſuos*, id eſt, non potuit terra, attamen potuit Sion. Et *Pſalm. XXXVI, 19.* cum dixiſſet Dauid de iuſtis: *Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis ſaturabuntur;* de peccatoribus ſubdit, *quia peccatores peribunt*, id eſt, verum tamen peccatores peribunt; & *Pſalm. XIII, 5. 6.* cum de peccatoribus item dixiſſet: *trepidauerunt timore, vbi non erat timor;* de iuſtis ex aduerſo addit, *quoniam Dominus in generatione iuſta eſt*, id eſt, *at vero.* Et *Ierem. XLIIX, 45. In vmbra Heſebon ſteterunt de laqueo fugientes, quia ignis egreſſus eſt de Heſebon, & flamma de medio Sion, & deuorauit*, &c. id eſt, *veruntamen.* Accommodate magis ad locum, quem verſamus, *Pſal. XLIII, 19. Inique non egimus in teſtamento tuo, & non receſſit retro cor noſtrum*, &c. *quoniam humiliaſti nos in loco afflictionis*, id eſt, cum iuſti eſſemus, veruntamen, aut *nihilominus*, afflixiſti nos.

Ad hunc modum locum iſtum explico, 88. meo iudicio, neque violenter, neque inepte. Suſpirabam & rugiebam ante cibum, quia fames me egenorum torquebat, & metus omni-

omnium rerum, quas mihi aduersarias fore, non sine causa suspicabar, faciebat, vt nunquam efferrer insolentius, aut ab eo declina- pag. 79. a
rem quod recta ratio, aut modestiæ, moderationisque censura præscriberet. Veruntamen nihilominus, quod diligenti legum custodia declinare me posse credebam, non effugi: nam in ea, quæ timebam, incurri, & maiora nunc patior infortunia, quam homini mortali inferri posse suspicabar. Hoc probat Chrysostomus, cuius verba statim. Et hæc postrema explicatio mihi magis soluta atque germana videtur.

89. Vers. 26. *Nonne dissimulaui? nonne silui? nonne quieui? & venit super me indignatio?*] Hæc ad totum vitæ tempus spectant, in quo Iobus suam potentiam ita temperauit, vt nunquam suo furori, vel voluptati obsecutus fuerit; sed ad aliorum commoditatem & vsum quidquid habebat autoritatis & imperii contulerit. Id autem explicatius proponit infra *c. XXXI.* vbi ostendit, quam se in rebus omnibus continenter gesserit, vt oppresserit neminem, vt nunquam se, sibiipsi assentatus, insolenter extulerit. Porro, quod quæ eo loco de se prædicat, non ad extremum illud tempus, sed ad totius vitæ curriculum spectent, nemo dubitat; & docet manifeste Chrysostomus *tom. 5. homil. 14. nuper citata.* *Neque silui*, inquit, *neque quieui, sed mihi venit ira. Non dixit, non silebo, neque quiescam præsenti tempore, sed non quieui præterito tempore. Neque enim rerum prosperitas attulit arrogantiam, sed spectatio tristium non sinebat me quiescere. Quamquam affluentia vehementer hortabatur ad delicias, sed asperitas eorum, quæ expectabantur, profligabat securitatem. Et licet præsens felicitas cogeret frui rebus, tamen futurorum solicitudo voluptatem interrumpit.* Et paulo post inducit Iobum docentem, cur ex diuitiarum vsu solidam non ceperit voluptatem: *Quoniam*, inquit, *videbam illarum instabilitatem fluxamque naturam, videbam possessionem haud durabilem.*

Meditatio instabilitatis rerum non sinebat Iobum esse securum.

90. Hæc autem verba, *non dissimulaui*, &c. non vulgarem indicant religiosi ac continentis animi modestiam. *Dissimulare* est tegere quod scis, aut scias; sicut *simulare* est fingere, quod non scis, aut scire te, quod nescias.

Dissimulandi & simulandi verba.

Quidam hæc sine interrogatione legunt, ita vt dicat Iobus, se optimi Principis expleuisse partes, cum non dissimulet se scire aliorum peccata, neque ad illa conniueat, & impune abire patiatur, neque siluerit, cum reprehensione seueroque edicto coerceri deberet impudens sceleratorum hominum improbitas: neque tandem quieuit, donec exterminaret, aut peccatum, aut peccatores de terra. Sed melior est atque significantior illa senten- pag. 79. b
tia, quam indicat apposita interrogationis nota. Dissimulabat nulla Iobus, non quidem peccata, quæ quia rempublicam conturbant & fœdant, & interdum, si adolescere ac serpere permittantur, vehementer nocent, sed iniurias, quas in ipsum iactabat irritata & petulans hominum turba, quorum ipse peccata supplicio compresserat, de quibus ipse dixerat *cap. XXIX, 17. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* Dissimulare autem se scire, quod contra se dictum tentatumque fuerit, moderati est atque prudentis Principis. Quod fecit Saul *1. Reg. X, 27.* dum dissimulauit audire se voces eorum, qui ipsius & deridebant potentiam, & contemnebant genus. Vide, quæ nos *in nostris Commentariis* ad illum locum. Hoc indicauit satis Iobus, dum *cap. XXXI, 29.* dixit: *Si gauisus sum ad ruinam eius, qui me oderat.*

Iobi modestia in imperio.

Dissimulare etiam potuit nomen, quod in ea republica obtinebat summum. Quis 91.
enim illum putaret Regem, qui ea humanitate atque modestia complectebatur alios, quasi nullo modo se extulisset a turba; An non videbatur vnus e multis, qui *cap. XXXI, 13.* dicebat: *Si contempsi subire iudicium cum seruo meo & ancilla mea, cum disceptarent aduersum me.* siluit autem iniurias, quas audire aut videre potuit ab his, in quos pro potestate summa animaduertere potuit. De quo ipse ibidem *v. 34. Si expaui ad multitudinem nimiam, & despectio propinquorum terruit me, & non magis tacui, nec egressus sum ostium.* Quieuit item a tumultu & ira, neque quod faciunt multi, qui in potestate nimium suis obsequuntur affectibus, concitauit turbas, sed potius sedauit. Quis hic regios agnosceret spiritus, cum illos Iobus tanta humanitate celauerit?

92. *Et venit super me indignatio.*] Cum hoc perpetuo vitæ tenore sperarem mihi Deum futurum esse propitium atque beneuolum, expertus sum durum, non quasi muneratorem recte factorum, sed quasi scelerum censorem & vindicem. Hæc extrema verba materiam præbuerunt amicis Iobi, vt cum illo longam instituerent & amaram disputationem, in qua impietatis illum & animi insolentis arguerent, cum se prædicaret innocentem, & Deum ab omni iniquitatis specie vindicarent.

ARGVMENTVM CAP. IV.

INcitatus verbis Iobi posterioribus Eliphaz silentium rumpit, quod eo vsque tenuerat, nisi quid, quod iam ante constituerat, loqueretur durius, afflicto dolorem & molestiam adderet. Et primum docet, quod longæ disputationis fundamentum est, iustorum periisse neminem, & impiorum in hac vita nullum suorum scelerum pœnas effugisse: vnde efficit, fucatam esse & omnino vanam Iobi sanctitatem, cum tam diu, tamque crudeliter a Domino vexetur. Deinde quo maiorem orationi suæ auctoritatem conciliet, oblatum sibi dicit diuinitus oraculum, ex quo didicit ab homine prorsus abesse iustitiam, si comparetur cum Deo. Ad extremum vilitatem hominum, & humanæ vitæ breuitatem ostendit, docetque, ex huius rei ignoratione sempiternam insipientes homines mortem obire.

CAPVT IV.

pag. 80. 1. REspondens autem Eliphaz Themanites, dixit:

2. Si cœperimus loqui tibi, forsitan moleste accipies, sed conceptum sermonem tenere quis poterit?

3. Ecce docuisti multos, & manus lassas roborasti:

4. Vacillantes confirmauerunt sermones tui, & genua trementia confortasti:

5. Nunc autem venit super te plaga, & defecisti: tetigit te, & conturbatus es.

PARAPHRASIS.

1. 2. Cum accepisset Eliphaz, trium Iobi amicorum sapientia atque auctoritate princeps, extrema Iobi verba, quæ illi visa fuerunt impietatis aliquid præ se ferre, subindignans ait: Continuimus nos, quia dolorem tuum vehementem esse videbamus, ne pro eius meritis aliquod a nobis verbum audires, in quo aliquid esset acerbitatis & fellis, quod dibi dolorem & molestiam augeret. Sed quis seipsum continere poterit, quin tandem euomat, quem iam ante meditatione longa sermonem concepit? pag. 80.

3. 4. Ecce quomodo iam apparet, quemadmodum fucata in te fuerit & vana, non vera & solida sanctitatis species. Norunt omnes, quemadmodum multos sæpe diuque docueris, quid ratio, quid natura & pietas ab homine exigant prudente & officioso. Quemadmodum pauperum subleuaueris inopiam, ægrotos & debiles consilio atque auxilio iuueris, & nutantes denique vacillantesque gressus paternæ pietatis & largæ humanitatis officio confirmaueris.

5. Cum sanus esses, recta consilia ægrotis dabas, quibus illos ad veram animi sanitatem reduceres. At cum eadem te vexatio tentauit & afflixit, sic turbauit animum, vt omnem illam sapientiam expectorasse videatur.

 6. Lau-

6. Vbi eſt timor tuus, fortitudo tua, patientia tua, & perfectio viarum tuarum?

6. Laudabaris, o Iobe, vulgari præconio, quod timeres obſeruaresque Deum religioſo cultu, quod patientiſſime tuleris aliorum iniurias, quod denique nihil eſſes aggreſſus, in quo poſſes iure a quoquam reprehendi. Nunc autem horum omnium nec minimam in verbis rebusque tuis vmbram intueor.

7. Recordare, obſecro te, quis vnquam innocens periit? aut quando recti deleti ſunt?

7. Quod autem illa vana fuerit commendatio, & laruata religio, illud mihi facile perſuadet, quod nullus vnquam, qui ſanctitatem & officium coluit, & vitam egit innocentem & piam, tale a Domino ſupplicium tulit, quali tu miſerandum in modum tamdiu conficeris; neque vidimus vllum, qui bene vixerit, male periiſſe.

pag. 81. 8. Quin potius vidi eos, qui operantur iniquitatem, & ſeminant dolores, & metunt eos,

9. Flante Deo periiſſe, & ſpiritu iræ eius eſſe conſumptos:

8. 9. At contra ſæpe vidimus, eos omnes, qui iniquis ſe ſtudiis tradiderunt, male a Deo fuiſſe mulctatos, neque alios ex ſuo labore cepiſſe proventus, quam qui factæ ſcelerum ſementi reſpondent: dolores nempe, ærumnas, & omnium gentium odium commune. Cum enim ex copioſa ſemente copioſam etiam ſperarent & plenam meſſem, Deus tamen, qui neque illorum labores & ſtudia probat, neque illorum votis libenter annuit, ventum immittit vrentem & noxium, qui & illorum perdit laborem & induſtriam, & eos fame & egeſtate conſumit. pag. 81.

10. Rugitus leonis, & vox leænæ, & dentes catulorum leonum contriti ſunt.

11. Tigris periit, eo quod non haberet prædam, & catuli leonis diſſipati ſunt.

10 11. Cum te, o Iobe, crudelem, violentum, tyrannum, quique pauperum ſpoliis tuam domum atque familiam alebas & ornabas, iacere video, & filios tuos inopinato caſu periiſſe, audire videor leonis leænæque rugitum, & catulis hucusque voracibus excuſſos eſſe dentes, & ablata præda, ſublatam tigridem, & illius catulos varie diſperſos, aut omnino contritos.

12. Porro ad me dictum eſt verbum abſconditum, & quaſi furtiue ſuſcepit auris mea venas ſuſurri eius.

13. In horrore viſionis nocturnæ, quando ſolet ſopor occupare homines.

12. 13. Audi, o Iobe, quid dicam, neque humanam eſſe vocem putes, aut vanum ſomnium, aut inane figmentum; oraculum etenim eſt certum, inſpiratum mihi e cœlo diuinitus. Audiui enim arcanum quiddam & abſconditum, quod ad me pertulit furtiuus & exilis ſonus, qualis eſſe ſolet ſubterlabentis & ſurdum aliquid murmurantis aquæ, eo tempore, in quo ſomnia turbare magis ſolent dormientes, prima videlicet vigilia, in qua arctior homines complectitur ſomnus.

14. Pauor tenuit me, & tremor, & omnia oſſa mea perterrita ſunt.

14. 15. Tunc ſpecies mihi oblata diuinitus animum pulſauit vehementer, ad quam ego toto corpore repente cohorrui; & ipſi etiam capilli, quod

15. Et cum spiritus me præsente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ.

16. Stetit quidam, cuius non agnoscebam vultum, imago coram oculis meis, & vocem quasi auræ lenis audiui.

17. Nunquid homo, Dei comparatione iustificabitur, aut factore suo purior erit vir?

pag. 82. 18. Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles, & in angelis suis reperit prauitatem:

19. Quanto magis hi, qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tinea?

20. De mane vsque ad vesperam succidentur: & quia nullus intelligit, in æternum peribunt.

21. Qui autem reliqui fuerint, auferentur ex eis: morientur, & non in sapientia.

quod fieri in metu solet, erecti riguerunt, eo maxime tempore, cum spiritus, qui ad aurem aliquid insusurrabat, obscurius ante me transiret.

16. Stetit ante me, aut stare visus est quidam, cuius ego neque imaginem vidi, neque cuius esset naturæ, plane cognoui. A quo vocem accepi exilem & obscuram, qualis audiri ab aura solet leniter sibilante.

17. Hoc autem fuit oraculum, quod diuinitus acceptum ad te defero, quod tecum assidue mediteris oportet: Numquid (dixit vox illa lenis, & abscondita) homo vilis, & quasi singulari opera ex argilla formatus comparatus cum Deo formatore suo iudicabitur iustus? & purior erit eo, a quo habet, vt respiret & viuat?

18. 19. Quam autem verum fuerit hoc acceptum e cœlo testimonium, hinc, o Iobe, disces manifeste. Nam si in angelis, quibus plus est ingenii, plus ad resistendum virium, quique Deo propius & assidue ministrant, prauitatem tamen reperit, cuius pœnas dabunt sempiternas, quid ab illis sperari poterit, qui domos habitant e materia fictili, quarum item luteum est & fictile fundamentum, quod multis potest machinis euerti: imo etsi extrinsecus adueniat nihil, a sua ipsa infirmitate deficient, sicut vestis a tinea, quam gignit, & in seipsa continet & nutrit? pag. 82.

20. Qui ex illa vili futilique materia formati sunt, vitam agunt incertam & vere momentaneam, & quem lux matutina viuum & florentem ostendit, eundem opprimet vesper adueniens. Huius rei vel ignoratio, vel obliuio in sempiternum homines interitum adduxit.

21. Qui autem ab hoc se insipientium numero sapienter exemerint, aliam habebunt & meliorem sortem; non communem cum aliis: morientur enim (quis namque mortalium mortem effugit?) non tamen insipienter: quia temporariam mortem sic obibunt, vt æternam effugiant.

Vers. 1. *Respondens autem Eliphaz Themanites dixit.*]

pag. 82. a 1. HIc ex tribus amicis maximæ videtur esse autoritatis, cum omnium primus locutus fuerit, & sapientiæ non vulgaris, vt nomen indicat patriæ. Theman enim sedem esse bonarum litterarum, aut certe bonorum ingeniorum altricem, paulo ante diximus. Ad hunc autem articulum continuit se, ne quid diceret, quod Iobi exulceraret animum, donec postremum audiuit verbum, quo Iobus suam videbatur innocentiam prodere, & Deum ostendere in sua vexatione nimium fuisse seuerum. Conce-

ceperant autem hi tres amici aliquid de Iobi sanctitate ac meritis minus religiosum ac purum: fucatam esse illius religionem eo sibi persuaserant argumento, quia ingentem illum plagam accepisse viderant: neque credebant, quemquam nisi sceleratum a Domino in hac vita puniri. Cum autem extrema Iobus addidit verba, in quibus inculpatæ vitæ sibi laudem attribuit, in concepta prius suspicione confirmatus, quod tacitus secum versabat animo, confestim effudit.

2. Vers. 2. *Si cœperimus loqui tibi, forsitan moleste accipies, sed conceptum sermonem tenere quis poterit?*) Huc reuocare oportet, quod paulo antea dicebamus ad finem *capitis II.* aduenisse hos viros consolandi atque hortandi causa: cum iam diu Iobus ornamentis opi-
pag. 82. b busque nudatus, & saucius toto corpore in stercore iaceret, imo extremo illius tam longæ vexationis tempore. Quare satis habuerunt spatii, vt talia meditari potuerint, qualia nunc euomunt in Iobum siue hortamenta, siue conuitia, &c. id probat non difficile, quod hic additur, *conceptum sermonem*, &c. quasi concepissent iam diu, quod modo parturiunt. Quasi dicat, sicut fœtus, qui diu latuit in vtero, vbi iam maturus est partui, teneri non potest, quin erumpat, vel etiam dirupto genitricis aluo; sic etiam sermo, qui fœtus quidam mentis est, quique iam pridem, ex quo te primum, o Iobe, tentatio cœpit, in mente quasi in vtero formatur, cum nunc se idonea maturitas, id est, opportunitas obtulerit, contineri non potest.

3. *Tres Iobi socii a diabolo instructi contra Iobum.* Deinde hoc etiam obseruandum, quod mihi semper persuasum fuit, neque aliis, credo, videtur improbabile, hos tres amicos consolationis specie, & humanitatis, quam inter se amici colere consueuerunt, aut inductos a dæmone, aut si ipsi sua sponte officium illud obire statuissent, instructos fuisse, quomodo verbis aut exciperent aut aggrederentur Iobum: vt per illos id tandem consequeretur, quod aliis machinis atque tormentis extorquere non potuit: nempe, vt impia lingua verba in Deum maledica proferret, vt enim suo loco diximus ex Chrysostomi Originisque sententia, nuntii, qui de armento-
pag. 83. a rum furto, ac cæde, de domus ruina, de filiorum repentina strage Iobum docuerunt, aut fuere dæmones, aut instincti a dæmone, & docti, vt magis exagitarent & vrerent patientis animum. Quod item fecit cum vxore, per quam ipse aut locutus est, vsus alieno habitu; aut lingua pro sua, aut certe præscribens, quid illa diceret, quod plus esset apud religiosum Principem ponderis habiturum. Neque est incredibile, effecisse dæmo- 4.
nem, cum plenam in bona corpusque Iobi *Vxor & serui Iobi a dæmone instigati.* potestatem accepit, vt serui a malo instincti spiritu male de Iobi religione sentirent: & illum, quem amabant antea propter morum suauitatem & quotidiana paternæ humanitatis officia, tunc propter cogitationes alias longe dissimiles odio prosequerentur hostili. Ex quo ortum est, vt scribit Chrysostomus *tom. 5. homil. 14.* vt famuli in domini sui faciem conspuerint, & irruentes in eum ex tota domo in sterquilinium expulerint. Idem ergo dæmon aut euocauit amicos, vt dum consolari student, potius affligerent; aut in profectionem accinctos, in eam mentem induxit, vt de illius vita iudicarent iniquius: & illa inspiravit, quæ illum pungerent & exulcerarent vehementius. Sic Chrysostomus *tom. 5. homil. 9.* cum dixisset, eo consilio diabolum spoliasse Iobum omnibus bonis, orbatum filiis, & exulceratum corpus tradidisse vermibus, vt male aliquid de diuinitate sentiret: *Ob hoc*, inquit, *etiam amici, qui ad consolandum venerant, instigantur* (a diabolo) *ad exacerbandum. Aiunt enim, nondum digne secundum ea, quæ peccasti, flagellaris. Et multa alia huiusmodi, incusantes eum, loquuntur.*

Hæc porro extrema amicorum tentatio 5.
grauissima fuit omnium. Quod ex eo liquet, *Grauissima amicorum tentatio.* quia cum alia audiuit charissimarum rerum, detrimenta, siluit tamen, quia illa humana erant, & aliquando peritura. At cum de Dei honore atque animæ salute disceptatio est, quia hæc præcipua est cura, & si quid in ea peccatum est, ingens dolor, silere non potuit. Atque ideo cum impiam vxoris, imo verius diaboli, vocem accepit, in vocem contra seueræ obiurgationis erupit. Neque siluit, cum impietatis argueretur ab amicis, sed illam accusationem longa a se disputatione submouit. Cum numerasset Chrysostomus,

quæ ante Iobus pertulerat, & quæ tunc in sterquilinio pateretur incommoda, addit: *grauiora alia erant, quæ turbare magis animum hominis poterant, quam ea, quæ dicta sunt: quoniam audiebat amicos tanquam perditum hominem vituperantes. Non enim condigna dicebant: neque vt peccata tua flagitant percussus es.*

Grauius torquebat Iobum Dei offensio, aut peccati suspicio, quam corporis plagæ.

6\. Multa Iobo obiiciunt amici, quæ si vera forent, non iudicarentur leuia, & quæ non illud mererentur supplicium, quod tunc patiebatur, præcipua tamen hæc fuerunt: *c. IV.* leo vocatur, & tigris, hypocrita, & arrogans *c. XV.* furiosus *c. XIIX.* tyrannus, & qui pauperes oppresserit, *c. XXII.* impius, & vaniloquus *c. XIIX.*

7\. *Verba amicorum Iobi, prout ipsorum, canonica non sunt.*

Illud porro obseruandum, propositiones, quas Logici maiores appellant, omnes esse, aut certe plerasque veras, quæ aliis Scripturæ locis comprobantur. vnde habent canonicæ veritatis pondus, potius quam a dicentium autoritate, cum neque Prophetæ fuerint, neque a Spiritu sancto afflati, vt dicemus statim *v. 12.* Neque enim est verisimile, si a Spiritu sancto proxime illas accepissent, statim in illarum applicatione peccaturos. Neque Scriptura sacra illorum verba tam probat dicta, quam dicta fuisse refert, quomodo retulit Achior verba Iudithæ *c. V.* & verba Amalecitæ pueri, qui Saulem Regem a se occisum falso narrauit, *2. Reg. I.* cum in his reperiantur non pauca, quæ minus cum veritate consentiunt. Docet hoc ipsum de Eliphaze Bellarminus *tom. 1. libr. 1. de Beatitudine Sanctorum cap. 9.* vbi cum ad probandam inuocationem Sanctorum quædam attulisset verba, addidit: *Quamuis autem hæc verba non videantur conuincere, quia non sunt ipsius Scriptoris libri, sed Eliphaz amici Iob, tamen ideo conuincunt, quia indicant tunc fuisse consuetudinem inuocandi patrocinium Sanctorum.* vide quæ diximus *Prolegom. 10.* Quæ vero in his amicorum verbis, quæ minus probari debeant, suis dicemus locis.

pag. 83. b

Scriptura sacra quorundam verba non tam probat, quam refert.

8\. *Iobi quæ in suos misericordia.*

Vers. 3. *Ecce docuisti multos, & manus lassas roborasti vacillantes, &c.*] Commemorat nunc Eliphaz, quæ tota Idumæa vulgo de Iobi sanctitate cum admiratione & laude iactabantur, quæ de se Iobus ipse prædicat *c. XXXI.* Quæ omnia ostendit fucatam tantum habuisse & externam speciem; non tamen vim solidam & pondus sanctitatis. Quod ex præsenti supplicio facit verisimile, cum neget a Deo non nisi peccatores & nocentes puniri. In quo, vt multis confutat Iobus, vehementer errat Eliphaz. Docuit Iobus multis, quomodo nimirum legitime ac sancte colerent, optimi ciuis, seduli patrisfamilias, & religiosi viri, denique timentis & obseruantis officium. Quomodo inculpatam ducerent vitam; & quod ab illis natura & sanctitas exigerent, explerent. Quod Iobus ipse dixit *c. XXIX, 21. Qui me audiebant, expectabant sententiam, & intenti tacebant ad consilium meum: verbis meis addere nihil audebant.* Et iterum, dum dicit *v. 15. Oculus fui cæco, & pes claudo.* illa vero, quæ doctrinæ adduntur, descriptionem continent hominis infirmi, qui præ languore & macie exercere non potest, aut arte, seu labore quærere, quod ab illo requirit aut officii ratio, aut naturæ necessitas. Hic autem languor in lassis manibus, in vacillanti ingressu, & trementibus genubus exprimitur.

Hæc non sunt signa hominis, quem vires ætate iam effœta & languida, aut naturæ labente destituunt. Quæ sæpe a sacris, neque raro a profanis Scriptoribus adducuntur. Sic sane Isaias *c. XXXV, 3. Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate.* & Nahum *c. II, 10.* pro languore & imbecillitate *dissolutionem genuum* posuit. & Paulus *ad Hebræos XII, 12. Remissas manus, & soluta genua erigite.* Virgilius *libr. 5. Æneid.* de Antello iam defesso ac sene: 9.

pag. 84. a

Sed tarda trementi
Genua labant: vastos quatit æger anhelitus artus.

Quod metui attribuit Seneca *Epistol. 11. quibus tam*, inquit, *tremunt genua dicturis*, & *lib. 2. de ira cap. 3. signo pugnæ dato ferocissimo militi paululum genua tremuerunt.* Si ad sensum spiritualem hæc traducas, hoc etiam officium præstitit Iobus, neque minus frequenter, neque cum vsu aut voluptate minore: nam titubantem confirmauit in virtute, quem aut metus, aut difficultas abducebat ab officio, errantem reuocauit ad viam, & quod pastor in grege, & pater in moderanda familia, id Iobus præstitit in tractando regni gubernaculo.

Vers.

Labor, & afflictio virtutis probatio.

10. Vers. 5. *Nunc autem venit super te plaga, & defecisti, tetigit te, & conturbatus es.*] Hæc verba duo indicant, aut enim probant, sanctitatem Iobi non fuisse veram & solidam, sed tantum artificio quodam simulatam; quando eo tempore, in quo probari debuit tanquam aurum in fornace, omnino defecit. Quid autem mirum, si, cum valemus, recta consilia ægrotis demus? quod integra fortuna ac corpore faciebat Iobus. Illa esset magis explorata atque probata virtus, quæ id faceret tentata, quæ aliis in tentatione præcepisset. Hortabatur Iobus alios, vt ingenti dolore non succumberent, vt obdurarent contra fortunæ aduersantis iniurias, & se melioris status consolatione solarentur. Sic tamen ille fractus est, vt neque se illa admonitione confirmet, neque recordetur eorum, quibus ipse prius sustinebat cadentes, & iam doloris magnitudine prostratos excitabat; aut certe monet, vt qui aliis tanquam medicus medicinam adhibuit, seipsum ægrotantem curet. Et sicut peccantes alios ad pœnitentiam hortabatur, melioremque frugem; sic ipse pœnitentia, vitæque mutatione, aut declinaret, aut obtunderet diuini furoris sæuientis aculeos; id quod sæpe ab his amicis audit Iobus *libro toto.* illud, *defecisti*, hoc videtur sibi velle, vt Iobus videatur defecisse a seipso, cum alium se ostendisset æger; alium, cum esset potens & incolumis. Esse autem dicitur conturbatus, quia statum animi sedatum & pacificum deposuit, & turbatum assumpsit, vel turbatum a conuersa fortuna sedare non potuit.

11. Vers. 6. *Vbi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua, & perfectio viarum tuarum?*] Documentum aliquod & testimonium a Iobo exigit Eliphaz earum virtutum, quas de illo iampridem fama celebrabat: cum nullum in eo statu vestigium videret, occupatus prius a dæmone ea opinione, qua virtutis laruam & inanem vmbram ad decipiendos homines putaret Iobum, non veram ad excolendum animum sincere sibi quæsiisse. Laudabatur, quod timuisset Deum, id est, coluisset, obseruassetque. Nam *timorem* pro religione sumi, nemo nescit.

Timor pro religione.

Quod patientissime tulisset iniurias, & quæ censebantur damna fortunæ, siue illudentis, siue aduersantis. Quod denique nihil aggressus, in quo posset iure a quoquam reprehendi, id enim est *perfectio viarum.* Nunc autem contraria omnia in Iobo sibi deprehendisse videtur, cum Deum censeri posset accusasse, cum innocentem accipiat tam inclementer & dure: quare si timorem habere visus est, & obseruantiam in Deum, illam eo verbo prodidisse. Impatientis porro animi est, maledixisse diei suo natali, & talia dixisse, qualia toto *capite III.* legimus. Quæ duo magna videntur continere insignium documenta vitiorum. Hæc Eliphaz magno fuerunt argumento, vt crederet, in Iobo simulatam esse & vanam, non veram & solidam sanctitatis speciem.

pag. 84. b

Vers. 7. *Recordare, obsecro te, quis unquam* 12.
innocens periit?] Hæc olim opinio gentilium maxime barbarorum animos occupauit, vt diximus supra *c. II. in fine.* Et hanc, opinor, diabolus tribus amicis Iobi persuaserat: vnde antequam ex patriis finibus excederent, illud hauserant acerbitatis virus, quod modo in amicum, quem ad sanam mentem reuocare student, euomuerunt. Iubet autem Eliphaz Iobum superiorum temporum repetere memoriam, & quærere, an aliquis innoxius perierit, quasi id acciderit nunquam. ita, credo, a diabolo didicerat. Quod tamen fuisse falsum, in ipso mundi ac sæculorum exordio in Abelis morte illustri documento didicimus. Sed iste, quia Idumæus, sacram illius temporis ignorabat historiam, & diabolus, qui illam optime nouerat, occultauit. Neque videtur, in Idumæa aliquod fuisse innocentiæ damnatæ aut afflictæ celebratum exemplum. Cum non eo se Iobus contra amicorum calumnias excuset, fortasse ideo nusquam accidit, vt damnaretur innocens, quia in illa regione scelerata & barbara nullus fuit innocens & iustus. Prodigii etenim instar existimatur, & dicitur in huius libri principio, in terra Hus virum fuisse iustum & rectum, & quem Dei timor contineret a malo. Ad Iobi sæculum cum viri multi vexati fuerint, quorum fuerat inculpatæ vitæ explorata ratio: at non omnes ad finem perierunt, quia tandem ex illis emersꝫrunt angustiis, in quas fuerant ab aliorum violentia coniecti. Sic Dauid *Psalm. XXXVI, 25. Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum dereli-*

relictum. Ex hac experientia diabolus in talem cogitationem sapientes illos Idumæos induxit.

13. Verſ. 8. *Quin potius vidi eos, qui operantur iniquitatem, & ſeminant dolores, & metunt eos.*) Sicut prius negarat, inſontem nullum periiſſe; ſic contra affirmat, eos omnes, qui iniquis ſe ſtudiis tradiderunt, male a Deo fuiſſe mulctatos. Hic nobis obſeruanda duo: alterum eſt, in Scriptura ſacra frequentiſsime *ſeminandi, metendique* metaphora ſignificari laborem noſtrum, & fructum, qui eiuſmodi labori atque operi reſpondet, quaſi digna & labori accommodata merces, quod dixit Cicero, *vt ſementem feceris, ita & metes.* Præclare Paulus & huic loco affine *Galat. VI, 8. Quæ ſeminauerit homo, hæc & metet; quoniam qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem: qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam.* Alterum eſt, quia non proprie locutus eſt Eliphaz, cum dicit, *ſeminant dolores.* Neque enim dolores, vt apparet, ſeminantur, ſed illa, quæ ſeminanti non amata, amare dolendi materiam præbuerunt. Sed huic quæſtioni obuia eſt & ſoluta reſponſio. Id enim *facere*, aut *velle* dicimur, licet illud horreamus vehementer, quod ex eo ſequitur, quod optamus. Vnde eos dicimus captare dedecus, qui cum potentiori congreditur; & mortem optare, qui nauem conſcendit, aut bellum ingreditur, aut gladiatoriam artem, & quæſtum inſtituit: quia ab illis raro abeſſe ſolet familiare naufragium & interitus. Sic quia is, qui iniquus eſt, raro aliorum declinat odium, & habet plerumque quod diu lugeat, ſeminare dicitur dolores & lacrymas.

Seminare, & metere *pro labore & fructu, qui ex eo ſumitur.*

pag. 85. a

14.

REGVLA. *Id facere vel velle dicimur, licet illud horreamus, quod ex eo ſequitur, quod optamus.*

15. Quæ regula aliter a nobis propoſita, atque explicata eſt *in noſtris Commentariis ſuper Oſeam*, ad illud *cap. II, 3. Ne forte ſpoliem eam nudam.* Vbi diximus, res interdum non ab eo, quod habent, nominari, ſed ab eo, quod habituræ ſunt, aut ab eo, quod actio aliqua ſpectat, & ſequitur. Quomodo dicitur aliquis natus Rex, quia aliquando regnum obtinebit. Sic loco nuper ex Oſea citato, Deus dicitur ſpoliaturus nudam fœminam, quam ſpoliando, cum veſtita eſſet, nudam reliquit. Sic Iobus *cap. XXII, 6. Nudos ſpoliaſti veſtibus.* & Iſaias *c. XLVII, 2. Tolle molam, & mole farinam*; cum tamen farina non molatur, ſed granum, ex quo farina fiat. Sic ergo, qui rebus vacat iniquis, aut ex quibus voluptatem capiat, dolorem ſeminat, quia ex ea ſemente dolorum tantum erit & lacrymarum meſſis.

REGVLA. *Res interdum non ab eo, quod habet, ſed ab eo, quod habitura eſt, nomen aſſumit.*

Verſ. 9. *Flante Deo periiſſe, & ſpiritu oris eius fuiſſe conſumptos.*] Cum peccatoris conſilia & eorum fructus, ſeminantis metentiſque metaphora explicuiſſet Eliphaz: nunc allegoriam perſequi videtur, & illorum vanum laborem & inutilem operam ſignificare. 16.
Contingit perſæpe, vt cum ſeges plena ſit, eoque adducta, vt magnam agricolæ vbertatem promittat, aduenire ſubito inimicum & vrentem ventum, qui perdat fruges, hiantemque relinquat & mœrentem agricolam, cum ſpes pereat, quæ illius laborem & quotidianam ſolicitudinem acuebat, ſuſtentabatque. Vt autem ventus omnibus ſolet modis agricolarum labores diſſipare ac perdere; ſic Domini flatus peccatorum expectationem & opera.

Perit agricolarum labor primum, cum ventus noxius & vrens perflat, qui in vagina, aut euanidum reddit granum; quod quia medulla caret, non facit farinam: ex qua ſubactus panis agricolæ familiam ſolatur & alit. de quo Oſeas *cap. IIX, 7. Culmus ſtans non eſt in eo, germen non faciens farinam;* aut granum adhuc lacteſcens, & tenerum in fauillaceam quandam ſubſtantiam & fumum conuertit, quod ſegetum vitium vredinem vocamus. Alio modo flatus prouentus priuat expectationem agricolæ, qui eo grauior, quod non e terra immaturas fruges, ſed e manibus, & ex ipſis prope horreis maturas extorquet. Solet enim, cum meſſis eſt in faſces colligata, aut in area in aceruos adducta, a turbine diſpergi, & ita iactari, vt nullus deinde poſſit ſperari fructus. Vtrumque valet exufflare. Quo verbo Deus in argumento non diſsimili vſus eſt *Aggæi I, 9. Reſpexiſtis ad amplius, & ecce factum eſt minus, & intuliſtis in domum, & exufflauit illud.* exufflare enim idem in hac materia valet, quod diſsipare, atque diſpergere congregatas meſſes, aut vrere grana, ſeu facere euanida: vtrumque enim ſolet a vento fieri. pag. 85. b

17. *Ventus quomodo perdit meſſes.*

Exufflandi verbum.

Q Eodem

18. *Quomodo nostri laboris fructus perit.* Eodem modo a flante Deo, id est, a Deo indignato spes periit peccatoris, qui non tam semina spargit frugifera & plena, quam euanida, & sine vlla seminali virtute, a quibus spinas metit & dolores: quia aut nihil ex eo labore capiet vtile, aut vbi congregauit ac condidit, dissipatum est, siue quia domestici aut externi furantur, seu quia situ putrescunt, seu quia variæ illudunt pestes, quæ grana corrodunt: qualia Virgilius recenset *lib. 1. Georgicorum*:

Quæ plurima terræ
Monstra ferunt, populantque ingentem farris aceruum
Curculio, atque inopi metuens formica senectæ.

Porro spiritum, seu ventum, aut flatum pro furore sumi, res est illis explorata satis, qui in Scriptura mediocriter versati sunt: & *Spiritus pro ira.* nos ostendimus ad illud *Zachar. V, 9. Et spiritus in alis earum. Psalm. CXXXIIX, 7. Quo ibo a spiritu tuo, & quo a facie tua effugiam? Isaiæ XXX, 28. Spiritus eius, quasi torrens inundans. Indic. IIX, 3. Et requieuit spiritus eorum, quia tumebant contra eum.*

19. *Nasus pro ira.* Vbi Vulgatus *spiritum iræ eius*, Hebr. est מרוח אפו *Meruach apo*. ad verbum *de spiritu nasi eius*; quia tamen maxime in naribus indicatur furor, non incommode pro furore nasus vsurpatur, vt pluribus ostendimus *in nostris Commentariis super Isaiam* ad illud *cap. II, 22. Quiescite ergo ab homine, cuius spiritus in naribus eius.* Vbi id vsitatum diximus profanis, attulimusque illud Martialis *lib. 6. epigram. 64.*

Rabido nec perditus ore
Fumantem nasum viui tentaueris vrsi.

Quod item dixit Persius *satyr. 5.*

Disce, sed ira cadat naso, rugosaque sanna.

Hoc autem accidit Iobo ab eo, qui videri potuit diuinus furor, cum omnia repente humana commoda perdiderit: neque quicquam ex tanta & tam lauta rerum abundantia reliquum fecerit, vnde vsum aliquem, vel voluptatem caperet. In quem optime conuenit, quod sub eadem metaphora dictum est *Isai. XL, 7. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos, quia spiritus Domini sufflauit in eo.*

20. Vers. 10. *Rugitus leonis, & vox leænæ: & dentes catulorum leonum contriti sunt.*] Explicat, quantam habeat roboris spiritus diuini furoris, cum nihil illius violentiæ repugnare queat, quantumcumque habeat virium & audaciæ. Adducit autem in exemplum ea, in quibus vim admiramur, & sæuitiam horremus, quales sunt tigrides & leones. Quibus contriti dentes, assueti lacerationi & prædæ: & sublato pabulo ex præda, furtoque comparato delecti. In leone autem, leæna, *Leoni cur Iobus comparatus.* & eorum catulis (vt est communis, & meo iudicio, vera sententia) Iobum, & illius familiam aut deletam, aut iam ad paucos redactam intelligit Eliphaz. Iobus leo est, vxor leæna, leonum catuli eorum filii; quos intentos epulis geniale cubiculum oppressit. pag. 86. a Dicitur autem non oppressus leo, atque leæna, sed illorum cessasse vox & rugitus. quia adhuc viuebant, ita tamen prostrati ac perditi, vt rugire ac fremere neque audeant, neque possint, cum aliorum ipsi magis timeant minas, quam intentent aliis. Quomodo enim vocem Iobus inflare posset, aut cum imperio tollere, qui sic iacebat abiectus & miser, vt aliena egeret misericordia? aut quomodo rugiret leæna, vxor nimirum Iobi, quæ, vt habemus in translatione LXX. deposito regio fastu, stipem colligebat emendicato, & pro tenui mercede suam aliis operam locabat. At filiis, in leunculis significatis, non dicuntur erepti rugitus, sed contriti dentes, ita vt neque prædam capere, neque cibis vesci possint: vtrumque enim opus est dentium & vitalis status; at qui iam mortuus est, illorum nihil exercere potest.

21. *Myrmicoleontis prædandi modus.* Vbi Vulgatus habet, *tigris periit*, Septuaginta legunt, *Myrmicoleon periit.* Est autem Myrmicoleon bestiola quædam exigua, de araneorum genere, cui nomen illud ideo datum est, quia formicis insidias parat, & illarum sustentatur præda. Quæ si absit, intereat necesse est. Parat autem Myrmicoleon, & formicis insidias, & sibi sepulcrum. Fodit enim sibi foueam turbinato opere, cuius minutissimo puluere instruit latera, per quæ eripere non potest, si qua in illam incidit formica, neque ipse Myrmicoleon, quia puluis ille solutus est & tenuis, sustinere non potest ascendentes. Quare nisi vltro eo se demittat incauta formica; necesse est fame pereat illa bestiola, quæ in foueæ centro prædam

dam expectat: neque enim exire inde potest venationis gratia, neque alio modo sibi de victu prouidere.

22. Cur autem cum leone & tigride conferatur Iobus ab homine a diabolo decepto, non obscura ratio est: quia diabolus persuaserat homini plus satis credulo, auarum fuisse Iobum, & vsque adeo cupiditate captum, vt quo rem augeret suam, nullam haberet rationem humanitatis & officii: sed subiectum sibi populum degluberet, laceraret, neque tractaret mitius, quam leo & tigris prædam, quam offendunt. Perire autem dicitur tigris, quia non habet in quem suos exacuat vngues, & quo rabidam famem expleat, aut obtundat.

23. *Qui suis legibus atque verbis conciliare volunt fidem, aliquid illis tribuunt diuinum.*

Vers. 12. *Porro ad me dictum est verbum absconditum.*] Qui suis verbis conciliare volunt fidem & pondus, eo solent artificio vti, vt aliis persuadeant, orationi suæ aliquid inesse diuinum. Cum enim homines non raro fallantur, aut etiam consulto in magni momenti rebus aliquando fallant, nisi aliquid existimetur ex diuino spiritu atque autoritate hausisse, non multum illi a viris prudentibus adhibetur fidei. Quo consilio vsi sunt multi ex illis, qui olim in ea republica, quam optime instituere studebant, leges condidere. Exemplorum abunde est. Numa Pompilius, vt suas leges & sacra populo Romano commendaret magis, illa omnia dicebat ab Ægeria Nympha se per nocturnum congressum accepisse. ita Valerius Maximus, & Liuius, & Ouidius *libro 3. Fastorum.* Sertorius, vt autor est *in eius vita* Plutarchus, a cerua alba, quam ferebat secum, doceri se dicebat ea, quæcumque facere statuisset. Minos Cretensis, vt tradit *in Minoe* Plato, in specus aliquas secedere solebat, vbi dicebat se a Ioue accepisse leges, quas ferre desiderabat. Leges item suas a Minerua se didicisse affirmabat Pisistratus. Eundem suarum legum autorem dicebat Zaleucus, sicut suas ab Apolline asserebat Lycurgus, vt asserit Valerius *lib. 1.* & Herodotus *lib. 1.* Hoc porro artificium vsitatum esse dicit Suidas in voce διοπετές, vt qui simulacris religionem conciliare vellent, de cœlo lapsa simularent. Hoc consilio fortasse finxit Eliphaz, se ab

Qui a Deo se leges accepisse simularunt.

pag. 86. b

spiritu, id est, ab altiori quadam substantia illa didicisse, quæ Iobo tradidit, vt illum ad meliorem traduceret mentem, & Deum magis quam antea veneretur & colat. Quod autem tam Eliphaz, quam duo alii amici mentiti fuerint aliquando, ipse docet Iobus *cap. XIII, 4.* vbi illos fabricatores mendacii & cultores peruersorum dogmatum appellat. Vide quod nos ibi.

Sed ego potius arbitror, aliquid Eliphazem per quietem accepisse a spiritu. Quis tamen ille fuerit spiritus, bonus ne, an malus, quæstio est, eaque explicatu difficilis. Quidam bonum putant, quia a patre mendacii veritas, quæ tantopere Deum commendat, & ad illius cultum & obseruantiam inclinat, expectanda non fuit. In hanc inclinant Gregor. Magnus, Sanct. Thom. dubius est, sed in hanc pronior, item Cyprianus Cisterciensis. Plerique veram putant esse visionem, & a bono spiritu. Lyra ab Eliphaz visionem confictam esse putat. Vtrumque sentire etiam videtur Isidorus Clarius, & replicator. Ego primum a communi sententia non recedo, cui autorum consensio plurimum conciliat autoritatis & fidei. Sed neque mihi omnino illa displicet cogitatio, quæ nihil in hac reuelatione, si forte reuelatio est, & non merum hominis ambitiosi commentum, censet fuisse a diuino Spiritu: sed totum inspiratum a diabolo, a quo cum sociis instigatus est, vt putat Chrysostomus *tom. 5. homil. 9.* aut fortasse ex suis regionibus euocatus, vt consolationis specie vehementius, quam alii omnes Iobum affligerent, quam aliquibus e recentioribus placuisse video. Neque in eam sententiam desunt coniecturæ. Prima, quia *cap. XLII, 7.* ideo reprehenditur Eliphaz a Deo, quod non fuerit sicut Iobus recte locutus: neque videbatur a Deo docendus illa, quibus ad dæmonis votum & Iobi vexationem iniustam abuteretur. Secunda, quia non nouum fuit, Prophetas falsos ad conciliandam sermonibus suis autoritatem, oracula quædam finxisse & diuina responsa. quos constat aut egregie fuisse mentitos, aut delusos a diabolo, vt probant Sedecias & Colias, *Ierem. XXIX, 21.* qui reuelationem sibi factam commenti sunt, & alii

24. *A quo spiritu per somnium doctus Eliphaz.*

pseudo-prophetæ, *3. Reg. XXII, 22.* quos spiritus afflauit mendax. Et quidem Satanas in angelum se lucis transfigurat, ita vt non nisi ab illis, quibus diuina lux affulsit, cognoscatur. Adde, quod non minus acute & ad institutum accommodate locuti sunt duo alii socii Baldad Suites & Sophar Naamethites, quam Eliphaz: & tamen hi nullam a Deo se dicunt illustrationem accepisse. Quod, opinor, illi non tacuissent. Deinde quia modus ille, quem Eliphaz adducit reuelationis illius, aliquid olet pythonicum in obscuro murmure: vt statim latius explicabimus, ad *v. 16.* ad illud, *vocem auræ tenuis.* Et sane boni spiritus non adeo loquuntur obscure, maxime cum de rebus, quæ ad mores & institutionem pertinent, erudiuntur ignari. Deinde, quia cum horrore consternantur, vt aliquando contingit, a bono spiritu iubentur timorem abiicere, & ab illo eriguntur & recreantur. Sic ab angelo Zachariæ dictum *Luc. I, 13. Ne timeas Zacharia;* & cum corruisset Daniel ab angelorum aspectu, ab illis recreatus est, *Daniel. IIX, 18. & X, 10.* At hic nihil huiusmodi audimus in horrore Eliphaz. Quare non videtur valde a scopo aberrasse, qui diceret, aut hoc Eliphaz esse commentum, aut illum a diabolo potius illusum, quam a diuino illustratum spiritu. Et in hanc ego cogitationem totus abirem, nisi me ab hac, quæ videri posset audacia, conspirans Doctorum autoritas retardasset. Neque ratio, quæ sententiam communem confirmabat, eiusmodi est, vt nobis illam persuadere debeat: quis nescit, doctrinam sæpe sanam a dæmone doceri, cui nulla possit erroris labes aspergi? Sed ille aut tradit tempore non suo, ita vt non tam prosit vt vera, quam vt importuna noceat: aut facit, vt inde deceptus homo id deducat, quod illi nullo modo salutare est. Dixit sane prudenter & vere, qui dixit quærendam in rebus opportunitatem: Quæ si absit, quod pretiosum est, & ad magnos effectus potentissimum, aut facit, quod sit futurum vsui, aut, quod accidit non raro, vehementer nocet. Sic autem Ouidius *lib. 1. de remedio Amor.*

pag. 87. a

Pro rerum opportunitate res vtiles, aut noxiæ.

Temporibus medicina valet, data tempore prosunt,
Et data non apto tempore vina nocent.

Et idem alibi docet, nihil esse tam vtile, quod hominum malitia, aut incuria non noceat:

Nil prosit, quod non lædere possit idem:
Igne quid vtilius? si quis tamen vrere tecta
Comparet, audaces instruit igne manus.
Eripit interdum, modo dat medicina salutem.
Quæque iuuat monstrat, quæque sit herba nocens.

Est quidem optimum, nosse, Deum esse seuerum iudicem, & nihil ab illo habiturum impune. Quæ si audaci homini & in omnium vitiorum genus proiecto proponas, salutaris est medicina, & illo tempore nulla fortasse opportuna magis. At si hæc homini timido, & de sua salute desperanti, ante oculos ponas, perdes hominem, & ab animi imbecillitate pronum in desperationis barathrum coniicies. Hoc dæmon facit, dum vera producit dogmata: quæ tam longe sunt, vt hominem in eo iuuent statu, vt potius officiant vehementer. 27.

Dæmon eo tempore obiicit vera dogmata, vt noceat magis, quam vt proficiat.

Instruebat hoc loco dæmon Eliphaz, docebatque, quod esset Iobo in ærumnosa illa conditione dicturus, cum doleret animo & corpore, & indigeret consolatione magis, quam reprehensione, vt haberet, quo recrearet iacentem & mœrentem animum, non quo illum desponderet & abiiceret. Quare cum importunam tradiderit medicinam; alioquin in alio rerum articulo non malam, non credendum videtur, illam a Deo fuisse, sed potius a malo spiritu porrectam. Quod effectus ipse demonstrauit, cum ante illud tempus dicatur Iobus, cum maxime arderet vexationis æstus, non peccasse labiis suis, post vero locutus aliquid fuerit, propter quod a Deo reprehensus. 28.

pag. 87. b

Vt autem refert plurimum, a quo, aut quali tempore, adhibeatur medicina: sic etiam refert plurimum, an aliqua sana atque catholica veritas a Deo nobis, aut dæmone proponatur. Proponit Deus primis parentibus arborem scientiæ boni & mali, a quo didicere, quod maxime illis notum oportuit, quacunque hora ex illa comederent, ipsis fore moriendum: ostendit item diabolus, & vitam promittit diuinæ similem. Ostendit Deus, bre- 29.

Aliter bonus spiritus; aliter malus veritates proponit.

breuem esse vitam hominis & incertam: vnde efficit homo, humana omnia breui peritura, omnino esse contemnenda. Ostendit contra diabolus, & stultus infert *Sap. II, 6. 8. Venite ergo, & fruamur bonis, quæ sunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter, coronemus nos rosis, antequam marcescant.* Ostendit Deus, quid passus fuerit, quid nobis contulerit Christus: ex illius bonitatis contemplatione infert, prius amandum esse illum, qui beneuole & liberaliter de nobis meritus est; Ostendit diabolus, & infert hæreticus: non esse, cur nos aliquid patiamur durum & crucem subeamus, quando iam Christus passus est pro nobis, & ipsius meritum nostrum esse voluit.

30. *Absconditum, & furtiuum quid.* Porro verbum absconditum idem est, quod obscurum. Nam quæ obscura sunt, aut quod idem est, in obscuro, aut non videntur, aut certe sic imperfecte atque confuse, quasi non forent oculis subiecta: quæ videntur quasi in ænigmate, quod statim explicatur magis, cum dicitur, *& quasi furtiue suscepit auris mea.* vt enim occulta furta sunt, sic etiam furtiua dicuntur, quæ occulte fiunt, cuiuscunque illa generis sint. Sic furta Veneris nocturni congressus: sic furtiuæ locutiones, quas aliis celatas esse volumus. Sic nunc, cum quasi furtiue audisse se dicit Eliphaz venas susurri, nihil videtur significare aliud, quam vocem tenuem & exilem, quam significat *vena*, & illam confusam & obscuram, vt indicat *susurrus*. In quo nihil exprimitur clare, sed opprimitur confuse, ita vt sonum percipias: sed quia ille non satis formatus est, illum non intelligas. Est autem vena susurri, seu vena susurrans pertenuis riuulus, qui cœco decurrit meatu, qui tacito deuoluitur murmure, neque aliquid auribus obiicit præter informem sonum: id enim valet *susurrus*. De quo sic Gregorius *lib. 5. moral. cap. 20. Qui susurrat, occulte loquitur, & vocem non exprimit, sed imitatur.*

31. pag. 88. a Vers. 13. *In horrore visionis nocturnæ*, &c.] In tribus versibus, qui proxime succedunt, tempus describitur furtiuæ illius locutionis, & quam illa grauiter audientem concusserit. Fuit autem tempus nocturnum, & illud, in quo homines arctior complectitur somnus: prima nimirum vigilia; hoc enim indicat illud: *quando sopor solet occupare homines.* Ad nocturnam autem & subitam visionem cohorruit, & gelidus per ossa cucurrit tremor, ita vt totum tremeret corpus, & capilli rigerent, eo maxime tempore, cum spiritus transiret, qui loquebatur. Hæc omnia obscura non sunt, & quæ a profanis in graui terrore describendo adhiberi solent. Vnum adducam Senecam *in Hercule Æthæo*, vbi Deianiræ timor a choro describitur:

Vagos per artus errat excussos tremor
Erectus horret crinis impulsis, ad hoc
Stat terror animis, & cor attonitum salit,
Pauidumque trepidis palpitat venis iecur.

Vnde sæpe audimus, in metu stetisse, aut riguisse comas: cur id accidat, vide Aristotelem *in Problem. sect. 8. q. 8. & 11.*

Vers. 16. *Stetit quidam, cuius non agnoscebam vultum, imago coram oculis meis.*] Nihil habemus de hoc spectro, si tamen aliquod fuit, ab Eliphaz, quia ipse dicit, non agnouisse se vultum, sed obscuram quandam & ignotam imaginem: an vero imago illa fuerit rationalis naturæ, neque id quidem explicat. Solere autem apparere varias animalium formas, habemus ex Ezechiele & Apocalypsi. quibus tamen aliquando datus est sermo. Quæcunque tamen fuerit species illa, significare voluit Eliphaz, aliquid esse non humanum: neque enim aliter suis verbis diuinam, aut diuinæ proximam conciliaret autoritatem. 32.

Et vocem quasi auræ lenis audiui.] Quam nuper *venam susurri*, nunc vocem appellat, quasi lenis auræ. vtriusque idem est sensus. significatur enim vox exilis & obscura, aut informis, aut male formata, qualis est in perstrepenti ac murmurante aqua, aut in aura leniter sibilante. Qua in re hic aliquid mihi videre videor, aut pythonicum, aut pythonico simile. Nam cum Pytho loquitur, id est, diabolus, aut manes, id est, defunctorum animæ, obscuro loquitur & exili sono. Quod tam ex sacris, quam ex profanis discimus, qui attemperate ad ea, quæ passim vulgus hominum loquebatur, experientia haud dubie docti, obscuram vocem & spumosum aliquid audire se dicunt; cum non ab homine, sed a diabolo, & mortuorum manibus 33. *Pythonis aut animarum qualis vox.*

 ali-

aliquid audiunt. De sacris est illud *Isai. XXIX, 4. Humiliaberis, de terra loqueris, & de humo audietur eloquium tuum: & erit quasi Pythonis de terra vox tua: & de humo eloquium tuum mussitabit.* Explicatio ex hominis victi extrema passi, aut saltem extrema metuentis, qui ante victoris pedes prostratus est, quique os de miserorum ac supplicum more terræ apprimit, & puluerem osculatur & linget. Qui autem in eo rerum articulo sunt, neque audent, neque possunt hiscere, demisso ad terram vsque vultu atque ore. Quod si aliquando faciunt, sic loquuntur tremula, exili, exanimataque voce, vt mussitare illos, aut mutire potius, quam loqui putes. Hæc autem vox esse dicitur quasi Pythonis, quia illa exilis & obscura est: qualis audiri videtur a somniantibus, aut ab vmbris, seu infernis manibus. pag. 88. b

Per hæc verba, vt inquit Hieronymus, significatur Magorum νεκρομαντεία, *per quam animas euocare dicuntur, & tenues vmbrarum, imo dæmonum audire voces.* Hæc porro Arnobius non tam appellat verba, quam verborum fremorem.

34. *Animarum voces exiles.* Apud profanos occurrunt plurima, quæ hanc vocem exilem, confusam, & imperfectam esse docent. Sic Sane Virgilius *lib. 6.* de Græcorum manibus atque vmbris:

Pars tollere vocem
Exiguam, inceptus clamor frustratur hiantes.

Vbi non solum exiles dicuntur esse voces, sed etiam imperfectæ ac mutilæ. Quasi si quis hiet, vt voces formet, & deficiat halitus. Ouidius *in Epistol. Didonis*, cum ageret de vmbra Sichæi:

Hic ego me sensi noto quater ore citari,
Ipse sono tenui dixit, Elisa veni.

Idem *lib. 5. Fastorum* de vmbra Remi:

Vmbra cruenta Remi visa est assistere lecto,
Atque hæc exiguo murmure verba loqui.

35. Vers. 17. *Numquid homo, Dei comparatione iustificabitur? aut factore suo purior erit vir?*] Hæc verba sunt, quæ per quietem Eliphaz audire sibi visus est: grauia quidem & verissima, & millies a Prophetis repetita, non tamen hoc tempore Iobi conditioni satis accommodata. Qui non tam compungi stimulis debuit, quam fomentis leniri. Verum est, Deum esse iustissimum, neque vllam illi posse labem adhærescere. Et hominum iustitiam, quantumcunque probetur aliis, si cum diuina comparetur puritate ac iustitia, tam esse infirmam, neque nomen iustitiæ ac puritatis mereatur. Et quemadmodum figulum suum & formatorem iniustitiæ non potest arguere vas, & licet ad inhonestos vsus fuerit formatum: quia argilla, id est, ignobile lutum a figulari rota & artificis industria accepit, quod aliquem habeat vsum humanis rationibus opportunum: neque alicuius esset pretii, si lutum esset informe ac rude. neque queri posfit de suo formatore, si confractum & perditum ad illam rursus redeat informem massam, vnde fuerat assumptum. Sic neque homo queri de Deo potest, quamcunque ab illo plagam acceperit: quia quod amisit, id totum a Deo prius acceperat. Quare quidquid de homine Deus statuerit, nunquam homo Deo purior ac iustior iudicare debet. Dixit hoc idem sub eadem metaphora Isaias *cap. XXIX, 16. Peruersa est hæc vestra cogitatio, quasi lutum contra figulum cogitet, & dicat opus factori suo: Non fecisti me; & figmentum fictori suo: Non intelligis.* idem repetit *cap. XLV, 9.* & Ieremias *cap. XIIX, 6.* & Paulus *ad Romanos IX, 20.* Quare neque pie, neque prudenter Iobus, quantumcunque a Deo acerbe concisus, queri posset: quia vir factore suo purior esse non potest.

Homo quocunque a Deo tractetur modo, de illo queri non potest.

De priori hemistichio optime Gregorius ad hunc locum: *Humana*, inquit, *iustitia diuinæ iustitiæ comparata, iniustitia est, quia & lucerna in tenebris fulgere cernitur, sed in solis radio posita tenebratur.* De posteriori *ibidem. Quisquis de persecutione murmurat, quid aliud, quam iustitiam ferientis accusat? puriorem ergo se vir factore suo existimat, si contra flagellum querelam parat: cumque sibi procul dubio postponit, cuius iudicium de sua afflictione redarguit. Vt ergo homo reprehendere non audeat iudicem culpæ, hunc humiliter cogitet autorem: quia qui mire hominem ex nihilo fecit, sanctum impie non affligit.* 36. pag. 89. a

Vers. 18. *Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles, & in angelis suis reperit prauitatem*] Hæc non puto oblata fuisse per quietem Eliphaz, licet 37.

licet contra sentiat Caietanus: sed illa tantum, quæ *præcedenti versiculo* explicata sunt. Hæc autem de suo producit Eliphaz ex illo deducta principio, vt & Iobum ad sanitatem adducat, a qua illum excidisse credidit, & vt magis illud, quod tanquam diuinum vendicat oraculum, amplificet. argumentatur autem a minore comparatione, ab eo nimirum, quod posse fieri minus est probabile. Minus est probabile, eos, qui Deo assidue & familiariter seruiunt, instabiles futuros, id est, casuros ab eo, quod exigit ab illis & officii ratio, & beneuolentia, assiduitate & meritis augescens magis magisque quotidie: quanto magis erunt instabiles, qui raro Deum, illumque non proxime, sed furtiue, & longe contemplantur? Denique si in angelis, qui plus habent potentiæ, plus ingenii, quique pauciores habent & infirmiores hostes, a quibus oppugnentur, prauitatem tamen reperit, cuius in æternum pœnas dabunt; quid sperari, aut quid potius non timeri ab illis poterit, qui in terris agunt, quique suæ fortitudinis terrenum habent fundamentum, quod multis labefactari potest & euerti machinis: quodque, etiamsi nihil immineat extrinsecus, propriæ tamen moli & grauitati succumbit, & sic a sua infirmitate deficit, sicut vestis a tinea, quam gignit, & sustentat?

38. Ex illa superiori sententia, quam sibi a Deo oblatam esse dicit Eliphaz (quam vere ipse viderit) duo infert omnino falsa, quibus animum Iobi vehementer excruciat. Alterum est, omnes homines iniustos esse, & peccatores, & habere in illis Deum, quod supplicii acerbitate castiget, vnde etiam affirmat suorum peccatorum Iobum pœnas luere, & eo consilio inflictas a Domino. Quod falsum est, vt constat. Id enim agebat Deus, cum Iobum diaboli potestati cruciandum permisit, vt illius magis inter flammas emicaret virtus, & diabolus cognosceret, verum esse, quod de fideli suo seruo Dominus prædicarat. Neque visio illa, si vera fuit, dicebat, hominem esse iniustum, sed Dei comparatione hominum iustitiam pro non iustitia reputari. Quod dixit Isaias *c. LXIV, 6. Quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ.* Neque ex angelorum natura, aut eorum, qui assiduam Deo præstant & familiarem operam, recte efficere poterat Eliphaz, peccasse homines, aut eos, qui minus Deo forent familiares, sed illos magis esse ad ruinam pronos, cum minus haberent ad resistendum virium, & minus haberent Deum ad fauendum paratum. Quemadmodum si quis ex sacerdotis, pag. 89. b.
aut viri religiosi casu sæcularem hominem lapsum esse colligeret, cum colligere tantum posset, hunc propiorem esse ruinæ.

Angelorum prauitas illorum fuit, qui ceciderunt e cœlo, cuius rei notitiam accipere potuerunt Idumæorum sapientes ab Esau parente, qui hoc discere potuit ab Isaac & Abrahamo, quibus Deus sine dubio hanc lucem impertitus est. Et sicut gentiles alii ex variis effectibus, bonos esse angelos & malos, deprehenderunt, quos illi bonos & malos genios appellabant, cum experimento didicissent quotidiano, modo ad malum vehementer impelli; modo contra a malo ad bonum reuocari non minus vehementer. Sic illi ex eodem experimento coniectare non difficile poterant. 39.

Habitare autem dicuntur homines in domibus luteis, quod dixit Paulus *2. Cor. V, 1. Terrestris domus nostræ huius habitationis, quæ dissoluitur*, quia illorum animæ corporeis vinculis illigatæ sunt. A quibus aliquid adhæret & inolescit quasi terrenum & carneum, iuxta illud *Sap. IX, 15. Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Qua de re vide Augustinum *lib. 10. confess. cap. 40.* vbi sic ad finem 4. capitis: *Aliquando intromittis me in affectum multum inusitatum introrsus, ad nescio quam dulcedinem; quæ si perficiatur in me, nescio quid erit, quod vita ista non erit. Sed recido in hæc ærumnosis ponderibus, & resorbere solitis*, &c. Vide Cassianum *collat. 23* 40.

Vers. 20. *De mane vsque ad vesperam succidentur.*] Hi filii hominum, qui domus habitant luteas, quas venti subruunt & copiosi imbres, & amnes exundantes diluunt & euertunt, neque illo magis sunt stabiles, quam lutum ipsum, ex quo domus sibi construxerunt. Quare momento temporis tota illa structura dissoluitur. Hic porro dicendi modus prouerbialis est, quo significamus tempus breuissimum, quale est illud, quod inter matutinum 41.

De mane ad vesperam *breue indicat tempus.*

ac

ac vespertinum tempus interceptum est. Sic Ezechias apud Isaiam *cap. XXXIIX, v. 12. De mane vsque ad vesperam finies me. Psalm. LXXXIX, 6. Mane floreat, & transeat; vespere decidat, induret, & arescat.* Quam etiam phrasim vsurpat Hispanus, dum temporis breuitatem explicare vult, *de la noche a la mariana.*

42. *Et quia nullus intelligit, in æternum peribunt.*] Cum autem hæc cogitatio hominem continere posit a peccando; quis enim se temere ad peccandum proiiceret, qui statim moriturum esse sibi persuaderet? Quare hæc insipientia plurimos ad mortem traxit sempiternam.

43. Vers. 21. *Qui autem reliqui fuerint, auferentur ex eis.*] Illi autem, qui se ab hoc exemerint insipientium numero; quos mortis memoria in officio & sanctitate continuit, aliam habebunt & meliorem sortem, non communem cum aliis. Morientur enim, neque enim vllus est mortalium, qui moriendi necessitatem effugiat, non tamen insipienter, id est, suæ sortis & imbecillitatis ignari. Quare temporariam subibunt, quod necesse est, non æternam mortem.

pag. 90. a Hic sensus videtur esse non difficilis, & magis ad communem sensum.
44. Neque tamen durus erit & extortus, si per zeugma suppleas relatiuum, *qui*; & ita legas a *vers. 19.* Quanto magis hi erunt instabiles, & in illis reperietur prauitas, qui domos sibi finxerunt e luto, & animam habent in luteis inclusam habitaculis, qui non aliter quotidie a naturali infirmitate, & vitiosa qualitate deficiunt, consumunturque, quam a tinea, id est, domesticis & quasi naturalibus, hostibus vestimenta: qui momento temporis, quantum videlicet inter vtrumque crepusculum interiectum est, senescunt, & deficiunt. Hæc porro incommoda euitare potest nemo, qui mortali conditione natus est. Sed vir prudens eo fortunatior, quod ea cogitatione munitus semel moritur, mortem videlicet temporariam, quæ animam a corpore dissociat; insipiens vero, qui hanc procul cogitationem a sua mente relegauit, ad temporarium æternum quoque interitum adiungit.

Quod si ita accipias, quod mihi, vt dixi, difficile non est, videtur Eliphaz prudenter viam ad reprehensionem, quam multo ante meditatus fuerat, muniisse. Nam primum docet, non esse mirandum, quod homo cadat, cum tot luteum figmentum aduersarii circumstent. 45. pag. 90. b Quod hæc humana, qualia sunt peritura bona, domus, ac filii, de mane ad vesperam vanescant & pereant. Quod homo ab innata infirmitate & humore noxio corrumpatur, sicut lignum aut vestimentum a tinea. Quæ omnia Iobo ad vnum contigisse videntur. Nam vno die omnia ferme bona perierunt, & oppressis filiis, qui ex nobili stirpe germinarant, arbor ipsa videri poterat excisa radicitus. Neque tinea defuit, quæ hoc pretiosum lignum & animæ vestimentum arroderet: corpus dico, quod vermes lacerarunt, terebraruntque multo magis quam teredo lignum, aut tinea vestimentum. Deinde quia instituerat Iobum, quem peccatorem esse insignem arbitrabatur, ad pœnitentiam adducere; æternæ mortis meminit, quam illi declinare possunt, qui memores mortis & humanæ fragilitatis, de meliori potius & æterna, quam de mortali cogitant. Hæc vero fundamenta sunt eorum omnium, quæ longa hac disputatione disceptantur. Quæ *capite sequenti* explicantur latius.

ARGVMENTVM CAP. V.

OStendit Eliphaz, quid stultus, & qui pusillo est animo, patiatur incommodi. In quo Iobum intuetur præcipue, quem acri quadam obiurgatione perstringit. Deinde cum dixisset hominem deuotum esse laboribus, qui non sine causa infliguntur a Domino, a quo sicut iusto bona, sic etiam malis infortunia contingunt, hortatur Iobum, si studet a duris incommodis liberari, quæ deinde connumerat, id a Deo supplici oratione precetur,

cetur, qui vt percussit solus, sic etiam solus idem sanare potest. Et tandem a placato Deo bonorum omnium abundantiam promittit, quod se longo vsu & meditatione didicisse affirmat.

CAPVT V.

pag. 90. 1. VOca ergo, si est, qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum conuertere.

2. Vere stultum interficit iracundia, & paruulum occidit inuidia.

pag. 91. 3. Ego vidi stultum firma radice, & maledixi pulchritudini eius statim.

4. Longe fient filii eius a salute, & conterentur in porta, & non erit qui eruat.

5. Cuius messem famelicus comedet, & ipsum rapiet armatus, & bibent sitientes diuitias eius:

6. Nihil in terra sine causa fit, & de humo non oritur dolor.

PARAPHRASIS.

1. Hoc mihi, inquit Eliphaz, diuinitus inspiratum est, quod si indignum me esse putas, cui Deus hæc vsque adeo familiariter indulgeat, atque ideo de illorum dubitas veritate ac fide, tu ipse Deum inuoca, vt ab illo, quid verum sit factuque dignum, doceare. Quod si hoc a Deo, sine adiutore atque arbitro obtinere desperas: aliquem tibi patronum aduoca, qui hanc tibi a Domino lucem obtineat. pag. 90.

2. Sane verum est, stultum hominem impatientem esse, sibique ipsi, dum minus res attente considerat, doloris, imo & mortis aculeos admouere: Et eum, qui pusilli est & illiberalis animi, ab inuidia infirmorum, & ignobilium morbo turpiter extingui. Cuius rei in te, o Iobe, documentum video, qui præ stultitia gemis atque consumeris; & quia dum iaces a priore maiestate deiectus, nosque florentes auctoritate & opibus intueris, inuidia discruciaris, & rumperis.

3. Quare dum hominem stultum & insipientem intueor, quantumuis videam firmis radicibus, quique nullo modo videatur a sua felicitate posse conuelli, nihil ab illius mihi firmitate pollicear, quia illam ruinæ reor, aut securi deuotam. pag. 91.

4. Longe erunt illius filii, vt cum grauis inciderit vitæ salutisue conditio, salui sint & incolumes; condemnabuntur etenim in iudicio, & quod damnatos sequitur, colaphis conterentur & pugnis; neque vllus erit, qui suppetias ferat laborantibus.

5. Cum autem copiosam fecerit sementem, & ad maturitatem & messem vsque perduxerit, & magnas vndecumque congesserit diuitias, venient famelici & sitientes, qui cupiant, & potentes viribus, & armati, qui possint ea, quæ magno fuerant labore comparata, diripere, & spectante atque dolente Domino deuorare.

6. Non temere ac sine causa fiunt, quæ in terra hominibus accidere videmus: neque quemadmodum sine cultore in terra multa nascuntur, quæ vltro fundit inaratus ager; sic dolor sponte & sine causa germinat, quasi vernaculus

terræ prouentus. Nam vt peregrinæ plantæ hominum industria seruntur & crescunt, quæ alioquin agrum illum numquam occuparent; sic dolor, qui a Deo immittitur, ab homine quodammodo peccatore seritur, qui radicem in suo animo peccati plantauit, ex qua quotidie colligit, quibus pungatur, spinas, & quod ad faces vsque bibat, absinthium.

7. Homo nascitur ad laborem, & auis ad volatum.

7. Illa præterea ratio consolari te, o Iobe, debuisset, quod laborem hominum nemo declinare potuit, quem Deus omnibus voluit esse communem. Neque enim magis instructa pennis volucris nata est ad volandum, quam homo egenus & nudus nascitur dolori, laborique deuotus.

8. Quam ob rem ego deprecabor Dominum, & ad Deum ponam eloquium meum:

8. Quare cum hæc mala Deus, peccatorum spectator & vindex, infligat hominibus, neque quisquam sanare possit, quem ille percusserit, hoc tibi, o Iobe, consilium do, quod omnium primum & maximum mibi ipsi assumo; vt Deum, a quo vno sperari potest salus, supplex depreceris, vt aut pœnam omnino leuet, aut aliquid saltem remittat de seueritate supplicii.

9. Qui facit magna & inscrutabilia & mirabilia absque numero:

9. Et primum non est, quod cum Deo, de tuarum rerum vniuersali naufragio & aliis corporis vexationibus expostules, cum ipse innumera, eaque admirabilia perficiat opera, quæ nullo modo humana possit assequi intelligentia; quæ homo suspicere ac venerari, scrutari vero nullo modo debet, quorum nonnulla tibi in præsentia numerabo.

pag. 92. 10. Qui dat pluuiam super faciem terræ, & irrigat aquis vniuersa:

10. Hic ex nubibus, quæ ex terræ concreuere vaporibus, vim aquarum demittit maximam, quibus terram irrigat & fœcundat. pag. 92.

11. Qui ponit humiles in sublime, & mœrentes erigit sospitate:

11. Hic abiectos extollit, & iacentes excitat: & eos, qui animo sunt mœrenti ac languido, quia ex florenti cecidere fortuna, ad eum statum atque speciem restituit, vt cecidisse ac iacuisse numquam existimari possint.

12. Qui dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum, quod cœperant:

12. Hic callidorum hominum astuta consilia momento temporis ita disturbat, vt nihil eorum assequantur, quæ habuerunt in votis; aut eo fruantur: quod fraudulenter & callide consecuti sunt.

13. Qui apprehendit sapientes in astutia eorum, & consilium prauorum dissipat.

13. Hic eorum, qui sibi, aut etiam aliis videntur esse sapientes, non solum reddit cogitationes inutiles, sed etiam noxias vehementer, quas ita conturbat & dissipat, vt cum ad honorem & humanam aliquam commoditatem sint susceptæ, ignominiam interdum afferant & interitum.

14. Hic

14. Per diem incurrent tenebras, & quasi in nocte sic palpabunt in meridie.

14. Hic facit, vt qui perspicaces habere videntur mentis oculos, sic in meridiana luce, id est, rebus clarissimis cæcutiant, quasi qui in tenebris agunt, neque aliquid habent consilii ac lucis, quod sequantur.

15. Porro saluum faciet egenum a gladio oris eorum, & de manu violenti pauperem.

15. Neque minus pauperes a potentiorum fraudulenta lingua, siue violentia tuetur, quam potentes ipsos intentos prædæ hiantes relinquit & delusos.

16. Et erit egeno spes, iniquitas autem contrahet os suum.

16. Hic stabit in iudicio pro paupere, illumque confirmabit de suæ causæ felici successu desperantem, obstruet tandem impiorum ora, efficietque, ne mutire audeant, qui a facunda & calumniis assueta lingua innocenti atque elingui pauperi minas intentabant.

17. Beatus homo, qui corripitur a Deo: increpationem ergo Domini ne reprobes:

18. Quia ipse vulnerat, & medetur: percutit, & manus eius sanabunt.

17.18. Tam longe est, vt queri de nimia Dei seueritate debeas, vt ideo te potius iudicare possis fortunatum, quod tam te increpet dure, & diuexet acerbe. Neque enim percutit hostili, sed medica potius atque paterna manu: eo enim animo, aut secat, aut vrit, vt diro & pestilenti morbo medeatur: ideo distorquet & cruciat, vt ægrum corpus sanitati restituat.

19. In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum.

19. Liberabit te Dominus ex sex tribulationibus, quæ sunt in hac mortali vita familiares, quas statim referam. Et si qua alia fuerit, quæ a me speciatim non nominatur, longe erit, vt ad te vllo modo pertineat.

20. In fame eruet te de morte, & bello de manu gladii.

20. Duæ hominibus tribulationes adueniunt, a fame videlicet & bello: cum illæ ingruerint, non sic te afficiet fames, vt conficiat; neque sic bellum premet, vt opprimat, aut lethale sit vulnus, quod gladius infliget.

pag. 93. 21. A flagello linguæ absconderis, & non timebis calamitatem, cum venerit.

21. Alia tribulatio est a procaci & venenata lingua, cuius est graue & intolerabile flagellum: a quo Deus, ne tu percutiaris, murum opponet. Neque cum aliorum segetes a procella & grandine sternantur & pereant, tibi a ventis & temporum iniuriis vlla erit metuenda calamitas. pag. 93.

22. In vastitate & fame ridebis, & bestias terræ non formidabis.

23. Sed cum lapidibus regionum pactum tuum, & bestiæ terræ pacificæ erunt tibi.

22.23. Cum famem alii timeant, quia ab æreo cælo imber non speratur, & tempestatem agris horribilis minatur & atra tempestas, tu tamen non timebis. Neque terræ bestiæ, quarum est Idumæa regio feracissima, timori tibi erunt. Erit enim tibi sociale pactum cum feris, quæ in saxorum cauernis sibi parauere cubilia, ne vmquam pacem & otium turbent, sed quantumuis in alios sæuiant, a tuis tamen commodis abstineant.

24. Et scies, quod pacem habeat tabernaculum tuum, & visitans speciem tuam, non peccabis.

24. Si hæc feceris, o Iobe, quæ amice moneo, habebis in tabernaculo tuo secunda omnia, ita vt in illo nihil habeas, quod excruciet animum, aut oculos offendat. Nec deerit tibi vxor speciosa & grata, cui si, vt lex exigit coniugalis, assuescas, non peccabis.

25. Scies quoque, quoniam multiplex erit semen tuum, & progenies tua quasi herba terræ.

25. Et reipsa experieris illico numerosam & honestam sobolem, ab honesta & pulcra coniuge susceptam, quæ cum herba terræ specie ac numero comparari possit.

26. Ingredieris in abundantia sepulchrum, sicut infertur aceruus tritici in tempore suo.

26. Hæc porro felicitas non erit sicut prior, quæ in medio vitæ cursu defecit, sed te ad ipsum vsque sepulcrum comitabitur, ita vt honeste & abundanter viuas, & cum honore funebri sepulturæ manderis, non secus ac triticum maturum & plenum conditur horreo.

27. Ecce hoc, ut inuestigauimus, ita est: quod auditum, mente pertracta.

27. Neque hæc, o Iobe, quæ nunc audis, temere a me, aut inconsiderate dicuntur, sed post meditationem attentam, & experientiam accuratam & longam. Quare hæc diu tecum multumque considera, si vis tuis rebus melius esse consultum, & quod superest vitæ sine vlla offensione peragere.

Vers. 1. *Voca ergo si est, qui tibi respondeat.*]

pag. 93. a 1. IN varias explicationes patet hic locus, & adeo explicatur varie, vt nemo ferme sit ex recentioribus, qui cum alio sentiat. Hebræorum quidam hæc ab Eliphazis ambitioso spiritu profecta putant, idque varie, quasi non alio quam angelico spiritu confutari possit. Vide Eugubinum *in hunc locum.* Nos aliquot expositiones ab illo desumptas adducemus. Munierat se Eliphaz autoritate diuina, quam siue simulato ac falso, seu vere, siue sine vlla simulatione sua prætexuerat, vt Iobum oppugnaret, & tandem ad pœnitentiam adduceret. Quare cum & diuina, quam obtendebat, reuelatione, & suo ingenio fideret, non putabat tantum ingenii atque sapientiæ fore in Iobo, vt posset ad interrogata respondere, & ab ipso quæsitis satisfacere. Quare iubet, vt patro-
pag. 93. b num aduocet, qui pro ipso respondeat, aliquem nimirum sanctorum, cui suæ causæ tutelam commendet. Hæc explicatio, Eugubino teste, videtur ex Hebræorum sententia sumi posse. Alii item ex Hebræis in hunc modum, aut in hunc ferme modum explicant. Si tam tibi videris iustus, putasque sine vllo tuo merito tam inclementer a Domino vexari, clama quantum potes, & ex supernis spiritibus, aut ex viris sanctis, qui in terris agunt, aliquem aduoca, a quo quid verum rectumque sit, accipies, & an quæ a me proposita sunt, aut falsa sint, aut parum rebus consentanea, cognosces. Quasi dicat: Ego a diuina illustratione accepi, quæ tibi trado: tu vide, an aliquid habeas e cælo, aut a sanctorum aliquo, quod non tam meis, quam diuinis rationibus obtendas. Hæc ferme Beda: neque longe abit Stunica. pag. 94. a

2. Gregorius hic aliquid agnoscit ironicum, quasi Iobus propter peccata, quæ, cum esset incolumis, admisit, indignus sit, quem audiat Deus, aut cui sanctorum aliquis imploratus suppetias ferat: *Omnipotens*, inquit, *Deus sæpe eius precem in perturbatione deserit, qui præcepta illius in tranquillitate contemnit. Vnde scriptum est: Qui auertit aurem suam, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Ait ergo, voca,*

Sæpe Deus preces non audit illorum in tribulatione, qui ipsius in incolumitate fuerunt immemores.

si est, qui tibi respondeat, ac si aperte dicat: quantumlibet afflictus clames, Deum tibi respondentem non habes: quia vox in tribulatione eum non inuenit, quem mens in tranquillitate contempsit. Sanctos quoque inueniri in afflictione adiutores non vales, quos habere socios in hilaritate noluisti. Non longe a Gregorii sententia abit Olympiodorus, nisi quod ad LXX. translationem accommodate loquitur.

3. Alii reprehensionem esse putant, eamque non leuem, imo fortasse omnium grauissimam, quasi nullus fuerit tam imbecillo animo, tam abiecto spiritu, tam væcors & ignarus, qui talia in dolore dixerit, qualia tunc a Iobo in sua palæstra audierat Eliphaz. Quasi dicat: repete o Iob, superiorum temporum memoriam, & vide, an aliquis fuerit e sanctorum numero, quorum vnum te esse profiteris, qui in dolore & afflictione tam fuerit locutus impatienter, tam parum in Deum reuerenter & pie. Quod si hanc explicationem probes, improbabile non est adduxisse multorum exempla, quos nulla fregit dolorum acerbitas, neque gemitum expressit vllum dura atque diuturna vexatio. Qualia fuerunt fortasse in ea barbara Idumæorum republica, vbi multi contra naturæ imbecillitatem & fortunæ casus obdurnere constanter. Neque ignorabant illi multa, quæ in Hebræorum genere contigerunt, illustria: quia neque longe aberant, & genus suum ex eadem trahebant stirpe, quam Deus & probauit semper, & exercuit diu.

4. *Qui a gentibus vocati sancti.* Illi porro ab Idumæis, qui non eodem, quo nos examine, sanctitatem explorant, sancti dicuntur. Sicut apud Gentes illi dicuntur sancti, qui licet in aliis peccarint grauiter, aliquid tamen subierunt pro patria, reque communi: aut exemplum aliquod ediderunt præclarum, quod excepit seruauitque diu cum laude & veneratione posteritas. Quomodo a Romanis sancti vocantur, qui honeste vixerunt, neque publica ediderunt vitiorum exempla, quantumcumque illi domesticis sordibus forent, & occultis sceleribus inquinati.

5. Placet tamen magis illorum sententia, qui hic orationem esse putant & sanctorum intercessionem. Orationem in illis verbis esse vident: *Voca ergo si est, qui tibi respondeat*; intercessionem in illis: *& ad aliquem sanctorum conuertere.* ita S. Thomas, Cyprianus, Cisterciensis, Pineda. Sed est in orationis materia inter Doctores nonnulla diuersitas. Sic S. Thomas explicat: *Si mihi hoc esse reuelatum non credis, tu ipse inuoca Deum, si forte ipse ad hanc dubitationem respondere tibi voluerit: & si per merita propria hoc a Deo obtinere non putas, ad aliquem sanctorum conuertere, vt eo mediante huius rei veritatem a Deo cognoscere possis.* Est qui putet, Eliphazem hic agere cum Iobo, quasi se iam agnoscat peccatorem, & de suorum scelerum indulgentia laboret. Quare hortatur, vt eius rei gratia clamet ad Deum, si forte illi ad pium illud votum respondeat, & optata concedat. Quod si in- pag. 94. b
dignum se venia iudicet, & pudor faciem occupat, ne audeat, & os oppilat iniquitas, ne possit ad Deum offensum & indignatum loqui, ab aliquo sanctorum imploret auxilium, qui suam apud Deum causam suscipiat, & eius intercessione optata consequatur. Quæ explicatio non omnino displicet, quæ non videtur extorta, & ad reliquum capitis aditum aperit expeditum. Hanc sententiam aut tenet, aut indicat Dionysius.

Quam ego sententiam magis probem, constitutum non habeo, hoc mihi certum ex his posterioribus improbare nullam. Admonet S. Thomas, *ideo ad aliquem sanctorum esse confugiendum, quia non licet per immundos spiritus quocumque modo vel arte occulta perquirere, sed solum per Deum, vel sanctos Dei, secundum illud Isai. 8. Cum dixerint ad vos: Quærite a Pythonibus, & a diuinis* &c. Qui porro sint hi sancti, quorum a Iobo implorandum auxilium, obscurum est. Angelos indicat LXX. translatio, *Inuoca, si quis tibi respondeat, vel si quem angelorum, sanctorumve aspicias.* Apparuisse autem angelos sub ea tempora hominibus, & quæ futura essent vsui, docuisse, scire facile potuerunt Idumæi ab Esau progenitore suo: cum parentibus suis, & fratri Iacobo, & aliis ante hoc tempus sæpe, neque obscure contigerit. 6. *Non licet a malo spiritu quicquam interrogare.*

Ex hoc loco duo mihi colligere videor: alterum est, non raras esse hoc tempore angelorum apparitiones, aut nocturnas visiones, qui- 7. *Gentibus factæ a Deo reuelationes.*

 bus

bus Deus ignaros, & sui damni securos illuminat. Quod paternæ humanitatis officium non solum cum populo suo, sed etiam cum alienis præstat. Id primum colligo, quia si hæc Eliphazis vera fuit, & facta diuinitus apparitio, cum constet ex *cap. XLII.* Deum, seu potius angelum Dei nomine eidem iterum apparuisse, neque hic omnium in Idumæo populo sanctissimus fuerit, non videor ex hac frequentia male coniectare, cum aliis Deum non semel per angelos apertius, & per quietem, & somnium occultius locutum esse non raro. Sane hoc ipso tempore locutus est cum Laban, cui præcepit, ne cum Iacobo genero durius loqueretur. Locutus item cum Esau, cuius furentem in fratrem animum & inueteratum odium ita temperauit, vt quem prius hostiliter oderat, fraterna humanitate complecteretur, vt putabamus verisimile *in nostris Commentariis in Amos* ad illud *cap. I, 11. Eo quod persecutus sit in gladio fratrem suum.* Et non multo ante hoc tempus occurrit angelus ancillæ Agar *Genes. XVI, 8.* Quod si falso Eliphaz hanc sibi reuelationem factam esse dicit; grauior, meo iudicio, ex hoc loco coniectura sumitur. Nam quæ ab hominibus, qui non stolidi fuerint, simulantur, tunc veri aliquam habent similitudinem, cum frequentia sunt & vsitata, alioqui fidem neque consequuntur, plerumque nec merentur. Quare frequenter videntur apparitiones, seu reuelationes, seu veræ ad illos illuminandos; seu falsæ a dæmone ad obcœcandos & seducendos animos. Hoc testimonium aduocant contra huius temporis hæreticos Catholici, qui negant sanctorum inuocationem. Vide Bellarminum *tom. 1. l. 1. de sanctor. beatitud. c. 19* vbi dicit, magnum ex hoc loco firmamentum sumere orthodoxorum sententiam: non quidem ab autore Eliphaze, qui Scriptor canonicus non est, sed a canonico Scriptore illius verba recitantur. Sed quia hæc verba indicant consuetudinem inuocandi sanctorum patrocinia.

Angeli etiam malis apparere soliti.

REGVLA. *Simulantur illa, quæ fieri solent non infrequenter.*

Sanctorum inuocatio.

pag. 95. a

8 Vers. 2. *Vere stultum interfecit iracundia.*] Certis animorum immoderatis affectibus, certa correspondent vitia, quasi quædam illorum naturalis infirmitas: sicut etiam singulas ætatis partes suæ quoque pestes insectantur. Iuuentutem temeritas rapit, & inflammat libido, virilem ætatem occupat ambitio, senectutem retardat inertia, & sordes auaritiæ contaminant. Sic etiam, vt dicit Augustinus, singulis terræ fructibus suus est familiaris vermis & labes, a quibus arroduntur & putent: *Omne*, inquit, *pomum*, *omne granum*, *omne frumentum*, *omne lignum habet vermem suum; & alius vermis mali, alius pyri, alius fabæ, alius tritici, vermis diuitiarum superbia.* Nunc Eliphaz ait, stulti vermem & tabem esse iracundiam, inuidiam paruuli. Quid his verbis sibi proponat Eliphaz, tunc dicemus, cum statuerimus, qui sit, qui hoc loco dicatur stultus & paruulus. Stultus ille est, qui aut nullam habet prudentiam, aut nullum adhibet in deliberando consilium. Qui cum non consideret, quodnam singularum rerum natura secum ferat necessarium & naturale, facile indignatur, si quid minus ad suum votum & voluptatem accidat: neque considerat, an id necessario, aut hominum iniuria & iniquitate contingat. Sic contra solem, si paulo sit feruentior; contra ventum, si perflet concitacius; contra frigus & æstum, si magis videantur acuta, quam ipsius mollities, aut ratio postulabat, indignantur, atque etiam, si possent, ab illis sumerent pœnas, quas, si ratione vterentur, pendere debuissent. De his Augustin. *Non hominibus tantum, sed calamo irascimur in scribendo, cumque collidimus atque frangimus: & aleatores tesseris, & pictores penicillo, & cuicunque instrumento quilibet, ex quo difficultatem se pati arbitratur.* Hic, credo, stultus est, quem occidit iracundia. Dicitur porro ab iracundia occisus, quia vel ea ratione immoderate ab iracundia præceps peccat, aut qui ab illa sic vexatur & furit, vt vitam agat non vitalem, sed mortis instar.

Sua quibuscunque rebus contraria, & pestes.

Ira stultitiæ comes.

Hæc ira immoderata & præceps stulti hominis est, quem non tam ducit ratio, quam abducit temeritas & furor. Hic autem est præcipue diues, qui plerumque superbus. Vermis enim, vt dicebat nuper Augustinus, superbia est. Quod si hæc duo in vno spiritu, aut potius contra vnum spiritum conspirent, pene necesse est, vt non solum aliis, sed sibi etiam, idque non raro insipienter irascatur. Quia omnia sibi deberi putat, neque patien- 9.

Superbus stultus est, & iracundus.

patienter fert illa sibi negari, qui dum suo sibi studio atque væsaniæ seruit, mirum est, quam se aliis vilem atque ridendum præbet. Vnum accipe exemplum hominis superbi & diuitis, quem potentia & opes stultum reddiderunt, & furorem audies, qualem nemo sanus neque mente videtur cogitare potuisse.

10. *Xerxis incredibilis stupor.* Is fuit Xerxes Persarum Rex, qui cum videret classem, quam adornarat in Græciam, tempestate fuisse disiectam, sic in mare ac ventos impatienter insaniit, vt non aliter tractarit quam domini ferocientes solent in fugitiua vilissimaque mancipia. De quo sic Herodotus *libr. 7. Cum audisset Xerxes* (disiectam classem) *indigne ferens, iussit trecenta Hellesponto verbera infligi, & in eius pelagus par compedum dimitti. Iam audiui, misisse quoque cum his etiam, qui stigmata Hellesponto inurerent; certe mandauit, vt colaphos Hellesponto incuterent, dicentes barbara verba ac væsana: O aqua amara! Dominus hanc tibi irrogat pœnam, quod eum læsisti.* Idem refert *Satyra 10.* Iuuenalis, & Valerius *lib. 3. cap. 2.* & addit, ad hæc minatum esse cœlo tenebras, quod sibi inimicus esset & iniurius. Et quid magis barbarum ac stolidum? quasi peccasset mare, aut venti, aut ille a colaphis & vinclis ignominiæ aliquid aut doloris acciperet. Dixit optime Chrysostomus *homil. 39. ad populum,* fieri non posse, quin superbus sit fatuus, & fatuitatem esse radicem superbiæ: *Magnum est,* inquit, *elationis malum: stultum esse melius est, quam insolentem: illic enim stultitia tantum est mentisque tarditas: hic autem stultitia peior est, & fatuitas cum furore: ex amentia hoc vitium nascitur, non potest esse superbus, qui fatuus non sit.*

Fatuitatis radix superbia.

pag. 95. b

11. Sanct. Thomas hic in stulto superbum intelligit, *quanto aliquis est magis elati animi, tanto ex leuiori causa se putat offensum, & ideo facilius prouocatur ad iram. & hoc est, quod dicitur, Virum stultum vna interficit iracundia. Vocat autem eum, qui est superbi & elati animi, stultum; quia per superbiam homo præcipue metas rationis excedit. Deinde dicit humilitati cognatam esse sapientiam, iuxta illud Prouerb. 11. vbi humilitas, ibi sapientia.* Sicut humilis, qui & sapiens, iracundiam non admittit, certe diuturnum hospitium non parat; quia non patitur, vt super iracundiam suam occidat sol; sic a superbi, id est, a stulti sinu tanquam a domicilio stabili non recedit. Iuxta illud *Eccles. VII, 10. Ira in sinu stulti requiescit.* Et ideo supra affirmauit Chrysostomus, in superbo esse fatuitatem cum furore, id est, nunquam ab illo abesse stultam iracundiam.

Humilitatis comes sapientia.

Et paruulum occidit inuidia.] Superbus, 12.
quia alios præ se contemnit omnes, facile indignatur, & dum furori suo intemperanter obsequitur, vltus, quam inferri sibi credit iniuriam, suæ satisfacit iracundiæ, multo quam expediret & liceret audacior. Contra qui exiguo est animo & abiecto spiritu, cum animo de aliorum prosperitate doleat, neque contra illos quicquam tentare aut possit aut audeat, suæ pusillitatis & inopiæ conscius, tabescit totus, & interius ab inuidia disrumpitur.

Hæc duo ex omnibus vitia proponit Eli- 13.
phaz, quia ex superbia stulta, & ex inuidia, quæ pusilli animi morbus est, putabat ortas esse querelas, quas in *capite III.* audierat. Ab inuidia quidem, quia cum ad illud vsque tempus siluisset, tunc tamen in querimonias illas graues erupit. Quando amicos vidit in fortuna florente atque integra, quos paulo ante inferiores habuit, aut æquales. A superbia vero. quia se iustum prædicabat, neque spoliatus opibus, & ad infimam conditionem abiectus, spiritus tamen deposuerat regios, cum dicebat, sibi quiescendum *cum regibus & consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines, aut cum principibus, qui possident aurum.* Ab hoc spiritu superbiæ stultum aut vocat, pag. 96. a
aut indicat, cum in illa inuehi videatur, in quibus neque culpa vlla esse potuit, neque ex maledictione dolorem capere, aut ignominiam potuere. Quid enim peccauit natalitius dies, cui precatur interitum, aut conceptionis nox, cui caliginem optat sempiternam? Sane qui non attente de rebus statueret ac prudenter: eodem modo de superbo stupore damnaret Iobum, quo alii Xerxem damnauere, qui in mare & ventos stultissime sæuiit.

Vers. 3. *Ego vidi stultum firma radice, &* 14.
maledixi pulcritudini eius statim.] Ab exemplo & experientia probat, quod proxime dixerat,

xerat, stultum, id est, superbum & inuidum, perire. An alium quemquam viderit, non docet: sed est verisimile, non semel id Eliphazem obseruasse; frequens est enim, & pene quotidianum, vt qui paulo ante sublimi cœlum vertice tangebant, allidantur terræ, & subito casu iaceant aliorum subditi dominatui, qui modo alios superbo premebant imperio. Quod ita frequenter accidit, vt nullus sit dies, in quo fortuna suam in eo genere inconstantiam non ostendat. Quod mille modis explicant externi; sacri Scriptores non minus sæpe, & sub plantæ metaphora plerumque. Sic *Psalm. XXXVI, 35. Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani, & transiui, & ecce non erat.* & *Psalm. LXXXIX, 6. Mane sicut herba transeat: mane floreat, & transeat; vespere decidat, induret, & arescat.* Isaias *c. XL, 6.* humani splendoris ait momento temporis florem marcescere.

Stultorum instabilis felicitas.

15. Comparat stultum, id est, superbum cum arbore patulis diffusa ramis, onerata baccarum pondere; & frondium amœnitate conspicua: quæ cum altis videretur firmata radicibus, neque ab vllo ventorum turbine posse diuelli, ipsa tamen aut ruinæ est, aut securi deuota. Quare illi maledixit Eliphaz, id est, speciem illam, & tantam foliorum ambitionem execratus est, quasi aliquid haberet diuinæ indignationi propositum. Seu certe prædixit id, quod illi a diuina maledictione euenturum putabat. A qua id haberet, quod ficus, de qua *Matth. XXI, 20.* quæ vbi primum a diuina maledictione quasi a fulmine percussa est, confestim aruit. Neque est in Scriptura rarum, vt id fieri dicatur ab aliquo, quod ab illo faciendum denunciatur. Sic *Leuit. XIII, 11.* vbi de lepræ iudicio sermo est, de sacerdote dicitur, *contaminauit eum sacerdos*, id est, pronunciauit hominem, de quo dubia disputatio est, esse contaminatum & leprosum: & *Isaiæ VI, 10.* dicit Dominus, *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua:* id est, prædic excæcandos oculos, & aures aggrauandas: & *Ierem I, 10.* dicitur a Deo, *vt euellas & destruas*, &c. id est, dicas euellendum esse ac destruendum. Sic ergo nunc Eliphaz dicit se stulto illi maledixisse, id est, prædixisse, quod longa experientia didicerat, cœlestem illi maledictionem imminere.

REGVLA. Id dicitur fieri ab illo, qui faciendum denunciat.

16. Ita de stulto homine locutus videtur Eliphaz, vt quamuis vniuersim agere videatur, vnum tamen spectet Iobum, in quem iam pridem arcum intenderat, & sagittas exprompserat. Vt enim nuper dicebamus, in eo, quem inflabat ambitio, & occidebat iracundia, & in eo, quem rumpebat inuidia, intelligebat Iobum, sic nunc in illo, quem prius florentem agnouerat, & felicem vocarat, quemque modo diuina maledictione percussum esse aut videt, aut prædicit, Iobum intelligit. Et quæ statim addit, ad vnum, præsentem rerum statum significant: & omnia illa rerum incommoda non obscure proponunt, quæ in hoc libro Iobus pluribus amplificat.

pag. 96. b

Vers. 4. *Longe fiant filii eius a salute.*] Hic aperte docet, quomodo filii Iobi, adolescentes, vt verisimile est, in ætate florenti, & ipsi propter egregiam formam, & mores honestos & ingenuos conspicui, subita oppressi ruina perierunt. Nisi forte dicas, communem aliquam esse & quasi legitimam maledicendi formam, quam fuisse variam oportet pro illarum rerum natura, in quas intorquebatur maledictio. Sic supra dicebamus, certam esse dierum maledictionem, & esse qui ex instituto diebus maledicerent. Quam fortasse maledictionem vsurpauit Iobus, cum dixit: *Pereat dies, vertatur in tenebras: non requirat eum Deus*, &c. Sic etiam pro maledictione hominum certa erant atque concepta verba: qualia habemus *Psalm. CIIX. Deus laudem meam ne tacueris.* vbi in maledictione filiorum ac posteriorum, aut optantur, aut commemorantur infortunia. *Fiant nati eius in interitum, in generatione vna deleatur nomen eius.* Sed quocunque modo sit, sic ab Eliphaze prædicuntur mala, vt tamen ad illa respectasse videantur infortunia, quæ sub hæc tempora sustinuit Iobus tam in gregibus atque opibus, quam in splendida ac numerosa familia. 17.

Certæ maledictiones pro varia rerum natura.

Et conterentur in porta, & non erit, qui eruat.] In portis ciuitatum exerceri iudicia, satis est notum, & a nobis variis exemplis ostensum. Et vsitatum quoque apud Idumæos, docuit Iobus ipse *c. XXIX, 7. Quando procedebam ad portam ciuitatis, & in platea parabant cathedram mihi.* & *c. XXXI, 21. Si leuaui super* 18.

per

per pupillum manum meam, etiam cum viderem me in porta superiorem. Quare hic ego duo video: primum in diris illis imprecationibus, quæ in inimicorum aut improborum caput intorquentur, illam esse quasi legitimam, vt in portis, si qua disceptetur a iudice causa, ab illa cadant ignominiose ac turpiter. Quod etiam *Psalm. illo CIIX.* in Hebræorum diris numeratur *v. 7. Cum iudicatur, exeat condemnatus.*

19. *In iudiciis qui condemnatur, aliorum patet iniuriis.* Alterum est, in illum, quem sceleris reum faciebant legitima iudicia, subesse non solum pœnæ a lege siue iudice impositæ, sed etiam patere hominum iniuriis, quales sunt alapæ, colaphi, & aliæ contumeliæ, quæ a verbis aut manibus irrogari solent. Hoc de Hebræis mihi pene certum est, quod sumo ex *Isaia c. III, 14. Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui, & principibus eius. Quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis?* & *cap. LIIX, 4. Ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impie.* Vide, quæ nos ad hunc locum. Quod autem
pag. 97. a in damnatos a potestate legitima, ignobili etiam turbæ ignominiose bacchari liceret, indicat Christi causa: qui cum iam haberetur pro damnato, & a Concilio Pontificum proclamatum *Matth. XXVI, 67. reus est mortis; tunc*, inquit, *expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt; alii autem palmas in faciem eius dederunt.* Quod fuisse etiam in vsu, docet, meo iudicio, manifeste Iobus *c. XXXI, 21. Si leuaui super pupillum manum meam, etiam cum viderem me in porta superiorem.* Vbi ostendit, moris esse, damnatum in iudicio reum male vexari, & tractari inclementer. Quod tamen ipse fecit nunquam, neque, vt illius benignitas pene fateri cogit, a quoquam fieri permisit. Iuxta hæc hanc ego sententiam informo: Filii hominis stulti, de quo nuper, condemnabuntur in iudicio, & quod damnatum illico consequitur, contererentur colaphis & pugnis, & obtorto collo compingentur in vincula, neque vllus erit, qui suppetias ferat laborantibus. Hoc idem habes *Psalm. CIIX, 12. Nec sit, qui misereatur pupillis eius.*

20. Vers. 5. *Cuius messem famelicus comedat, & ipsum rapiet armatus, & bibent sitientes diuitias eius.*] Hoc ipsum habes *Psal. CIIX, 11. Scrutetur fœnerator omnem substantiam eius, & diripiant alieni labores eius.* Vt aliquid successus habeat, & ex voto fiat, duo omnino necessaria sunt: alterum est, vt aliquis velit rem suscipere; alterum, vt perficere possit, quod tentavit: illud opus inchoat, hoc absoluit. Vtrumque fit ardenti studio, & exitu felici. Ostendit Eliphaz, aliud stulto, id est, superbo atque inuido aut debitum, aut paratum infortunium, in bonis videlicet, ex quibus spe vberes sibi conceperat prouentus. In quos tamen irrumpent homines auidissimi, quorum nulla rerum abundantia explere posset cupiditatem: & præstanti præterea robore, ne quid non audeant, & quod ausi fuere consequantur. Cupiditas significatur in fame & siti, vulgari omnium gentium phrasi. Comedet enim famelicus messem, & sitiens bibet diuitias: quasi vterque diuturnam famem explere cupiat: vnde fit, vt omnia vorent, & hauriant vsque ad fæces: Illius præterea sitientis & auari prædatoris potentia illo verbo significatur, *& ipsum rapiet armatus:* quasi dicat: ad vires & audaciam, quam habebit, qui alienas populabitur messes, & optimas ex stulti fortunis prædas aget, accedunt externa subsidia, & armati corporis munimenta.

Hic porro nobis obseruanda duo: Alterum est, durum esse & ad angorem graue, si illa, in quibus a nobis diu multumque sudatum est, alieni rapiant, vbi iam ad incrementum peruenerunt, & ad illud tempus, vt falcem expectent. Quare hæc in grauissimis numerantur malis. Hæc Deus minatur populo, si quando a data sibi lege deficeret. 21. *Graue est, nostra, quæ ad maturitatem peruenere, ab hoste eripi.* *Deuteron. XXIIX, 33 Fructus terræ tuæ, & omnes labores tuos comedet populus, quem ignoras.* Et *Leuitic. XXVI, 16. Frustra seretis sementem, quæ ab hostibus deuorabitur. Isai. I, 7. Regionem vestram coram vobis alieni deuorant. Micheæ VI, 15. Tu seminabis, & non metes; tu calcabis oliuam, & non vngeris oleo; mustum, & non bibes vinum.* Et hoc sibi malum quasi grauissimum imprecatur Iobus *cap. XXXI, 8. Si in manibus meis adhæsit macula, seram & alius comedat.* Quod etiam quasi extremum malum profani queruntur, & dolent: sic sane Maronianus Melibœus *Eclog. 1.*

Impius hæc tam culta noualia miles habebit?
Barbarus has ſegetes? en queis conſeuimus agros?

22. REOVLA. *Poſſeſſor pro re poſſeſſio.* Alterum eſt, in eo, *ipſum rapiet armatus*, intelligendas eſſe omnes opes, quas acquiſierat ſtultus, & quas ad ſuos vſus armatus traduxerat. Etenim vſitatum in omnium lingua, vt poſſeſſor & dominus pro re poſſeſſa interdum vſurpetur. Quomodo *libr. 2. Æneid.* ardere dicitur Vcalegon, cum eius ardet domus, & apud Terentium guſtaſſe de ſene, qui de ſenis opibus aliquid furatus eſt. Neque alio ſenſu dixit apud eundem paraſitus Gnatho, *hunc tibi deuorandum propino*, id eſt, vt ex huius opibus quantum vales, exhaurias. Sic etiam nunc, *ipſum rapiet armatus*, id eſt, ipſius bona. Niſi mauis, quod mihi non diſplicet, non ſolum ſtulti bona ab armato prædatore, ſed etiam ſtultum ipſum abactum iri.

23. Deinde obſeruandum, vbi Vulgatus, *ipſum rapiet armatus*, Hebræum habere, *de mediis ſpinis rapiet*, & ita legunt Pagninus, & Tigurina: quod ſi ita legas, ſenſus erit, nullam cuſtodiam, aut ſeptum ex ſpinis contextum impedimento futurum eſſe armato prædatori, quominus in meſſem irrumpat, aut in vineam *Hortorum, vinearumque ſepes ex ſpinoſa planta.* concultato ſepto. Notum eſt, Hebræorum hortos & vineas, imo & ſegetes circumuallari ſolere plerumque maceria, quod illis difficile non fuit, cum regio eſſet ſaxoſa. Quo autem fructus, aut fruges magis eſſent a latronibus tuta, terror inſuper addebatur ſpinarum. Hoc indicat Iſaias *c. VII. in fine: Et omnes montes, qui ſarculo ſarrientur, non veniet illuc terror ſpinarum & veprium.* Vbi docet, ſic Solymitanos agros populatum iri ab hoſtili ferro: vt agri quondam in magno habiti pretio, & ſpinarum vallo circumſepti, iam tamen pateant, neque furem arceant a prædando. Erant autem hæ ſepes aut ex abſciſſis & aridis vepribus, aut e viua atque ſpinoſa planta. De qua Marcus Varro *lib. 1. de re ruſtica cap. 14. Primum*, inquit, *naturale ſepimentum, quod obſeri ſolet virgultis, aut ſpinis: quod habet radicem viuæ ſepis; ac viatoris prætereuntis laſciui non metuet falcem ardentem.* Has igitur ſpinas, ſiue viuas, ſiue iam aridas, perrumpet ille, qui ſtulti opes ad ſuam commoditatem conuertet.

Verſ. 6. *Nihil in terra ſine cauſa fit, & de humo non oritur dolor.*] Quia de diuina prouidentia longam ſecum diſputationem meditatus fuerat; & iamiam aderat illius articulus, quoddam verum & graue fundamentum præmittit. Et ait, nihil in natura rerum fieri ſine cauſa ac temere, quod Deus non præuideat atque diſpenſet: aut ſaltem non permittat, cum tamen facile poſſet prouidere. Ac tandem adducit prouerbialem quandam formam, qua aliquid negamus temere ac ſine prouidentia fieri. Hominem, cuius ignoti ſunt parentes, qui ideo ſine patre exiſtimatur, filium dicimus terræ, quaſi illum terra ſponte produceret. Et terra nata dicuntur illa, quibus nulla ab agricolis impenſa eſt opera, vt ſunt herbæ, quas vltro fundit terra, in pratis ac locis incultis, vbi nullus apparet hominum labor & induſtria, & ſylueſtres plantæ in altiſsimis ſcopulis, quo nullus humanis veſtigiis patet acceſſus. At ſi herba cultior eſt, & ad naturæ vim aliquod accedit artis lenocinium, non dicimus ſpeciem illam totam extitiſſe de humo. Sicut de planta aliquis capitur fructus ſeu amarus & noxius, ſiue ſalutaris & dulcis: ſic ex virtute, aut vitio, aut dolor capitur, aut voluptas. Hic porro fructus non oritur de terra, id eſt, ſine cauſa & temere; ſed ex hominum ſtudiis variis & opera multiplici. Natæ ſunt in terra ſpinæ & tribuli, non tamen in principio, neque ex ſuo ſinu & a ſua natura grauida terra produxit; ſed illorum ſemina ſparſit peccatum. Ita de ſpina, quæ cum roſa naſcitur, putant Baſilius & Ambroſius, vterque *in exaemeron*, ille *homil. 13.* hic *libr. 5. cap. 11.* de ſpinis omnibus Beda, Rupertus, Rabanus, Alcuinus: Quod aut docet, aut innuit illud *Geneſ. III, 17. Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ: ſpinas & tribulos germinabit tibi.* Quare ſi quis Adamum e paradiſo excluſum interrogaret, vnde illa ſpinarum ſeges, vnde labor & dolor, quem ſpinarum aculeis compunctus patiebatur: reſponderet omnino, nihil in terra ſine cauſa fit, & de humo non oritur dolor. Sed dolorem non antea peperit, quam fuit a peſtilenti peccati ſemine grauidata. Radix amaritudinis vocatur peccatum. Quam

Margin notes (right column): 24. (beside "Verſ. 6."); pag. 98. a (beside "tum præmittit. Et ait"); *Terra nata, quæ.* (beside "ſponte produceret"); 25. (beside "cauſa & temere"); *Dolor & labor ſine cauſa.* (beside "patiebatur")

si quis in suo plantauerit animo, recusare non potest, quin felle potetur & absynthio. Dixit hoc optime Gregorius *lib. 20. Moral. cap.*

Quis peccati fructus. 12. ad illud *Iob. cap. XXX, 4. Radix iuniperorum erat cibus eorum.* Vbi peccatores dicit pasci iuniperi radicibus, quorum fructus est spinosus, quia totus est aculeatus frutex: *Arbor*, inquit, *iuniperi pro foliis punctiones habet. Sic quippe sunt hirsuta, quæ profert, vt spinis similia contrectantes pungere valeant. Spina vero est omne peccatum, quia dum trahit ad delectationem, quasi pungendo lacerat mentem.* Hac pronerbiali forma studet Eliphaz persuadere Iobo, quicquid in mœrenti animo, aut in corpore lacerato patitur, id ortum ex peccato, quod Deus ea vexatione, aut punire, aut emendare vult. Vide quæ diximus supra *cap. IV, 8.* ad illud, *Qui operantur iniquitatem, & seminant dolores.*

26. Vers. 7. *Homo nascitur ad laborem, & auis ad volatum.*] Alia ratio, qua Iobi dolorem lenire & consolari studet Eliphaz, ne

pag. 98. b dum suam calamitatem consideret, intelligat se vnum ex omnibus esse, quem excruciet dolor, & aduersa insectetur fortuna: cum nemo ferme sit, qui vitam suam habuerit ab eiusmodi casibus immunem. Neque magis volucris instructa pennis nata est ad volandum, quam homo, qui nudus prodiit in vitalem lucem, multis iisdemque necessariis naturæ subsidiis destitutus natus est ad laborem. Ita Chrysostomus, & Olympiodorus *in catena*, &

27. *Homo ad laborem natus.* alii plures. Alii hic reprehendi putant Iobum ab Eliphaze, quod cum homo natus sit ad laborem, & nisi velit perire fame, laborare debeat; ille tamen sine vllo labore opes acquisierit ingentes tyrannico more, violentia, & fraude: cum auis alarum vtatur remigio, vt sibi ac pullis alimentum paret. Ita pene Pineda. Comparationem autem volantis auis alii aliter accipiunt. Acute illi quidem, neque fortasse abs re. Primo, vt illa non tam sit similitudo, quam differentia ac dissimilitudo, quasi dicat Eliphaz ad Iobum: Non tibi ita viuendum est sicut volucri, quæ sine vllo suo labore vescitur, dum alieno fruitur. Nam quod sibi homo magno atque assiduo labore colligere studet ad suam suorumque sustentationem, id volucris sine vllo labore hilari, facilique volatu sibi vendicat. Quod dixit Christus *Matth. VI, 26. Respicite volatilia cœli, quomodo non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & Pater vester cœlestis pascit illa.* Aut cum volucris alta petat, & alarum subsidio sursum attollatur, & inferiora ista cum fastidio videatur despectare; homo vero, qui ad laborandum natus est, non se supra terram sursum attollat, sed cum illa perpetuo colluctetur. Iobus tamen suæ conditionis & officii immemor sursum euolat, & in aëre ludibundus inertem agit & otiosam vitam. Inde contemplatur escas aliorum sudore comparatas, in quas celeri se volatu demittit, & eas pro sua potestate, seu libidine

deligit, quæ magis sunt ad palatum. Quæ 28.

explicatio accommodatior est, si pro aui cum Septuaginta legas *pullos aquilarum.* Hi enim in sublimi ponunt nidum suum, & inde spectant prædam, ad quam se, cum libuerit, per iocum & ludum ex alto deiiciunt. De quibus Iob *c. XXXIX, 30. In arduis ponit nidum suum: in petris manet, & in præruptis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus. Inde contemplatur escam, & de longe oculi eius prospiciunt. Pulli eius lambunt sanguinem.* Aquilæ præterea alæ sanguine refertæ sunt, refert enim ex præda pennas rubentes sanguine. Vt quilibet cognoscat facile, illam ex tenuiorum volucrum, aut leporum, aut similium laniatu reuerti. Id nos ita explicuimus *in nostris Commentariis in Ieremiam* ad illud *c. II, 34. In alis tuis inuentus est sanguis animarum pauperum & innocentium.* Vbi violenti hominis feritas & inclementia describitur ex aquilarum proprietatibus.

Vbi Vulgatus *auis*, Hebr. est רשף *reseph*, 29.

quod communiter putant Hebræi, esse prunas, aut scintillas, quæ sursum e prunis ele-

vantur. Quomodo interdum transtulit Vul- pag. 99. a

gatus, vt *Cant. IIX, 6.* vbi nos de hac voce pluribus: in vtraque significatione satis idonee tyranni inclementia atque natura describitur, qui licere sibi quiduis arbitratur, & nihil non subesse ipsius potestati. Vt enim flamma obuium quodque populatur & perdit, & quo magis vrit, maius ex aliorum interitu capit incrementum: sic etiam quacunque tyrannus ingreditur, incendium videtur

tur peruasisse; & illa, quæ speciosa fuerant, quæque nullo modo ab aliqua iniuria violanda videbantur, sic sternit & violat, vt nihil reliquum videas præter sordes & cineres. Vtrumque coniunxit Abacuc *cap. I, 8.* cum exercitum Chaldæorum, in quo violenti atque tyranni imaginem intueor, aquilæ atque ignis similitudine expressit: *Volabunt*, inquit, *quasi aquila festinans ad comedendum, omnes ad prædam venient, facies eorum ventus vrens.* Non displicet prorsus hæc posterior, sed placet magis explicatio prior.

30. Vers. 8. *Quamobrem ego deprecabor Dominum: & ad Deum ponam eloquium meum.*] Hic quidam Eliphazis insolentes spiritus agnoscunt, qui primum accusat Iobum, quod non agnoscat culpam, neque pro illa velit deprecari Deum; deinde dicat, id se facere multo consultius. Olympiodorus *in catena* sic accepit Eliphazis verba: *Illud* ego *dictum est arroganter, vt se ipse a Iobo* secernat, tanquam si diceret: *Ego ipse precabor, quando quidem tu precationem aspernaris.* Eodem pene modo Caietanus: *Tu*, inquit, *Iob esto cum præsumptione innocentiæ tuæ; ego vero agnoscens me, sicut & omnes homines sub peccato, recurram ad Deum fortem.* Sed mitior esse posset & loci interpretatio, & de Eliphazis sensu atque oratione iudicium. Aut enim quod vult S. Thom. ex diuina prouidentia (quam proxime ostenderat, dum dicit, nihil in terra fieri sine causa, quod in reliquo deinde capite magis probat) infert, ad Deum esse confugiendum, & ab illo orandum id, quod nobis futurum est vsui, quando illo, inuito nihil expectari potest humanis commodis opportunum. Aut certe suo exemplo Iobum inuitat, vt a Deo malum illud inflictum agnoscat, & ab illo, qui intulit, per orationem medicinam imploret. Neque enim a communi humanæ naturæ necessitate, saltem infirmitate, atque labore se putat immunem: atque ideo non minus sibi, quam aliis placatum Dei atque beneuolum animum esse necessarium. Vt autem, quid a Deo sperare posit, intelligat, illius omnipotentiam & benignitatem ostendit, qua & potest, & vult omnibus benefacere: Idque multis docet. Quod consolationis genus optimum est, cum aliis & nobis ipsis commune dicimus infortunium; neque aliud nos remedium sumere in nostris malis, quam quod illis damus, quorum dolorem leuare volumus.

Vers. 9. *Qui facit magna, & inscrutabilia, & mirabilia absque numero.*] Incipit iam enumerare Dei omnipotentis opera, quæ & magna sunt, & eius generis, vt a mortali, imo & a creato ingenio inuestigari neque debeant, neque possint. Quo id significare voluisse videtur Eliphaz, non esse, cur de rerum suarum vniuersali naufragio queratur Iobus, quasi facta sibi a Deo videatur iniuria, cum comprehendere non possit, quid Deus punire, purgare, aut explorare in illa vexatione velit: aut denique, an ex animo hostili atque offenso, an ex beneuolo atque paterno profecta fuerit illa probatio. 31.

pag. 99. b

Vers. 10. *Qui dat pluuiam super faciem terræ, & irrigat aquis vniuersa.*] Hoc signum est omnipotentis virtutis, quæ facit ex terræ vaporibus nubes in sublimi concrescere, & deinde solutas terram ipsam, vnde humorem collegerant, augere imbribus, & grauidare ad mirificos & multiplices fœtus, vbi omnipotentiam vides. Quæ enim mortalium vis hoc opus admirabile tam frequens, tamque vtile perficeret? & beneuolentiam, quæ homines hoc artificio sustentat admirabili, quod præter vsus mortali naturæ necessarios, delitias quoque parit innumerabiles. Neque hoc beneficio iustos tantum prosequitur homines & sibi amicos, sed etiam iniustos. Quod Christus expressit *Matth. V, 45. Qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* 32.

Vbi Vulgatus, & *irrigat aquis vniuersa.* Hebr. est, *Superficies platearum.* Quasi dicat, non solum agris, qui frumenta ferunt, & ab agricola ad satus subiguntur, irrigantur a Deo cœlesti pluuia, sed etiam montes saxosi atque aridi, ex quibus nullus expectatur fructus. Quis enim ex plateis vnquam segetes demessuit? Hoc idem habes infra *cap. XXXIIX, 25.* vbi Deus ipse dicit, pluuiam de cœlo cadere in ea loca, vnde ad homines nulla peruenire potest vtilitas. *Quis dedit vehementissimo imbri cursum, vt plueret super terram absque homine in deserto, vbi nullus mortalium* 33.

Pluuia quomodo Dei potentiam ostendat.

talium commoratur? Hæc autem omnia noster Interpres vno verbo complexus est, dum dicit vniuersa, nempe frugifera, & humanis vsibus opportuna, & quæ nullam hominibus ex imbre commoditatem afferent. Porro ex hoc cœlestis pluuiæ beneficio millies in Scriptura declaratur Dei potentia, singularisque benignitas. Mitto alia. Hoc Deus ipse docuit loco proxime citato. Et Eliu *cap. XXXVI, 27. Qui aufert stillas pluuiæ & effundit imbres ad instar gurgitum, qui de nubibus fluunt, quæ prætexunt cuncta desuper.* Hoc beneficio Deus suam hominibus potentiam testatam esse voluit. De quo Paulus *Act. XIV, 16. Non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluuias, & tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda vestra.*

34. Vers. 11. *Qui ponit humiles in sublimi, & mœrentes erigit sospitate.*] Hoc summæ potestatis argumentum est, posse excitare iacentes, & ruentes sustinere: hi ne cadant; illi ne in sordibus ac puluere tabescant. Et eos, qui animo sunt mœrenti ac languido, quia ex florenti ceciderunt fortuna, sospitate erigit, id est, ad eum statum atque speciem reuocat, vt nunquam cecidisse existimari possint.

35. Vers. 12. *Qui dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum quod cœperant.*] Alterum omnipotentis dexteræ argumentum est, posse superbos deprimere, & consilia callidorum ita disturbare, vt nihil assequantur eorum, quæ sibi proposuerunt. Hoc enim est, *ne manus impleant*, id est, absoluant, quod exorsi sunt. Cuius rei in historia sacra documenta sunt obuia: vbi Deus astutorum hominum cogitationes elusit, & cum maxime essent ad prædam, aut humanam aliquam commoditatem intenti, hiantes reliquit.

pag.100.a

36. Vers. 13. *Qui apprehendit sapientes in astutia eorum, & consilia prauorum dissipat.*] Huius loci optimum habemus interpretem Paulum *1. Corinth. III. 19.* vbi aperte docet, vana esse ac stulta hominum consilia. Quod, vt probet, hoc Eliphazis adducit testimonium: *Nemo*, inquit, *se seducat, si quis videtur inter vos sapiens in hoc sæculo, stultus fiat, vt sit sapiens. Sapientia enim huius mundi stultitia est apud Deum. Scriptum est enim: comprehendam sapientes in astutia eorum. Et iterum: Dominus nouit cogitationes sapientum, quoniam vanæ sunt.* Sed hoc loco aliquid amplius voluisse videtur Eliphaz, nempe non solum stultorum inutiles esse cogitationes, sed etiam valde noxias, quæ cum ad honorem & humanam aliquam commoditatem essent susceptæ, ignominiam & mortem attulerunt. Qualis fuit Achitophelis cogitatio, quæ illum eo adduxit desperationis, vt elisis laqueo faucibus spiritum sibi præcluserit, & mortem inuenerit. Tale fuit consilium Aman, qui ex eo ligno suspensus fuit, quod Mardochæo paulo ante parauerat. De hac stultorum cogitatione, seu væsania, sunt apud profanos & sacros Scriptores non pauca prouerbia. Sic dicitur aliquis *suo iugulatus gladio, suo captus laqueo, & portare compedes, quas ipse fecit.* Et alia huiusmodi quam plurima. Tale est illud Dauidis *Psalm. VII, 16. Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit.* Et paulo post, *& in verticem ipsius iniquitas eius descendat.* Cur autem Paulus verba citet Eliphazis, cum eius verba canonicæ fidei pondus non habeant, diximus supra *Prolegom. 10.* vbi obseruauimus, Paulum e Gentilium libris sumpsisse testimonia, vt ex Arato & Epimenide. Cum autem Eliphaz non sit scriptor libri a Spiritu sancto instinctus: vt obseruauit Bellarminus *tom. 1. lib. 1. de beatitudine Sanctorum cap. 19.* & nos notauimus ad illud *cap. IV, 2. Si cœperimus loqui.* ab illo non habet hoc testimonium canonicam fidem, licet canonicæ sit fidei, hæc ab Eliphaze fuisse prolata. Non disputo modo, quantum hæc sententia a Pauli citatione autoritatis habeat. Illud videtur posse dici, a tempore Pauli hoc testimonium pondus habere canonicæ fidei: quia sententiam illam Paulus probat, & inter alias adducit, quasi eiusdem momenti atque ordinis, de quorum autoritate nemo dubitat. 37.

Qui sapientes videntur suo inter- dum consilio & artificio pereunt.

Paulus testimonia sumpsit a profanis, & quam illa autoritatem habeant.

38. *Consilium prauorum dissipat.*] Hæc verba non adducuntur a Paulo supra, sed est sententia de fide, quia aliis scripturæ locis vsurpata, vt *Ierem. XIX, 7. Dissipabo consilium Iudæ, & Ierusalem in loco isto, & subuertam eos gladio*

dio in conspectu inimicorum suorum. Et *Psalm.*
pag. 100.b *XXXII, 10. Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat consilia Principum.* Et Achitophelis consilium dissipatum a Domino habemus *2. Reg. XVII, 14. Domini autem nutu dissipatum est consilium Achitophel.*

Deus dissipat peccatorum consilia.

39. Vers. 14. *Per diem incurrent tenebras, & quasi in nocte sic palpabunt in meridie.*] Hæc de se non semel in Scriptura sacra audierunt stulti, & qui plus satis in sua sibi sapientia confidunt. *Amos IIX, 9. Occidet sol in meridie, & tenebrascere faciet terram in die luminis.* idem Ieremias *cap. XV, 9.* Quare hi, qui sapientissimi sibi videbantur, sic in pomeridiana luce, id est, in rebus clarissimis cœcutiunt & errant, quasi, qui in tenebris agunt, neque aliquid lucis habent, aut consilii, quod sequantur. Hoc ipsum experti sunt Ægyptii *Isai. XIX, 11. Nam cum dixisset Deus, vbinam sunt sapientes tui?* addidit, *Dominus miscuit in medio eius spiritum vertiginis, & errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo: sicut errat ebrius, & vomens.* Hoc item illi, qui apud *Isai. LIX, 10.* dixerunt: *Impegimus meridie, quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui.* Palpare proprium est cœcorum, quibus pro oculis manus sunt, quæ gressus antecedunt, & viarum explorant offendicula.

Peccatorum cœcitas.

40. Vers. 15. *Porro saluum faciet egenum a gladio oris eorum, & de manu violenti pauperem.*] Vt Deus improborum consilia conturbat & dissipat, & cum ad prædam aspirent, relinquit hiantes & elusos; sic pauperem ab illorum siue calumnia, siue violentia defendit. Quæ sententia in Scriptura sacra frequens est *Psalm. IX, 14. Tibi derelictus est pauper: orphano tu eris adiutor. Isai. XXV, 4. Factus est fortitudo pauperi: fortitudo egeno in tribulatione sua: spes a turbine, vmbraculum ab æstu.* Gladius oris est calumnia, & detractio: verbum denique quodcunque aut dolorem incutit, aut confusionem, aut in bonorum, aut capitis periculum inducit. Sane linguæ impudens aut fraudulenta libertas his ferme nominibus explicatur: Vocatur *ignis ardens,* &c *Prouerb. XVI, 27. plaga comminuens ossa,* Ecclesiastic. *XXIIX, 21. sagitta vulnerans, Ierem. IX, 4. gladius acutus, Psal. LVI, 5. LXIII, 8.* & statim *v. 21. flagellum.* Talis fuit lingua testium, qui blasphemiæ damnauerant Naboth, *3. Reg. XXI, 13.* & duorum senum, qui Susannam fecerunt adulterii ream, *Dan. XIII, 36. sq.* & aliæ linguæ, quæ pacatas ciuitates ac domos miscuerunt incendiis. Ab his linguis Dominus eripit, quibus, seipsos vt ab illa peste tueantur, facultas non est, vt patet in Susannæ causa, cui nocuit nihil senilis testimonii fallax impudentia.

Deus pauperum patronus & custos.

A lingua graue vulnus.

Vers. 16. *Et erit egeno spes, iniquitas autem contrahet os suum.*] Hæc pertinent, opinor, 41.
ad gladium oris. Ad crimen falso pauperibus obiectum, propter quod ad iudicium vocati periculum subeunt aut fortunarum, aut capitis. Qui difficile euitant calumniam & fraudem, maxime si contra oppugnet auaritia, quæ humanitatis & æquitatis leges perrumpit. Et quidem tunc maxime laborat egenorum causa, cum corrupti sunt largitionibus iudices, aut vis proponitur armata infirmæ pauperum innocentiæ. Sed stabit in iudicio pro paupere Deus, efficietque, vt nullam habeat aut irritam petitionem gladius pag. 101.a
oris impiorum: neque mutire audeant, qui ab ore fœcundo & assueto calumniis, minas intentabant. Ipsa etenim iniquitas & scelerum conscientia contrahet os plenum mendaciis, & illa in paupertatem inermem vibrare paratum. Hoc porro opus est Dei, qui facit, vt obmutescat insidiosa eloquentia, & os suum, alioqui garrulum, oppilet iniquitas.

Vers. 17. *Beatus homo, qui corripitur a Deo,* 42.
increpationem ergo Domini ne reprobes.] Hæc omnia, vt ipsa præ se non obscure ferunt, Iobum petunt: cui illa ab Eliphaz tribuuntur, quæ in stultos hucusque superbos, & egenorum oppressores dicta sunt. Quæ iubetur, aut monetur Iobus recognoscere, & libenter ferre illam, quam vocat, increpationem, vt ipsius causam iam placatus magis suscipiat Deus, & ad illum reducat ordinem & gradum, ex quo videtur esse depulsus. Nam Deus, qui superbos deiicit & confundit, quod fecisse videtur cum Iobo, vt putat Eliphaz (qui Iobum superbum esse putat, & talem, quales esse eos dixit, qui Deo sunt odiosi, & quibuscum Deus hostiles gerit inimicitias) ille Iobum suorum scelerum conscium, & iam contritum,

atque

atque humiliatum amplexabitur, quia pauperum patronus est, & quem seuerum iudicem expertus est, patrem deinceps, & vindicem agnoscat. Quare monet, ne queratur, quod a Deo tam crucietur aut increpetur vehementer, sed potius gratias agat, & se vere fortunatum iudicet, quod Deus in hac tribulationis fornace voluerit opportuno tempore excoquere rubiginem, & mundare argentum.

43. *Vexatio a Deo medicina salutaris.* Vers. 18. *Quia ipse vulnerat, & medetur.*] Aliter hostis percutit & sauciat, aliter Medicus; ille, vt occidat & perdat sanum & robustum; hic, vt sanet & seruet alioqui periturum. Deus medicus est, qui secat & vrit corpus, vt animam a morte liberet, sanguinem emittit aperta vena, & ab humore purgat redundante ac noxio: ereptis opibus, & his, quæ humano seruiunt blandimento & vsui, & ille etiam medetur. Quare illi neque dolendum, neque desperandum est, qui durius a Domino tentatur. Quando ab illo fomentum accipiet, quo leniatur dolor, & obducatur vulnus; & sperare possit, & vitam longiorem, & valetudinem magis firmam. Vbi Vulgatus *medetur*, Hebraice est ויחבש *vaiechbas*, id est, alligat, vel fasciat, quod opus est chirurgi, qui statim atque vulnus inflixit, & humorem expressit, vulnus alligat, & totum se ad vulnerati sanitatem accingit.

44. Vers. 19. *In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum.*] Vsitatus est hic loquendi modus tum Hebræis sæpe, tum etiam Idumæis, vt indicat hic locus. Significat autem Eliphaz hac verborum forma, nihil esse timendum illi, qui Deum omnipotentem & iustum agnouerit, qui se illi totum & omnino subiecerit, & suæ vitæ tutelam, rationesque omnes sine vlla exceptione tradiderit. Hic porro, vt dixi, loquendi modus frequens est, in quo numerus aliquis ita proponitur, vt tamen extremus seorsum addatur, qui complet numerum, & in eo aut expresse, aut obscure aliquid continetur eximium, & aliquod indicatur rerum incrementum. Exemplorum nos satis adduximus ad illud *Amos cap. I, 3. Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non conuertam eum*; quo genere orationis vtitur ibidem *vers. 6.* contra Gazam, & *9.* contra Tyrum, & *11.* contra Idumæos, & *13.* contra Ammonitas, & rursus *cap. II, v. 1.* contra Moabitas, & *4.* contra Iudam, & *6.* contra Israel. Hanc dicendi formam etiam habes *Ecclesiastic. XXVI, 5. A tribus timuit cor meum: & in quarto facies mea metuit. Prouerb. XXX, 15. Tria sunt insaturabilia, & quartum quod nunquam dicit, sufficit.* Et magis accommodate ad locum, quem versamus *Prouerb. VI, 16. Sex sunt, quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius.* Hæc quoad loquendi formam.

REGVLA. *Noua forma augendæ sententiæ.* pag. 101.b

Quoad sententiam attinet, puto hoc orationis genere multitudinem & vniuersitatem significari. Numerus enim septenarius aliquid ex vsu Scripturæ vniuersale indicat. Cum ergo numerasset sex mala, quæ natura horret mortalium, quæ statim singulatim commemorat: deinde addit tribulationem septimam, in qua reliquas comprehendit: quasi quoddam tribulationum omnium complementum. Ac si diceret, liberabit te Dominus ex sex tribulationibus, quæ sunt in hac mortali vita familiares, & si qua est alia, quæ a me speciatim non numeratur, longe erit, vt tibi aliquid afferat molestiæ, imo vt ad te pertinere videatur. 45. *Septenarius numerus multitudinem indicat.*

Vers. 20. *In fame eruet te de morte, & in bello de manu gladii.*] Non sic te afficiet fames, vt conficiat, non sic premet, vt opprimat, neque si bellum ingruat, ferro cades. Quod expertus est Iacob, Elias, Elisæus, quos Deus a fame, & gladio, & hostilibus minis præstitit incolumes. 46. *Deus fidelis iustorum custos.*

Vers. 21. *A flagello linguæ absconderis.*) Tunc aliquis abscondi dicitur, cum aliquid opponit, quod vim arcet aduersariam; vt si post murum aut vallum consistat, quæ telum excipiant hostile, neque ad eum, qui illud obiecit tegumentum, peruenire permittitur. Sic *Isaiæ cap. XXXII, 2.* ille dicitur absconditus a vento, seu potestate, qui a vento sibi aliquid opposuit, quod auram vehementius incitatam exciperet, aut portum, seu rupem, vbi se marini frangerent fluctus: neque quicquam officerent nauiganti. *Et erit*, inquit *vir sicut, qui absconditur a vento, & celat se a tempestate.* Flagellum autem linguæ durum est, neque a prudentibus timetur minus, quam quod a taureis, siue scorpionibus incutitur; 47. *Lingua flagellum multiplex.*

de quo *Ecclesiastic. XXIIX, 21. Flagelli plaga liuorem facit, plaga autem linguæ comminuit ossa.* Hoc autem flagellum multiplex est: aut enim est detractatio, quæ bonum alicuius nomen obscurat: aut accusatio, quæ graue alicui crimen obtendit, & nomen illius ad publicum iudicium deducit: aut contumelia, quæ licet nullum aliud afferat incommodum; illud censetur non exiguum, quod pudorem adducit, & mœrore contrahit ingenium internum, & innocentem animum.

48. Sed licet neque detractor absit, neque petulans, fraudulenta atque contumeliosa lingua, (quid enim speremus defuturos, qui latrent, & euulgent illa,

pag.102.a quæ hominum verecundia aut coniecit in tenebras, aut condidit terræ, arrodantque canino dente; cum canes sint venatici, quasi mercede ad id conducti, vt aliena facta omnibus indagent vestigiis, & ex ipsis, in quibus latuerunt, tumulis effodiant) licet enim tales canes, seu detractores defuturi non sint, non tamen efficient, vt ex eorum rabido latratu, hi, qui se diuinæ tutelæ crediderunt, aliquid detrimenti capiant. Quot vero plagarum genera linguæ morbus, seu furor impingat, docuit Ecclesiasticus *cap. LI, v. 3. & 7.* a quibus se liberatum esse diuinæ benignitati acceptum esse refert: *Liberasti*, inquit, *corpus meum a perditione, & a laqueo linguæ iniquæ, & a labiis operantium mendacium. A lingua coinquinata, & a verbo mendacii, a Rege iniquo, & a lingua iniusta.*

49. *Et non timebis calamitatem cum venerit.*] Calamitas per synecdochen quodcunque significat infortunium, siue casu, siue consilio, siue a natura, siue ab aliqua externa causa proveniat.

Calamitas quid, & vnde dicta.

Proprie tamen significat stragem illam, quam procellosus imber segetibus inuexit, cum fregit calamos, aut vento violentius incitato, aut grandine, vnde traxit nomen, & a calamis est nominata calamitas. Potest etiam sumi pro damno huic proximo, quod ab alia causa segetibus infertur: vt si locusta, & bruchus, aut aurigo, & vredo corrumpant & populentur messes, aut equorum vngulæ ab hostili exercitu, aut præceps a culmine torrens sternat sata læta, boumque labores. Pro his incommodis calamitatem sumo, quæ extrinsecus aduenit: quæ cum aliorum inundat & disperdat agros aut vineas, nihil tamen ab illa vir iustus, & Dei amans, ac timens periculi subibit. Pro calamitate Hebr. est שׁוד *sod*, quod vastitatem indicat, qualis solet a prædone contingere. In illis porro regionibus sæpe grassantur prædonum, seu latrunculorum turmæ: qui conculcant segetes, sternunt arbores, incendunt domos, abigunt armenta, & talia audent, faciuntque, vt quacunque transierint, transisse videatur horribilis ac dira tempestas. Quam tempestatem Cicero calamitatem vocauit, illam videlicet, quæ est a grandine. Sic enim ille, cum ageret *de Verre, non tam Prætore, quam prædone Siciliæ, quacunque iter faceret, sic se gerebat, vt non legatus populi Romani, sed calamitas peruasisse videretur.* Huius autem calamitatis meminit Eliphaz, quia illam Iobus a Chaldæis & Sabæis paulo ante pertulerat.

Vers. 22. *In vastitate & fame ridebis.*] Cum 50.
fames timeatur ab omnibus, quia a cœlo æreo imber non speratur, & vastitatem agrorum minatur atra & horribilis tempestas, aut inopinatus prædonum appulsus, non timebis: quia pro te stat potestas maior, quæ humanos casus moderatur, & frangit. Illud porro *ridebis* indicat animum ita securum, vt tempestas aliis formidanda neque turbet pacem, neque impedimento sit, quominus aliquis solida fruatur voluptate, aut aliquid mutet de mentis statu. Sic ventos ridet & imbres, qui receptum habet ad domum, quam propter firmitatem ventus deiicere, & propter bene compactam solidamque materiam imbres penetrare non possunt. Sic scopuli rident illisos fluctus, a quibus quantumcunque sæuiant pag.102.b
& tumeant, patientur nihil. Sic qui egregie munitus est, ridet stipulas & calamos, quos pusio pro telis eiaculatur. Sane Martialis, cum agit de Endromide, quæ hominem egregie a cœli & temporum iniuriis tuetur, ridere illum dicit, quicquid alii ab eo munimento nudi timere solent, si tamen eo se tegumento munierit:

Ridebis ventos hoc munere tectus, & imbres.

Et bestias terræ non formidabis.] Idumæa 51.
regio est scopulosa & aspera, vt constat ex *Abdia, & Ieremia c. XLIX.* Quare verisimile est, in saxorum latebris latuisse feras, quæ regionem

Idumæa ferarum abundans.

gionem illam redderent minus gratam: quales sunt leones, vrsi, serpentes, quorum sæpe in Scriptura nomen audimus. Neque enim sine causa bestiæ terræ inter Idumæorum mala numerantur. Sicut *Ezechiel. XIV, 21.* hæc ferme numerantur omnia, quibus Deus populum suum mulctare voluit, quæ Deus iudicia appellat pessima, quia amara & dura: *Quod si quatuor*, ait Deus, *iudicia mea pessima, gladium, & famem, ac bestias malas, & pestilentiam immisero in Ierusalem, vt interficiam de ea hominem & pecus.* Hæc eadem minatus est Deus *Deut. XXXII, 24. Consumentur fame, & deuorabunt eos aues morsu amarissimo: dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram, atque serpentium, foris vastabit eos gladius*, &c.

52. Vers. 23. *Sed cum lapidibus regionum pactum tuum.*] Pactum societatem indicat, quæ hominum animos & studia coniungit, quæ seditiones comprimit, quæ fidem conciliat, facitque, vt nemo noceat alteri: imo quodammodo cogit, vt quam possit officiosissime commodet; quare sociale fœdus cum lapidibus iniisse nihil aliud esse puto, quam in saxorum latebris ali, aut latere nihil, quod fœderato ac socio afferre aliquid possit incommodi. Quales sunt regulus & aspis, qui venena diffundunt: leones & vrsi, qui discerpunt & deuorant. Hæc itaque in suis cauernis prohibebunt saxa, ne quid a suis domesticis & alumnis patiantur, qui Deum agnoscunt Dominum & a suis mandatis nunquam recedunt. Sed etiam hæc saxa, tametsi natura sua dura, multiplices præbebunt & suauissimos vsus; fluent enim lacte & melle, fundent riuos olei. Quemadmodum ante hoc ærumnosum tempus de sua felicitate prædicabat Iobus ipse *c. XXIX, 6. Petra fundebat mihi riuos olei.* Talia item Deus populo suo largitus est *Deuter. XXXII, 13. Vt sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo.* Sed puto, hoc loco per metonymiam sumi continens pro contento, loca videlicet confragosa, & multis perforata latebris, pro bestiis, quæ in saxorum cauernis sua parauere cubilia. Quare pactum initum puto non cum saxis, sed cum feris, vt miti sint ingenio ac docili cum viro iusto, Deique timenti, licet in alios, qui a Dei lege defecerunt, ad mortem vsque sæuiant.

Iustus nihil a feris accipiet mali.

Hoc mihi persuadent verba, quæ proxime sequuntur, quæ, meo iudicio, eorum, quæ præcesserunt, explicatio sunt per figuram epexegesim, quæ in Scriptura sacra sæpius vsurpatur: *& bestiæ terræ pacificæ erunt tibi.* Neque improbarem, si quis diceret, illud *&* particulam esse expositiuam, & hanc horum verborum esse sententiam: Facies pactum cum lapidibus, id est, cum bestiis, quæ in lapidum speluncis sua habent latibula. Neque magis tibi nocebunt, aut turbabunt quietem & pacem, quam illi, quibus cum sociale fœdus iniisti. Quod modo Iobo promittit Eliphaz, hoc idem eadem orationis figura promittit Deus *Oseæ II, 18.* adulteræ ad antiquam fidem & coniugalem torum restitutæ: *Et percutiam cum eis fœdus in die illa cum bestia agri, & cum volucre cœli, & cum reptili terræ.* Quodnam autem sit illud pactum, statim explicat: *Et arcum, & gladium, & bellum conteram de terra, & dormire eos faciam fiducialiter.* Quod sane nihil est aliud, quam bestias terræ esse pacificas. Vide, quid nos ad illum locum *Oseæ*, quæ in hunc non minus apte conueniunt. 53.

pag. 103. a

Vers. 24. *Et scies, quod pacem habeat tabernaculum tuum.*] Pax iuxta Hebræorum idioma abundantiam significat, earum maxime rerum, quæ hominibus sunt in votis, & quæ in se habeant, quod amari possit. Quare cum Hebræi in salutando pacem aliis precantur, illis omnia desiderant, quæ homines optare debent, aut solent. Promittit ergo Eliphaz Iobo, si modo se monitis obsequentem præbeat, omnia secunda in tabernaculo suo, ita vt nihil habeat, quod excruciet animum, quod offendat oculos. Nihil absit, quod expetunt, & impenso comparant pretio, qui videri volunt aut esse fortunati. 54.

Et visitans speciem tuam non peccabis.] Incipit enumerare illa, quæ domum faciunt fortunatam & splendidam. Et primo loco numerat vxorem: in qua duo sunt, quæ hominum iudicia magis probant, & amant. Alterum est species honesta & pulchra, in qua vir sine fastidio vllo atque peccato suæ amatoriæ siti satisfaciat, id opinor, valet, *visitans speciem tuam.* Speciem autem domi vxorem esse multi docent ad illud *Psalm. LXVII, 13. Speciei domus diuidere spolia.* vxorem por- 55.

Vxor species & pulchritudo domus.

ro dici desiderabilem, seu desiderium viri sui, quod idem ferme est, quod species viri, in cuius aspectu se vir oblectat, diximus ad illud *Ezechiel. XXIV, 16. Ecce ego tollo a te desiderabile oculorum tuorum.* Alii aliter explicant. Mihi quod dixi maxime probatur. Neque homines exiguam statuunt felicitatis partem, si vxorem nanciscantur fœcundam & pulchram. Et Eliphaz, qui ex hominum sensu magis videtur, quam ex diuino afflatu locutus, hoc posuit in extremo loco, quasi cumulum honestæ & fortunatæ domus. Et statim alterum ornamentum posuit amabilis vxoris, quod mihi argumento est, priori etiam loco de alia vxoris commendatione locutum Eliphazem.

56. *Filii magnum domus ornamentum.* Vers. 25. *Et progenies tua quasi herba terræ.*] Hæc est altera vxoris commendatio a fœcunditate. Nam ab vxore honesta & pulchra, pulchra etiam oritur & numerosa soboles, quæ pars est, eaque non exigua felicitatis. Hæc etiam Dauid promittit viro, qui timet Deum: quem etiam beatum appellat *Psalm. CXXVII, 3.* in quo fœcunditatem laudat in
pag. 103. b. vxore adiunctam pulchritudini; vtrumque enim habet vitis, cui similis esse dicitur: *Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ: filii tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ.* Hoc idem, licet paulo obscurius, significatum est *Cant. VII, 2.* vbi venter sponsæ dicitur, *sicut aceruus tritici vallatus liliis.* Comparantur porro filii cum herba terræ non solum propter multitudinem, sed etiam propter speciem: herba enim viridis est, & semper accedit aliquid, quod illam exhilaret & ornet. Neque parenti optanda esset magna filiorum soboles, si illos distorto ac deformi corpore, aut ingenio stolido esse contigisset.

57. Vers. 26. *Ingredieris in abundantia sepulchrum, sicut infertur aceruus tritici in tempore suo.*] In abundantia hic ego duo intelligo: tum annorum numerum; promittitur enim Iobo vitæ diuturnitas, quasi non sit venturus in sepulcrum, nisi iam longæuus & dierum plenus. Deinde in omnium rerum abundantia, non vt tunc moriturus videbatur omnium egenus, miser sine filiis, in medio ætatis cursu. Quasi illa rerum copia, quæ illum expectabat, vbi meliorem, quam illatenus mentem assumpsisset, futura esset perpetua. Quare non infortunatus & miser, sine vllo parentali honore, sed longa iam defunctus ætate, cum celebri pompa & communi planctu descendet in sepulcrum. Suo nimirum tempore non demessus in herba, aut conculcatus ante spicam & granum, vt inauspicata aut damnata seges; sed vt triticum iam maturum & plenum, cum tempore suo conditur in horreum. Hæc homini, qui suo atque vulgari sensu rationes metitur humanas, grauissima videntur, qui non putat quemquam esse felicem, si fortunæ illum etiam in funere non comitentur, & publicus honor. Longe aliter existimat Iobus meliori sine dubio spiritu, cum dicebat *cap. XXI.* hæc, quæ nunc promittit Eliphaz, esse signa non tam eius, qui sancte & accommodate ad diuinam voluntatem, quam eius, qui vitam egit intemperanter, & suo potius studio atque libidini, quam diuinis legibus obsecutus est: vbi enumerat talia, qualia nunc audiuit ab Eliphaze: illamque fortunam ad finem vsque vitæ durasse dicit, quando honorem illi funebrem peperere. Hæc ferme eadem Dauid *Psalm. CXLIII.*

Vulgo hominum ille fortunatus creditur, qui diues moritur.

Vers. 27. *Ecce hoc, vt inuestigauimus, ita est: quod auditum mente pertracta.*] Docet 58.
hic Eliphaz, hæc neque temere, neque inconsiderate fuisse dicta; sed post longam siue experientiam, siue meditationem. Quare monet Iobum, vt conseruet in animo, neque sinat effluere; sed secum diu multumque meditetur, si vult suis rebus melius esse consultum: & quod superest vitæ sine vllo errore atque offensione peragere. LXX. sic legunt: *Tu vero scito tibi ipsi, si quid egeris.* Augustin. *in libr. Annot. in Iob* paulo aliter: *Tu vero scito teipsum.* Quasi dicat Eliphaz, vt Olympiodorus & Polychronius interpretantur, illud tibi cogitandum est, quorumnam peccatorum pœnas luas, ratioque ineunda, quemadmodum omni adhibita diligentia, diuinum numen placatum efficias.

ARGV-

ARGVMENTVM CAP. VI.

RAtionem reddit Iobus, cur tantopere doleat, affirmatque, multo leuiorem esse gemitum, quam doloris postulabat acerbitas. Quæ adeo est grauis, vt singulare putet beneficium, si mori contingat, vt vna morte, eaque perbreui, multas redimat, easque molestissimas. Quid autem mirum, si mortem optet, cum sibi ipsi in tanto dolore subuenire non possit, neque ab aliis, qui officium prodiderunt & fidem, leuamentum expectet, quibus propterea aliquid minatur acerbius. Deinde in amicis, qui aderant consolandi gratia, & fidem desiderat, & inclementiam reprehendit. Hortatur tamen, vt si quid in ipso minus æquum & prudens deprehenderint, illud sua auctoritate atque sapientia coërceant & corrigant; dummodo & illi vicissim audiant, & omnis absit ab ea disputatione pertinax & tumultuosa contentio.

CAPVT VI.

pag. 104. 1. RESpondens autem Iob, dixit:

2. Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui: & calamitas, quam patior, in statera.

3. Quasi arena maris hæc grauior appareret: vnde & verba mea dolore sunt plena:

4. Quia sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum, & terrores Domini militant contra me.

5. Numquid rugiet onager, cum habuerit herbam? aut mugiet bos, cum ante præsepe plenum steterit?

6. Aut poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum? aut potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem?

PARAPHRASIS.

1.2.3. Ad hæc Iobus: Vtinam ille meus gemitus, & interni doloris significatio, quod vos peccatum dicitis & diuini furoris irritamentum, cum dolore, quem patior, in statera poneretur, & fideli penderetur examine. Plane cognosceret, qui recte de vtroque iudicaret, longe dolore meo minorem esse gemitum: cum dolor sit omnium acerbissimus: neque expressus ab eo gemitus minimam illius partem assequatur. Quare mirum nemini videri potest, si quid oratio mea querulum resonet & amarum. pag. 104.

4. Quid enim non doleam, aut gemam, cum magna me Dominus spiculorum segete confixerit? cum spiritus, si quos ante habui constantes & viriles, vis diuinæ indignationis ebiberit, absorbueritque. Et cum hæc grauia sint, adhuc tamen Deus minetur plura, & nouo quotidie proposito terrore concutiat.

5. Cur autem neque ego quondam, neque vos modo, cum omnia suppetunt ad vsum, dignitatemque subsidia, gemueritis, nil sane mirandum; quia neque onager rugit, cum in pascuis moratur abundantibus, neque mugit bos, cum fœni satis habet in præsepio. Tolle ab vtroque pabulum, neque ille a rugitu, neque a mugitu iste querulo cessabit.

6. An quisquam in summa etiam fame comedat insulsos cibos, quos salis exigua saltem mica non condiat, aut extremis gustare labiis audeat, quod mortifero veneno delibutum, præsentem affert & acerbum interitum?

7. Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt.

7. Nauseabam prius in florente fortuna ad eos cibos, qui insuaues essent & male conditi. Nunc vero in eas angustias & inopiam redactus sum, vt hæc ipsa iam appetam, neque respuat stomachus lautioribus cibis iam pridem assuetus.

pag. 105. 8. Quis det, vt veniat petitio mea: & quod expecto, tribuat mihi Deus?

9. Et qui cœpit, ipse me conterat: soluat manum suam, & succidat me?

10. Et hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore non parcat, nec contradicam sermonibus Sancti.

8. 9. 10. Vtinam iam tandem adueniat, quod iam dudum opto, precorque, nempe vt ex hoc mortali statu decedam, ne dolori succumbam, & de Deo aliquid aut dicam, aut cogitem religiose parum. Malo enim a vita, quam a pietate depelli. Opto igitur, vt Deus omnino soluat, quam alligauit, diaboli manum, vt qui cruciare cœpit, tandem extinguat. pag. 105.

11. Quæ est enim fortitudo mea, vt sustineam? aut quis finis meus, vt patienter agam?

12. Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est.

11. 12. Quid enim non timeam, vilis & fragilis homuncio, cum tantum doloris pondus, fragilitas tanta sustinere non possit: neque prætera exploratum habeam, ad quod tempus vsque duratura sit ista vexatio? Neque enim saxorum mihi robur inest, quod magnam in concussum sustineat molem: neque caro natura mollis & infirma, æream nata est habere duritiem, quæ non se ad vastum & intolerabile pondus inflectat.

13. Ecce, non est auxilium mihi in me, & necessarii quoque mei recesserunt a me.

13. In eo sum statu, quo nihil reor excogitari posse miserandum magis: nam omnibus pene membris impeditus, & captus mihi ipsi subuenire non possum. Alii vero, qui suas mihi manus & operam præbere debuerunt, defecerunt a me. Quare neque a meipso mihi neque ab aliis opportunum aliquod subsidium expecto.

14. Qui tollit ab amico suo misericordiam, timorem Domini derelinquit.

14. Hi porro, qui amicum, cum illius dolorem, aut iuuando, aut consolando leuare debuissent, in afflictione deserunt: non tam erga amicum fidem, quam Dei timorem dereliquisse ac prodidisse existimari possunt.

15. Fratres mei præterierunt me, sicut torrens, qui raptim transit in conuallibus.

15. Fratres mei tam a me discessere festinata fuga, quam per conualles labitur torrens præcipiti cursu, qui a sublimi montium vertice delabitur. Qui cum magnam videatur vtilitatem allaturus agris, necessitatis tamen articulo repente siccatur, & vanescit.

16. Qui timent pruinam, irruet super eos nix.

16. Fugerunt illi procul a me, ne quid a meis vlceribus & pestilenti morbo dira contagione contraherent; sed accidet illis multo aliter, nam dum a contactu fugiunt laborantis amici, in Dei iram, in amicitiæ & fidei proditores inflammatam, incurrent; quod perinde est, atque si pruinam declinantes, in niuem inciderent,

quæ

quæ multo nocentior est, & ab illa minus expedita fuga.

17. Tempore, quo fuerint dissipati, peribunt: & vt incaluerit, soluentur de loco suo.

17. Vt vix, & matutinus humor in pruinam concretus, vbi sol incaluerit, liquescunt & pereunt, neque in locis, in quibus candicarunt antea, amplius inueniuntur; sic illis accidet, qui, quam potuerunt, opem amico extrema patienti non tulerunt.

18. Inuolutæ sunt semitæ gressuum eorum: ambulabunt in vacuum, & peribunt.

18. Horum prorsus infideles sunt & flexuosæ viæ, qui alia simulant fallaci vultu, alia cogitant, & tacite moliuntur. Hi autem eo viuendi modo promouebunt nihil, & tandem exitu inauspicato deficient.

19. Considerate semitas Thema, itinera Saba, & expectate paulisper.

19. Horum omnium, quæ dixi, promptum in meipso, o vos qui adestis, habetis documentum. Amicos, dum florerem, plurimos habui, in Themanitarum & Sabæorum finibus, ex quibus, qui se meos venditabant amicos, adfuerunt aut nulli, aut pauci, qui officii, aut amicitiæ gratia amicum laborantem inuiserent. Quæ illos ab hoc officio retardauerint, expediam paucis; expectate paulisper.

pag. 106. 20. Confusi sunt, quia speraui: venerunt quoque vsque ad me: & pudore cooperti sunt.

20. Quia in eo eram necessitatis articulo, in quo ab illis amicitiæ iure sperare poteram, & exigere aliquod afflictæ fortunæ leuamentum, pag. 106. *quod illi apud se statuerunt non esse concedendum, ideo continuerunt se domi, ne suarum rerum leuem aliquam facerent iacturam. Et si qui ad me ex illo tanto numero venerunt, erubuerunt, vt apparet, quia ab illis exigebat extrema necessitas, quod illis largiri non poterat esse non molestum.*

21. Nunc venistis, & modo videntes plagam meam timetis.

21. Quid mirum, si alii, aut quia sumptus in mea salute procuranda facere recusant, aut quia aliquid a pestilentis morbi contagione metuunt, non accedant, cum vos, o amici, ac viri principes, quos inter omnes sapientiæ nomen maxime commendat, a mea plaga aliquod timeatis lethale contagium, aut vestrarum facultatum in amico fouendo liberale dispendium?

22. Numquid dixi: afferte mihi, & de substantia vestra donate mihi?

23. Vel, liberate me de manu hostis, & de manu robustorum eruite me?

22. 23. Sane neque illi absentes, neque modo vos timere debuistis, ne morbus his meus diraque necessitas quicquam de vestris facultatibus exhauriret, cum nunquam a vobis neque prius in florente, neque nunc in afflicta fortuna aliquid exegerim, neque vt de vestris rebus aliquid præberetis indigenti, neque vt tunc mihi ferretis auxilium, cum viderem a robustorum armata manu, vel etiam ab hostili acie impendere periculum.

24. Docete me, & ego tacebo: & si quid forte ignoraui, instruite me.

24. Hæc ita se habent, vti a me dicta sunt: nunc iam docete, si quid est a me vnquam admissum, quod damnet religio, aut quod non probent honesti atque vrbani mores. Et me tandem instruite, quid a me exigat pietas & officium, neque me discipulum indocilem & honestæ disciplinæ repugnantem habebitis.

25. Quare detraxistis sermonibus veritatis, cum e vobis nullus sit, qui possit arguere me?

26. Ad increpandum tantum eloquia concinnatis, & in ventum verba profertis.

25. 26. Expecto a vobis verba doctrinæ, quæ eliment, corrigantque, quod in meis moribus deprauatum est. Sed quia me nemo in eo, quod modeste postulo, reprehendit ac docet, dicam ego vobis, quod in vestra hac disceptatione non probem. Primum non video, cur tanto cum stomacho, quæ a me vere & sine fuco dicuntur ac fiunt, quasi artificiose simulata reprehendatis: cum tamen nullus sit, qui de horum aliquo merito me possit arguere. Et cum consolatorum assumatis speciem & nomen, vestra tamen oratio eo videtur destinata, vt me omnino compungat & laceret. Sed est prorsus irrita & in ventum prolata, quia sibiipsi scopum fingit, quia verum non habet, in quem increpationis iaculetur spicula.

pag. 107. 27. Super pupillum irruitis, & subuertere nitimini amicum vestrum.

27. Sic in me omnes hostiliter irruitis, quasi in pupillum natura debilem, & ab omni destitutum auxilio, in id prorsus intenti, vt amicum vestrum opprimatis: quem oppressum reficere & eleuare deberetis. pag. 107.

28. Veruntamen quod cœpistis explete: præbete aurem, & videte, an mentiar.

28. Veruntamen quocumque id animo tenetis, non recuso durum & censorium examen. Quare incepta ad finem vsque perducite, ita tamen, vt mihi, quod disceptationis lex & consuetudo præscribit, non negetur respondendi facultas. quare aures diligenter aduertite, & videte, an in verbis meis aliquid resonet affine mendacio.

29. Respondete obsecro absque contentione: & loquentes id, quod iustum est, iudicate.

29. Quod si ego aliquid interdum obiiciam, aut interrogem, respondete, obsecro, sedate & amice, non tam contradicendi studio, quam veritatis cognoscendæ desiderio; ita vt omnis absit a nostra disputatione tumultuosa contentio.

30. Et non inuenietis in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia personabit.

30. Spero autem, fore, vt in lingua mea nihil appareat iniquum, quod vestra reprehendat oratio; neque in sermone stultum, quod vestra corrigat moderetur que prudentia.

---

pag. 107. a 1. INstruxerat, vt ante suspicabamur, diabolus Eliphazem, & duos eius socios, quomodo sic cum Iobo agerent, vt illum ad blasphemiam adducerent, aut ad indignationem, & impatientis animi aliquod signum prouocarent. Quare illis persuasit, in Iobo non esse veram solidamque virtutem, sed quandam virtutis laruam,

laruam, & merum fucum: cuius rei aliquod videbatur sumpsisse testimonium ex illis verbis *cap. III.* vbi Iobus videri potuit doloris impatiens maledixisse diei natali suo, & Deum appellasse minus iustum, cum grauiori damnasset supplicio, quam perpetuæ vitæ ratio commeruisset. Deinde admonuerat, vt Deum placaret, a quo ingentem illam plagam acceperat. Sic enim fieri posse, vt res aut amissas, aut male iactatas instauraret, & suis in posterum rationibus melius consuleret. His ergo Iobus respondet duobus capitibus, & docet, mirandum non esse, si homo carneus doleat, cum dolor sit eiusmodi, vt gemitum possit vel a saxis exprimere. Deinde quid de Deo sentiat edocet; vnde a se genus omne impietatis depellit.

2. *Peccata Iobi quo sensu durius quam pro meritis punita dicantur.*

Vers. 1. *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior, in statera: quasi arena maris hæc grauior appareret.*] Hic locus varie est impeditus & obscurus, neque vno modo ab autoribus expositus: ex quo quæ in reliquo capite supersunt lucem accipient, quæ & ipsa difficiles habent explicatus. Quare hic plusculum a nobis operæ ponendum est. Communis est Interpretum sententia, dixisse hoc loco Iobum, peccata sua, (quæ agnoscit non fuisse grauia) durius esse a Domino punita, quam illorum exigeret turpitudo & grauitas; ita S. Thom. Hieronymus, Greg. Beda, Caietanus, Dionysius, Hugo, Lyra, Cyprianus Cistertiensis.
pag.107.b Sed quia hæc verba non tam videntur patientis, quam insolentis animi, variis illam explicant modis. Nos duas adducemus, quæ magis videntur solutæ, & minus officiunt bonæ Iobi existimationi & nomini. Ex suppliciorum grauitate pensari vulgo solet peccatorum grauitas: quia aliter vulgare iudicium peccatorum momenta non explorat. Quod si, vt putabat Eliphaz, innocentes & recti, vt sunt a culpa liberi; sic etiam a pœnarum inflictu sunt exortes: consequens erat, vt qui grauiora patitur, grauioribus existimetur sceleribus obstrictus. Iuxta hanc cogitationem hic verborum Iobi videtur esse sensus: Vtinam spectantibus vobis delicta mea, quæ diuinum in me furorem prouocarunt, in æqua statera pensarentur. Spero enim fore, vt, vobis iudicibus, iuxta legem, quam de sontium pœnis statuistis, tantum grauitatis hoc supplicium, quod patior, habere iudicetur, vt cum arena maris, cuius infinitus est numerus & pondus, comparari possit. Quia illud supplicium, quod est omnium maximum, quæ vlla hominum memoria audita sunt, maximam peccatorum summam & grauitatem decebat. Nullum autem dolorem maiorem fuisse illo, quem sustinuit Iobus, docent Dionysius & Chrysostomus, vterque *in catena* ad illud *cap. II, 10. Si bona suscepimus de manu Domini.*

Aliter alii, qui supplicium non cum peccatorum meritis commetiuntur, sed cum eo, 3.
quod vel a lege, vel a consuetudine subeunt peccatores: licet enim peccatorum grauitatem supplicii seueritas non adæquet; tamen si leges, quæ peccatorum supplicia decernunt, aut Dei consuetudinem, quam in hac vita in peccatis castigandis plerumque seruat, intueamur, supplicium alioqui leuius, quam quod peccati fœditas exigebat, multo posset iudicari grauius, quam lex aut consuetudo po- pag.108.a
stulabat. Exemplis hoc humanis facile declarat. Damnant humanæ leges vnum peccatum infamia, aliud pecunia, aliud exilio, aliud vulgari morte, quæ non multum habet acerbitatis, quale est suspendium, detruncatio capitis: aliud cum acerbitate, qualis est crux, equuleus, rota, molesta tunica. Nullum est mortale peccatum, cuius turpitudinem cuiusuis horum satis puniat atrocitas. Imo neque hæc omnia mortalium peccatorum leuissimo satis possunt afferre supplicii. Nihilominus si iudex ebrietatis aut fornicationis reum in crucem ageret aut luxaret in equuleo, diceretur illum supra peccatorum merita punire, quia lex aut consuetudo longe minus eiusmodi peccatis supplicium decreuisset. Sic etiam, quia in hac vita Deus non solet peccata leuia, qualia in se Iobus hærere non negaret, tam diro mulctare supplicio, ideo dicit, si quis æqua penset trutina, & peccari merita, & supplicii pondus, non leuius iudicatum iri supplicium, quam est arena maris. Consuetudinem autem Dei in exigenda pœna, quasi legem quandam Iobus seu iudicium legitimum considerat.

Hæc ego, quia plurimi probant, improba- 4.
re

re non audeo. Verumtamen neque improbabilem esse puto illorum sententiam, qui hoc loco diuinam iram, seu supplicium conferri putant non cum Iobi peccatis, sed Iobi querelam ac gemitum cum dolore, quem ex dura illa excarnificina capiebat. Quasi non tantum ipse quereretur ac gemeret, quantum exigeret prouocaretque calamitatis atque doloris magnitudo. Ita sentiunt quotquot LXX. translationem sequuntur. Ab hac sententia non longe abeunt ex Græcis Chrysostomus, & Polychronius citatus ab Eugubino, & in Sixtianis scholiis ad translationem LXX. in hunc locum. Ex Latinis Eugubinus, Vatablus, Pineda. & inclinant Mariana, & Ludouicus Legionensis in scriptis: & omnino Codices Græci, qui ita legunt: *Si vero quis appendens appenderet iram meam, & dolores meos tolleret in stateram pariter*, &c. item Hebraici, qui sic ad verbum habent: *Vtinam appendendo appenderetur iracundia mea, & quicquid mali contingit in bilancibus eleuaretur simul.* Eodem prope modo Chaldæus: *Vtinam appenderetur ira mea, & conturbatio mea in statera.* Quare iuxta has translationes, *ira*, non est Dei, qua de Iobi peccatis pœnas exegit, sed Iobi ipsius, qua suum dolorem significauit verbis, quæ affectum indicabant commotum & indignatum, aut indignato similem. Porro, vt docuit Chrysostomus ad hunc locum *in catena*, *ira* idem est hoc loco, quod mœror, aut ægritudo animi. Quod item, vt habent *scholia in codices LXX.* sensit Polychronius. Hæc eadem iterat Iobus *c. XXIII, 2.* vbi plagam suam maiorem esse dicit, quam gemitus & querimonia produnt: *manus plagæ meæ aggrauata est super gemitum meum.*

Minor erat Iobi gemitus, quam doloris acerbitas.

Ira, idem quod mœror, aut ægritudo animi.

5. In hanc ego cogitationem libentius feror: quia aliter multa occurrunt in hoc capite, quæ valde sunt impedita, neque difficiles habent explicatus in ea sententia, quæ mihi videtur informari posse non difficile; quod magis in ipsa capitis commentatione constabit. Quæ mihi ratio grauissima est. Neque enim credendum est, virum tantum, maxime si hoc loco a diuino afflabatur Spiritu, (quod, meo iudicio, aliis in locis negari non potest) sine consilio, ac rerum consecutione, eo articulo, cum de re grauissima esset disputatio, locutum esse. Adde, quod nescio quomodo ab eo, qui fuerat a Deo, idque quam verissime, commendatus, longe abhorret, & iudicare sua peccata tam esse leuia, & supplicium de illis sumptum tam esse durum & exorbitans, vt non videretur graue minus, quam arenarum pondus, quæ sunt in mari.

pag. 108. b

Neque *peccati* nomen, quod Vulgatus posuit, huic cogitationi plurimum incommodat. 6. Peccatum enim non tam peccatum videri debet, quod in Iobi hæsisset animo, quam quod inesse suspicabatur Eliphaz, adductus illis Iobi verbis, quibus diei natali suo dira atque inauspicata precatus videbatur: propter quod diuinam existimabatur iram meruisse, & ipsi Iobi amici suam in illum iram & offensionem ostenderant. Ac si diceret: Vtinam ille meus gemitus, & interni doloris significatio, quod vos peccatum dicitis, & diuini furoris irritamentum, cum dolore, quem patior, in statera poneretur, & fideli penderetur examine: plane cognosceret, qui recte de vtroque iudicaret, longe minorem esse gemitum dolore, cum dolor sit omnium acerbissimus, neque minimam illius partem assequatur gemitus.

Quanta fuerit doloris magnitudo, iam ante a nobis explicatum est, & ipse satis explicat Iobus hoc & sequenti capite: & nos aliquid etiam ea de re mox. 7. Quod autem illa, quæ videtur execratio, tantum fuerit quasi dolentis interiectio, & gemitus quidam, iam ante diximus; & docet Origenes *lib. 3. in Iob: Cum ista*, inquit, *quæ non sunt, maledixerit Iob, & ea, quæ non sunt, perire voluerit, irreprehensibilis omnino in omnibus permanebat: vehementem enim dolorem deflebat absque illius molestia.* Et ipse Iobus ostendit statim, licet obscure, dum dicit, *vnde & verba mea dolore sunt plena.* Non dicit plena indignationis, execrationis, aut turbidioris alicuius affectus, sed doloris: significabat enim, quid pateretur; non quid aliis precaretur male, aut quid iniustum accepisset a Deo.

Quam grauia passus Iobus.

Aliam explicationem adduximus infra *cap. XIX, 6.* ad illud, *quia Deus non æquo iudicio afflixerit me.* 8. Vbi diximus, neque hic, neque illic Deum agere iudicem: quia neque merita appendit in statera, neque pro meritis pœnas impo-

Deus in Iobi vexatione non agit iudicem, sed examinatorem, aut patrem.

imponit, sed spectare aliquid aliud: & dum durius affligit, de illis, quos vexat, mereri benignius. Et hæc fortasse expositio commodissima est. Vide, quæ in eo loco in hanc sententiam adduximus: vbi ostendimus, Deum non agere æquo iudicio, quo merita præmiis aut suppliciis adæquat, quia non agit iudicem, neque iudicium exercet: sed agit patrem, qui ab illis, quos amat, non remouet virgam, quia studiosius excolere, & prius meritis, deinde amplioribus præmiis cumulare vult; ita putat S. Thom. infra *c. XXXIV, 5.* ad illud, *Deus subuertit iudicium meum.* Cuius verba nos ad illum locum subiecimus, quæ omnino vide.

9. Vers. 4. *Quia sagittæ Domini in me sunt.*] Causam reddit, eamque satis idoneam, cur mœrere ac lamentari debeat, cum diuinæ sagittæ infixæ sint cordi, & adhuc arcus sit intentus ad vlteriorem plagam. Sagittæ porro pro dira vexatione prouerbiali specie in Scriptura vsurpantur, cuius rei exempla sunt obuia.

pag.109. a *Sagittæ, pro dira vexatione.*

Quæ porro sint illæ sagittæ, quibus tunc confixus Iobus iacebat in stercore, explicat Chrysostomus *in catena*, ad illud *cap. II, 10. Si bona suscepimus*, vbi cum dixisset: *Licet in Iobum vndique mitterentur sagittæ, tutior ac firmior nihilominus consistebat: cumque iacula innumerabilia excepisset, nihil de animi virtute remisit: imo vero diaboli thecam refertam iaculis, omnem exhausit.* paulo post ait: *Nulla humanæ miseriæ fuit ærumna, quæ non sit in illius corpore exhausta. Principio enim, qui cuncta hæc mala vno sit eodemque tempore expertus, ex omni hominum genere nondum est quisquam repertus. Etenim si quisquam cum paupertate contendat, commoda nihilominus vtetur valetudine: Si egestate & morbo confossus sit, sæpenumero pro solatio & portu ei relinquitur coniux. Si huiusmodi careat vxore, caret etiam muliere perniciosis consiliis eum perdere conanti. Si nec huiusmodi quidem mulierem vitare potuerit, saltem cunctorum filiorum subitam extinctionem non videt. Quod si subitam, certe non ex eo genere. Quod si ex eo genere, amicos tamen habebit consolationem sibi adhibentes. Sin autem qui consolentur, haud præsto sint amici, profecto non habebit insultantes. Quod si nec insultantes quidem vitare potuerit, seruorum saltem exprobrantium conuitia non audiet. Quod si petulantia seruorum iurgia sint illi ferenda, nimirum os fœdare verebuntur. Quod si ne id quidem veriti fuerint, haud tanta erit morbi calamitate persossus. Quod si tam graui morbo fuerit exulceratus, domicilium forsitan aliquod tectumque illi non deerit, ne sedem in stercore cogatur deligere. Quod si illi in stercoribus sessio fuerit, erit fortasse manus incolumis, ne ab ea abhorreant cæteri. Quod si a manu etiam abhorruerint, non item insultabunt.* Hæc Chrysostomus.

Qualis porro morbus fuerit, idem docuit alibi sæpe. Sed *tom. 1. homil. 5. de Iob* paucis, vbi dicit, erupisse vermium fontes, & non solum corruptam esse pellem atque dilapsam, sed exesam carnem sanie putoribus plenam. Deinde excruciatum a diaboli manu, quæ multo erat immanior omni truculenta fera, multo acerbior sartaginis atque fornacis flamma. Addo ego, quod extremæ miseriæ loco ponitur, in ea dolorum officina, aut excarnificina, non illi permitti lugendi facultatem; quod extremum esse solet, & negatum non nisi paucissimis, miserorum solatium. Notum est illud & tritum, illum esse plane miserum, qui in tormentis vocem non habet. Sane apud Sophoclem Electra felicem vocat Niobem, cui lugere filiorum interitum permissum est, cum id sibi matris crudelitas negauerit. Idem dolet Octauia sibi ereptum apud Senecam *in Octauia actu 1.* Hoc autem neque Iobo per amicos licuit, a quibus, quia suam luget calamitatem, grauiter & prorsus inimice reprehenditur.

10. *Iobi qualis morbus.*

Quarum indignatio ebibit spiritum meum.] 11.
Mollitiem & spiritus muliebres videntur importuni isti atque molesti consolatores obiecisse Iobo, cum dixit Eliphaz, & in eo reliqui, *c. IV, 6. Vbi est fortitudo tua, patientia tua?* Hoc autem loco Iobus & mollitiem a se, & culpam depellit, cum ea sit doloris magnitudo, vt nisi saxea sit, & non carnea, natura sustinere non possit: & omnino diuinæ indignationis vis ebiberit & absorbuerit viriles spiritus, neque possit recusare, quin gemat, & æstuans intus atque efferuescens dolor foras despumet mœrentis animi & contribulati spiritus

pag.109. b

ritus indicia. S. Thom. sic explicat: *Indignatio me respirare non sinit, sed tota latet quidquid in me virium, aut consolationis esse poterat, sustulit.* Cui alii subscribunt. Sed quia hic querelæ suæ ac gemitus causam reddit, & opinati sumus; ideo magis puto significasse, cur ita sit locutus, quam intercluso aut interrupto spiritu non potuisse contexere sermonem.

12. Vbi Vulgatus *indignatio*, Hebraice est חמה *chamah*, quod ardorem valet, & genus quoddam veneni, quo inficiantur venatorum aut inimicorum tela, cuius ea videtur esse vis & natura, vt exugat sanguinem, & exsiccato, aut exangui corpore, mortem inducat. Septuaginta ita conuertunt: *Sagittæ Domini in corpore meo sunt, quarum furor bibit sanguinem meum: cum incepero loqui, stimulant me.* Esse autem aliquod venenum, quod sanguinem ebibat, id est, exhauriat, docent Medici, quale est in his serpentibus, quæ ideo hæmorrhoides dicuntur, quia eorum morsus omnem exhaurit sanguinem animalis. Fortasse hic indicat Iobus, iuxta translationes alias a Vulgata, sagittas illas, quas suo suscepit corpore, infectas esse veneno, quod sanguinem exhaurit, & sic spiritum debilitat & intercipit, vt formare non posset anhelata & imperfecta verba. Aut certe sagittæ dicuntur sanguinem bibere, quia mortiferæ sunt, & sanguinem effundunt, in qua animalis vita continetur. Quo sensu dixit Maro *libr. 11. Æneid.* de Camilla saucia:

Est veneni genus, quod sanguinem exugit.

Hasta sub exertam donec perlata papillam
Hæsit: virgineumque alte bibit acta cruorem.

13. Textum Hebraicum sic conuertit Pagninus: *Sagittæ fortes mecum sunt, quarum venenum bibit spiritus meus.* Tigurina: *quarum feruor ebibit spiritum meum.* Chaldæus cum Pagnino consentit. Omnes allusum esse putant ad sagittariorum consuetudinem, qui sagittas illinunt veneno mortifero. Quæ metaphora sic indicat, vulnus Iobum accepisse lethale, vt etiam ad vim mortiferam addat acerbitatis & angoris plurimum, quod secum adducunt venenata spicula. Quo consilio Scythæ tela sua venenis imbuunt, vt mortis genus multo sit acerbius. de quibus Ouidius *lib. 1. de Ponto eleg. 2.*

Qui mortis sæuo geminent vt vulnere causas,
Omnia vipereo spicula felle linunt.

Et terrores Domini militant contra me.] Additur noua, eaque grauis dolendi atque gemendi causa. Neque enim satis sibi videtur habuisse diuinus furor, vt sagittas delibutas viperino felle in ipsis defixerit præcordiis, & ita alte, vt nullo artificio ac modo eximi posse videantur. Sed adhuc noua intentat vulnera, nouas videtur sagittas intorquere. Adhuc enim militat, adhuc scopum habet certum, quo tela destinet. Neque tela desunt armato forti, neque fæx est exinanita; aut venenum, quo iterum, ac sæpius imbuat alia atque alia spicula: seu fortasse terrores Domini illi sunt, qui dormienti Iobo obiiciuntur, cui occurrunt molestissimarum rerum imagines, quæ non minus timidum atque sollicitum animum excruciant, quam corpus vermes & reliqua cruciamenta: de quibus paulo ante. Quæ in somnis Iobus passus fuerit a dæmone, qui nullum voluit esse tempus a labore vacuum, diximus supra *cap. III. in principio*, quæ alio loco commemorat Iobus, & amplificat. 14.

pag. 110. a

Vers. 5. *Nunquid rugiet onager, cum habuerit herbam; aut mugiet bos, cum ante præsepe plenum steterit?*] Hic locus mihi valde facit verisimile, quod paulo ante suspicabar, neque *in principio cap. III.* Iobum diei suo natali maledixisse, neque *hoc capite* item *in principio* sermonem esse de peccatis Iobi, quibus longe grauius existimatur impositum fuisse supplicium, quam ipsorum merita postulabant. Sed vtroque loco agi de gemitu; quo sui Iobus significavit animi dolorem. exemplo enim duorum animalium, quæ stolida, & minus quam aliorum pleraque habent intelligentiæ, docet, non esse mirandum, si bos, aut onager, cum abundant pabulo, mugitum alter, alter rugitum contineat; quasi dicat, tunc illos sonos edituros lugubres & crebros, cum vrgente fame nihil inueniant ad illam explendam, aut etiam leuandam opportunum. Quo genere sermonis fortasse apud Idumæos prouerbiali, significat nihil mirum videri, si tres amici sedato sint & æquo animo; neque vllum verbum proferant, quod desperationem aut iracundiam oleat, cum nihil illis desit siue ad vsum & dignitatem, siue ad voluptatem & delicias. Quod sane accidisset longe aliter, 15.

si

si premeret fames, & nulla pabuli suppeteret
copia, neque vlla spes in posterum ostendere-
tur. Fortasse hæc Iobus ad diuersa refert
tempora, & varios status, in quibus diuersum
longe tenuit vitæ modum. Quasi dicat:
Quid mirum, si olim, cum status esset integer
& florens fortuna, docuerim multos, & ma-
nus roborauerim lassas, & genua trementia;
& nunc, cum alia sit temporum conditio, &
plaga excruciet, premat inopia, quam antea
nunquam fueram expertus, animi mei ægri-
tudinem, & corporis dolorem gemitu & la-
16. mentatione significem? Quod idem docent
onagri, de quibus modo, qui vbi necessaria
desunt, siue ad potum, siue ad pabulum, cla-
rissima sui doloris præbent documenta. Cum
enim aquam non inueniant, rupes ascendunt,
vt ventos, qui eo loco sunt magis ad refrige-
randum opportuni, siccis attrahant faucibus.
Quorum etiam oculi, deficiente pabulo, de-
ficiunt. ita *Ierem. XIV, 6.* vbi cum famem
describeret & sitim, sic de onagro: *Et ona-
gri steterunt in rupibus, traxerunt ventum quasi
dracones: defecerunt oculi eorum, quia non
erat herba.* De onagro vide Plinium *lib. 9.
cap. 44.* Hispanica translatio antiquissima *ce-
brum* vertit.

17. Vers. 6. *Aut poterit comedi insulsum, quod
non est sale conditum: aut potest aliquis gusta-
re, quod gustatum affert mortem?*] Quædam
dolorem afferunt, quia negata, aut quia illo-
rum spes nulla reliqua: vt si quis cibo careat,
cum extrema vrgeat fames: aut cum a spe
pag. 110.b obtinendæ dignitatis exciderit, quam summo
ambibat studio. Alia cum adsunt inuito, il-
la nimirum, quæ natura horret, quæque ma-
gno studio atque contentione declinat. Qua-
le est amarum pharmacum, quod ægroto por-
rigitur, aut venenum, quod mors acerba &
festina consequitur, quale datum est Socrati,
Anaxagoræ, Therameni: quibus supplicii
loco porrectum est, quo hausto statim perie-
runt. Quare si quis eo esset deductus, vt cum
extremam pateretur famem, leuare illam non
posset: aut si inuitus cogeretur bibere e felle &
absynthio amarum, aut e cicuta aut toxico
mortiferum poculum, non in eis exclamaret,
aut gemeret? aut vbi vocem cohiberet a fle-
tu, aut a molliori aliqua querimonia, ne vi-
deretur spiritus despondisse viriles, certe graui
interius afficeretur dolore, quem proderet
aut vox abiecta & tremula, aut in vultu vario
pallidus color. Vtrumque habuit Iobus in
sua palæstra, caruit rebus ad vitam necessariis,
cum interim doloribus cruciaretur ingentibus.
Quod autem in illis angustiis porrigebatur ex-
trema patienti, eiusmodi fuit, vt non possit si-
ne nausea atque fastidio sumi; cum esset in-
sulsum, & non tam humana atque domesti-
ca, quam dæmonis manu atque artificio con-
ditum: quod quidem gustatum aut afferret
mortem, aut morti affine, aut simile fastidium.
Hæc Iobus statim pluribus exponit.

Illud, *aut comedi potest insulsum, quod non* 18.
est sale conditum? LXX. sic reddunt: *Nun-
quid potest sine sale edi panis, aut est sapor in
sermonibus vestris?* Quæ verba Olympiodo-
rus ad orationem refert, quam habuit nuper
Eliphaz: quam insulsam appellat, neque ad-
mitti posse sine fastidio, quia sale, id est, pru-
dentia condita non est, vtpote proposita tem-
pore non suo. ita hic explicat Eugubinus.
Monet autem Apostolus *Coloss. IV, 6.* *Ne* *Suo tempore*
absit a sermone sal: Sermo vester semper in gratia *a ibibenda*
sale sit conditus, vt sciatis, quomodo oporteat *correctio.*
vos vnicuique respondere.

Chaldæus aliter, atque aliter, vt est in ma- 19.
nuscriptis, quæ seruantur in bibliotheca Com-
plutensi: Primo: *Nunquid potest aliquis dice-
re verbum, in quo nulla est vtilitas, eo quod non
est, qui arguat ei? aut est gustus in re insipida?*
Secundo: *Nunquid potest comedi pulmentum
absque sale? aut est gustus in albugine oui?*
Tertio: *Sicut non potest aliquis comedere pa-
nem cum pane, quia nimirum nihil habet, quod
ad panem adhibeat; sic non est gustus in albugi-
ne vitelli oui.* Eodem ferme modo transfe- *Ouum sine*
runt recentiores Interpretes, vt Pagninus, Ti- *sale insipi-*
gurina, Montanus *in Bibliis Regiis*: nisi quod *dum.*
quidam pro albugine oui, legunt saliuam vi-
telli. Quæ idem prope valet. Hanc ego
prouerbialem dicendi formam videre mihi vi-
deor, familiarem forsitan Idumæis, qua infe-
licium hominum & miserorum conditio de-
scribitur. Quorum adeo est fortuna tenuis,
vt neque illud habeat condimentum, quod
vilissimum est, & vbique obuium, maxime
Idumæis, qui prope regiones illas habitant,

 quæ

quæ abundant sale: imo quas salis nimia copia insalubres reddit & steriles. Ad mare mortuum salinæ sunt variæ, quod etiam appellatur mare salsissimum. Quasi dicant Idumæi, illa dicendi forma non esse tolerabilem miserorum vitam, quam salis inopia describit. pag. III. a

20. Neque enim defectus salis adeo reddit ingratos cibos, vt comedi non possint. Certe Hispanus cum vult aliquem significare pauperrimum, salis hoc ipsum defectu significat: *Es tan desuentur ado, que con sal no alcanza.* Et dum vult ostendere, miserum hominem assiduis & pene continentibus incommodis vrgeri, infortunia omnia ad infelicis & pauperis domicilium amandat, quod in ouo sine sale comeso significare solet. Sic enim Hispanus: *Alla vayas mal, donde comen los huebos sin sal.* nempe quia salem non habent.

Defectus salis extremam significat inopiam.

21. Vers. 7. *Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt.*] Accommodat sibi, quæ proxime dixerat, neque insulsum cibum posse comedi, & multo minus quod ita discruciat & distorquet, vt imbutum videatur esse venenis. In priori fortuna Iobus laute viuebat & splendide, erat in condiendis cibis ars & industria: & tam in mensa, quam in tota domo, & aulicis ministris elegantia & accurata mundicies. quare si quid adduceretur immundum & insipidum, horrebat, & quasi aliquid odiosum nauseante stomacho auersabatur. Nunc contra se res habet. Nam insulsum vrgente necessitate comedit, & quod possit existimari mortiferum, non fastidit. Quid ergo mirum, si in tanta rerum diuersitate gemat?

22. Septuaginta hic aliqua mutant, & aliquid præterea addunt. Legunt namque: *Non potest non cessare ira mea: fœtorem enim video escas meas, sicut est odor leonis.* Ex prioribus verbis colligo id, quod a me supra pluribus probatum est, tam *in principio cap. III.* quam huius *cap. VI.* Quæ videri potuerunt execrationes & peccata, fuisse potius gemitus & dolorum fastidia, id enim valet *ira*, vt supra explicuimus *numero 4.* In odore leonis aliquid tetrum suboleo, quod adhæsit cibis non tam ab amica & sedula manu accurate conditis, quam in sterquilinium quasi aliquid vile sordidumque proiectis: vel ab ipsa coquorum incuria, vel a loci spurcitiis, vel certe ab ipsis Iobi manibus, quæ stillabant sanie, & aliquid tetrum & fœtulentum aspirabant. Quam porro grauis sit leonis anhelitus, quam carnibus grauem fœtorem inhalet, diximus supra *cap. III, 24.* ad illud, *Antequam comedam, suspiro:* Ait autem Chrysostomus ad hunc locum *in catena*, reliquias ciborum huius bestiæ ab aliis animantibus omnino respui, ob grauem in eas inhalatum odorem. Neque mihi displicet, quod ad hunc locum sensit Iulianus *in catena*, hunc odorem a contactu dæmonis prouenire, aut ab intolerabili ipsius anhelitu. *Hic enim*, inquit, *Deo inuisus odoris sæpenumero dicitur afflare fœditatem.* Intolerabilem porro fœtorem diabolum relinquere in eo loco, vbi aliquando stetit, & plane auernalem, historiæ sacræ docent.

Leonis halitus teter & odiosus.

Dæmon fœtentes reddebat & insulsos Iobi cibos a tactu suo, vel anhelitu.

Vers. 8. *Quis det, vt veniat petitio mea, & quod expecto tribuat mihi Deus?*] Hic etiam locus satis indicat, neque Iobum suo natali maledixisse, neque de Deo supra fuisse conquestum, quando ipse docet, quid suæ petitioni propositum fuerit: nempe, vt ex hac vita tandem excederet, in quam cogitationem ac votum non adduxit in eo dolorum ac tentationum æstu, aut impatiens animus, aut ex vexationis diuturnitate concepta desperatio; sed quia se hominem meditabatur ex carne molli fluxaque compositum, non ex ære, aut saxo, timeretque, ne dolori tanto aliquando succumberet, & in Deum aliquid alienum a religione proferret, malebat a vita, quam a religione depelli. Quare illa Iobi verba, ex quibus coniectabant alii, suggerente sine dubio diabolo, impatientem aut impium esse Iobum, illius maxime constantiam & sanctitatem commendant. 23.

Iobus, cum maledixit vitæ suæ, quid spectauerit.

pag. III. b

Vers. 9. *Et qui cœpit ipse me conterat, soluat manum suam, & succidat me.*] Hinc constat, quænam fuerit illa petitio, quam legimus *cap. III.* quæ tantas in Iobum turbas mouit. Neque enim aliud optabat, quam finire vitam, quam & tunc trahebat ægre, & violandæ religionis periculo expositam timebat. Considerabat vir hic prudens & pius, certamen sibi tunc esse cum antagonista fortissimo; neque dum in eo congressu totas exercuisse vires; imo manus quodammodo habuisse colligatas, 24.

Iobus mortem optat, ne tentationi succumbat.

ligatas, neque omnino ad inferendam plagam expeditas. Quod faciunt interdum, qui competitores suos longe superant, & viribus, & arte agonistica. Quocirca optat, vt tandem soluat atque expediat manus, vt cum vita finiat longum illud & crudele certamen. Quis scit, an Iobus odoratus sit, aut edoctus a Deo, illorum cruciatuum artificem esse dæmonem, & illius a Deo ligatam esse manum, cui in omnia Iobi bona & corpus facta est potestas; & tantum negatum, ne vitam eripiat? Sic enim ad dæmonem Deus *cap. II, 6. Ecce in manu tua est; verumtamen animam illius serua.* Cuius rei aliqualis coniectura sumitur ex *versu sequenti*, vbi inter vexatorem & Deum aliquid videtur esse discriminis, *vt affligens me dolore non parcat, ne contradicam sermonibus sancti*, id est, Dei.

Iobus videtur cognouisse, quam dominus diabolo potestatem dederit.

25. Vers. 10. *Et hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore non parcat, ne contradicam sermonibus sancti.*] Vsurpatum est sæpe, optabilem esse miseris mortem, quæ extrema existimatur malorum meta. Quam optant sæpe sancti, si modo aliter Deo visum non sit. Sic Paulus *ad Romanos VII, 24. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Et ante hunc Tobias *cap. III, 6. Et nunc, Domine, secundum voluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi spiritum meum: expedit enim mihi mori magis, quam viuere.* Non alia mihi videtur Iobi hoc loco, quam Tobiæ precatio. Vbi obseruandum maxime, quanti fecerit vir iste sanctissimus diuinam voluntatem, quando vltro vitam cum illius obseruatione commutat. imo ideo mortem optat, ne contingat sic dolorum vi impotenter abripi, vt impie aliquid contra Deum loquatur, faciatue, quod ne quis audeat a diuina lege cautum est. Illud enim est contradicere sermonibus sancti. Qui sensus alienis etiam a sana veraque religione communis fuit. Fuerunt enim, qui mori maluerunt, quam aliquo scelere maculare animam. Sic sane ex communi honestarum institutione atque ingenio dixit apud Maronem Dido *lib. 4.*

Mors quando, & quomodo optabilis.

Mori optabile magis, quam peccare.

pag. 12. a

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras,
Pallentes vmbras Erebi, noctemque profundam,
Ante, pudor, quam te violem, aut tua iura resoluam.

Quod item de se confessus est vir non omnino sanctissimus *lib. 5. de Tristibus:*

Maxima pœna mihi est, ipsum offendisse, priusquam
Venisset, mallem, funeris hora mihi.

Hic LXX. multa addunt, vnde tamen sumpserint ex Hebraico textu non video, fortasse ex glossemate aliquo, dum multorum subeunt manus & incuriam, in textum irrepserunt. Sic autem LXX. vt habemus in Sixtiano codice (neque enim omnes eodem legunt modo) *qui cœpit Dominus vulneret me; in finem autem nemo tollet. sit autem mea ciuitas sepulcrum, super cuius muros saltabam: non parcam, non mentitus sum verba sancta Dei mei.* 26.

Vers. 11. *Quæ est enim fortitudo mea, vt sustineam? aut quis finis meus, vt patienter agam?*] Rationem reddit, cur timeat, ne tentationi dolorique succumbat, & sermonibus contradicat sancti, a quibus recedere multo esset durius, quam a vita. Quia vexatio illa durissima est, quæ licet spiritu puro & inoffenso Deo sustineri possit aliquamdiu; at si diuturna sit, quis speret in ea malorum conspiratione constantiam? Neque ipse nouit, quamdiu cum morbo, cum seruorum amicorumque ludibriis, cum obscœna fame, cum summa rerum omnium indigentia certandum sit. Cumque adhuc virum se in illa palæstra præstiterit, timere tamen non immerito posset, ne fractus, aut defatigatus luctando, vel victus diaboli manu, & tandem cadat inhonesto vulnere, & quas ferendo consecutus fuerat palmas, abiecto virili spiritu, & proiecto clypeo, turpiter amittat. 27.

Vers. 12. *Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est.*] In lapide atque ære duo videmus, quæ & ferunt patienter, & repellunt constanter externos impulsus. Alterum, quia sensu carent, neque sanguinem habent, quem effundant: neque animam, quam tormentorum ictibus amittant. Deinde, quia dura sunt, neque liquescunt, aut soluuntur tabe: neque absumuntur, aut corroduntur a vermibus. At homo carneus, cuius sensus ad capiendum vndecunque dolorem 28.

In saxo atque ære constantia & robur significatur.

rem acutisſimi ſunt atque mollisſimi: quem leuisſimus quisque pulſus frangit atque debilitat; quid non timeat, maxime cum grauisſimi ſunt & continentes ictus, neque de illorum ceſſatione conſtet? Quem nunc Iobus adhibet loquendi modum ad ſignificandum indomitum robur, & pectus, quod nullus tangit aut turbat metus, aut dolor, valde familiarem habuerunt profani. Apud quos tales homines adamantini dicuntur, ferrei, ſaxei, & e ſimili materia compoſiti, qui internarum affectionum & motuum expertes ſunt: Græci χαλκεντέρους & σιδηρόφρονες vocant, id eſt, qui ærea habent præcordia & ferreas mentes, & ἐκ τῆς πέτρας ἐργασμένους, id eſt, e lapide formatos. Latini ad hanc explicandam duritiem, ſeu naturam ſenſus aut doloris expertem, iisdem pene verbis vtuntur. Apud quos frequens eſt habere æreum pectus aut in pectore ſilicem. Horatius *lib. 1. Ode 3.*

pag. 112. b *Illi robur, & æs triplex*
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commiſit pelago ratem.

Ouidius hominem durum, quique alienæ calamitatis non miſeretur, & ſcopulis dicit eſſe natum, & pectus habere ſaxeum:

Natus es e ſcopulis, nutritus lacte ferino,
Et dicam ſilices pectus habere tuum.

Tibullus vtrumque in homine molli coniunxit:

Flebis, non tua ſunt duro præcordia ferro
Vincta, neque in tenero ſtat tibi corde ſilex.

Et dum ſe Perſius negat eum ſe eſſe, qui non tangatur aut gloriæ dulcedine, aut dedecoris nota, ait, ſibi non eſſe viſcera e cornea materia:

Non ego cum ſcribo, ſi quid tamen aptius exit
Laudari metuam: neque enim mihi cornea fibra eſt.

29. Verſ. 13. *Ecce non eſt auxilium mihi in me: & neceſſarii quoque mei receſſerunt a me.*] Infortunatus appellatur, qui aliqua corporis parte captus aut truncatus eſt. Neque tamen cum eo actum videtur prorſus infeliciter, ſi alii ad ipſius commoditatem vſus præſtent, quos partes illæ, quæ deſiderantur, præſtare debuerunt. Erant hac ipſa ætate Iobi claudi, & cœci, & pauperes. Sed ideo non omnino miſeri; quia habuerunt, qui errantes ducerent, & vacillantes firmarent greſſus, & rerum indigentiam ſua liberalitate ſubleuarent. Qualis erat Iobus, qui de ſe dixit *cap. XXIX, 15. Oculus fui cœco, & pes claudo, pater eram pauperum.* Cum autem hæc omnia Iobus, & longe plura atque maiora pateretur incommoda, nullius tamen habuit adiutrices manus. Non habuit auxilium in ſe ſibi, quia manus non habuit, quibus aut pararet, aut ori admoueret cibos, quia illas habuit, & fluentes a tabe & perforatas a vermibus: non pedes, quos eadem plaga exederat, reddideratque ad inceſſum inutiles. Et, vt diximus ex Origene *cap. II, 8.* ad illud, *ſedens in ſterquilinio. Iacere non poterat, ſedere non valebat, requiem non habebat, reſumptionem non inueniebat.* Quare eodem, quo iacuit modo, quaſi truncus foret, immobilis hæſit. Quam indigeret aliena opera, qui tam hærebat egens & truncus, facile coniectare eſt. At qui manum porrigeret, nullus erat ex neceſſariis & domeſticis; quia ſibi quisque ex illius congreſſu aliquid metuebat, cum morbus ex eo genere crederetur, cuius eſt facilis & perniciosa contagio. Hic ego imaginem quandam intueor tormentorum, quæ in inferno damnati patiuntur.

Iobus ab omnibus, & a ſeipſo deſtitutus.

In Iobo imago quadam tormentorum inferni.

Verſ. 14. *Qui tollit ab amico ſuo miſericordiam, timorem Domini derelinquit.*] Senſim 30.
ſe Iobus ad amicorum reprehenſionem inſinuat. Atque ideo prius ſuorum illiberalitatem & inclementiam exaggerat, quod ab illis eo prodatur & deſeratur articulo, in quo magis illorum deſiderare poterat officium & fidem. Quare illis eandem minatur rerum viciſſitudinem, cum pietatis & beneuolentiæ officium prodiderint; timorem autem obiicit a Domino, qui ſimilium ſcelerum vltor eſt. Quem timorem illi, imo neque Deum ipſum timent, qui legem hominibus gratitudinis indidit & fidei, & illius transgreſſores abire non ſinit impunitos.

Verſ. 15. *Fratres mei præterierunt me, ſicut torrens, qui raptim tranſit in conuallibus.*] Prolixe, vt apparet, qui Iobi appellari potuere fratres, pollicebantur; ſed quam fuerat larga liberalisque promiſſio; tam cito neceſſitatis pag. 113. a 31.

tis tempore consedit: Quod optima similitudine declarat. Magno aliquando impetu ac strepitu e montium fastigiis decurrit torrens, qui in æternum fluuiorum more videtur duraturus: sed momento temporis siccatur alveus, neque vllum apparet illius abundantiæ vestigium. Est autem torrens non iugis & viua aqua, quæ scatebras & fontes habet, vnde perpetuo fluat; sed quæ ex imbre colligitur copioso, & ex niuibus tempore liquefactis, qui tunc fluere desinit, quando cessauit imber, aut defecerunt in montibus niues, aut auster, qui illas suo tempore dissoluat. Porro in torrente duo consideramus, & rapidum illius & præcipitem impetum, & breuitatem. Ab vtraque proprietate similitudo trahitur; a celeritate puto similitudinem duci *Psalm. CXXV, 4. Conuerte Domine captiuitatem nostram, sicut torrens in austro*, id est, fac Domine, vt ea celeritate populus ab exilio redeat, qua torrens, qui ad flatum austri cum impetu decurrit: impetus ille, aut præcipitata celeritas nullum affert hominibus vsum. quia neque commode agros irrigat, & domus euertit, & agricolarum sternit segetes, & expectationem illorum relinquit hiantem. De quo Maro *lib. 2. Æneid.*

Torrens inconstantiæ symbolum.

Rapidus montano flumine torrens
Sternit agros, sternit sata læta, boumque labores,
Præcipitesque trahit syluas.

32. A breuitate sumpsit similitudinem Seneca *lib. de breuitate vitæ cap. 9.* vbi docet, primum quodque vitæ tempus esse arripiendum, capiendumque vsum, quem homini præstant, alioqui periturum, & adducit illud Maronis:

Optima quæque dies miseris mortalibus æui
Prima fugit.

Quid cunctaris, inquit, *quid cessas? Nisi occupas, fugit, cum occupaueris, tamen fugiet. Itaque cum velocitate temporis vtendi celeritate certandum est, velut ex torrente rapido, nec semper casuro cito hauriendum est.* Addo ego, torrentes plerumque non esse necessarios, & interdum valde perniciosos. Sunt enim plerumque familiares hyemi, quando terra aquis abundat pluuialibus: & si quando in æstate proueniant, quando terra sitit, quia collecti decurrunt, & cum impetu nullum afferunt vsum, imo quicquid habent obuium populantur & sternunt. Optime ergo amicorum & domesticorum proditum officium, & fides cum torrente confertur, qui neque perpetuus est, cum neque fontem habeat, ex quo aqua decurrat perennis & viua, & tempore siccitatis aut omnino deficiat, aut si aquas habeat ex imbribus niuibusque collectis, illas aut perdat & demittat in flumina, aut adeo non prosint, vt potius maxima frugibus afferant detrimenta. Sic etiam hi amici, qui quo tempore omnia abundabant aquis, & petræ Iobo fundebant riuos olei, cum nihil illi deesset a fortuna, promittebant omnia; & sicut torrens cum magno impetu magnos voluebat aquarum vortices: magnis videlicet inflati promissis. Sed illa promissa atque amici statim euanuerunt; quia aqua illa non erat viua: quia non a corde manabat, vbi suum sibi caput habere atque originem debuit, sed a niuibus natura gelidis & fluxis, a propria videlicet commoditate, quam illi mercenarii amici intuebantur. Transit autem torrens in conuallibus, in locis videlicet depressis & angustis, vnde ad irrigandos agros etiam in summa siti deriuari non potest. Quare quidquid habet aquarum, sibi habet & seruat, neque ad aliorum necessarios vsus vnquam deducit.

Amici qui inutiles, & in promissis largi, comparati torrentibus.

pag. 113. b

S. Thom. aliter deducit similitudinem: eamque sumit tam a torrente, quam a viatoribus. *Loquitur*, inquit, *ad similitudinem simul in via incedentium, ac si vno cadente in foueam, alii nihilominus præcedant eo dimisso.* A torrente vero sumit inclementiam: quia sicut torrens velociter currit, neque suum intermittit præcipitem cursum, aut alio detorquet; sic amici transierunt, neque cadentem amicum respexere, neque aliquid, quo illi fauerent, de rerum suarum studio & contentione remiserunt. De his amicis est illud *Ecclesiastic. VI, 8. Est amicus secundum tempus suum, & non permanebit in die tribulationis.* Et *Prouerb. XIV, 20. etiam proximo suo pauper odiosus erit; amici vero diuitum multi.* 33.

Vers. 16. *Qui timent pruinam, irruet super eos nix.*] Ista proculdubio comminatio est in eos, quibus propter inclementiam paratum est a Domino malum; timebant amici atque dome- 34.

domestici, ne, si propius accederent ad Iobum, fœda lepra, aut alia plaga inhonesta ac dira a Domino percussi, aliquid ipsi quoque tanti mali ex incauta contagione contraherent. Atque ideo illius non tantum consuetudinem & attactum, sed etiam aspectum refugiebant. Sane vxor illius halitum horrebat, aut quia grauis erat, aut quia timebat, ne si propius accederet, illam inhalaret pestem, qua ipse laborabat. Sed dum morbum timent, iram incurrunt diuinam, quæ multo magis homini sano atque prudenti formidanda est. Has minas iterat, cum iterum suorum inclementiam amplificat *cap. XIX, 29.* Hoc porro prouerbium aliis modis a profanis & sacris Scriptoribus affertur *Amos V, 19. Quomodo si fugiat vir a facie leonis, & occurrat ei vrsus, & ingrediatur domum, & innitantur manus eius super parietem, & mordeat eum coluber.* Profani his modis explicant: *Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim.* Et, *dum fumum fugit, in flammam incidit. Dum pluuiam metuit, labitur in foueam.* inter pruinam autem, & niuem, magnum est discrimen. Nix interdum vsque adeo est alta, vt domos operiat atque obruat, quæ magnas etiam feras opprimit & extinguit; pruina ros est, qui matutino frigore concrescit, neque vllum viatori impedimentum affert, & nisi candicarent herbæ, vix intelligeres pruinam esse.

Dum minus vitatur; interdum in maius periculum incurritur.

35. Vers. 17. *Tempore, quo fuerunt dissipati, peribunt: & ut incaluerunt, soluentur de loco suo.*] Nunc ostendit, quale maneat supplicium eos, qui fidem & misericordiam prodiderunt. Et videtur ex eisdem rebus sumere similitudinem, vnde proxime sumpserat: ex torrentibus nempe, qui vix dum nati seu collecti deficiunt. Vbi primum ille aquarum globus sese ex conuallibus euoluens in planiciem expandet, momento temporis absorbetur, & deficit. Deinde a pruina & niuibus, quæ tamdiu durant, quamdiu cœlum intepuit, & ortus est sol. In calore iram & indignationem intelligo. Et sane Hebraice idem verbum חמם *chamam* indignationem importat,
pag. 114. a & calorem. Solui autem de loco suo, idem est, quod perire. Perit enim nix a calore soluta, & cum primum suum deserit locum, nix esse desinit. Et eodem modo torrens a subito imbre aut dissolutis niuibus collectus, cum de suo loco, id est, de conuallibus angustisque alueis in planiciem euoluitur, facile absorbetur a terra.

Septuaginta aliter legunt, & longe alium 36.
indicant sensum: *Qui verebantur me, nunc irruerunt super me: sicut nix, aut gelu concretum. Quemadmodum quod liquefactum est calore exorto, non cognitum est quod erat, ita & ego derelictus sum ab omnibus.* Chrysostomus *in catena* hæc de Iobo verba interpretatur, quasi ipse suam doleat vicem & subitam mutationem, qualem subit pruina, seu glacies, & nix. quæ cum eximio candore splendeant, repente tamen ad austri flatum, aut solis calorem dissoluuntur: ita vt neque locum, vbi ante fuerant, omnino cognoscas. Sic ipse prius amicis opibusque potens, domi forisque inclytus & charus, omnia repente perdidit, familiam, amicos, bonum & amabile nomen, speciem, & totum ferme corpus. Neque quicquam ferme relictum est præter miseram animam.

Hæc porro omnia, cum ad omnes amicos 37.
domesticosque pertineant, a quibus obseruatus antea, nunc autem derelictus & illusus est; præcipue tamen spectare videntur ad hosce tres amicos, qui cum magno seruulorum strepitu a suis regnis essent egressi, quasi futuri essent amico suo Iobo in illa rerum aduersitate subsidio; nihil tamen opis attulerunt. Venerunt quidem quasi torrens in strepitu & murmure, suo nomine & magnarum rerum ostentatione inflati. Sed torrens ille, qui videbatur agrum illum sitientem oppleturus fœcundaturusque, repente defecit, neque quicquam attulit præter terrores vanos & inutiles, sonitus. Et quidem cum hoc sensu non inuita faciunt, quæ sequuntur. Sed placet magis, quod principio dixi, vniuerse hic agi de omnibus, qui officium & fidem colere debuerunt, defecerunt tamen, & sensim ad tres amicos sermonem esse delapsum.

Vers. 18. *Inuolutæ sunt semitæ gressus eorum, ambulabunt in vacuum, & peribunt.*] Mille ex- 38.
positionibus patet hic locus: nos illam adducemus, quæ magis videtur expedita. Neque placent illi, qui continuari hic putant torrentis similitudinem; quia & obscuræ sunt, & parum,

parum, meo iudicio, in litteram conueniunt. Hæc aptius de amicis, qui alia simulant præ seque ferunt fallaci vultu; alia cogitant & tacite moliuntur. Inuolutæ, meo iudicio, illæ dicuntur viæ, quæ rectæ non sunt, sed varios habent flexus & anfractus, quæ cum alio videantur ferre, alio detorquent. Quales peccatorum dicuntur viæ, quæ rectis atque simplicibus opponuntur. *Prouerb. XXIIX, 18. Qui ambulat simpliciter, saluus erit; qui perversis graditur viis concidet semel.* & *Ecclesiastic.*

Via peccatoris flexuosæ & prauæ. *II, 16. Væ his, qui dereliquerunt vias rectas, & diuerterunt in vias prauas.* Et quidem לפת *laphat* declinare etiam, atque inclinare valet. Tales sunt hominum, quibus animus est infidelis & varius, ingressus & viæ; qui vt ingenio sunt serpentino & callido, sic etiam serpentium in modum vario se incedendo volumine conuoluunt & implicant. Et dum rectam videntur velle tenere viam, mutato incessu in

pag. 114. b obliquam alienamque deflectunt. Hi autem, quod proxime dixerant, neque promouebunt quicquam, & tandem misere peribunt.

Vers. 19. *Considerate semitas Theman, itinera Saba, & expectate paulisper.*)

39. Hæc etiam varie a variis explicantur. Quidam hic etiam torrentem vident inflatum illuuione subita. Cuius exemplum passim expectari putant apud Themanitas & Sabæos, qui regionem incolunt confragosam, vbi conualles plurimæ, & in his torrentes, quales nuper descripti. Ego hæc referri crederem posse commodius ad semitas, de quibus proxime, quas diximus esse inuolutas, id est, non rectas, sed sinuosas, id est, quæ varios habent flexus & anfractus, quod necesse est, vbi inæqualis est & salebris interrupta regio. Quasi dicat Iobus, in regione vestra symbolum quoddam intueor viarum, quas ingrediuntur, qui vafro sunt atque infideli ingenio. Vt enim illæ anfractus habent, multiplicesque circuitus; sic etiam hæ, quæ neque in regione plana sunt, neque rectæ, sed tortuosæ, quæque alium habent finem, ab eo, quem primum expectare videbantur. Illud *exspectate paulisper*, attentionem captat, quasi accommodare velit similitudinem, & clarius agere, ac propius cum tribus amicis.

40. Sed fortasse hæc verba non ad tres amicos solum, sed ad omnes, qui tunc aderant, qui non videntur fuisse pauci, referenda sunt. Quos attentos esse iubet, & expectare, quo superiora pertineant. Iubet primum, vt viam atque itinera Theman & Saba considerent, vnde tres hi amici profecti fuerant; in quibus viuum quoddam simulacrum inuenient eorum, quæ hactenus dicta sunt. Nam qui magno apparatu ex ea regione venerant ea specie, vt viderentur leuare, & posse, & velle Iobi miseriam & inopiam, præstitere nihil. Imo durius illum & illiberalius acceperunt, quam aliorum plerique. Itinera & semitam proprie possunt & figurate sumi: si proprie sumas, expectari aut recordari iubentur, qui præsentes aderant, vias Themanitarum & Sabæorum, id est, illorum trium Principum, quos Iobi calamitas a suis sedibus euocauerat; quos ingens hominum multitudo e regio famulatu compleuerat. Qui videbantur, qua incedebant gloria aureos polliceri montes. Sed quia rectæ non erant illorum, sed inuolutæ & flexuosæ semitæ; præstitere nihil, ipsa tantum clementium hominum specie ac simulatione contenti. Si figurate accipias, semita aut via modum significant, & institutum vitæ. Quare exemplo eorum, quæ dixerat, esse voluit Iobus Themanitarum & Sabæorum ingenium, trium nimirum Principum, qui præsentes aderant.

S. Thom. ad tres amicos refert, quibus suarum regionum exemplo ostendit, quam infir- 41.
ma atque infida sit hominum beneuolentia, quæ sua potius captat, quam amicorum commoda. Habebat autem Iobus apud Themanitas & Sabæos amicos plurimos, cum res esset integra atque florens fortuna: qui nihil non promittebant; sed illi omnes, cum audierunt a sua felicitate corruisse Iobum, continuerunt se domi, neque subire voluerunt aut viæ laborem, aut suarum facultatum, si quid exigeret Iobi necessitas, vel leue dispen- pag. 115. a
dium. Iubet igitur tres amicos, vt longe lateque prospiciant omnes vias, quæ ad Themanitas ducunt, & Sabæos, si quis per illas veniat officii atque amicitiæ gratia: quos videre non potuerunt, quia nulli sunt. Quod si causam inquiras, illa esse videtur, quia confusi sunt, id est, erubuerunt venire; cum illi

saluo pudore non possint aliquid de suo non largiri indigenti amico.

Vers. 2. *Quia speraui.*] Id est, quia in eo eram necessitatis articulo, in quo ab illis amicitiæ iure sperare poteram aliquod subsidium; quod tamen illi statuerant omnino non esse concedendum. Est autem in Scriptura vsitatum, vt illa fieri dicantur, quæ digna sunt, vt fiant, aut quæ natura exigit, vt fiant. Quomodo filius dicitur honorare patrem, quia illum honorare debet. Sic etiam sperasse dicitur Iobus, quia in illis rerum valetudinisque angustiis sperare poterat ab amicis, quod ipse illis laborantibus non inuitus impenderet.

42. *Venerunt quoque vsque ad me, & pudore cooperti sunt.*] Non defuerunt aliqui ex Themanitis & Sabæis, qui venerint salutatum, aut consolatum amicum: qui tamen erubuerunt, quia ab illis & amicitiæ lex, & humanitatis ratio aliquod exigebat morbi vitæque subsidium, quod illi tribuendum esse non putabant. In hanc ferme sententiam S. Thom. Quæ mihi valde videtur expedita & facilis, & huic omnium maxime adhæreo.

43. Vers. 21. *Nunc venistis, & modo videntes plagam meam timetis.*] Accommodate ad suam explicationem S. Thom. hæc verba ad tres amicos Iobi referri dicit. Quasi dicat Iobus, mirandum non esse, si alii erubuerint cum ipso agere familiarius, quia expendere de suo extreme laboranti recusant: cum ipsi qui longe existimantur aliis prudentiores, idem recusent, & ad illum propius accedere reformident, ne ipsis aliquid adhæreat de plaga, aut ne in curanda plaga & ægroto fouendo aliquos faciant sumptus.

44. Vers. 22. *Nunquid dixi: afferte mihi*) Quasi dicat, neque illi priores, neque modo vos timere debuistis, ne morbus hic meus duraque necessitas quicquam de vestris facultatibus exhauriret. Quare hoc etiam nomine iniurii fuerunt tam hi, quam illi, cum putarent illum velle precario viuere, & oneri esse amicis suis immoderata atque importuna petitione. Cum nunquam id, quod illiberalis existimatur ingenii, forent experti. Ne quod amicis minus insolens & inurbanum; petiit, vt contra inimicos magisque robustos suppetias ferrent, & a proposito periculo liberarent.

Vers. 24. *Docete me, & ego tacebo: & si quid forte ignoraui, instruite me*] Ostenderat supra, quemadmodum in suo gemitu nihil fuerit tam acerba reprehensione dignum, neque dolorem esse huiusmodi, vt celari vlla ratione potuerit. Nunc obsecrat, vt si quid in ipso inuenerint, quod mutatum velint, quod non admittat religio, aut non probent honesti atque vrbani mores, quam primum ostendant, doceantque, quid factum velint, pag. 115. b quid ex vsu aut suo, aut publico futurum esse censeant: neque se futurum esse indocilem dicit, aut verbum vllum contra imperata facturum, modo cum honestate & religione non pugnent. 45.

Vers. 25. *Quare detraxistis sermonibus veritatis, cum ex vobis nullus sit, qui possit arguere me.*] Audaciam Iobo & robur præbet conscientia, atque ideo libere his etiam, qui male de ipso sentiunt & loquuntur, corrigendum se & formandum permittit. Imo & ipsos arguit aduersarios, quasi nihil inuenire queant, a viro bono & officioso alienum, & audeant præterea sermonibus detrahere, quasi fallaces essent, & aliquo artificio fucati; cum tamen essent veri, atque indigni, quibus aliqua aspergatur mendacii labes. 46.

Vers. 26. *Ad increpandum tantum eloquia concinnatis: & in ventum verba profertis.*] Eliphazis oratio eiusmodi fuit, vt tantum videretur ad reprehensionem & vituperationem fuisse composita; cum tamen prius præ se tulisset consolationis speciem. Illa tamen oratio tam eleganter concinnata, tam artificiose ad institutum instructa, scopum non habuit, quem feriret, quia vitium habuit nullum, quod iure reprehenderet. Quare in ventum verba proferuntur, quia irritæ sunt illæ petitiones; quemadmodum irrito conatu aliquis aërem verberaret, ex quo nihil assequeretur, præter lassitudinem & vulgare ludibrium. Id enim valet dictum illud prouerbiale: *in ventum verba iactare, seu proferre, aut aërem verberare.* Neque magis verberat innocentem maledicta lingua, quam stulti gladiatores feriunt aërem, qui neque sanguinem habet, quem effundat, neque spiritum vitæ, quem amittat; imo neque eiusmodi corpus, quod ictum sentiat, aut etiam excipiat. 47.

Vers. 27.

48. Vers. 27. *Super pupillum irruitis, & subuertere nitimini amicum vestrum.*] Hic nota subauditur similitudinis. Quasi dicat, perinde ac si essem pusillus, natura debilis, & ab auxilio nudus, quique referire neque audeam, neque possim, sic in me omnes impotenter irruitis, in id prorsus intenti, vt amicum vestrum, quem leuare potius deberetis, opprimatis. Illud *super pupillum*, prouerbium subolet, quo significamus, illum ad mortem, seu ignominiam appeti, qui vel ad ruinam pronus est, aut in quo oppugnando nullum subest periculum. Hoc idem alio prouerbio explicuit Dauid *Psalm. LXI, 4. Quousque irruitis in hominem, interficitis vniversi vos, tanquam parieti inclinato, & maceriæ depulsæ.*

Vers. 28. *Veruntamen quod cœpistis explete.*] Nihilominus non recusat Iobus censorium illud examen, neque timet linguas quantumvis acutas & liberas. Atque ideo iubet, vt quod instituerunt persequantur. Veruntamen orat, sibi prius respondere vt liceat: deinde videant, an in verbis suis aliquid deprehendant, quod mendacium suboleat. Quod sperat vel apud iniquos iudices consecuturum se facile. Quod ad finem vsque capitis persequitur adeo aperte, vt nostra explicatione non egeat. 49. *Prouerbium super pupillum irruere.*

ARGVMENTVM CAP. VII.

Docilem se discipulum Iobus futurum esse promiserat Eliphaz, quare admittit, & repetit duo, quæ *cap. V.* docuerat Eliphaz: quæ præcipua suæ disputationis fundamenta locauerat; nempe hominem ad laborem esse natum, & a Deo solo sperandum esse doloris aut vexationis leuamentum. Priorem partem admittit & amplificat, dum hominis vitam cum militia comparat, quod in seipso expertum se esse dicit: & suos dolores eam ob caussam profert & exaggerat. Deinde precatur Deum iuxta datum ab Eliphaz consilium, sui vt misereatur. Quod vt a Deo facilius exoret, suam tenuitatem & vilitatem proponit: ac tandem rogat, vt quando vita breuis est, non committat, vt in exiguo illo tempore, quod est ad mortem reliquum, sic a doloribus anguste & continenter vrgeat, vt nullus relinquatur locus aut facultas respirandi. Et quamprimum aut remoueat, aut remittat manum eousque grauem, ne quod orat ac sperat beneficium, mors anteuertat.

CAPVT VII.

pag. 116. 1. Militia est vita hominis super terram: & sicut dies mercenarii, dies eius.

2. Sicut seruus desiderat vmbram, & sicut mercenarius præstolatur finem operis sui:

PARAPHRASIS.

1. Promisi vobis, o amici, & tibi præsertim, o Eliphaz, me docilem futurum esse discipulum, quod iam facere aggredior; dixisti, hominem natum ad laborem, & ab vno Deo sperari debere libertatem: hoc ipsum ego lubens confiteor, & quod ad priorem partem spectat, dico hominum vitam militari instituto videri quam simillimam, aut illius labori, qui suam alteri locat operam mercenariam. pag. 116.

2.3. Sicut is, qui a duro atque moroso domino in ipso æstatis ardore intolerabili seruitute premitur, vmbram desiderat, quæ æstuantem refrigeret: & sicut qui ad diurnum laborem mercede conducitur, cui non permittitur pars

3. Sic & ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumeraui mihi.

vlla diei a labore vacua, finem desiderat diurni laboris, & pensi; sic ego diebus ac noctibus, in quibus non mitius exercebar, quam mercenarii ac serui, quietem aliquam tanquam mercedem & vmbram desidero: quam quia non inuenio, dies me ac noctes laboriosas, & a mercede vacuas habuisse puto.

4. Si dormiero, dicam: Quando consurgam? & rursum expectabo vesperam, & replebor doloribus vsque ad tenebras.

4. Cum nox aduenerit, & somni tempus, in quo alii a mœrore & morbo leuari solent, adeo non reficior a diurna molestia, vt rursum diem lucemque desiderem, quæ sic mihi illucescit amara, vt rursus habeam noctem in votis. Denique lassæ menti nihil affert hæc temporum optata vicissitudo.

5. Induta est caro mea putredine & sordibus pulueris, cutis mea aruit, & contracta est.

5. Induta est caro mea squammoso quodam tegumento, e sanie videlicet concreta, aut crustis, quæ ex humore putri inoleuere corpori; quæ tandem in obscœnum puluerem denique soluuntur. cum autem sanguis & humores alii, imo & caro ipsa verteretur in saniem, necesse est, vt extensa prius contraheretur & aresceret cutis.

pag. 117. 6. Dies mei velocius transierunt quam a texente tela succiditur, & consumpti sunt absque vlla spe.

6. Eo redactus sum, vt iam actum esse putem de vita mea; cui vis nulla naturæ medicinam afferet salutarem. Quare de retinenda vita distinenda morte iam omnino despero, transiisse itaque meditor vitam meam, & ea celeritate præcidendam, qua ab artifice temporis momento in ipso loco, vbi contexta fuerat, tela succiditur. pag. 117.

7. Memento, quia ventus est vita mea, & non reuertetur oculus meus, vt videat bona.

7. Quare, o Domine, momento vitam meam similem esse vento, qui & tenuis est, & ingenti velocitate mouetur: neque vt primum excesserit, ad illa reuertetur bona, quæ semel amisit.

8. Nec aspiciet me visus hominis: oculi tui in me, & non subsistam.

8. Iam prope est, vt inter viuos esse desinam, neque vllus hominum amplius me videat. Quod si tuos oculos diu in me conuertere distuleris, non inuenies, in quem tuam liberalitatem & clementiam ostendas; iam enim, vt sese mihi dant tempora, e viuis abiero.

9. Sicut consumitur nubes, & pertransit: sic qui descenderit ad inferos, non ascendet.

10. Nec reuertetur vltra in domum suam, neque cognoscet eum amplius locus eius.

9. 10. Redeo iam ad interrupta; & sicut dixi vitam meam similem esse vento, sic nunc dico similem esse nubi: quæ sicut breui ex humido terræ vapore concrescit, sic etiam breui dissipatur & soluitur, & suum cursum & vitam momento temporis absoluit, neque ad locum, quem reliquit, rursus ascendit. Sic etiam qui esse desiit, & sepulcro mandatur, ad vitam, qua iam est defunctus, non redibit amplius.

11. Qua

11. Quapropter & ego non parcam ori meo, loquar in tribulatione spiritus mei: confabulabor cum amaritudine animæ meæ.

12. Nunquid mare ego sum, aut cetus, quia circumdedisti me carcere?

13. Si dixero: Consolabitur me lectulus meus, & releuabor loquens mecum in strato meo:

14. Terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties.

15. Quam ob rem elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea.

pag. 118. 16. Desperaui, nequaquam vltra iam viuam: parce mihi, nihil enim sunt dies mei.

17. Quid est homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?

18. Visitas eum diluculo, & subito probas illum:

19. Vsquequo non parcis mihi, nec dimittis me, vt glutiam saliuam meam?

11. Quapropter cum spatium, quod superest vitæ, exiguum sit, & ad geminandas preces instimulent spiritus afflictio, ægritudo animi, vis doloris maxima, alloquar Deum, neque aliquam exigui temporis partem inertem esse sinam.

12. Iam tandem tecum loquar, o Domine, & meam apud te causam disceptabo. Quid ita me, Domine, malis circumdas, & quasi quibusdam vinculis constringis & cohibes, vt extricare me, aut commouere non possim. An ego mare sum, cui ripæ obiiciantur & claustra, ne effusum extra suos fines terras obruat & inutiles reddat; aut bellua immanis & ferox, quæ ne aliis exitio sit, ferreis arcetur vinculis, aut caueis includitur?

13. 14. Sic in hac dolorum excarnificina afficior, vt nullum habeam tempus a dolore vacuum: si enim in meo qualicumque lectulo decumbere voluero, mihi ipsi pollicitus quietem & otium, cum post longas vigilias somnus obrepit, occurrunt illico horribiles tristissimarum rerum imagines, quæ multo magis torquent somno captum, quam vermes & vlcera solutum.

15. Quamobrem cum noui subinde succrescerent dolores, neque vlla ex parte sese ostenderet illorum leuamentum, remedium sese mihi offerebat a laqueo; aut ab alio mortis genere, qua nihil mihi magis videbatur optabile.

16. Abieci omnem viuendi spem, quia tanto pag. 118.
malo non video adhiberi posse medicinam. Quare, o Domine, quando recusari non potest, quin breui hac mortali vita defungar, parcius, obsecro, & clementius percute, & stimulos tempera heu nimium hactenus acutos, vt pacifice moriar; quod extremum est in hoc mortali statu beneficium.

17. 18. Quid tantum est homo, ex vili materia futilique compositus, vt animum tuum, siue ad magnificandum & ornandum, siue ad spoliandum & perdendum aduertas. An ideo matutino tempore extulisti, vt vespertino deiiceres! vix dum illum locupletasti, cum euertis; vix dum cumulasti bonis & ornasti, cum spolias & reddis indecorum.

19. Quamdiu, o Domine, durabit hæc continens & perpetua probatio? nunquam ne in me cruciando parcam adhibebis atque remissam manum? siccine vrgebis continenter & anguste, vt nullum relinquas respirandi, aut saliuæ transglutiendæ locum.

20. Peccaui, quid faciam tibi, o custos hominum? quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi grauis?

20. Si in hoc equuleo duraque quæstione confessionem a me extorquere vis, habes confitentem reum. Peccaui, fateor. Sed, o hominum explorator, & custos, qui cuncta vides, & humanis rebus tam prouidus & sedulus inuigilas; quo te modo ac victima placari vis? Quid vltra a me petis, quem vniuersis bonis exuisti, quemque tibi quasi scopum proposuisse videris, in quem omnia spicula destinato vibrares? En eo redactus sum saniosus & putridus, vt non aliis solum molestus sim & inuisus, sed & meiipsius fœtentem halitum & horribilem speciem sustinere non possim.

21. Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam? ecce, nunc in puluere dormiam, & si mane me quæsieris, non subsistam.

21. Cur ergo non a me remoues, aut remittis modice, aut paulisper suspendis vltricem atque seueram manum! Instare mihi meditor extremum diem. Quare si protrahere pergis miserendi tempus, quem a labore recrees, aut alio clementiæ tuæ beneficio prosequare, non inuenies: quia opus illud mors anteuertet.

Vers. 1. *Militia est vita hominis super terram.*]

pag. 118. a 1. NOn est facile, hoc caput apte cum superiore contexere. In quo laborant multi, neque eodem omnes modo sentiunt. Chrys. *in catena* illud Iobi in *hoc cap.* institutum esse putat, vt seipsum ab Eliphazis calumnia, siue errore defendat; quo putabat Iobum propter sua peccata a Deo tam vehementer affligi. Quod ea ratione refellit, quia id omnibus hominibus commune est, & ab ipsa haustum natura, vt assiduis conflictentur incommodis, neque
pag. 118. b quietem habeant vllam, aut cessationem a laboribus, nisi in morte. S. Thomas aliam partem orationis Eliphazis confutari putat, qui *c. V*, *a versu 20.* in hac vita homini Deum timenti felicitatem promittit, & vacuitatem a labore. Quod confutat Iobus ea ratione: quia felicitas hæc, quæ ab Eliphaze commendatur, in hoc ærumnoso statu mortali homini contingere non potest. Cuius vita militiæ perpetuoque labori ad extremum vsque diem damnata est.

2. Sunt, qui velint, in suo adhuc consilio per-
pag. 119. a stare Iobum; atque ostendere, merito se dolere ac gemere, cum grauiora sustineat quam exigit doloris acerbitas. Quam militiæ similitudine declarat, in qua nullum tempus a metu, seu periculo vacuum; & seruorum, quos dure exercet herus, & labore defungi desiderat, & mercedem accipere operæ locatæ.

Ego alium modum suspicabar inueniendi 3.
filum, de quo statuet lector. In primis videbam, Iobum præbuisse se docilem amicorum doctrinæ, a qua informari voluit; & si quid peccasset, paratum se esse mutare sententiam. Hoc vero significauit proxime *c. VI, 24. Docete me, & ego tacebo, & si quid forte ignoraui, instruite me.* Vt vero animi doctrinæ veræ ac sanæ auidi documentum aliquod præberet; repetit illa, quæ ab Eliphaze audierat *cap. V.* in quo duo præsertim ostenderat, quæ negare Iobus nulla ratione poterat. Alterum est, homini non minus esse laborem naturalem, quam volucri volatum. Alterum, quietem & otium impetrandum a Deo, qui vnus potest huic naturæ morbo aut damnationi afferre medicinam. Sic enim ibi *vers. 7.* & *8. Homo nascitur ad laborem, & auis ad volandum: quamobrem ego deprecabor Dominum.* Hæc duo negare non poterat Iobus. Atque ideo sicut bonus humilisque discipulus libenter accipit tenetque doctrinam. Quam hoc loco repe-

repetit, & amplificat. Continet igitur hoc caput illa duo, quæ proxime a nobis proposita sunt, quod homo natus sit ad laborem, *a principio* capitis *ad versum. 7.* vbi suam Domino tenuitatem infirmitatemque proponit; & cum iterum suum dolorem atque ærumosum statum explicaret, iterum consurgit in preces, & a Deo suorum dolorum leuamentum & peccatorum veniam precatur. Nihil aliud recte præcepisse videtur Eliphaz. Quod & nunc admittit Iobus, & reipsa atque opere sibi placuisse demonstrat.

4. *Militia est vita hominis super terram.*] Dixerat Eliphaz *cap. V, 7.* hominem ad laborem esse natum. Iobus aliquid addidit, nempe laborem illum, cui sua hominem alligauit fortuna, esse durissimum. Quod tribus explicat similitudinibus. Prima sumpta est a militia, in qua omnia sunt dura, siue initium illius instituti, siue progressum, omne denique illius ministerium, vsumque consideres. Neque solum belli tempore, & in ipso congressu periculum & labor; sed etiam pacis atque quietis tempore, in quo cessare turpe est, neque a duce permissum. De quo tempore Claudianus ex veteri disciplina *lib. 4. de Honorii Consulatu:*

Militia laboris plena.

Si bella tonant, prius agmina duris
Exerce studiis, & sæuo præstrue Marti.
Non brumæ requies, non hibernacula segnes
Eneruent torpore manus.

5. Qua de re autores de re militari multa. Vide Flauium Vegetium *lib. 2. cap. 23.* Quid in militari incessu subeant milites, quod sustineant onus, docuit Cicero *lib. 2. Tusculan. Nostri exercitus, vnde nomen habeant, vides. Deinde qui labor, quantus agminis, ferre plus dimidii mensis cibaria, ferre si quid ad vsum velint, ferre vallum. Nam scutum, gladium, galeam in onere nostri milites non plus numerant, quam humeros, lacertos, manus, arma etiam membra milites esse ducunt.* Dum amantium studia Ouidius describit a militum similitudine, qualis sit militum labor, optime declarat. Sic autem *lib. 2. de arte:*

pag. 119. b

Militiæ species amor est: discedite segnes,
Nec sunt hac timidis signa tuenda viris.
Nox, & hyems, longæque viæ, sæuique labores,
Mollibus his castris, & dolor omnis inest.
Sæpe feres imbrem cœlesti nube solutum,
Frigidus in nuda sæpe iacebis humo.

Idem *libr. 2.*

Militat omnis amans, & habet sua castra Cupido.
Attice, crede mihi, militat omnis amans.
Quis nisi vel miles, vel amans, & frigora noctis,
Et denso mixtas perferet imbre niues?

Quid porro in ipso congressu patiantur milites, quis non videt? quid timeant, quomodo mors vbique oculis occurset, quomodo interdum suorum conspergantur sanguine: quomodo, vt dixit ille,

Crudelis vbique
Luctus, vbique pauor, & plurima mortis imago.

Septuaginta pro *militia*, reddidere *tentatio*, quæ non minus significanter explicat humanæ vitæ casus atque discrimina, quam militiæ nomen. Quasi diceret: habere hominem in hoc mortali statu, quo ipsius exploretur virtus atque constantia: perinde atque aurum, quod nunquam extraheretur e fornace, vbi ipsius nitor probaretur & pretium. Ille autem, qui cum laboribus conflictatur aut mala fortuna, militare dicitur. Sic Iobus ipse *cap. XIV, 14. Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto, donec veniat immutatio mea.* Et *cap. VI, 4. Terrores*, inquit, *Domini militant contra me.* 6.

Et sicut dies mercenarii dies eius, sicut seruus &c.] Qui diurnam alteri locauit operam, non permittitur a conductore partem habere vllam a labore vacuam: quia omnes horas partesque diei ipse mercede compensat. Quare desiderat solis occasum & tenebras: quia tunc nouit cessandum sibi esse a laboribus, & impensæ operæ capiendam esse mercedem. Sic etiam seruus, qui in æstu operam dedit domino suo importunam & longam, vmbram desiderat, qua ab ardente sole laborantem spiritum reficiat. Siue illa vmbra sit arboris, quæ se opponat a sole, siue terræ, id est, nox, quæ est laborantis hominis commune leuamentum. 7.

Septuaginta sic reddunt hunc locum: *tanquam seruus metuens dominum suum, & consequutus* 8.

quutus est vmbram. Quæ loca Græci Patres in catena sic exponunt, vt in vmbra noctem intelligant, quam seruus a domino suo inclementer tractatus vehementer desiderat. vt noctis benificio se a domini seruitute subducat; vt declinet minas, si quas forte intentavit dominæ morositas; aut certe seruitutem effugiat, quæ maximum existimatur malum, & libertatis aliquando intueatur lucem: quem etiam animantes rationis expertes studiose curant.

9. *Quando datur a militia vacatio.* Sicut mercenarii ac serui termini statuuntur, aut opportuna tempora, horum seruitutis, illorum mercedis; sic militiæ aliquis potuit definire tempus, quo qui nomen suum dedit, ab illorum molestiis vacationem consequeretur. pag. 120. a Sunt autem duo tempora, quæ milites habent a bellando libera; alterum est hyemale, in quo in hybernis agunt, licet non omnino otiosi, quia variis se exercent modis, iisque interdum duris, quo magis ad aciem veniant instructi ac vegeti. Quod omnibus pene nationibus commune fuit (licet aliquando legamus, maxima fuisse commissa bella hyemali tempore, imo supra flumina hyberno frigore concreta) sane tunc suscipi, aut continuare bella, cum aperuit se tempus, & cœlum intepuit, apud Hebræos habemus ex *2. Reg XI, 1. Factum est autem, vertente anno* (id est, redeunte vere) *eo tempore, quo solent Reges ad bella procedere.* Quam ob causam eo tempore aut indicantur, aut instaurentur bella, diximus in *nostris Commentariis* ad illum locum *2. Reg.*

10. *Quæ ætas militiæ idonea.* Alia est vacatio a bello, quæ accidit ex concesso a natura & lege priuilegio: neque enim humanum est, vt quis in ætate senili, & ferendis belli molestiis minus idonea, cogatur arma sumere, & iuuenile pondus lassatis atque attritis humeris sustinere. Quæ ætas militi immunitatem a bellando concederet, tradunt omnes ferme, qui de re militari præcepta tradidere. De Romanis vide Gellium *libr. 10. cap. 18* Liuium *lib. 25.* Senecam *cap. vltimo de breuitate vitæ.* Et his quidam a militia soluunt eum, qui annum quadragesimum sextum impleuit. Sed communiter autores annum constituunt quinquagesimum, qui militiæ pondus legitimo termino definiat. Et in his est Seneca supra: *lex*, inquit, *a quinquagesimo anno militem non cogit.* Censorinus *de die natali cap. 14.* ait, *ad annos 45. homines appellari iuuenes, eo quod Rempublicam in re militari possint iuuare.* Macrobius *libr. 1. in somnium Scipionis* tradit, in quibusdam locis immunitatem a bello præstari anno ætatis 42. in aliis 49. *Nonnullarum*, inquit, *Rerumpublicarum mos est, vt post sextam ad militiam nemo cogatur: in pluribus datur remissio iuxta post septimam.* Per sextam & septimam hebdomadas annorum intelligit, in quibus septem numerabantur anni. Vide quomodo apud profanos hebdomades numerentur annorum, sicut apud Danielem *c. IX.*

Hic annorum numerus externos vindicat a bellorum molestia. Neque longe ab hoc numero abeunt Hebræi: qui a vigesimo ætatis anno suos ad bella conscribunt; quinquagesimo quinto liberant. Vt autem Iobus suum laborem cum militia comparat, sic etiam vellet ab illa sua metaphorica militia habere cessationem. 11.

Vers. 3. *Sic & ego habui menses vacuos.*] Vacuum appellamus laborem, quem nullus sequitur fructus. Vacuum tempus, quod nullam nobis vtilitatem peperit. Vacuus conatus, qui hominem hiantem relinquit, neque mercedis compotem, quam optabat. Loquitur autem Iobus de illa mercede, quam humani vident oculi, & capiunt sensus, qualis est otium, & requies a labore, & illa, quæ ab hominibus, qui humana captant commoda, numerantur in bonis. Habuit itaque menses vacuos, quia nihil toto mense reperit eorum, quæ cupiebat, cum dolor nihil de sua acerbitate remitteret, sed magis atque magis in singulos dies augeretur. Habuit dies & noctes laboriosas & vacuas, quia cum die premeretur, expectabat noctem, quasi in illa habiturus doloris laxamentum, sed frustra: angebatur nocte, & optabat lucem, quasi cum tenebris excessura esset cordis ægritudo. Sed vtrumque tempus habuit omnino vacuum; quia vacua fuerunt ab euentu vota, & desideria assiduis incitata doloribus. 12. *Vacuus labor & tempus quid.* pag. 120. b

Noctes laboriosas enumeraui mihi.] Solent, qui in dolore sunt, aut quos bonorum expectatio solicitat, non solum menses & dies, sed singulas etiam horas numerare. Sane ita putabat, 13. *Horas numerant, qui in labore, aut expectatione sunt.*

tabat, aut iuxta hominum exploratum morem loquebatur Tobias iunior de parentum suorum angore sollicitus. *Tobiæ X, 9. Ego noui, quia pater meus, & mater mea, modo dies computant, & cruciatur spiritus eorum in ipsis.* Hoc ipsum in amantibus ex illorum ingenio expressit Ouidius *epistol. 2. Heroum:*

Tempora si numeres, bene quæ numeramus amantes,
Non venit ante suum nostra querela diem.

Et experientia quotidiana didicimus, ægrotos numerare horas, quæ nimium videntur esse lentæ; quæ noctes, quia laboriosæ sunt, longissimæ videntur: sicut etiam quæ optamus, gressu videntur incedere tardissimo; quia nostram expectationem cum dolore suspendunt. Cum igitur aliquid haberet Iobus, quod horreret valde, quia ab illo discruciabatur vehementer; aliquid item, quod vehementer optaret, quietem nimirum a laboribus; numerabat horas, quasi in illorum fine suorum votorum summam statuisset.

14. Vers. 4. *Si dormiero, dicam, quando consurgam, & rursus expectabo vesperam.*] Explicatio est eorum, quæ nuper dicebamus, & cur noctes & dies habuerit laboriosos & vacuos, optabat lucem Iobus, cum esset in tenebris, quasi in pennis solis ventura foret salus. Et cum ventum tandem esset ad lucem, ad tenebras redire cupiebat. Sed laxamenti nihil ferebat hæc temporum vicissitudo. Hic loquendi modus continuatam indicat calamitatem. Quo vsi sunt etiam profani, cum nullum sibi tempus significare volunt a dolore vacuum. Sic Ouidius *in Ibin:*

Nec corpus querulo, nec mens vacet ægra dolore,
Noxque die grauior sit tibi, nocte dies.

Et Tibullus *lib. 2. eleg.*

Nunc & amara dies, & noctis amarior vmbra,
Omnia nam tristi tempora felle madent.

15. *Leprosi species.* Vers. 5. *Inducta est caro mea putredine, & sordibus pulueris cutis mea aruit, & contracta est.*] Proponitur, opinor, externa corporis species, & quasi proprium, & in eo statu naturale carnis integumentum. Illud vero putredo est, quasi squamosa cutis e concreta sanie, aut ex pustulis, quæ ex humore putri inoleuere corpori. Has vero pustulas, seu crustas sordes appellat pulueris, quia aut facile soluuntur in puluerem, aut quia speciem habent pulueris in lutum contracti prius, deinde arefacti calore. Pulueres autem illi ex squamis aut pustulis furfures a Medicis appellantur. Illæ porro squamæ albæ sunt, vnde leprosi hominis membra candore probantur, *Leuit. XIII.* Et cum Maria lepra percussa fuit, apparuit candens quasi nix, *Numer. XII, 10.* Cum autem sanguis, & humores alii verterentur in saniem, & carnes innati vermes corro- pag. 121. a
dendo consumerent, necesse est, vt extensa prius contraheretur cutis, & cum non esset a naturali irrigata succo, prorsus aresceret, & simul pustulæ e sanie contractæ in furfuraceos pulueres ipsa quoque cutis verteretur.

Septuaginta aliter legunt: *Conspergitur cor-* 16. *Mirum de Iobi sanie.*
pus meum in putredine vermium: in fundo autem glebas terræ a sanie radens. Paulo aliter habet in catena LXX. translatio: *maceratur autem corpus meum in putredine vermium: liquefacio autem glebas terræ de sanie radens.* Priorem lectionem sic exponit Eugubinus, vt Iobus scalpendo lacerum atque squamosum corpus glebas videatur e corpore detrahere. Quasi dicat, crustas e sanie concretas, aut carnis frusta, quæ putria cadunt, seu eraduntur e corpore, esse similes terræ glebis. Quæ explicatio apte cum Vulgata translatione consentit; quæ sordes appellat pulueris & putredinem, quæ hic saniosæ dicuntur glebæ.

Posteriorem lectionem sic explicant Græci 17.
Patres *in Catena.* Chrysostomus ait, tanta Iobum inopia atque ærumna laborare, vt non amplius testa, sed gleba abstergere saniem cogeretur. Olympiodorus: *Nunc*, inquit, *Iobus, sator & procreator sum vermium, qui meum corpus absumunt. Quem autem tabificum profundo cruorem, adeo vim habet immanem, vt si quando me forte testa defecit, ad excipiendam saniem terræ glebas adhibere voluero, vel ipsas glebas liquefaciat.* Polychronius: *Corpus suum non solum a vermibus exedi cernebat, verum etiam illud ipse sumpta testa perfricabat, sibique erat ipse carnifex; & glebas liquabat, neque poterat terra liquentem tabem sustinere. Verum tanta lues erat, & corporis vniuersi corruptio, vt multa sanie glebas*

molli-

molliret atque dissolueret. Quæ quidem humore illo perfusæ cœnum imitabantur. Ita non ægrotanti modo, sed expectantibus etiam erat morbus ipse intolerabilis.

18. Vers. 6. *Dies mei velocius transierunt, quam a texente tela succiditur.*] Desperauerat iam, vt apparet, Iobus, de vita sua: neque enim putabat, vim esse tantam in aliqua naturali medicina, vt corpus sanaret sic affectum, aut reficere posset, quod illæ vermium scatebræ & dira lues exhausissent. Quare quasi iam actum esset de vita sua, ait, suos dies iam esse tranasctos, idque ea festinatione, qua a texente tela perficitur. Est autem comparatio perquam apta. Vt enim tela additis aliis atque aliis filis contexitur & crescit, & cum ad extremum producta est, tandem succiditur, neque multum temporis ab exordio ad finem interiectum est: sic hominum vita, dum diebus dies identidem accedunt sine vlla intermissione, producitur, & cum ultimus aduenit dies, & quasi extremum attexitur filum, tandem absoluitur. Succidi telam idem est, quod est absolui. Nam statim atque opus finitum est ab ἐργαλείῳ ὑφαντικῷ, id est, ab instrumento textorio, tela succiditur. Vt ergo textor orditur telam, quam breui ad finem vsque deducit; sic homo ex quo vitam ordiri cœpit, breuiter absoluit. Eadem qua Iobus vsus est metaphora Rex Ezechias *Isaiæ XXXIIX, 12.* dum de suæ vitæ breuitate queritur: *Præcisa est velut a texente vita mea, dum adhuc ordirer succidit me.* Vbi Vulgatus, *quam a texente tela succiditur.* Hebr. est מני ארג *mini ereg*, id est, quam radius textorius. Est autem radius lignum illud concauum, quod sæpe transmeans filum deducit. Radius autem ille nunquam consistit, sed veloci & facili traiectione tramam deducit, & opus absoluit. Radium cum cœlorum diurna circuitione confero: nam ut ille hominum dies efficit & numerat; sic etiam radius fila transmittit ac numerat, & denique mora non longa definitum vitæ terminum absoluit.

Tela dum texitur humanæ vitæ symbolum.

pag. 121. b

19. *Et consumpti sunt absque vlla spe.*] Iam vitam suam, sicut se res tunc habebat, exactam putabat, neque sperabat fore, vt vires assumeret, aut corpus, quod perdiderat. Quo videtur respondere verbis Eliphazis, qui omnino promittebat secunda, & multis gradibus meliora, si peccatum agnosceret suum, & veniam precatus se totum ad Dominum ex animo conuerteret. Admittit alterum, nempe, vt oret Deum, suamque illi causam & tutelam commendet. quod fecerat tota vita diligenter, de aliis aut nihil, aut modicum laborat, quia iam se in viuis non putabat amplius numerandum.

Vers. 7. *Memento, quia ventus est vita mea.*] 20.
Iam docilis discipulus, quod a suo magistro Eliphaze didicerat, se admisisse declarat, & reipsa confirmat. Orat enim Deum, suamque illi tenuitatem & infirmitatem ostendit. Primum docet, suam vitam esse vento quam simillimam, id est, tenuem, quæque cito fugit, neque vbi excessit semel, naturæ viribus reuocatur. Dum venti instar dicitur esse vita, fugax omnino dicitur, & quæ cito suam periodum & cursum peragit. Notum est, in vento tam apud profanos, quam apud sacros Scriptores velocitatem indicari. De profanis est illud Horatii *lib. 2. Carminum ode 16.*

Vitæ velocitas vento similis.

Ocyor ventis, & agente nimbos
Ocyor Euro.

Virgil. *lib. 5. Æneid.*

Emicat & ventis, & fulminis ocyor alis.

Et iterum *lib. 12.*

Ne fuga subsidio subeat, fugit ocyor Euro. 21.

Apud sacros sæpe comparatio e ventis sumitur ad explicandam celeritatem, & ideo ventis attribuuntur pennæ, & Deus in illis insidere dicitur; quia omnia cursu quam celerrimo lustrat. *Psalm. XVII, 11. Ascendit super Cherubim: volauit super pennas ventorum.* Vide, quæ nos ea de re *in nostris Commentariis in 2. Reg. XXII.* Velocitas præterea angelorum in spiritu, id est, vento significatur. *Psalm. CIII, 4.* de quo proxime: quem Paulus citat *ad Hebræos I, 7. Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis.* Vbi licet alii contra sentiant; Patres tamen Græci *spiritus*, pro *ventis*, accipiunt: & angelos putant a Psalmista & Paulo cum ventis celeritate comparari, hoc sensu: *Facit angelos suos veloces sicut venti, & sicut flamma ignis.* Ita Dionysius *de cœlesti Hierarchia c. 15.* Damascenus *lib. 2. de fide cap. 3.* Theodoretus

Spiritus, pro ventis.

pag. 122. a tus & Euthymius *in Psalmum illum*, Basilius & Ribera *in epist. ad Hebræos.* Vide quæ nos *in Zachariæ cap. VI, 5.* Præterea ventus, qui semel transiit, nunquam reuertitur. Qua etiam in re hominum vita mortalis quam simillima est: neque enim vis est vlla in natura, quæ vitam reuocet, quæ semel excessit. Quod si etiam addas, a vento, id est, respiratione pendere vitam mortalium, multum etiam addideris illi fragilitatis. Sane diuturnum esse non potest, quod a tenui dependet aura. Quod si spiritum præcluseris, aut impedias ad tempus perquam modicum, confestim extinguetur.

23. Ex tribus ventorum proprietatibus, meo iudicio, verus elicitur huius loci sensus. Qui deinde sequentibus explicatur magis. Quasi dicat Iobus, vita mea præcipiti labitur cursu, quem breui admodum absoluet. neque revertetur, vbi primum abierit. Quare nisi statim mihi porrexeris manum, non erit tempus, in quo mecum possis agere clementer. Quare obsecro, Domine, memineris breuitatis vitæ & dolorum, quos patior, & fac, vt pauxillum hoc spatii, quod superest, a dolore reficiat, & pacifice transigam.

24. *Et non reuertetur oculus meus, vt videat bona.*] Quædam sunt verba apud Hebræos, quæ per aduerbia explicantur: *vt reuertor, addo, magnifico*, & similia: *vt non addet*, aut *adiiciet, vt resurgat:* id est, non iterum resurget. *Magnificauit facere*, id est, facit magnifice: *Psalm. LXXXIV, 7. Tu conuersus viuificabis nos:* iterum viuificabis; *Psalm. LXXVII, 41. Conuersi sunt, & tentauerunt Deum*, id est, iterum tentauerunt. Sic etiam nunc, cum dicitur, *non reuersurus oculus, vt videat bona*, significatur non iterum visurus bona. Quare si modo non viderit, nunquam videbit.

REGVLA. *Verba quædam per aduerbia explicanda.*

25. Vers. 8. *Nec aspiciet me visus hominis.*] Descriptio est viuentis hominis, quique cum hominibus aliis vitam habet familiarem & communem. Talem homines vident, cum inter viuos esse desierit, videre non possunt.

26. *Oculi tui in me, & non subsistam.*] Hic ego particulam *si* conditionalem subaudio. Quod in Scriptura sacra familiare est in hunc sensum: Si diutius medicinam leuamentumque distuleris, non inuenies, in quem tuam clementiam & liberalitatem ostendas; iam enim ego, vt se dant mihi & vrgent infortunia, e viuis abiero. Quod iterum repetit in fine capitis: *Si mane me quæsieris, non subsistam.* Loquitur autem cum Deo Iobus humano modo. Sic enim cum hominibus agere solemus, cum stimulos addimus, vt rem quam primum aggrediantur: quam si differant, cum voluerint, præstare non poterunt; quia occasio abiit & agendi opportuna tempestas. Neque nouum est, vt homines etiam, qui diuino afflati sunt spiritu, aut de Deo loquantur, aut cum ipso agant humano modo. Sicut proxime cum dixit Iobus idem ad Deum: *Memento, quia ventus est*, &c. & millies: *Exurge, quare obdormis Domine*, quasi Deus obliviscatur & dormiat.

Vers. 9. *Sicut consumitur nubes, & pertransit, sic qui descendit ad inferos, non ascendet.*] Versus 7. & 8. includi debent parenthesi, & a filo orationis continenti discludi. Cum cœpisset Iobus suas calamitates & infortunia describere, respirauit paulisper, & conuersus ad Deum orauit, sui vt misereretur, & aliquantulum ab eo duro assiduoque conflictu releuari permitteret. Deinde se ad interrupta refert, & suarum miseriarum narrationem pertexit. Et iterat quod aliis modis vsurparat nuper, nempe virum vita functum non rediturum in hanc lucem & vitalem auram ex inferis, id est, e sepulcro. Quod alia similitudine explicat, nempe nubis, quæ vbi resoluta euanuit, ad antiquam molem & locum reuocari nequit. Quod proxime etiam de vento dixerat. Eandem sententiam continet sequens versus, neque nostram desiderat operam. Ex hoc loco quidam e Græcis Patribus, qui sunt in catena, putant Iobum resurrectionem corporum non agnouisse. Quod sane dici non potest, cum id Iobus non semel, aut obscure fateatur. Est autem verisimile, cum hæc dixit, resurrectionem corporum ignorasse; postea vero nouo illustratum lumine contra sensisse, vt diximus *cap. XIX.* aut certe non resurrecturum hominem vsque ad finem mundi, vt indicat infra *cap. XIV, 12.* aut certe naturæ viribus; aut eo in statu, vt recipere posit, quam modo precatur medicinam. Tunc enim talis erit

27.

pag. 122. b

 susci-

ſuſcitati corporis conditio, vt illis, quæ nunc orat, prorſus non indigeat.

28. Verſ. 11. *Quapropter ego non parcam ori meo: loquar in tribulatione ſpiritus mei*, &c. Senſus difficilis non eſt. Ex breuitate temporis infert Iobus, non eſſe ceſſandum à precibus, neque quicquam de illarum contentione remittendum. Quod etiam faciunt, quibus exigui temporis facta eſt facultas, qui nullam illius partem inertem eſſe ſinunt. Acuent autem vocem, & impellent ad ingeminandas preces, conferendosque cum Domino ſermones, ſpiritus afflictio, ægritudo animi, vis doloris maxima; quæ vel e ſaxo & chalybe fontem lacrymarum educent.

Mare *pro re magna.* Verſ. 12. *Numquid mare ego ſum, aut cetus, quia circumdediſti me carcere?*] Contra hoſtem ſtrenuum & potentem magna comparari ſolent armorum molimina, copioſi exercitus, magni denique bellorum apparatus. Quæ non exigua laus eſt hoſtis, quando eo ponitur loco, vt non videatur vulgari pugnantium modo debellari poſſe. Quod fortaſſe ſignificare Iobus ipſe voluit, cum dixit ſtatim *v. 16. Quid eſt homo, quia magnificas eum?* Magnorum item criminum rei arcte tenentur fortique cuſtodia, ne inde emergant. Quales eſſent, qui ſpiritu ſunt præferoci & tyrannico, qui propter potentiam omnia poſſunt, & quæ poſſunt, impotenter atque impudenter audent. Huiusmodi hominis ſymbolum eſt mare, quod tumet & furit, quod terret non nauigantes ſolum, ſed etiam eos, qui procul tumentes fluctus de littore proſpectant. Quod haurit quotidie immenſa flumina, & tamen neque redundat, neque expletur, ſed ſemper aliud atque aliud ſentit. Quod abſorbet quotidie nauigantes & naues, & in profundo ſinu immenſos continet theſauros; neque tamen illius furorem miſerorum gemitus, aut placant, aut ſedant; aut demerſæ opes ſatiant auaritiam. Hoc igitur mare, aut proprium, aut

pag. 123. a metaphoricum continuit Deus in anguſto carcere, ne vincula, id eſt, definitos ſibi terminos tranſiliat & rumpat: neque terras, quas Deus ab illius effero dominatu ſeruatas eſſe vult, oblimet & compleat. Qui vero ſint compedes, quibus Deus marinas cohibuit exundationes: quis carcer, in quo Deus illum arcte continuit, dicemus pluribus *cap. XXXIIX.* interim vide Conimbricenſes noſtros *in lib. 2. de cœlo cap. 14. q. 4. art. 1. & 2.*

Vbi Vulgatus *cetus* Hebr. eſt תנין *tanin.* 30.
Quæ bellua exiſtimatur eſſe ferox & vaſta, *Cetus quid.* ſiue natet in mari, ſiue gradiatur, aut ſerpat in terra. Et quidem Vulgatus aliquando vertit *Draconem*, marinum quidem *Pſalm. CIII, 26.* & *Ezech. XXXII, 2.* terreſtrem vero *Exodi VII, 12. Pſalm. XC, 13. Ierem. X, 22.* Et aliquando *lamias*, *Thren. IV, 3.* Vnde mihi fit probabile, nullum hic certum poni genus animalis; ſed belluam immanem & vaſtam, formidabilem omnibus, ſiue, qui in mari nauigant, ſiue, qui terram incolunt. Hæ autem feræ, ſi quando illas a venatoribus comprehendi contigerit, aut extractas adhuc puſillas e latebris domi nutriri, ac creſcere, clauduntur ferreis clathris & caueis, quas perrumpere nequeat ferinus furor, ne aliis poſſint eſſe noxiæ. De ſerpentibus, ſiue terreſtribus, ſiue aquatilibus alia conſideratio eſt: quia hæc eiusmodi clauſtris arceri non poſſunt, neque domi ſeruari, aut nutriri ſolent. Si de aquatilium, ſiue reptilium genere draconem intelligas, non diſplicet, quod tradit paraphraſis Chaldaica, quæ manu ſcripta ſeruatur in bibliotheca Complutenſi. Comparat enim ſe Iobus cum Leuiathan, id eſt, cum balæna, quam vt capiant piſcatores, illam diſpoſitis hinc inde ſcaphis armati circumfundunt. Quod etiam alio modo faciunt venatores, qui a terreſtri dracone domos ſuas, aut pecora liberare ſtudent. Ait igitur Iobus, ſe neque eſſe mare, cui ripæ obiiciantur & clauſtra, ne ſe extra definitos ſibi terminos effundat: neque belluam immanem & ferocem, quæ ne aliis aut inhalet peſtilentem ſpiritum, aut dentibus vnguibusque conficiat, ferreis arcetur vinculis. Ac ſi dicat, quod alii videntur obiceiſſe, ſe non fuiſſe tyrannum, neque aliorum exuxiſſe ſanguinem, & opes exhauſiſſe.

Hæc porro vincula, quibus conſtrictum ſe 31.
atque circumdatum dicit eſſe Iobus, dolores *Morbus, dolor, ærumnæ vincula quædam ſunt.* ſunt, & membra ſic affecta atque conſumpta, vt neque in alterum latus commouere ſe poſſit. Hæc ſane ſeuera cuſtodia eſt, quæ totum corpus ligat. Addo ad extremum explica-

plicationem alteram, quam adducit Paraphrasis Chaldaica, non vt probem, sed vt quiuis intelligat, quo loco illa apud prudentes haberi debeat. Sic enim hunc locum reddit paraphrastice: *Nunquid sicut Ægyptii, qui condemnati sunt, vt summergerentur in mari rubro, condemnatus sum ego: aut sicut Pharao, qui suffocatus est in medio eius, quoniam constituis super me custodiam?* Sane Paraphrastes hic quicunque fuit, non considerauit, quo tempore hæc a Iobo dicebantur, nondum in mari rubro demersum esse Pharaonem, cum historia hæc supra ducentos annos hoc Ægyptiorum, & Pharaonis exitum antecesserit, vt diximus supra *Prolegomen. 2. & 3.*

Paraphrastæ Chaldaici incogitantia.

32. Carceris & vinculorum nomine grauem aliquam afflictionem significari puto, idque
pag. 123. b fortasse prouerbiali forma, quia siue illa animi sit, siue corporis ægritudo, continere solet hominem domi, & alligare lecto, quod proprium est vinculorum & carceris. ita suam afflictionem Ieremias explicuit *Thren. III, 5 Ædificauit in gyro meo: & circumdedit me felle & labore: in tenebris collocauit me, quasi mortuos sempiternos. Circumædificauit aduersum me, vt non egrediar: aggrauauit compedem meum.*

33. Vers. 13. *Si dixero, consolabitur me lectulus meus, & releuabor loquens mecum in strato meo, terrebis me per somnia.*] Hæc aperta sunt, & iam a nobis sæpius explicata, cum diximus, non solum Iobum torqueri vigilantem, sed etiam dormientem multo vehementius. Cum enim somnus post longas vigilias obrepsisset, occurrebant illico horribiles tristissimarum rerum imagines, quæ multo magis torquebant somno captum, quam vermes & vlcera solutum. Vide quæ diximus in introductione quadam *ad cap. III.* de his insomniis. Sic Hieronymus ad hunc locum: *Hoc a Deo Iob se pati dicebat, quod a dæmonibus patiebatur, qui ad ista facienda a Deo acceperant potestatem, qui ei toruis vultibus ac minacibus sine dubio apparebant in somnis, stridentes etiam dentibus, & ad deuorandum eum quasi ora aperientes, vt insolitæ visionis horrore excuteretur in lecto, ac expergefactus somno aufugeret, quo solent dolores nimii mitigari, & succederent iuges vigiliæ, vt indesinentibus cruciatibus torqueretur.* His affinia dicit Chrysostomus ad hunc locum *in catena.* Et addit, hæc omnia moliri dæmonem, idque ignorare Iobum, sed existimare a Deo esse immissa.

Vers. 15. *Quamobrem elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea.*] Cum nullum 34.
haberet tempus Iobus a labore vacuum, & inde maior succresceret dolor & labor, vnde sperari non poterat leuamentum & quies, consilium sese offerebat desperationis plenum. Offerebat, inquam, non probabatur, aut placebat Iobo, quod suggerebat dolor, neque improbabat animalis natura: quia maiora neque meditabatur, neque norat incommoda: at refutabat ratio, horrebatque vehementer, quia & rationali naturæ & divinæ legi repugnare didicerat. Erat itaque pulsus quidam a natura sentienti, cui supra modum & vires videbatur vlterior dolor, vel potius a diabolo, qui nusquam aberat. Sed longe aberat a consensu religiosus animus, & iam pridem & doctrina sana & honestis moribus institutus. Suspendium per synecdochem posuit pro quouis mortis genere; quod in altero hemistichio explicuit magis, in quo *mortem* posuit. Neque ratio defuit, cur suspendium potius quam aliud mortis genus expresserit; quia qui de salute desperant, & a magno aliquo dolore seu periculo liberari student, laqueum potius sumunt, quam gladium: quia fortasse lenius esse putant atque facilius, mori intercluso spiritu a laqueo, quam hausto veneno, aut adacto in viscera mucrone. Quidam non tam, opinor, ad literam, quam pie, hanc Iobi cogitationem esse putant; vt malit suspendium, quam in Deum verbum iactare contumeliosum: & in his est Hieronymus *ad hunc locum.*

Desperantes cur suspendium magis eligant, quam aliud mortis genus.

Vers. 16. *Desperaui, nequaquam vltra iam* 35.
viuam.] Sic erat affectus Iobus & exhaustus, sic omnes videbat aditus ad spem de recupe-
randis viribus concipiendam interclusos, vt pag. 124. a
animum omnino desponderit; neque crederet vsuram futuram esse diuturnam ærumnosæ vitæ. Atque ideo cum iam sibi persuasisset instare supremum diem, imo & iam putaret actum esse de vita, sese ad Dominum sup-

plex conuertit, oratque, vt quando quod superest vitæ exiguum est, illud velit sic moderari, vt respiret paulisper. Et quando recusare non potest, quin spiritum agat, moriatur saltem pacifice, quod extremum est in hac vita mortali beneficium.

36. *Parce mihi, nihil enim sunt dies mei.*] Hæc a nobis proxime pene explicata sunt. Orat enim Iobus, vt pauxillulum, quod reliquum est vitæ, duci sinat, peragique clementius, & parcius feriat, ac temperet stimulos, quos prius exacuerat. Hæc puto magis ad litteram, vt tenent communiter Interpretes, inter quos est S. Thom. Caietanus. Eugubinus, Stunica, Pineda. Alii hæc de venia peccatorum accipiunt. Sed certe, quæ sequuntur, minus cum posteriori hac explicatione consentiunt. Quod aliis quoque locis Iobus ipse precatus est; vt *cap. XIV, 5.* vbi de se in tertia persona loquitur, *breues dies hominis sunt*, &c. *Recede paululum ab eo, vt quiescat, donec optata veniat, & sicut mercenarii dies eius.*

37. Vers. 17. *Quid est homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?*] Extenuarat prius humanam conditionem; dum vento ac nubi similem esse dicit, quæ momento temporis vanescunt & transeunt. Nunc miratur, cur Deus naturam hanc fragilem, tamque breui perituram tantopere magnificet, illique tam sedulo atque accurate prouideat, & nunquam ab eo cogitationem auertat. De hominis infirma fugacique natura plura nobis suis locis necessario dicenda, neque pauca sunt dicta. Quo sensu Deus hominem magnificare dicatur, obscurum est.

38. Quidam hanc Dei clementiam & honorem, quo hominem prosequitur & ornat, in eo spectari dicitur, quod donis illum supernaturalibus ornat, quod ad finem sustulit altissimum, quod angelum attribuit tutelarem, quod ad obtinendum propositum finem subsidiis iuuit necessariis. Hæc autem appellari visitatio matutina potuit; probatio autem, quæ deinde succedit, examen est eorum, quæ quis omisit in suo munere exacte præstando, in quo homo reprehenditur, luitque pœnas aut officii proditi, aut violatæ legis a creatore præscriptæ. Quo examine purgatur animus ab inolita labe, & fit cœlestis patriæ habitator idoneus. Hæc autem magnificatio est & singulare beneficium, quod ex omnibus creaturis vnus homo recepit. In hunc ferme modum S. Thomas, & Caietanus, Hugo, Dionysius, Lyra.

Quomodo homo a Deo magnificatus.

Alii ideo magnificatum esse hominem existimant, quia Deus contra illum exercitum instruit, cuius ipse ducem se præbet. Magnæ virtutis & nominis ille existimari potest, contra quem Deus exercituum arma mouet, & erga quem apponit cor suum, id est, contra quem (nam *erga* idem interdum valet, quod *aduersus*, sicut aduersus idem quod *erga*, sane vox Hebr. אל *el* vtrumque valet) tot expedit machinas & tela. Magna fuit Dauidis gloria, licet dure ac diu vexaretur, quod in eum Rex Israel delectos quosque in illius interitum armauerit. Magno honori fuit apro Calidonio, vt est in fabulis, quod non potuerit nisi a iuuenum armata cohorte confici, duce Meleagro. Ex communi hominum sensu gloriosum Poëtæ iudicant mortis genus, quod illatum est a nobili hoste. Hac apud Maronem ratione *lib. 10.* solabatur Æneas cadentem suo telo Lausum: 39.

Magnus apparatus bellicus magnum hostem probat. pag. 124. b

Honestum putatur mortis genus, quod illatum est a magno hoste.

Hoc tamen infelix miseram solabere mortem,
Æneæ magni dextra cadis.

Valerius Flaccus *l. 3. Argon.* de illo, cui mors iam impendebat ab Hercule:

Occumbens, i nunc ait, Herculis armis,
Donum ingens, semperque tuis memorabile factis.

Ad hanc cogitationem perquam apte facit, quod diximus proxime ad illud: *nunquid mare ego sum, aut cetus, quia circumdedisti me carcere?* Hoc itaque modo magnificatus a Deo videri Iobus potuit, cui a potentissimo imperatore bellum illatum est, licet ab illius inuicta dextera stratus humi iaceat iamiam acturus animam.

Hæ expositiones contemnendæ non sunt. Sed placet magis, quam Pineda aliis præfert: tum quia ipsa grauis, tum quia magis adiuncta coniungit. Considerabat, opinor, in seipso Iobus duo tempora, seu duos status longe dissimiles. Priorem cum omnia succedebant ex voto, cum esset familia numerosa & splendida, res pecuaria ac rustica copio- 40.

sa

sa ac pinguis; cum omnes ipsum amarent, obseruarent & colerent, & Deus ipse, vt Satan ante dixerat *cap. II.* illum resque omnes, quæ ad ipsum pertinerent, tanquam patronus & custos ita circumuallaret, vt a nullo viderentur pati posse vel modicam iniuriam. In altero videtur Iobus magnificatus, quia & auctus opibus, & ab omnibus habitus in honore. In altero videtur Iobus apud illum cor apposuisse, quia eum præcipuo quodam studio ac prouidentia tuebatur. Vtrumque late & optime explicat Iobus *c. XXIX.*

41. Deinde retulit oculos ad præsentem statum, in quo duo accurate considerat; alterum est, ex quo statu in quam fortunam repente ceciderit. Alterum, quam sit infirma ac misera natura mortalium, cum sit velut nubes ac ventus, & tota, vt in se abunde fuerat expertus, soluatur in saniem. Hinc duo admiratur, cur rem vsque adeo vilem & abiectam tantopere Deus amare ac magnificare voluit. Alterum, cur si tam cito futura tanta rerum conuersio, Deus sic ornare ac cumulare voluit, quod mox futurum erat vsque adeo inornatum & nudum. Hoc enim valet illud, quod proxime succedit: *Visitas eum diluculo, & subito probas illum.* Vixdum extulisti, cum deiicis. vixdum decorasti, cum spolias, & reddis indecorum. Qua in re si hoc humana pensemus trutina, non tam clementer Deus, quam inhumane videtur de humana conditione meritus, neque tam illam complexus amanter, quam auersatus hostiliter.

Lapsus ex nobiliori statu grauior est.

42. Sane qui ex alto ceciderunt, grauiora sentiunt incommoda, maiori colliduntur impetu. Quod si post casum viuere contingat, instar prodigii ponitur. At qui ex humili cecidit loco, si tamen id aliquando contingat, non conteritur, quia casus est leuis, & si quid accidit aduersi, nullo, aut facili sumptu & labore reficitur. Quod optime Ouidius docuit *lib. 3. Tristium eleg. 4.* vbi post alia in eam rem grauia dixit:

pag. 125. a

Viue tibi quantumque potes prælustria vita,
Sæuum prælustri fulmen ab arce venit.
Qui cadit in plano, vix hoc tamen euenit ipsum,
Sic cadit, vt tacta surgere possit humo.

De illis Lucanus:

Tolluntur in altum,
Vt lapsu grauiore ruant.

Quare qui ex loco cecidere sublimi, quasi illi vere vocari possent infortunati, de sua queruntur fortuna, aut de illa principum beneuolentia (sic enim ante ruinam appellabatur) qua subnixi fastigium illud sublime tenuerunt. Sic Seneca in *Octauia act. 2.* 43.

Quid me potens fortuna fallaci mihi
Blandita vultu sorte contentum mea
Alte extulisti? grauis, vt ruerem edita
Acceptus arce

Hæc quæ in seipso expertus est Iobus, illa etiam aliis hominibus conuenire dixit. licet non omnia omnibus eodem gradu: nam lætis plerumque tristia succedunt, neque omnibus contingit, diu in sublimi ac lauta statione consistere. Omnibus denique conuenit, quod statim additur, *visitas eum diluculo*, id est, matutino tempore. cum dies sese aperit, & nocturnæ fugantur tenebræ. *Et subito probas illum*, nempe cum occidente sole nox obrepit. Et sicut tenebræ luci, sic etiam aduersa fortuna prosperæ succedit. Quod sub eadem metaphora in Scriptura sæpius audimus: *Psalm. XXIX, 6. Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* 44.

Vers. 18. *Vsquequo non parcis mihi, nec dimittis me, vt glutiam saliuam.*] Ex quo Satan, concessa sibi a Domino facultate, vexare cœpit Iobi corpus, & omnes in illum vires & aculeos exerere; non videtur remisisse quicquam de contentione, qua in opus illud totus incubuit. Tempus autem illud exiguum non fuit, vt antea probabamus. Quare non frustra & sine causa queritur Iobus, quod Deus, ex quo durum illud examen & probationem aggressus est, nunquam pepercerit, id est, nunquam parca atque remissa manu in ipso discruciando sit vsus. Illam autem contentionem, continuationemque plagarum, perquam optime explicat prouerbiali, sine dubio, forma, qua homo significatur vsque adeo continenter & vehementer vrgeri, vt neque respirare liceat, neque obire leuissimum quodque naturæ ministerium. Hic mihi videtur obuius atque germanus sensus. Nam alii, quos alii quidam adducunt, neque expediti sunt, neque credo, 45.

Iobi continens & perpetuus labor.

credo, vel ipsis etiam autoribus satisfaciunt.
46. Quidam dicunt passum esse Iobum συναγχὴν, siue anginam, quæ fauces obstruit, neque quicquam ex ore ad stomachum transglutiri sinit. Ita Hieronymus, & ex eo Beda. Sed cur hic de angina tantum quereretur, cum alii essent morbi atque dolores longe grauiores? Neque fortasse eo morbo laborabat Iobus. Certe illum ea laborasse non constat. Alii putant, hoc esse familiare morituris, vt cum saliuam habeant in ore, illam tamen præ imbecillitate naturæ deglutire non possint. Sed hoc neque perpetuum est, neque sic Iobus erat affectus, vt extremum ageret spiritum. Alii ad querelas Iobi ac gemitus referunt; quasi a Deo forent assidui ac perpetes; vt neque vllum relinquerent respirandi, ac saliuæ traiiciendæ locum. Vt enim simul sorbere & flare nemo potest; sic etiam neque loqui, aut gemere, & sorbere saliuam. Sed neque tam assidui erant gemitus & querelæ, vt non sinerent glutire saliuam, cum etiam dormire aliquando potuerit, & cibum sumere. Quare figuratam esse oportet non propriam locutionem, eamque cum hyperbole, quam sibi sæpe solent adhibere prouerbia.

pag. 125. b

47. Similes huic prouerbiales formas habent externi, qua continentes, neque vllo modo intermissos labores significant; tale est illud, neque ad scalpendas aures esse otium, neque respirandi etiam dari facultatem. Hispanus ad hoc ipsum ex saliua familiarem habet parœmiam. Cum enim significare vult, nullum sibi dari tempus a labore vacuum, sic ait: *non datur mihi facultas expuendi saliuam.*

Prouerbium saliuæ deglutiendæ negata facultas continentem laborem significat.

48. Vers. 19. *Peccaui, quid faciam tibi, o custos hominum.*] Aut peccasse se fatetur Iobus, dum vrgente dolore minus quam fas esset, moderate locutus est, aut quia cum in sermonibus illius nihil peccatum esset; tamen quia bonarum est mentium, ibi timere, vbi nihil est quod timeas: in metu erat, ne in illo dolorum æstu fecisset, aut cogitasset aliquid, quod religiosum hominem parum deceret. Atque ideo pro erratis offenso Deo satisfactum esse cupit, & satisfactionis modum ab ipso quærit. Et hoc fortasse verius. ita sane S. Thom. indicat in extremis verbis *c. VII.* cum tamen paulo ante in alteram videatur magis propendere sententiam. Tenet expresse Hieronymus, Gregorius, Beda, Lyra, Caietanus, Hugo, recentiorum plerique particulam hic conditionalem subaudiunt. Quasi dicat, *si peccaui*, aut *esto peccauerim*, vt importuni mihi consolatores obiiciunt. *Qua tibi ratione satisfaciam?* ita S. Thom. *ideo subdit, peccaui*, quasi dicat, *Esto peccauerim, & propter hoc merear flagellari.* item tenent Eugubinus, & Stunica autor catenæ, Vatablus, & fauet plurimum LXX. translatio, quæ sic vertit: *si ego peccaui.* Et placet in manuscripto codice Ludouico Legionensi.

49. Sed licet posterior hæc sententia sit valde probabilis, placet tamen multo magis: tum quia hoc ipsum de se Iobus aliis locis affirmat, & nunc proxime innuere videtur non obscure, cum dicit, *cur non tollis peccatum meum?* Deinde quia Eliphazi, vt supra diximus in principio capitis, docilem se discipulum præbuerat, quod reipsa probat. nam vt suam imbecillitatem confessus est, & vitam hominis laboribus innumeris obnoxiam; & deinde orauit Deum, ad quod hortatus fuerat Iobum Eliphaz: sic etiam, quia peccatorem se ex eo probarat, quod grauiter a Deo fuisset percussus, hoc etiam nunc videatur fateri voluisse, licet iuxta Dei familiarem & quasi legitimum vsum grauiorem se sustinere plagam ostendat, quam peccatorum exigeret mensura.

50. *Quid faciam tibi.*] Satisfacere vult offenso Deo pro peccato: de modo sciscitatur. Aut fortasse suam tenuitatem & impotentiam obtendit; ac si dicat: si dolendo ac meipsum affligendo vis tibi satisfaciam, quid a me durius exigis, aut quid ego a me acerbius pro satisfactione sumam, quam quod abs te pœnarum pondus in præsentia sustineo? dicere meliori iure posset Iobus Deo, si plures ac duriores exigeret pœnas, quam quidam ex profanis, qui cum pateretur dura, maledica tamen lingua ab inuido quodam vexabatur.

Ergo summotum patria proscindere liuor
Desine: neu cineres sparge cruente meos.
Omnia perdidimus; tantummodo vita relicta est,
Præbeat vt sensum, materiamque malis.
Quid iuuat extinctos ferrum demittere in artus?
Non habet in nobis iam noua plaga locum.

pag. 126. a

Sic

51. Sic facio sacrificare significat. Suam inopiam proponit Iobus, quasi de tot gregibus neque vna superfuerit victima, quæ immolari possit pro peccato. Est autem *facio* sacrificale verbum, vt pluribus ostendimus *in nostris Commentariis in Ezechielem* ad illud *cap. XLIII, 25. Septem diebus facies hircum pro peccato quotidie, & vitulum de armento.* Quem vsum habet in Scriptura sacra frequentem. *Levitic. XV, 15. 30. XXIII. 19. Deuteronom. XVI, 11. 3. Reg. III, 15. & XIIX, 23. & 26.* Et Christus *2. Corinth. V, 21.* peccatum dicitur fecisse, id est, obtulisse sacrificium pro peccato. Quod etiam profani faciunt non raro, quibus δρᾷν, & ῥέζειν, idem est, quod sacrificare. Et verbum *facio* in ea significatione sumpsit Virgil. *eclog. 4.*

Facio *sacrificale verbum.*

Cum faciam vitulam pro frugibus, ipse venito.

52. *O custos hominum*] Hebr. est נצר *noser.* Quod nomen non solum protectionem, seu tutelam valet, sed speculationem & excubias, ita vt non solum seruet & tueatur, sed etiam obseruet & exploret, quid rerum fiat. Ex duabus his significationibus hanc sententiam informo. Nosti, o Domine, qui occultissima quæque nostrarum mentium scrutaris, quique iustissima atque exactissima trutina expendis vniuersa, quid ego peccatorum admiserim, & quæ pro illis debeam supplicia dependere: neque, sat scio, si quam maximas potuero pœnas exoluero, habebis pro peccatorum pondere pœnarum satis. Sedes etiam hominum patronus & custos, quos perire non vis. Neque tantum exigis a peccatore quantum pro suorum scelerum magnitudine debet. Quare ostende mihi, qui nosti omnia, quique pœnarum pondus tua benignitate moderaris, quid faciam tibi, vt offensum placem, & infixos mihi pœnarum stimulos obtundam.

Custos non patronus solum, sed etiam explorator.

53. *Quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi grauis.*] Norat Iobus, multos esse in terra, neque paucos viderat in sua regione peccatores: in quibus neque viri boni vllus apparebat pilus, neque tamen vnum ex omnibus illis viderat, in quem Deus tam diu, tam vehementerque sæuierit: ita vt videri potuerit vnus electus e cunctis, in quem tanquam in scopum omnia tela destinato vibraret: id enim valet, *contrarium, seu aduersum,* id nimirum, quod e regione positum est. Hoc graue censetur infortunium, imo & malorum omnium acerbissimum, habere Deum offensum, & eo esse numero ac loco, vt in eo configendo ac puniendo plenam indignationis suæ pharetram exhauriat. Hoc idem de se querebatur Ieremias aliquot postea sæculis *Thren. III, 12. Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam: misit in renibus meis filias pharetræ suæ.* Idem prope de se Iobus *c. XVI, 13. Posuit me sibi quasi in signum, circumdedit me lanceis suis.* Hæc ratio satis videbatur grauis, vt Deum custodem hominum ad misericordiam inflecteret. Neque enim esset vllus, tametsi inculto atque syluestri ingenio, cuius non tangeret aut effoderet viscera homo alligatus stipiti, in quem vndique intenta essent & destinata spicula, quæ illum ex aduerso configerent; sed aliam addit commiserationis causam. pag. 126.b

Horribile est habere Deum inimicum.

Et factus sum mihimet ipsi grauis.] Is erat dolor in vulnerato atque fluente corpore, ea rerum inopia, in extrema necessitate, is ex vermium scatebris & saniosa plaga fœtor, vt si cætera defuissent omnia, amicorum libera & inurbana conuitia, seruorum ac domesticorum ludibria, sibi tamen ipsi esset grauis, id est, seipsum tolerare non posset. Hæc omnia non putabat Iobus accidisse fortuito; sed aut volente, aut permittente Deo: & quod suum dolorem, & loci diram proluuiem, & tetrum corporis anhelitum sustinere non posset, ex eo prouenire, quod positus esset Deo contrarius; id est, positus e regione quasi scopus, in quem Deus illa destinaret tela, quæ illi tantum attulerunt doloris, & mortem, quam iamiam expectabat propediem. Quare nihil aliud his verbis videtur significasse Iobus, quam eo se adductum a Deo, vt non alii solum, sed etiam ipsemet sibi grauis esset, & nullo modo tolerabilis. 54.

Quare orat, vt laborantem & supplicem respiciat, & stimulos suos obtundat clementia, quos furor acuerat.

Vers. 21. *Cur non tollis peccatum meum?*] Hic ego *peccatum & iniquitatem*, pro peccati aut iniquitatis supplicio sumo, aut pro eo, quod peccatum eripiat. Quod in Scriptura 55.

sacra frequentius est, quam vt a me probari debeat. 2. *Machab. XII, 46.* peccatorum pœnæ peccata dicuntur: *Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt a peccatis soluantur*, id est, a pœnis, quarum homo propter peccata reus est. *Zachar. XIV, 19.* peccatum Ægypti appellat pœnam, quam Ægyptus pro peccatis pertulit. Vide, quid nos *in nostris Commentariis ad illum locum.* Et quidem peccatum sumi pro eo, quod peccatum expiat, quale est sacrificium & oblatio, seu etiam quæcunque afflictio pro peccato suscepta, satis est compertum. Sic *Oseæ IV, 8.* Sacerdotes dicuntur peccata populi comedere, quia oblationibus sustentantur populi. Et Christus 2. *Cor. V, 21.* pro nobis dicitur peccatum fecisse, id est, obtulisse sacrificium. *Facio* enim, vt paulo ante diximus, idem est quod *sacrifico*, aut *immolo*. Et *Ezech. VII.* sæpe *scelus*, *iniquitas*, *abominatio*, pro illorum suppliciis vsurpantur.

Peccatum pro sacrificio.

Ecce nunc in puluere dormiam, & si mane me quæsieris, non subsistam.] Instare sibi dicit Iobus extremum diem, vt quam celerrime ad se aduocet diuinam clementiam, quia si diutius protrahat Deus miserendi tempus, quo a labore recreet, aut aliquo alio beneficio Iobum prosequatur, non inueniet, quia illud opus mors anteuertet: Quæ sic iam ingruit festinato cursu, vt si in matutinum tempus diei crastini postulata differat, inuenturus sit non spirantem, & illius beneficii, seu clementiæ capacem, sed sublatum e viuis, & in puluere, id est, in miserorum & pauperum modum dormientem, nempe vili conditum sepulcro, aut fortasse inhumatum, & tectum cœlo, cum vrnam non habuerit. Hæc eadem paulo ante dixerat *vers. 8.* & iterat postea *cap. XIV. v. 7.* 56.

ARGVMENTVM CAP. VIII.

AGgreditur Baldad disputationem, in qua id agit, quod nuper Eliphaz, nempe Iobum propter peccata grauia non leuiter a Domino puniri. Neque aliam ob causam oppressos esse illius filios a ruente domo, nisi quia variis se sceleribus implicuerunt. Quare hortatur Iobum, vt meliora deinceps meditetur, & serio atque ex animo Deum non simulata religione colat, si placatum illum esse studet, & iacentis domus instaurari ruinas. Quam porro vana sit & instabilis hypocritæ domus, atque fortunæ, scirpi & aranearum telæ similitudine declarat. Ac tandem sicut iniquis & hypocritis aduersa minatur; sic omnia simplicibus & rectis secunda promittit.

CAPVT VIII.

pag. 127. 1. REspondens autem Baldad Suhites, dixit:

2. Vsquequo loqueris talia, & spiritus multiplex sermones oris tui?

3. Numquid Deus supplantat iudicium? aut omnipotens subuertit quod iustum est?

4. Etiamsi filii tui peccauerunt ei, & dimisit eos in manu iniquitatis suæ.

PARAPHRASIS.

1. 2. Sub hæc Baldad, inflato & inurbano admodum sermone: vsquequo verba hæc ventosa, & vana, & clamosas voces & sonitus multitudine innumeros, a sana tamen & religiosa mente vacuos effuties? pag. 127.

3. Deus æquus est iudex, qui neque leges in iudicando violat, neque puniendo insontem, & impium absoluendo iudicia peruertit. Quare cum te tantopere discruciat, aliquid profecto deprehendit iniustum, quod puniendo coërceat.

4. Sicut filii tui propter peccatum ab vltrice Domini dextra sublati sunt, sic tu ab eadem manu cruciaris; & nisi mature diuino furori occurras pœnitendo, tandem peribis.

5. 6. 7.

5. Tu tamen si diluculo consurrexeris ad Deum, & omnipotentem fueris deprecatus:

6. Si mundus & rectus incesseris, statim euigilabit ad te, & pacatum reddet habitaculum iustitiæ tuæ.

7. In tantum, vt si priora tua fuerint parua, & nouissima tua multiplicentur nimis.

8. Interroga enim generationem pristinam, & diligenter inuestiga patrum memoriam.

9. Hesterni quippe sumus, & ignoramus, quoniam sicut vmbra dies nostri sunt super terram.

10. Et ipsi docebunt te: loquentur tibi, & de corde suo proferent eloquia.

11. Nunquid virere potest scirpus absque humore? aut crescere carectum sine aqua?

12. Cum adhuc sit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit.

13. Sic viæ omnium, qui obliuiscuntur Deum, & spes hypocritæ peribit:

pag. 128. 14. Non ei placebit væcordia sua, & sicut tela aranearum fiducia eius.

15. Innitetur super domum suam: & non stabit: fulciet eam, & non consurget.

16. Humectus videtur antequam veniat sol, & in ortu suo germen eius egredietur.

17. Super aceruum petrarum radices eius densabuntur, & inter lapides commorabitur.

5. 6. 7. Longe aliter accidet, o Iobe, si offensum propter peccata tua Deum orando ac pœnitendo placaueris: vt enim tu ad Deum diluculo placandum surrexeris, virtutemque colueris diligenter, sic ille diluculo, vt opem tibi quamprimum ferat, vigilabit. Qui domus tuæ instaurabit ruinas, & omnibus cumulabit bonis, multo quam antea luculentius, si illam pro communi scelerum diuersorio iustitiæ domicilium & pietatis reddideris.

8. 9. 10. Possem hoc, o Iobe, exemplis confirmare, quibus plus satis abundat antiquitas. Sed ab exemplis abstineo, quæ tu facile inuenies, si antiqua sæcula & parentum memoriam scrutari volueris; (nos enim qui non ita dudum nati sumus, neque vt se dant nostra tempora, longam agemus vitam, ignoramus plurima.) Tu antiquam repete memoriam, & superiorum temporum annales consule; & ab illis, qui vere serioque loquuntur, veritatem disce.

11. 12. 13. Ab illis disces sine diuino fauore, qui hominibus est sicut aqua iugis, aut irrigatio plantis, nihil non solum crescere, sed neque in sua viriditate ac specie conseruari potuisse, sicut scirpus, aut carex, qui in locis orti aquosis & palustribus, sic ab aquarum humore dependent, vt si ille absit, temporis momento deficiant, etiamsi nemo resecet, cum virent maxime, & duraturi existimantur in æuum. Sic prorsus accidet illi, qui simulat potius quam colit sanctitatem, & procul a Domino recedit, qui fons est iugis & purissimæ aquæ, qui speciosas reddit & vberes plantas, quæ secus illius decursum satæ sunt.

14. 15. Qui adeo væcors est & stolidus, vt in fucata sibi sanctitate placeat, Deumque putet illudi posse, & capi falsa rerum imagine, atque ex ea cogitatione fiduciam concipit, similis est illi, qui vestigia sua ac domum in tenui aranearum tela fundari velit. Neque enim ille in eo, opere simulato & futili stare poterit securus & firmus, & quantumcumque impendat artificii & operæ, opus illud inane consurget. pag. 128.

16. 17. 18. Scirpus, cui comparatur splendor aut simulata sanctitas hypocritæ, principio in ortu suo viret & germinat, sed cum æstiuo sole locus palustris & aquosus exaruit, non aliter scirpus marcidus est, quam si illum in saxoso atque arido loco nasci contingeret; qui sic de loco suo iam siccato vanescet, vt si illi aliquid esset men-

18. Si absorbuerit eum de loco suo, negabit eum, & dicet: Non noui te.

tis, responderet rogatus, se neque habuisse apud se vnquam scirpum, aut iuncum, neque quid rerum sit iuncus & scirpus, agnouisse.

19. Hæc est enim lætitia viæ eius, vt rursum de terra alii germinentur.

19. En quem habeat hypocrita ex adumbrata sanctitate fructum, & ex simulata religione lætitiam. Neque illum consolabitur translata ad filios magno labore quæsita possessio. Pro filiis enim, in quibus suam sperabat conseruatum iri memoriam, in illam irrumpant alieni, qui eodem loco virescant & germinent, in quo ipsi florere, imo & esse omnino desierunt.

20. Deus non proiiciet simplicem, nec porriget manum malignis:

21. Donec impleatur risu os tuum, & labia tua iubilo.

20. 21. Quare, o Iobe, si hæc simulatoris & hypocritæ sors est & interitus, meliora cogita, & simplicem assume atque sincerum animum: porriget enim tibi iam simplici liberalem manum, quam eidem hactenus negauit hypocritæ. Qui sic te prosequetur liberaliter, vt materiam præbeat exultandi perpetuo, & iubilandi serio: non simulato risu, sicut ridet hypocrita, sed vere & ex animo.

22. Qui oderunt te, induentur confusione: & tabernaculum impiorum non subsistet.

22. Contra accidit his, qui te insectari atque euertere voluerint: quia vt maxime cupiant, assequentur nihil præter pudorem. Quod si principio eorum videatur florens & copiosa domus, non tamen diu in eo splendore & abundantia subsistet.

Vers. 1. *Respondens autem Baldad Suites, dixit.*]

pag. 128. a 1. *Respondeo idem quod dico.* RESpondeo in Scriptura sacra idem est, quod simpliciter dicere, etiamsi nulla præcedat interrogatio. Neque Iobus aliquid hic dixit, cui in hoc capite Baldad iste Suites videatur reddidisse responsum. Nisi forte in illo, *quare me posuisti*
pag. 128. b *contrarium tibi?* aliquid subodoretur impium. Videntur autem hi tres amici, vt eorum satis indicant verba, compositi iisdem pene rationibus, quas inspirarat dæmon, suam non tam consolationem, quam simulabant, quam reprehensionem instruxisse. Quæ eo incum-
pag. 129. a bit tota, vt Iobum peccatorem esse doceat, neque aliam esse causam, cur & filii Iobi prius extincti fuerint, & nunc pater tam diro multiplicique vulnere tabescat.

2. Vers. 2. *Vsquequo loqueris talia? & spiritus multiplex, sermones oris tui.*] In illud vitium temere incurrit Baldad, quod in innocente Iobo reprehendit. Aggreditur orationem interrupto, neque reprehensionem temperans ingressu ad beneuolentiam temperato, neque præbens vllam amicitiæ aut vrbanitatis argumentum. Appellat enim in loquendo audacem & superbum, loquacem & vaniloquum, qui immoderate effutiat sonitus a sana & religiosa mente vacuos. Illud, *vsquequo loqueris talia?* cum fastidio quodam & nausea proferendum est. Quasi dicat tam impia, tam inuerecunda, tam absurda & putida. *Spiritus multiplex.* Ex omnium sententia verba significant ventosa, sonantia, sine sensu, qualia proferri solent a clamosis hominibus. Quos si leuiter tangas, vel vno verbo modice perstringas, statim omnia clamoribus complent. Septuaginta, *Spiritus multiloquus*, siue, vt in catena, *Spiritus verbosus.* Chaldæus, *sicut ventus magnus.* Pagninus, *Spiritus fortis.* Et eodem modo quidam e recentioribus. Tigurina, *verba oris tui sonabunt pertinaciam.*

Hiero-

Hieronymus indicat ſignificatum a Baldad, non eſſe ſobrium, aut ſanæ mentis Iobum, ſed abreptum a furioſo & veſano ſpiritu verba illa aut vanos ſine mente ſonos fuiſſe locutum. *Notat*, inquit, *cum ipſo Baldad, quod quaſi non libera mente & ſobria loqueretur, ſed neſcio, quo ſpiritu potius ageretur.* Eodem prope modo S. Thom. qui ex ignoratione Iobi ſermonum putat hanc Baldad reprehenſionem fuiſſe profectam. *Reputabat*, inquit, *quia Iob multa protulerat, quorum ordinem ipſe non capiebat, quod eſſent verba diſſuta, & quaſi hominis ſine ratione ex impetu ſpiritus varia loquentis abſque ordine rationis.* Olympiodorus *in catena* verba Iobi exiſtimari putat profluentia, quæ nullam habeant ſedem, vel ſolum: ab eo temere prolata, quæ inſcite nugetur.

3. Verſ. 3. *Nunquid Deus ſupplantat iudicium, aut omnipotens ſubuertit quod iuſtum eſt?*] Aut fingit Baldad in verbis Iobi mendacium, aut delirium, quod oppugnet, & in quo ſimulatum & vmbratile tantum excitet trophæum: aut certe, quod ego potius arbitror, eaſdem quas proxime Eliphaz rationes inſectatur & carpit. Conceptum enim ſermonem, quem cum duobus aliis ſociis contulerat, retinere non potuit. Atque ita, licet extra rem, hos habuit ſermones ἀπροσδιονυσίας, vt aiunt, quia, vt dicebat S. Thomas, quid dixiſſet Iobus non intellexit. Neque ad mendacium aut errorem vere deſtinauit tela, ſed ad erroris ſimulacrum, quod aut ipſe ſibi videre videbatur, aut quod quaſi ſcopum excitarat, vt in illum, quæ meditatus fuerat, tela deſtinaret. Accuſat autem Iobum impietatis, quia, ut dicit hic Hieronymus, & ex eo Beda, *temere locutus eſſet ad Deum. Deinde quod diceret, quod in regno fuiſſet cæteris Regibus præpollentior, & quod hanc plagam innocens pateretur.* An hæc poſtea dixerit, ſuis locis videro, certe ante hanc Baldad orationem hæc, aut horum aliqua non videntur fuiſſe dicta.

4. *Supplanto quid.* Supplantare iudicium, aut iuſtum ſubuertere, idem omnino valent, nempe iniquum eſſe iudicem, aut eum, qui exiſtimatur lege in

pag. 129. b alterum agere, cum legum æquitatem non ſeruat, ſed peruertit iura, neque tam æquitatem in iudicando, quam ſuam commoditatem aut iudicium intuetur. Eſt autem in verbo *ſupplanto* perbella metaphora, qua fraudem aut dolum ſignificamus, denique conatum aliquem modo non legitimo. Proprie eſt, obiecto vel ſuppoſito pede aliquem ad caſum impellere. Quod neque Tullius in eo permittit, qui in ſtadio currit, de quo ſic ex Chryſippo: *Qui ſtadium currit, eniti & contendere debet quam maxime poſſit, vt vincat; ſupplantare eum, quicum certet, aut manu depellere nullo modo debet.* Certat iniquus iudex, cum detorquere vult aut peruertere iudicium, cum lege, quæ agendi modum rationemque præfinit. Quam cum ſuperare non poſſet, ſi legitime pugnet, neque ad ſuam commoditatem, aut libidinem iudicium inflectere, ſupplantatione vtitur, & callide ſupponit pedem, quo eludit & ſternit legis robur, quod alioqui foret inelu ctabile. Supponere autem pedem legi ille videri poteſt, qui tenebras offundit legi, ne veritas appareat; qui in alienas interpretationes illam detorquet, qui venalem habet vocem & iudicium, qui cum ſeuerum ſe præferat atque integrum æquitatis vindicem, atque cuſtodem, honeſtum nomen improbo conſilio & captioſæ ſimulationi prætendit. Tale iudici æquiſſimo Deo nomen datum a Iobo cauillatur Baldad, qui & ipſe ſupplantaſſe videtur veritatem & calumniam orſus eſſe malignam, non verum obiecisse crimen. *Supplantare iudicium quid.*

Vſus eſt hoc loco Baldad epicheiremate, eo videlicet argumentandi genere, in quo ex tribus vna pars tantum adhibetur ſyllogiſmi, ſicut in enthymemate duæ. id vero quod in epicheiremate deſideratur, ex ſequenti verſu non difficile ſumitur. Eſſet autem ſyllogiſmus integer, ſi ita ageres: *Deus non ſupplantat iudicium, neque ſubuertit, quod iuſtum eſt, atque ideo innocentem non caſtigat, alioqui iudicium ſupplantaret.* Hæc eſt maior propoſitio. *Sed te nunc graui ſupplicio cruciat*: Hæc eſt minor. *Ergo tu innocens non es.* Hæc omnia ſuperior verſus vna tantum propoſitione complexus eſt. Quæ omnia prodit, licet obſcurius, verſus, qui ſtatim ſuccedit. 5.

Verſ. 4. *Etiamſi filii tui peccauerunt ei, & dimiſit eos in manu iniquitatis ſuæ.*] Illud etiam ſatis oſtendit, aliquid fuiſſe in Iobo ſimile fi- 6.

liis, peccatum videlicet, propter quòd nunc cruciatur: ſicut filii propter peccatum fuerunt extincti. Hoc autem argumentum ſumptum eſt ab exemplo, quo maior probatur propoſitio, illo nempe: *Deus non ſupplantat iudicium puniens innocentem.* Nam filii, qui fuerunt ruina domus oppreſſi, iam ante peccauerant. Neque ab alio dicuntur repentino illo caſu ſublati, quam a peccato ſuo; quod diuinum in illorum capita furorem prouocarunt. Quaſi dicat Baldad: ſicut filii tui propter peccatum ab vltrice Domini dextera ſublati ſunt; ſic tu ab eadem manu & modo cruciaris, & niſi mature diuino furori occurras pœnitendo, tandem peribis.

7. Eodem principio, quo Eliphaz, deceptus Baldad, peccatores fuiſſe affirmat Iobi filios, & eam ob rem oppreſſos a ruente domo, neque quid admiſerint ſceleris oſtendit. dimiſſi autem dicuntur in manu iniquitatis ſuæ, id eſt, traditi peccato: vt illud quaſi diuinæ iuſtitiæ ſatelles & carnifex illatas aut Deo, aut

pag. 130. a proximo vlciſceretur iniurias. Dicitur autem peccatum punire ſcelerum reos, quia in cauſa fuit, vt illi punirentur. Quomodo dicimus aliquem ab auaritia, ſeu ambitione extinctum, quia illum duo iſti affectus in vitæ periculum coniecerunt. Qui dicendi modus non ſolum apud ſacros, ſed etiam apud profanos Scriptores vſitatus eſt.

REGVLA. *Illi actio tribuitur, qui cauſa fuit, aut occaſio illius.*

Geneſ. IV, 7. dictum eſt ad Cain: *Nonne ſi bene egeris, recipies; ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum aderit?* quaſi vltor, quod cauſam mortis vndecunque locorum acceſſat, & teipſum alieno vulnere conficiat. Cicero *ad Atticum: Vlciſcentur eum mores ſui*; id eſt, praui atque difficiles mores irritabunt homines, qui pœnas exigant ingenii moroſi & intractabilis. Explicuit optime Iſaias *cap. LXIV*, 7. huius loci ſententiam iiſdem pene verbis: *Alliſiſti nos in manu iniquitatis noſtræ.* Quod ſtatim in altero hemiſtichio per epexegeſim expoſuit: *& peccata noſtra abſtulerunt nos.* Et totum humanum genus occiſum dici poteſt a peccato, quia mille mortis cauſas in hominum exitium inuexit. *Sap. I*, 16. *Per peccatum mors, & impius manibus, & verbis accerſierunt illam.* Alia multa ab aliis adducuntur, quæ prudens omitto, quia neque illa nimis placent, & longus eſſe nollem. Illud dicam, non eodem modo ab omnibus hæc verba conuerti. LXX. *Miſit in manu iniquitates eorum.* Quod ſic exponit autor catenæ: *Si nati ſui culpa lapſi ſunt: an non iuſtam pœnam tulerunt?* Vbi *iniquitates*, ſcelerum pœnas eſſe dicit; & in manu actionem intelligit, malam vtique, quæ ſupplicio dignum opus molita eſt. Chaldæus: *Dimiſit eos in locum transgreſſionis ſuæ.* Tigurina: *Permiſit eis euenire, quod ſcelus eorum poſtulabat.* Pagninus: *Expulit eos e mundo propter præuaricationes eorum.* Quod autem Iobi filii, 8.

Iobi filii iuſti.

contra quam hic temere affirmat Baldad, non peccauerint, aſſerit Chryſoſtomus *tom. 1. homil. 1. de Iob*, vbi dicit obſeruaſſe diabolum conuiuii tempus, in quo laxari animi ſolent, & voluptatibus indulgere liberius, vt duplici nimirum morte illos redderet infortunatos. Sed negat illos vllatenus peccaſſe: *Illi*, inquit, *quidem amicitiam* (nempe Iobi filii) *hic vero* (nempe diabolus) *gladium acuebat; illi charitatem ædificabant, hic domum ſubuertit.* De religione & pietate filiorum Iobi, vide quæ diximus *cap. 1. num. 37.* ad illud *v. 5. ne forte peccauerint filii mei.*

Verſ. 5. *Tu tamen ſi diluculo conſurrexeris ad Deum, & omnipotentem fueris deprecatus*, &c. *euigilabit ad te.*) Argumenta- 9.
tur a diſſimilitudine. Etiamſi filii ſuorum ſcelerum pœnas dederint; non tamen ſic accidet tibi, o Iobe, ſi mature Deum propter peccata tua grauiter offenſum pœnitendo placaveris: quod filii non fecerunt. Vt enim tu ad Deum vigilaueris conſurgendo diluculo, ſic Deus diluculo, vt opem tibi quam primum ferat, & ruinas inſtauret, vigilabit.

Verſ. 6. *Et pacatum reddet habitaculum iuſtitiæ tuæ.*) Quaſi dicat, hactenus habita- 10.
culum tuum habitaculum erat impietatis, tyrannici imperii, auaritiæ non ferendæ, vulgare ſceleratorum perfugium, & omnis libidinis atque intemperantiæ commune diuerſorium: atque ideo in domum tuam tot infortuniorum atque plagarum multiplex incubuit cohors. At ſi in eadem domo, vbi diu inveterauit ſcelus, cœperit habitare iuſtitia, & vt facta fuerit morum ſtudiorumque, ſic etiam fiet magna fortunæ conuerſio. Erunt enim pag. 130. b

paca-

pacata omnia: & salus,& quies, quæ hisce diebus exularant, desertam domum postliminio reuisent, & quæ prius videbantur exigua, magnum deinceps accipient incrementum.

11. Verf 8. *Interroga enim generationem pristinam, & diligenter inuestiga Patrum memoriam.*] Posset Baldad exemplis confirmare non paucis, sceleratos a Domino mulctatos esse graviter, & conuersos per pœnitentiam ab eodem iam placato & miti susceptos fuisse clementer. Sed ab exemplis abstinet, quia nota esse Iobo arbitrabatur; neque opus esse antiquissimam sæculorum repetere memoriam. Est autem verisimile, Idumæos, qui licet Israelitæ non essent, erant tamen ex Abrahami semine, vtpote ex Esau prognati, a quo didicerant quæ postea monumentis tradidit Moyses de Cain propter fraternam cædem male mulctato,& inuitato a Deo ad pœnitentiam promissa venia, de qua ille scelerum suorum conscius desperarat; de diluuio, quod mundum deleuit,& de quinque ciuitatum incendio iis tantum ex vtraque strage conseruatis,qui iustitiam in tanta morum corruptela seruarant. Iubet ergo Baldad, vt antiquam repetat memoriam, vel quod idem est, eos consulat, qui primis mundi seculis vixerunt, a quibus propter longum æuum notata atque obseruata sunt.

12. Verf. 9. *Hesterni quippe sumus, & ignoramus, quoniam sicut vmbra dies nostri.*] Hæc a circumstantibus parenthesi separari debent. In quibus rationem reddit Baldad, cur ipse exempla sui, id est, præsentis seculi non adducat; sed ad antiquas historias, vel ad maiorum memoriam potius remittat. Ait, enim, se esse hesternos, id est, natos esse heri, atque ideo se non comparasse illarum rerum scientiam, quam parit temporum diuturnitas: quæque tantum, aut certe, aut præcipue assequuntur longæui. Neque præterea sperare se multarum rerum habiturum esse cognitionem, cum futura sit brevis vita, quæ sic euanescit sicut vmbra, quæ neque diu stare, neque diu sui similis esse potest. At priora tempora homines aluerunt longioris vitæ, qui tres aut quatuor ætates impleuerunt eorum hominum, qui idem cum Iobo seculum nacti sunt. Lege *cap. XI. Genes.* & inuenies, quam longior antiquissimis hominibus, quam Abrahamo, qui Iobum antecessit, & his, qui Abrahamo successerunt, vita contigerit.

Verf. 11. *Nunquid virere potest scirpus absque humore, aut carectum sine aqua?*) Comparatio optima est, & fortasse eo tempore apud Idumæos prouerbialis. Qua significatur,nihil sine Dei fauore non solum crescere, sed neque in sua viriditate ac flore conseruari posse. Sunt, opinor, istæ herbæ aquarum amantes & palustres, quæ in locis oriuntur humentibus; quæque sic ab aquarum humore dependent, vt si ille absit, momento temporis deficiant, etiamsi nemo resecet,cum virerent maxime,& duraturæ viderentur in æuum. Cum autem multæ herbæ in locis nascantur humidis & cœnosis, quæque (vt fit in omnibus ferme plantis) in vna regione magis sint fortes atque diuturnæ; in alia debiliores, & quæ minus ferunt ætatem; apud Idumæos, opinor, nasci scirpos & carices, ita natura sua debiles & molles,vt si aqua detrahatur,aut siccentur paludes, temporis momento languescant & deficiant. Quod aliis plantis aut herbis contingere non solet, quæ sitim ferunt, neque cuicunque loci siccitati succumbunt. Huic igitur scirpo, seu carici comparat Baldad humanam vitam, aut humanam felicitatem, quam adumbrat iunci aut caricis viriditas. Humor, quo huiusmodi scirpus augetur, & viret, Deus est; qui cum a Iobi filiis, vt Baldad argumentatur, abesset, statim aruerunt, defeceruntque. Neque aliam causam esset putat, cur Iobus nunc prope sit, vt arescat & deficiat, nisi quod ab eo Deus procul abest, qui fucatam odit sanctitatem, qualem in Iobo fuisse criminatur. Quare hortatur, vt ad Deum vere atque ex animo redeat: & ab eo irrigetur humore, a quo solo potest accipere viriditatem & robur. alioqui, vt iam cœpit, omnino periturus. Porro translatione ex plantis sumpta, *rigo* robur in homine, & speciem indicat. Sic Iobus infra *cap. XXI, 23. Iste moritur robustus, & sanus, diues, & felix, & viscera eius plena sunt adipe, & medullis ossa illius irrigantur.* & *Prou. III, 8. Sanitas erit vmbilico tuo & irrigatio ossium tuorum.*

Verf. 13. *Sic via omnium, qui obliuiscuntur Deum,*

Margin notes: 13. — *Scirpo humanæ vitæ breuitas comparata.* — pag. 131. a — *Rigo speciem indicat & robur.* — 15.

Deum, & spes hypocritæ peribit.] Accommodat similitudinem, & docet, idem prorsus accidere illi, qui a Domino recesserit, qui fons est iugis & puræ aquæ: qui speciosas reddit & vberes plantas, quæ secus illius decursum depactæ sunt. Cuius speciem exprimit lignum illud, de quo *Psalm. I. 3.* vbi sermo est de viro, qui die ac nocte in lege Domini meditatur. *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursum aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium eius non defluet,* &c. At qui hoc humore seu irrigatione caret, erit sicut puluis, quem proiicit ventus, seu, vt habet Hebraicus textus, *sicut palearum minutæ glumæ.* His autem arentes scirpi, de quibus supra, quam simillimi sunt. Cum autem in omnes homines peccatores ista conueniant, hypocritæ tamen præcipue meminit, sicut etiam alibi in hoc libro sæpe nomen istud auditur. Quia eo nomine Iobus ab amicis sæpius accusatur, qui non tam in eo veram sanctitatem, quam sanctitatis laruam videre se dicunt. Laruatus autem seu personatus homo hypocrita est, qui non personæ suæ autor est, sed actor alienæ. Sperare autem potest ab homine, qui externa tantum videt, eximium aliquid personata sanctitas, qualis est hypocritæ: at non a Deo, qui corda & renes hominum scrutatur, & veram probat & munerat, non simulatam & vacuam sanctitatis speciem. Atque ideo dicitur species hypocritæ peritura apud Deum, qui non specie solum rerum, sed solida veritate capitur.

Quam miser ille, quem Deus relinquit.

Hypocrita quis.

16. Vers. 14. *Non ei placebit væcordia sua, & sicut tela aranearum fiducia eius.*] Vecors plane est & stuporis intolerabilis ille, qui placere se Deo putat specie tantum externa atque fucata sanctitatis, quasi Deus illudi posset & capi falsa rerum imagine. Qui autem in eiusmodi sanctitate sibi placet, mentiturque quasi aliquo fundamento solido, similis est illi, qui vestigia sua aut domum in tenui ac fragili aranearum tela fundare velit, aut illa tela suam induere nuditatem. Qua in re & suum ostenderet stuporem ac væcordiam, & aliis se irridendum præberet. Aranearum tela proverbiali forma apud Hebræos sumitur pro re vilissima, quæque facile dissipari potest. Cum tamen magno aranearum labore ex eorum visceribus elaborata sit. Sæpe hoc proverbium in Scriptura legimus. Illius sensum explicuit Isaias *c. LIX. v. 5.* qui cum dixisset de impiis, *Telas araneæ texuerunt;* addidit statim: *telæ eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis: opera eorum opera inutilia.* Et Gregorius *in hunc locum: Aranearum,* inquit, *tela studiose texitur, sed subito venti flatu dissipatur; quia quod hypocrita cum labore peragit, aura humani fauoris tollit: & dum in appetitu laudis opus deficit, quasi in ventum labor euanescit.*

Hypocritæ stupor.

Prouerbium: aranearum tela pro re futili.

pag. 131. b

Hypocritæ inutilis labor.

Vers. 15. *Innitetur super domum suam, & non stabit: fulciet eam, & non consurget.*] Explicatur vis & vsus prouerbii, & quare hypocrita dicatur aranearum telas operatus: quia non plus habebit firmamenti in domo, quam magnis ædificauit impensis, quam si telas e suis visceribus aranearum in modum texuisset. Ostendit autem, quam sit stultum & futile hypocritarum opus, quod & nullum apud Deum pondus habebit, & quod stolido homini hypocrisis imponit, onus non solum inutile, sed etiam intolerabile est. Est enim durum, simulare diu, quod non est, alieno fuco: aut quod est, perpetuo quodam artificio & immenso labore dissimulare. Neque consilio atque artificio fundata, id est, opus ad quod aspiret, aut quodcunque molitur hypocrita, aut consurgit, aut stabit diu: quia non innititur veritate, aut Domino, qui columna fortitudinis est & inconcussum æternæ structuræ fundamentum. 17.

Vers. 16. *Humectus videtur, antequam veniat sol, & in ortu suo germen eius egredietur.*] 18.
Hic locus difficilis est propter diuersas translationes, & textum Hebraicum, a quo nonnihil nostra videtur dissentire translatio. LXX. ita legunt in Sixtianis: *Humidum enim est sub cœlo, & de putredine eius germen ascendet.* Complutenses Codices: *De sterquilinio suo ramus eius egredietur.* Tigurina: *Plantæ in se humorem continentis, etiam cum in sole stat propago tener prodibit in horto.* Vatablus: *Viridis est ante solem, & supra hortum rami eius extendunt se.* Eodem pene modo Pagninus, & Hebræus apud Caietanum. Chaldæus: *Tener est antequam egrediatur sol, & in horto suo germen*

eius

eius egredietur. Hæc omnia componere conabimur; in quibus plusculum operæ necessario ponendum est. Primum sicut varie legunt Hebræi, & qui cum Hebræis loquuntur & sentiunt; sic etiam, vt optime Pineda, eorum aliqui hunc locum accipiunt aliter, ac Latini; in illo namque iustum intelligunt, qui plantatus est iuxta aquas iugiter manantes, qui semper est viridis, semper germinans sicut arbor in horto plantata, quæ suis irrigatur temporibus, neque hortulani vnquam defuit industria & continuus labor, quæ sua late fundit germina, & sic est altis nixa radicibus, vt in aceruo etiam aridorum lapidum floreat, neque videat, aut timeat securim, aut falcem, *Iusti felicitas.* qua succidatur aut nudetur ramis, & nouo semper abundet germine, & vbera in dies singulos propagatione lætetur.

19. Alii communiter cum Hieronymo, Gregor. & Sanct. Thom. continuari putant scirpi metaphoram, qui cum impii atque hypocritæ symbolum sit, de hypocrita atque impio sermonem esse censent. Scirpus igitur, ante-
pag. 132. a quam oriatur sol, nocturno rore madidus viret; at cum primum æstiuo sole dies incaluit, marcescit & perit. In ortu suo, quasi natus esset *Impiorum momentanea felicitas.* & excultus in horto, loco videlicet irriguo & culto, viret & germinat; sed cum æstiuo calore locus palustris & aquosus exaruit, non aliter scirpus marcidus est, quam si illum in saxoso atque arido loco nasci contingeret. Si de loco suo, vbi paulo ante virens florensque videbatur, illum calor absorbeat, sic vanescet totus, vt si loco illi quicquam inesset mentis, responderet rogatus, se neque habuisse apud se vnquam scirpum, aut iuncum, neque quid sit rerum scirpus aut iuncus, agnouisse. Hæc videtur paraphrastica expositio, & litteræ, & orationis filo consentanea. Nunc quædam obseruanda, quæ parum cum hac explicatione consentire videntur.

20. Vbi Vulgatus *humectus* Hebr. est רטב *ratob*, quod alii *humidum*, alii *viride*, alii *tenerum* vertunt. Quæ voce differunt, sententia conueniunt. Nam quæ humido sunt loco, si modo humorem ament, quales sunt palustres herbæ, virides sunt & teneræ; & in eo loco, sicubi suam speciem & luxuriam ostentant: quod si paludem aut humentem locum siccari contingat, quod sub æstate fieri solet, omnia pereunt.

Antequam veniat sol.] Hebr. est לפני שמש *liphne sames*, quod alii *ante solem*, alii *sub sole*, aut *sub cœlo*; noster omnium clarissime & accommodatissime vertit, *antequam veniat sol.* Vox enim Hebraica idem valet, quod *ante faciem solis.* Sed est dubium, an de quotidiano & matutino solis adventu sermo sit, vel de solis annuo reditu, quando a tropico capricorni ad nostrum reuertitur, ad tropicum videlicet cancri, cum inducit æstatem, & regionem nostram vrit & siccat. Et hoc posterius magis mihi probabile videtur. Neque enim vno solis ortu exiccantur paludes, & arescunt scirpi, in quibus aliquid est lentum, quod vni aut alteri solis ortui resistat. Nisi in voce Hebraica גמא *gome*, pro qua Vulgatus scirpum reddidit, herbam intelligas, quæ vt cito nascitur, viret & floret; sic etiam facile marcescit, & quam breui consecuta est, ambitiosam speciem, deponit, qualis est alga aquatilis herba, aut fœnum, de quo *Isai. XL, 6.* aut illa herba, de qua *Psalm. LXXXIX, 6. Mane sicut herba transeat: mane floreat, & transeat: vespere decidat, induret, & arescat.* Sed ego hic hyperbolem video, a qua Scriptura sacra non abhorret, quæ prouerbiis in omni idiomate familiaris est. Neque ego longe sum, vt putem, in his verbis Idumæorum esse prouerbium, quo significatur alicuius momentanea gloria, quæ vnius dici tantulo spatio nascitur, & perit. 21.

Et in ortu suo germen eius egredietur.] Vbi Vulgatus *ortu*, Hebr. est גנתו *ganatho*, quæ vox *hortum* sonat, & ita reddunt omnes pene recentiores: sed ego aliquid hic in Hebraico textu minus sincerum esse suspicor: neque huius leuis est coniectura, quod aliter transtulere Septuaginta, quod non videntur fuisse facturi, si vocem illam in suis codicibus habuissent. Sic autem illi, Καὶ ἐκ σαπρίας αὐτοῦ, quod Codex Complutensis vertit, *de sterquilinio suo.* Sixtianus, *de putredine eius.* Quæ omnia conciliari non difficile possent, si illud *in ortu suo*, non ad solem referas, sed ad scirpum, & ad hypocritam, quem scirpus exprimit. Quasi dicas, in loco, vbi oritur, qui quasi quidam hortus est, vbi speciosæ oriuntur 22. pag. 132. b

plantæ; ibi ramos suos diffundit, & multiplici propagine luxuriat. Huc facit LXX. translatio, quæ sterquilinium reddit, ac putredinem. Quæ duæ voces herbarii aut hortulani curam & industriam significant. In hortis enim, quos fœcundos & egregie cultos esse volumus, plurimum stercoris spargimus: quod rei hortensis ac rusticæ periti fermentum appellant terræ. Meminisse autem oportet iuxta Hebraicum idioma similitudinis notam subaudiri solere. Quare in hanc sententiam omnes istæ translationes conueniunt. Ante solis aduentum scirpus in ortu suo, id est, in loco, vbi natus est, nempe cœnoso & palustri; qui locus, si primam illius scirpi intuearis speciem, quasi quidam est hortus stercore fermentatus putri; scirpus, inquam, germen diffundit, & multo vallatus frutice syluescit. Quod autem siccato solo, calore nimirum æstiuo, aut imbrium defectu, species illa pereat, ostendunt, quæ proxime sequuntur.

23. Vers. 17. *Super aceruum petrarum radices eius densabuntur, & inter lapides commorabitur.*] De viro hypocrita atque impio hæc intelligo; & obseruo, quod proxime dixi, subaudiri hic similitudinis notam. Quo posito neque difficilis est explicatio, neque a filo textuque distorta, in hanc sententiam: Scirpus, seu iuncus, aut carex, qui in humido atque palustri loco plerumque proueniunt, sic humore deficiente marcescent, vt non tam in humenti, suæque naturæ accommodato solo, quam inter arida saxa & in lapidum aceruo nati videantur, vbi neque virorem possint vllum habere, neque succum, quem per radicum fibras ad vitam atque incrementum trahant. Literam sic ordino: Exit scirpus in siccata palude, perinde atque si initio satus esset in lapidum aceruo.

24. Hic obseruo, varias plantas variis gaudere locis, & quæ in vno loco large feliciterque proueniunt, illa eadem alio & ortus habere infelices & tardos, & interdum non nasci. Quod notare maxime debent, qui rem curant arborariam & rusticam. Qua de re Maro 2. *Georg.*

Fluminibus salices, crassisque paludibus alni
Nascuntur, steriles saxosis montibus orni.
Littora myrtetis lætissima: denique apertos
Bacchus amat colles.

Aliæ plantæ aliis locis felices, & vberes.

Sed multo magis scirpus, seu iuncus, iste præcipue, qui ab Hispanis dicitur *iuncia*, cuius caulis rotundus non est, neque ad extremum acutus, sed latus & mollior foliorum instar. Porro iuncum in locis prouenire aquosis & stagnantibus, vt omittam alios, & experientiam quotidianam, qui hæc nos ignorare non sinunt, Scriptura sacra docet. Nam Isai. *c. XIX, 6.* ait, deficiente aqua, defecturum quoque calamum & iuncum: *& deficient flumina, attenuabuntur, & siccabuntur riui aggerum, calamus & iuncus marcescet.* Et idem *c. XXXV, 7.* terram antea aridam sic dicit fore aquarum abundantem, vt in ea calamus nascatur & iuncus, *scissæ sunt in deserto aquæ, & torrentes in solitudine: & quæ erat arida, erit in stagnum, & siliens in fontes aquarum: in cubilibus, vbi prius dracones habitabant, orietur viror calami & iunci.*

Vers. 18. *Si absorbuerit eum de loco suo, negabit eum, & dicet, non noui te.*] Si sol humorem arefecerit, qui scirpum in suo virore conseruabat, sic marcescet & deficiet scirpus, & omnis pariter materia palustris, vt locus, qui prius earum plantarum vbertate amœnitatis videbatur eximiæ, sic relinquatur ab illis desertus & nudus, quasi nunquam in eo natus esset scirpus, aut scirpeæ materiæ nomen auditum. id enim valet, *negabit eum, & dicet, non noui te.* Quæ verba sunt loci antea calamo abundantis & iunco, nunc propter siccitatem ab illis omnino destituti. 25. pag. 133. b

Vers. 19. *Hæc est enim lætitia viæ eius, vt rursum de terra alii germinentur.*] Varii de huius loci interpretatione varie sentiunt. Quidam sic exponunt, vt dicant, illud scirpo in arente stagno, seu palude defecturum esse solatium, quod morientibus solet esse extremum atque vnicum, quia ex ea stirpe noua succrescit soboles, in qua censetur viuere planta iam emortua. Sane de patre mortuo dicitur *Ecclesiastic. XXX, 4. Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus; similem enim reliquit sibi post se.* Et in magnis beneficiis numeratur filiorum numerosa progenies. Sic Deus ad Abraham *Genes. XXVI, 4. Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli.* Idem ad Isaac ibidem *v. 24.* Qua dicendi forma insultare aut arguere videtur Iobum Baldad, quasi 26.

ad

ad ſcirpi modum in arenti ſolo, nullam ſit relicturus ſobolem, quæ parentis mortem conſoletur. Quod ſane ita cum magna viri ſimilitudine iudicare poterat; cum omnem progeniem ingenuam & nobilem (nam de liberis e concubinis ſuſceptis ſuo loco videbimus) oppresſiſſet ruina, neque Iobus in eo eſſet ſtatu, vt vitæ vſuram videretur habiturus eſſe diuturnam.

27. Sed licet hæc ſententia ſic explicata non videatur eſſe difficilis; aliam tamen magis arbitror expeditam & facilem, ita vt prior pars aliquid contineat ironicum. Quaſi dicat Baldad ſubſannans, aut hominem vniuerſe hypocritam; aut Iobum, cuius fucatam putabat eſſe ſanctitatem, qui lætitiam aut gloriam artificioſa ſimulatione captabat; en quem habuerit ex adumbrata pietate fructum, & ex ementita religione lætitiam! Hæc voluptas ſequitur huiusmodi vitæ inſtitutum & genus. Viam autem pro certa viuendi ratione ſumi, iam ſæpius oſtendimus.

28. *Vt rurſum de terra alii germinentur.*] Hæc eſt voluptas, quæ impietati aut ſimulatæ religioni reſpondet, nempe, vt aliquis non ſolum ſuam ſibi familiam non augeat & amplificet, ſed quicquid habuit prius, non hæredi ſuo, ſed alieno poſſeſſori relinquat. Id quod Chriſtus dixit Iudæis, qui minus quam fas erat fideliter datum ſibi a Deo negotium obierunt. *Matth. XXI, 43. Auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti, facienti fructus eius.* Hoc perbelle exprimit ſcirpi iam emortui & ſiccatæ paludis inducta ſimilitudo. Nam locus ille, vbi carices adoleuerunt, & ſcirpi, dum aquis abundaret, cum aquæ defecerunt, quas amant & ſequuntur paluſtres
pag. 133. b herbæ, ad aliarum plantarum, vinearum puta, aut ſegetum vſum & ſatum conuertuntur. Quod ſæpe vidimus, & hoc ipſo loco, in quo hæc ſcribo, aratur nunc, & ſeritur palus, quæ ſcirpis olim abundabat & piſcibus, in qua vix apparet ſcirpeæ paluſtrisue materiæ vel tenue veſtigium.

29. Verſ. 20. *Deus non proiiciet ſimplicem, neque porriget manum malignis.*] Diſcrimen ſtatuit ex parte Dei inter hominem malignum & hypocritam, qui ſimulare ac diſſimulare didicit; & inter eum, qui ſimplici eſt ac ſincero pectore, huic enim Deus porrigit dexteram, & vbi mala ingruerint, præſto eſt, denique illius conatus iuuat & promouet; illum autem tanquam alienum & odioſum proiicit. *Prouerb. III, 32. Abominatio Domini eſt omnis illuſor; & cum ſimplicibus ſermocinatio eius.*

Verſ. 21. *Donec impleatur riſu os tuum, & labia tua iubilo.*] Verbis, quæ præceſſere proxime, hortatur Iobum Baldad, vt ſimplex eſſe meditetur, & deſinat eſſe malignus & hypocrita, quia ſimplicem amplectitur Deus, neque ab illo ornando auferet manum, donec illum ita proſequatur & cumulet, vt materiam præbeat exultandi perpetuo, & iubilandi ore pleno, non ficto ac ſimulato riſu, ſicut ridet hypocrita, cum tamen in mœrore ſit, ſed vere & ex animo. Et ſi quis illius gaudium turbare voluerit, neque ſui voti compos erit, quia vt maxime contendet aſſequetur nihil, neque illius conatus quicquam conſequetur præter pudorem. Id enim valet, *qui oderunt te induentur confuſione.* 30.

Et tabernaculum impiorum non ſubſiſtet.] Occurrit Baldad cogitationi tacitæ Iobi, aut aliorum, qui in hac ſiue exhortatione, ſiue reprehenſione aliquid deprehenderent, cuius contrarium ipſa rerum experientia docuiſſet. Dixiſſet Iob, ſi hypocrita ſum, aut veterator, & malignus, vt tu mihi tam libere atque conſtanter obiicis, quomodo me Deus tam paterne fouit, tam prolixe & large proſecutus eſt? & dicerent omnes, quod etiam Iobus de ſceleratis dixit *cap. XXI, 7. Quare ergo impii viuunt, ſubleuati ſunt, confortatique diuitiis?* Et *Ierem. cap. XII, 1. Quare via impiorum proſperatur? bene eſt omnibus, qui præuaricantur, & inique agunt.* Hanc igitur obiectionem occupat Baldad, dum ait, nunquam futurum, vt ſubſiſtat & in ſuo ſplendore perſeueret impiorum domus, quæ licet contra omnium temporum viciſſitudines & iniurias ſatis videatur habere firmamenti, non tamen ſubſiſtet diu, neque efficiet quantumcumque ſibi aduocet ſubſidii, vt non experiatur ſeuerum & grauem Domini manum, quæ tandem impiorum ſcelera abire non patietur impune. Id quod a ſeipſo Iobus habere poteſt documentum. Nam cum prius abundaret omni-

bus, quibus indiget natura mortalium, non solum ad necessarios vsus, sed etiam ad regium splendorem atque delicias; tamen ex illa conditione sublimi sic cecidit in sordidum & ignobilem statum, vt nihil excogitari posset infelicius, & a priori fortuna magis alienum.

ARGVMENTVM CAP. IX.

ADmittit Iobus, quod de diuina potentia dixerat Baldad: neque hominem, quantumcumque iustus videatur, cum Deo comparatum iustum videri. Et primum, quam sit Dei mirabilis potentia, multis ostendit, & quam sit periculosum, cum Deo velle de iustitia atque æquitate contendere; cum in illis, in quibus homo sibiipsi de seipso placet, multa Deus videat, quæ condemnet. Cur autem sibi neque honestum sit, neque tutum, cum Deo expostulare, aut iudicio disceptare legitimo, accurate docet, & quædam adducit, quæ dicta a se audacius dolet, & accusat a versu 22. vsque ad 27. deinde post hoc longum hyperbatum ad interrupta reuertitur, & alia adducit, propter quæ homo cum Deo congredi nullo modo debeat, cum aliter instituendus sit agendi modus cum Deo, quam cum homine, cui æqualis est alea, neque inæqualis a lege præscripta iudicandi ratio.

CAPVT IX.

pag. 134. 1. ET respondens Iob ait:

2. Vere scio, quod ita sit, & quod non iustificetur homo compositus Deo:

3. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum pro mille.

4. Sapiens corde est, & fortis robore: quis restitit ei, & pacem habuit?

5. Qui transtulit montes, & nescierunt hi, quos subuertit in furore suo.

6. Qui commouet terram de loco suo, & columnæ eius concutiuntur.

7. Qui præcipit soli, & non oritur:

PARAPHRASIS.

1.2.3 Ad hæc Iobus: Vere scio, totoque ore pag. 134. *ac pectore confiteor, Deum æquum esse iudicem, neque hominem, quantumcunque iustitiam colat, illius comparatione videri iustum. Quod si cum Deo expostulet, & cum illo iudicio velit disceptare legitimo, sic erit in illa congressione homo inferior; vt si mille contra eum Deus obiecerit, non habeat, quid illorum vni honeste respondeat.*

4. Quis ergo vsqueadeo temerarius & audax, qui non horreat cum illo in palæstram quoquo modo descendere. Nam cum sapiens sit, nullo potest hominum artificio deludi: & quia fortis, obstare potest nihil, quominus ad vnum quæ iudicauit omnia executioni mandet. Quis vnquam cum tam sapiente ac strenuo concertatore congressus est, cui non infeliciter successerit tam inepta contentio?

5. Qui si voluerit, dum indignatur & furit, potens est, ex vno in alterum locum transferre montes, idque ea celeritate atque impetu, vt qui in illis fuerint, & magna inde decrementa capiant, corruisse non sentiant.

6. Neque illi magis est difficile, columnis terræ brachio omnipotenti concussis, illam e suis conuulsam sedibus alio traducere.

7. Qui si soli præcipiat, ne oriatur, parebit statim

&stellas claudit quasi sub signaculo.

statim illius imperio, continebitque circularem motum, neque suo mundum splendore lustrabit. Quod si astra cœli obsignare voluerit, & includere, ita vt neque a sole lucem accipiant, neque mundo communicent; nullus erit, qui imperata recuset, aut retardet.

8. Qui extendit cœlos solus, & graditur super fluctus maris.

8. Qui cœlorum immensa spatia, quasi tabernaculum extendit, qui marinos fluctus suo moderatur arbitratu, quos suis calcat pedibus, & suo denique subigit & premit imperio.

pag. 135. 9. Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas, & interiora Austri.

9. Qui tempestates excitat, cum libet, & easdem sedat. Neque enim illæ iam excitantur ab Arcturo, Orione, & Hyadibus, & ab his ventis, qui ab australi regione aspirant, quam a Deo, qui illa creauit sidera, quæ putantur ciere tempestates & ventos, qui marinos excitant fluctus, & mare conturbant. pag. 135.

10. Qui facit magna, & incomprehensibilia, & mirabilia, quorum non est numerus.

10. Qui facit opera ita magna, vt neque comprehendere, aut satis admirari queat humana ratio, & ita multa, vt certo numero definiri non possint.

11. Si venerit ad me, non videbo eum: si obierit, non intelligam eum.

11. Quis ergo tam erit stolidus, qui pugnare cum eo velit, cuius est tantum robur atque sapientia, vt hæc faciat, tanta in pugnando dexteritas, vt neque præsentem videat, aut agnoscat, neque recedentem sentiat, neque denique nouerit, quando certamen ineat, aut omittat?

12. Si repente interroget, quis respondebit ei: vel quis dicere potest: Cur ita facis?

12. Quare si repentinus adueniat, & me imparatum & securum opprimat, quid respondebo illi? & cum rationem illi factorum omnium reddere debeam, ab illo tamen exigere non possum.

13. Deus, cuius iræ nemo resistere potest, & sub quo curuantur qui portant orbem.

13. Talis est Deus, cui obluctari nemo, aut irato repugnare audebit, nisi stultus & amens. Ante cuius faciem illi procumbunt, & supplices adorant, qui suis humeris totam mundi molem sustinere creduntur.

14. Quantus ergo sum ego, vt respondeam ei, & loquar verbis meis cum eo?

14. Si ergo hi supplices se ante diuinam maiestatem incuruant, quid ego audeam, tantulus homo illi respondere, aut quod audacioris est ingenii, repugnare? Quid tam de me magnifice aut superbe cogitem, vt exili sermone loqui, aut mutire audeam?

15. Qui etiam si habuero quippiam iustum, non respondebo, sed meum iudicem deprecabor.

15. Si causam haberem honestam & iustam, qua obiectum depellerem crimen, aut probarem durius, quam pro meritis, esse supplicium, non tamen ea vterer depulsione, quæ adhiberi solet, cum causa cum antagonista disceptа-

sceptatur; sed quia res mihi cum iudice ac Domino est, deprecabor illum potius, & ad misericordiam inflectam oratione supplici, quam defensione legitima æquitatem extorquere contendam.

16. Et cum inuocantem exaudierit me, non credo, quod audierit vocem meam.

16. Neque quieto ero animo, si orantem exaudierit Dominus, & postulata concesserit, quia id mihi incertum est, aque ideo in metu sum & sollicitudine, quantumcunque a iudice meo ac Domino culpa remissa.

17. In turbine enim conteret me, & multiplicabit vulnera mea etiam sine causa.

17. Adde, quod etiam sine culpa aut vlla causa mihi comperta, subito me casu eoque vehementi potest opprimere: quemadmodum si tempestatem subitam immittat, aut turbinem, qui præceps est, & quacumque permeat omnia late conturbat.

18. Non concedit requiescere spiritum meum, & implet me amaritudinibus.

18. Ex his, quæ patior, colligo, quid timere deinceps possim & debeam, cum me graui vulnere repente contriuerit, neque concesserit respirare paulisper; & amaro me poculo ad ebrietatem vsque potauerit.

pag. 136. 19. Si fortitudo quæritur, robustissimus est: si æquitas iudicii, nemo audet pro me testimonium dicere.

19. Si in concertatore timenda est fortitudo, quis Deo fortior, qui montes transfert, qui terræ concutit fundamenta; quare manus cum illo velle conserere, stultissimi est & audacissimi consilii. Quod si iudicio velis cum illo certare legitimo, tabulis videlicet, & testibus: quæ tabulæ & leges pondus habebunt contra legis auctorem? qui erunt testes, qui æquitatem summam suo audeant damnare testimonio? pag. 136.

20. Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me: si innocentem ostendero, prauum me comprobabit.

20. Quod si, cum nullum pro me stare videam testimonium, quod me a criminum suspicione defendat, meam a me ipso & propria commendatione innocentiam probare studeam, probatio hæc, quia a propria persona nullum habet pondus, non solum causæ non fauebit, sed etiam incommodabit plurimum. Quia præterquam quod tale testimonium admitti non debet, illius auctorem impietatis & blasphemiæ condemnat, cum Deo videatur impingere, quod ab illius nomine quam longissime abest.

21. Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, & tædebit me vitæ meæ.

21. Quod si innocens fuero, non tamen de hac innocentia ferre possum licet infirmum & iudiciali lege inualidum testimonium; Quia cum hoc ipsum ignorem, nihil de illo certum annunciare possum. Quæ ratio facit, vt mihi ipsi in meipso displiceam, tædeatque vitæ, quæ cum

cum multis sit incommodis obnoxia, de sua tamen sanctitate nihil habet certi.

22. Vnum est quod locutus sum, & innocentem & impium ipse consumit.

22. Hoc vnum locutus sum, propter quod, o amici, me durius accipitis, quod tamen non muto, neque dicti pœnitet: nempe non solum in hoc mortali statu vexari a Domino sceleratos & hostes, sed etiam insontes & amicos.

23. Si flagellat, occidat semel, & non de pœnis innocentum rideat.

23. Hoc item locutus sum, in quo vobis videor parum esse pii atque constantis animi. Si statuit per tot acerbitates vitam eripere, occidat me semel, neque tamdiu ægrum conseruet spiritum, & mortem cogat immortalem subire. Neque sic me in hoc duro stadio atque carnificina verset, quasi ipsum nouus quotidie dolor & gemitus oblectet.

24. Terra data est in manus impii, vultum iudicum eius operit: quod si non ille est, quis ergo est?

24. Dixi item, terræ gubernationem impiorum potestati videri permissam, qui conturbant iura, neque fas apud illos, aut ratio valet; qui iudicum muneribus excæcant oculos, & ne veritatem aut æquitatem spectent, obiecto oculis velamine, vultum operiunt: neque enim potest esse, nisi sceleratus & impius, qui adeo iniuste humanarum rerum rationes moderatur, qui excæcat eorum oculos, qui æquitati ac publicis commodis inuigilare debent, qui nihil denique ab humana potestate metuit, quam suæ subiectam & obsequentem habet.

25. Dies mei velociores fuerunt cursore: fugerunt, & non viderunt bonum.

25. Hæc quæ a me dicta proxime contra diuinam prouidentiam, aut æquitatem videntur esse dicta; quæ modo iam dicam, in me nonnullam impatientis animi suspicionem mouere potuerunt. Dixi enim, dies meos suum velocius cursum absoluisse, quam suus a cursore velocissimo conficitur; & in medio vitæ curriculo præreptam esse vitam, antequam oblatis a natura bonis liceret frui.

pag. 137. 26. Pertransierunt quasi naues poma portantes, sicut aquila volans ad escam.

26. Ea celeritate suum meæ vitæ dies peregere curriculum, qua naues, quæ oneratæ pomis admirabili velocitate feruntur, ne poma, si tardus sit cursus, in medio mari putrescant & pereant: cum marinus humor multo etiam duriora corrumpat, neque minori celeritate volarunt, quam aquila solet, cum vrgente fame inuolat ad escam. pag. 137.

27. Cum dixero: Nequaquam ita loquar: commuto faciem meam, & dolore torqueor:

27. Dum hæc me dixisse meditor, mihi ipsi subindignor, quia liberius locutus videor, quam Dei maiestatem & meam modestiam decebat. Quare cum me ipsum propter illam in loquendo libertatem reprehenderem, statuerem-

tueremque mihi deinceps ab alia sermonis licentia temperandum, commutaremque faciem, & vultum ad serenitatem & hilaritatem fingerem, sic tamen contra vrget acerbus dolor, vt rursus oris grauitatem & modestiam soluat, & ad gemitus adigat, tristesque querimonias.

28. Verebar omnia opera mea sciens, quod non parceres delinquenti.

28. Redeo ad illa, quorum nonnullis interpositus videri poteram oblitus: vbi causas ostendere cœperam, cur mihi non posset vita non molesta videri, nunc eius doloris & sensus alias affero causas. Quia non solum ea, in quibus mihi ipsi displiceo, vereor, sed omnia etiam opera mea: quia Deus intima quæque penetrat, & in illis aliquid deprehendit, quod damnat, in quo nihil homini apparebat iniustum: neque vllum hominum peccatum abire patietur impune.

29. Si autem & sic impius sum, quare frustra laboraui?

29. Si autem, o Domine Deus, talem egi vitam, qualem a principio descripsi, si te timui ac colui, neque in tuo conspectu me iustum esse credidi, si in omnibus operibus meis timui, ne quid tibi non probarem, & tamen impius iudicor; quia tum grauibus conflictor incommodis; ostende mihi, in quo peccauerim, vt ab eo mihi in posterum caueam, ne in meis operibus inanem videar laborem suscepisse.

30. Si lotus fuero, quasi aquis niuis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ:

31. Tamen sordibus intinges me, & abominabuntur me vestimenta mea.

30. 31. Si mundus mihi videar, & aquis ex liquefacta niue manantibus studiose lotus; & in manibus meis magnorum operum administris, splendor appareat, puraque munditi[e]s, in tuo tamen conspectu seu tuoque iudicio sordibus me intinctum atque pollutum declarabis. Et ipsa vestimenta conscissa, sanieque delibuta abominabilem me esse omnibus ostendant.

32. Neque enim viro, qui similis mei est, respondebo: nec qui mecum in iudicio ex æquo possit audiri.

32. Si cum viro mei simili certandum foret, & illi ad obiecta respondendum, neque omnino de causæ victoria desperarem. At disceptandum est cum Deo, qui idem iudex est, accusator, & testis; quique multa videt, quæ mihi comperta non sunt: multa improbat, in quibus, quod damnem, nihil inuenio, neque is est, cui ego aliquid, quod cum aliis iudicialis ratio permittit, possim obiicere.

pag. 138.

33. Non est, qui vtrumque valeat arguere, & ponere manum suam in ambobus.

33. Neque est superior aliquis iudex aut arbiter, qui causam sua auctoritate componat, & controuersiam dirimat, qui pro sua potestate posset vtrumque concertatorem, aut laudare, si visum foret, aut arguere, & denique

pag. 138.

Idu-

34. Auferat a me virgam suam, & pauor eius non me terreat.

35. Loquar, & non timebo eum: neque enim possum metuens respondere.

Idumæorum more manibus super vtrumque positis de communi re non tam litigatorum, quam suo arbitratu decernant.

34. 35. Si ille virgam auferret, qua me percussit, & quam nunc habet ad plagam intentam, liceretque mihi a dolore & metu pauxillum respirare, loquerer cum minore perturbatione ac motu; nunc autem pauor ex dolore & diuina maiestate conceptus omnem mihi respondendi facultatem præcludit.

Vers. 2. *Vere scis, quod ita sit, & quod non iustificetur homo compositus Deo.*]

pag. 138. a
1. SVam fidem ac religionem Iobus ingenua & publica professione testatur: & illa, quæ paucis commendarat Baldad de incorrupto Dei integroque iudicio, cui allini a quoquam non potest iniustitiæ labes, multis probat ac prædicat, ne quis in eo errore ipsum esse putet, quem Baldad proxime, & ante illum Eliphaz Themanites obiecerat. Indicarat autem Baldad *cap. IIX, 3.* audisse se in Iobo supplantari a Domino iudicium & iustitiam subuerti, quasi ipse plecteretur innocens, & Deus ipse potius, quam Iobus videretur iniustus. Quod admittit Iobus, & addit, eam in Deo reperiri iustitiam, vt si homo quantumcunque iustus cum Deo comparetur, videri omnino possit iniustus. in quo directe respondet Eliphazi, qui *c. IV, 17.* dixerat: *Nunquid homo Dei comparatione iustificabitur? aut factore suo purior erit vir?*

2. Vers. 3. *Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum pro mille.*] Si vir a Deo quantumcunque vexatus, cum eo expostulare voluerit, & iudicio disceptare legitimo, si mille, id est, infinita obiecerit, quæ damnare vult ac seuere punire, non habebit, quod illorum vni possit honeste respondere. Quo significat, nihil se contra Dei iustitiam fuisse meditatum, sed tantum illa dicendi forma iuxta hominum familiarem vsum vim doloris sui maximam exprimere voluisse.

3. Vers. 4. *Sapiens corde est, & fortis robore, quis restitet ei, & pacem habuit?*] Rationes adducit, cur tutum homini non sit iudicio, aut alia quauis ratione cum Domino contendere. Nam primum sapiens est, atque ideo cum illius intelligentiam nihil lateat, nulla potest hominum calliditate aut tergiuersatione deludi. Quare apud illum otiosa sunt & inania, quæ in humano iudicio intercedere solent artificia, & fraudes. Deinde quia fortis, potestque facile cogitata ac iudicata complere, pag. 138. b
cum sit nemo, qui possit illius infringere, aut certe modice debilitare potentiam. Aliam addit postea *vers. 19.* nempe æquitatem in iudicando. Hæc in Deo sunt, quæ hominem ab eiusmodi disceptatione deterrere debent; alia ex parte hominis adducuntur *v. 14.* quæ illius causam Dei comparatione vehementer debilitant. Ait igitur, neminem vnquam cum tam sapiente ac forti concertatore habuisse congressum, qui pacem ex illo certamine retulerit, id est, cui non infeliciter successerit tam inepta contentio.

Vers. 5. *Qui transtulit montes, & nescierunt hi, quos subuertit in furore suo.*] Incipit proba- 4.
re, quod principio proposuit, fortem esse Deum. Quod exemplis confirmat, & docet, nihil esse in natura rerum, quod diuinæ voluntati atque ordinationi non subsit. Quod inductione probat, dum illa omnia in testimonium adducit, in quibus rerum continetur vniuersitas: terram videlicet, & cœlum, & elementa omnia, quæ in illorum interiecto spatio conclusa sunt. An hæc, quæ a Iobo hoc loco memorantur, reuera contigerint, an vero figuratam debeant & impropriam explicationem habere, incertum est. Qua de re nobis paulo accuratius disputandum.

Quidam hanc montium translationem 5.
proprie accipiunt, & reliqua, quæ ad confirmandam diuinæ potentiæ magnitudinem statim

tim adducuntur. Et quidem fieri potuit, licet hoc Scriptura sacra non tradiderit, vt hæc contigerint recenti memoria in eo, quo vixit Iobus æuo, aut certe ante illius ætatem: ita tamen vt ad illum per hominum manus peruenerit. Nam quæ dicuntur de monte Sinai, qui ad præsentiam Domini totus intremuit, vt habes *Exod. XIX, 18. eratque omnis mons terribilis.* Hebr. ויחרד *vecharad*, quæ vox tremere significat cum aliquo corporis motu. & *Numer. XXI, 15.* scopuli inclinati, & *Iudic. V, 5.* montes a facie Domini diffluxisse dicuntur. Hæc, inquam, & similia, quæ adduci possent ex Scriptura sacra, longe post Iobi tempora contigerunt: post egressum nimirum ex Ægypto, quem Iobi ætas longe præcessit. De montium translatione aut conuulsione ante Iobi tempora intelligit Stunica, neque abnuit, licet obscurius, Eugubinus, & refert ad diluuii tempora, in quibus alios montes excitatos, alios deiectos, alios alio translatos arbitratur. Quod ex eo putat verisimile, quia ex fluminum inundatione magnas in terra fieri videmus mutationes.

pag. 139. a

6. *Montes arenæ ex vno loco in alium translati.*

Neque deest, qui putet, ideo a Deo montes dici e sua sede translatos, quia in Africa in arenosis ac sitientibus locis syrtes sunt marinis quam simillimæ, id est, vastæ terræ moles, quæ ad montis instar, vbi ventus vehemens increbuit, ex vno loco in alium transferuntur. De quibus Solinus: *Arenarum cumuli vento exagitati locorum faciem mutant. Et quemadmodum in mari nunc aggere sublimia faciunt, quæ prius desidebant, nunc vallibus profunda, quæ prius excelsa erant: denique procellarum ritu arenæ exagitantur, syrtimque faciunt terrestrem parem cum illis æquoris periculi.* Et fieri etiam potuit, vt in Idumæa, aut vicinis locis, vbi ingens est solitudo inaquosa & inuia, eiusmodi tumuli fiant ex arenti puluere, quod sæpe aut viderant, aut ab aliis audierant Idumæi. Porro in illa syrtium translatione tam facili, cum tanta esset arenarum moles, valde sese prodit diuina potentia. Illi vero tumuli vocari possunt montes, quemadmodum tumentes maris fluctus montes appellantur, de quibus sic Maro *libr. 1. Æneid.*

Tunc proram auertit, & vndis
Dat latus, insequitur cumulo præruptus aquæ mons.

Et Ouidius *lib. 1. Tristium eleg. 2.*

Me miserum, quanti montes voluuntur aquarum!
Iam iam tacturos sidera summa putes.

7. *Terra, quæ operta olim a mari, iam est arida, & contra.*

Eugubinus has mutationes, de quibus hic agere Iobum arbitratur, in naturales causas retulit, quæ faciunt, vt quæ modo terra fuit arida, aquis obruatur marinis; & quæ marina, humida esse desinat, & habitetur ab hominibus, & subigatur vomere. Sic sane Aristoteles *lib. 2. Meteororum*, qui in terræ mariumque situ, & circa partes variatione perpetuam esse putat vicissitudinem: vt quæ prius arentia nudaque fuerant, iam nunc aquis obruta delitescant. Rursum vero plerasque hodie terras exstare, quas vndæ oppressas quondam oppleuerant. Hanc, inquit, elementa naturæ obseruant seriem, & has habent vicissitudinis periodos. In hanc sententiam ibi plura Aristoteles. Et ita variis locis accidisse prodit Plinius *lib. 2. cap. 85.* nec paucis in illius rei confirmationem vtitur exemplis. Et apud Ouidium *lib. 15. Metam.* sic loquitur Pythagoras:

Vidi ego quod fuerat quondam solidissima terra,
Esse fretum: vidi factas ex æquore terras;
Et procul a pelago conchæ iacuere marinæ,
Et vetus inuenta est in montibus anchora summis.

Hæc fortasse vera, & alia, quæ ab aliis tum hoc in loco, tum in toto capite afferuntur, quæ prudens omitto, ne longus sim. Verum magis crediderim figuratam esse locutionem. Quæ tamen duplex est. Quidam in montibus Reges intelligunt, & magni nominis Principes, qui in Scriptura sacra non semel appellantur montes. Quos Dominus sæpe e fastigio deiicit in humilem ac sordidum locum; & contra tenues ac sordidos homines e vallibus, id est, e fortuna angusta & sordida ad montium fastigium, id est, ad splendentem & lautam vitæ conditionem attollit. ita Hieronymus, & Beda, Philippus, & Chaldæus. 8.

pag. 139. b

Ego hic non tam quæ Deus fecerit, quam quæ pro sua potentia facere possit, intelligo. Quod etiam ad alia multa, quæ hoc proponuntur capite, extendo. Quod in omni idiomate ac gente vsitatum esse, neque id raro, norunt omnes, qui in eruditione tam profana, 9.

fana, quam facra vel mediocriter verfati funt. Quibus occurrit paffim actus fecundus, vt loquuntur Logici, pro primo; id eft, pro habitu, feu facultate agendi, actio ipfa, aut facultatis exercitium. Sic docere dicitur Magifter, mederi Medicus, difcere difcipulus, etiam dum aliquid aliud faciunt, aut etiam dormiunt, quia id ex inftituto facere aut poffunt, aut debent. Qua de re vide, quæ nos pluribus *in noftris Commentariis in Ofeam cap. XIII*, ad illud *verfic. 1. & mortuus eft*, vbi mortuus ponitur pro morte damnato; ficut etiam Adamo dictum eft *Gen. II, 17. In quacumque die comederis ex eo, morte morieris.* Neque eodem die mortuus eft: vitam enim poft deguftatum pomum produxit ad annos vfque nongentos & triginta *Gen. V, 5.* moriturus tamen dicitur eo die, quia obeundæ aliquando mortis pœnam incurrit.

REGVLA. *Actus primus pro fecundo.*

10. Secundo obferuo, *fi* conditionalem particulam interdum fubaudiri, vt diximus ad illud *Amos IX, 5.* de Deo: *Qui tangit terram, & tabefcet.* Quod in hanc fententiam explicuimus: *Si terram tetigerit, tabefcet. Pfalm. IV, 5. Irafcimini, & nolite peccare*, id eft, fi irafci contingat, cauete a peccato. & *Pfalm. LXVII, 10. Infirmata eft, tu vero perfecifti eam*; id eft, fi infirmata fuerit hæreditas, tu perficies. & *Abacuc III.* extremi aliqui verfus iuxta hanc regulam, adhibita *fi* conditionali, explicandi funt: *Ficus enim non florebit, & non erit germen in vineis. Mentietur opus oliuæ, & arua non afferent cibum. Abfcindetur de ouili pecus, & non erit armentum in præfepibus. Ego autem in Domino gaudebo*, &c. id eft, fi ficus fit fterilis & vinea non fructificet, fi olivueta & arua laborem & fumptus non compenfent, fi armenta omnia & pecudes intereant, non commouebor; dummodo feruator Deus mihi non defit, in quo grauis eft & folida exultandi caufa. Innumera occurrent exempla attento lectori, quæ ego prudens omitto: quia exemplorum plus fatis adduxiffe videor.

Si conditionalis particula fæpe fubaudienda.

11. Illud non omittam, id etiam profanis effe non infrequens. tale eft illud Gnathonis apud Terentium: *Negat quis, nego; ait, aio.* id eft, fi negat, nego; fi affirmat, affirmo. Simile item illud apud eundem: *vocat, veniendum eft; eiicit, abeundum.* id eft, fi vocat, non poffum non recufare, quin veniam; fi eiicit, non poffum non abire. Quod cum alibi occurrat non raro, tum in comparatione frequenter. *Ifai. LI, 6. Cœli ficut fumus liquefcent, & terra ficut veftimentum atteretur: falus autem mea in fempiternum erit, & iuftitia non deficiet.* id eft, fi illa, quæ putantur æterna, defecerint, pag. 140. a
iuftitia mea non deficiet, quia multo eft, quam illa firmior. Eadem particula fubaudienda in illo *Pfalm. CI, 26. Opera manuum tuarum funt cœli, ipfi peribunt, tu autem permanes.* & *Matth. XXIV, 35. Cœlum & terra tranfibunt, verba autem mea non peribunt.*

Ex his duabus thefibus lucem accipiunt nonnulla, quæ alioqui maxime videbantur implicata. Et primum locus, in quo verfatur commentatio, in eo actus fecundus *tranftulit* ponitur pro primo, id eft, pro facultate transferendi. Ac fi dicas, qui potens eft transferre montes. Hanc explicationem non improbat Pineda. illud *in furore fuo*, contexendum eft cum illo, *tranftulit montes in furore*; & quod in medio eft, diuerfam aliam efficit orationem. De qua mox. integer autem fenfus eft; fi Deus in hominem fpiritum imbibat & furorem hoftilem, non habebit homo, vt illius indignationem effugiat. Nam fi montium fubeat cauernas (quod Idumæi, qui loca inhabitant confragofa & afpera, fæpe faciunt, vt indicat Ieremias *c. XLIX, 16. Qui habitas in cauernis petræ, & apprehendere niteris altitudinem collis.* Idem Abdias *v. 3.*) potens eft fubuertere atque transferre montes, & nudare illa, quæ videbantur inacceffa, & nullo modo expugnanda fuperborum præfidia. 12.

13. Quod autem voces aliquæ cum remotioribus interdum, idque non raro, ligari debeant, docuit Pagninus *lib. 4. Inftit. cap. 16.* vbi regulam hanc multis illuftrat exemplis, vt *Pfalm. CXXXIIX, 14. Mirabilia opera tua, & anima cognofcit nimis.* Illud, *nimis* cum *opera tua ligatur*, non cum *cognofcit.* Hoc modo, *mirabilia opera tua nimis* & *Pfalm CXIIX, 8. Iuftificationes tuas cuftodiam, non me derelinquas vfquequaque*; vbi illud *vfquequaque* cum *cuftodiam* nectitur, non cum *derelinquas. 3. Reg VI, 1. Anno quarto menfe tertio, ipfe eft menfis fecundus regni Salomonis. Regni Salomonis* cum *anno quarto* ligatur. Sic hoc modo,

REGVLA. *Voces aliquando non cum proximis, fed cum remotioribus ligantur.*

do, quæ nunc commentatione illustro, verba coniungo, *qui transtulit montes in furore suo.*

14. *Celeritatis explicandæ modus.* *Et nesciuerunt hi, quos subuertit.*] Hic dicendi modus celeritatem significat, aut rei gerendæ rationem occultam. Vtrumque homines ignorare solent, aut quia celeritas omne consilium & attentionem anteuertit, aut quia locus siue ab arte, siue a natura munitus, reddit homines ab omni bellorum aut ruinæ suspicione securos. Quare perierunt prius, quam se obsideri ab hoste potentiori, aut in periculum venire posse crederent. Hispanus cum maximam vult celeritatem explicare, hac vtitur prouerbiali dicendi forma: *No fue oydo, ni visto.*

15. *Centrum terræ columna terræ dicitur.* Vers. 6. *Qui commouet terram de loco suo, & columnæ eius concutiuntur.*] Eodem modo explicatur hic, quo superior versus: nempe Deo facile esse, cum libuerit, commouere terram, eamque, vt de montibus proxime dictum, in aliud spatium totam transmutare. Terræ columnæ, & illius fundamentum, seu firmamentum centrum est, a quo terra stabilitatem sumit, sicut a columna domus. ita fert Aristotelis, & aliorum ferme Philosophorum communis opinio, qui immobilitatis terræ causam illius natiuam grauitatem esse putant. Hæc enim cum maxima sit, efficit, vt terra illam appetat sedem, quæ maxime a cœlo distat, id est, medium mundi, quod centrum appellamus, quo suis conglobata nutibus magno impetu fertur. Hoc centrum stabilitas vocatur, & columna terræ, *Psalm. CIII, 5. Fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi.* Quæ columna dicitur *Psalm. LXXIV, 4. Ego confirmaui columnas eius.* Quia vero centrum punctum est, quod instar habet nihili; a Iobo infra *c. XXVI, 7.* nihilum dicitur: *Qui appendit terram super nihilum.* Hoc autem medium mundi seu centrum columna vocatur ducta ab his ædificiis similitudine, quæ manu molimur & industria. Nam vt illa columnis fulciuntur, ne cadant; sic centrum, quo terræ nititur grauitas, conglobatam terram omni ex parte sustentat.

pag. 140. b

16. Vers. 7. *Qui præcipit soli, & non oritur.*] Hic particulam conditionalem subaudio; de qua paulo antea, vbi de illa, & hoc loquendi genere pluribus. Cuius hæc sine dubio sententia: Dei ea est potentia, vt sol, qui suos a mundi exordio ratos habet & certos cursus, ad diuinum imperium contineat sese a suo circulari motu; neque mundo deinceps suam lucem ostendat, quod hactenus fecit nunquam, & tenebras mundo sempiternas inducat.

Et stellas claudit quasi sub signaculo.] Idem quod proxime de sole, de stellis affirmat: 17.
aitque, si Domino libeat, neque illas daturas lucis aliquid, imo neque apparituras vnquam in cœlo, quasi claustris seu signaculis æternis inclusas. Allusum credo ad consuetudinem, quam scimus posterioribus sæculis esse familiarem: quam etiam sub æuum Iobi apud Idumæos, aliasque gentes increbuisse non est difficile creditu. Signabant etenim antiqui, quod clausum aliis & intactum esse volebant, annulo signatorio, quod reserare nemo poterat. Sic Darius suo annulo signauit valuas templi Bel, *Dan. XIV, 13.* vbi signum impressum ab annulo dicitur signaculum: signatum item putei operculum, in quem demissus est Daniel, Darii sigillo, *Dan. VI, 17.* signatus quoque lapis, qui Christi sepulcro fuit impositus, *Matth. XXVII, 66.* Neque solum hæc maiora, sed alia etiam leuissima signaculo muniri consueuerunt, vt lagenæ, salinum, & alia, quæ nemini præter dominum attingere licebat impune. *Signata olim annulo quæ seruari iubentur.*

18. *Annulorum quis olim vsus præcipuus.* Annulos autem non tam olim ornatus, quam custodiæ gratia inuentos esse prodit Macrob. *lib. 7. Saturn. cap. 3.* Ait ergo Iobus, si Deus velit astra cœli suis claustris includere & obserare, ita vt nunquam ipsa aut lucem præbeant mundo, aut illustrentur a sole, non deesse illi promptam atque potentem facultatem. Neque posse quemquam in lucem hominumque conspectum extrahere, inuito Deo, quæ ipse in tenebris latere voluisset. Hoc expectare credo illud *Apocal. I, 18.* de Christo: *Habet claues mortis & inferni*, quasi dicat, nemo eos, quos ego clausi vita functos in tumulo, euocabit ad vitam: neque quos ego in infernum detrusi, meoque sigillo obsignaui, educet ad salutem. Et clarius *Apoc. III, 7. Qui aperit, & nemo claudit, & claudit, & nemo aperit.* Hæc explicatio videtur mihi omnium maxime soluta, neque tamen alias improbo, quæ adducun-

ducuntur ab aliis, quos gratia breuitatis omitto. Cui fauet non parum LXX. translatio, quæ sic habet: *Contra sidera signaculum ponit.*

19. Vers. 8. *Qui extendit cœlos solus.*] Hanc
pag. 141. a sententiam in Scriptura sacra millies audimus. *Psal. CIII, 3. extendens cœlos sicut pellem. Isai. XL, 22. Qui extendit velut nihilum cœlos, & expandit eos sicut tabernaculum.* Neque fortasse aliud significat hoc loco Iobus, quam quod significant Dauid & Isaias locis citatis proxime; nempe Deum extendisse velut tabernaculum cœlos, eosque sideribus velut quibusdam gemmis illuminasse; atque ideo posse detracto sole, & stellis quasi signaculo conclusis, illos, qui modo splendent, obscurare subito. Porro *extendere*, aut *tendere* etiam apud Latinos significare tabernaculum excitare, satis est notum, & hinc tentorium ab extensione tabernaculum dicitur. Virgil. *lib. 2. Æneid.*

Hic Dolopum manus, hic sævus tendebat Achilles.

Suetonius *in Galba cap. 12.* de Germanorum cohorte: *iuxta hortos tendebat.* Cornelius Tacitus *lib. 13. Annal. Milites tendere omnes extra vallum iussit.*

20. *A dominatu in mari diuina potentia commendatur.* *Et graditur super fluctus maris.*] Supra Deus dominus dicitur terræ, quique illam potest ex vno loco in alium transferre, cum libuerit, & proxime dicitur cœlorum creator, seu extensor, qui adimere possit soli atque stellis splendorem, quem dederat, ac tandem facere, ne vnquam oriantur & fulgeant. Nunc maris dicit esse dominum, qui excitat & componit fluctus; id enim valet ingredi super fluctus maris, quos suo moderatur arbitratu, quos suis calcat pedibus, neque ab illius tumore ac fremitu quicquam metuit, cui certos definiuit terminos, quos transilire nunquam potuit, aut ausum est. Ab hoc in marinos fluctus dominatu sæpe in Scriptura sacra diuina potentia commendatur. *Ierem. V, 22. Me ergo non timebis, dicit Dominus, qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum, quod non præteribit: & commouebuntur, & non poterunt, & intumescent fluctus eius, & non transibunt illud.* Vide, quæ nos *in nostris Commentariis ad illum locum & Psalm. LXXXIIX, 10. Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas.* In hanc sententiam plura inuenies, a quibus ego commemorandis abstineo.

Vers. 9. *Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas, & interiora austri*] Horum, credo, inter alia sidera meminit Iobus, quia obseruarat, vtpote magnus Philosophus, his orientibus, ingentes excitari tempestates. Videtur porro occurrere voluisse tacitæ alicuius cogitationi, qui dicere posset, audacter licet & insipienter, tempestates in mari non commoueri aut sedari a Deo, sed a naturali causa, a stellis nimirum quibusdam, quæ ventos cient, & a ventis ipsis, qui mare conturbant. Quibus respondet Iobus, tam stellas, quam ventos a Domino fuisse creatos, vimque ab illis accepisse naturalem, vt cum Deo placeret, cuius erant instrumenta, marinos excitarent fluctus, & talia præstarent, qualia nos in mari quotidie miramur & horremus. Cum autem multa sint astra in eo genere hominibus & fluctibus infensa, illorum præcipue meminit, quorum vis ad ciendas tempestates magis est hominibus explorata. 21. *Quibusdam astris vis est naturalis ad tempestates ciendas.*

Hebraicæ voces, quibus harum stellarum nomina respondent, obscuræ sunt, neque eodem ab omnibus modo conuersæ. Imo Vulgatus interdum aliter transfert, quam modo. Sed quicquid sit de propria horum siderum significatione, noster Interpres optime conuertit, accommodate ad materiam huic disputationi subiectam. Cum enim ageret de imperio summo ac primo, quod Dominus habet in marinos fluctus, illarum stellarum opportune meminit, quarum in mare aliquod agnoscitur imperium, cum ad illarum ortum non leue nautæ periculum metuant. Hæc pene omnia habemus apud *Amos V, 8.* vbi commodam huius loci explicationem habemus. Iubet enim Deus populo suo, vt ipsum solum obseruet & timeat, a quo vno dari potest & auferri vita; a quo creata sunt illa sidera, quæ tempestates inuehunt. *Quærite*, inquit, *Dominum*, &c. *facientem Arcturum, & Orionem, & conuertentem in mane tenebras, & diem in noctem mutantem; qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ.* Vbi apud Iobum *Arcturus*, Hebr. est עש *as*, apud Amos vero כימה *kimah*, quam vocem Hierony- 22. *Stellarum nomina varie explicata.* pag. 141. b

mus

mus hic vertit Hyadas. Neque id mirum, cum harum vocum incerta sit significatio. Quare in earum translatione varii sunt Interpretes. Septuaginta sic reddunt: *qui facit Pleyadas, & Hesperum, & Arcturum.* Tigurina: *qui facit Arcturum, Cynosuram, & Pleiadas.* Alii aliter pro suo quisque sensu. De his Hieronymus *ad locum Amos*, de quo proxime: *Arcturus*, inquit, *qui Hebraice Kimah dicitur, a Symmacho & Theodotione in Pleiadas vertitur, quem vulgo Bootem vocant. Orionem autem, qui Hebraice dicitur Kesil, Symmachus absolute stellas, Theodotio interpretatus est vesperum. Hebræus autem, qui nos in Scripturis erudiuit, Kesil interpretari putat splendorem, & significare generaliter astra fulgentia.* In reipsa non puto interesse magni, hoc ne an illo modo interpretari; neque enim, vt dicebam, alius videtur esse sensus, quam a Deo illa sidera fuisse creata, quibus ciendæ tempestatis potestas inest.

23. REGVLA. *Multa nomina ex Poëtarum fabulis in scripturam inserta.*

Hic autem obseruare libet, quod ad locum nuper citatum ex Amos Hieronymus docuit, multa nomina in Scripturam sacram ex Poetarum fabulis inserta. Qualia sunt hæc, quæ in suorum nominum notatione aliquid indicant fabulosum: *vt filii Titan*, Iudith *XVI, 8. Syrenes*, Isai. *XIII, 22. onocentauri, XXXIV, 14. Cocytus*, Iob *XXI, 33.* Et quæ hic legis, *Arcturum, Hyadas, Orionem. Quando*, inquit, *audimus Arcturum & Oriona, non debemus sequi fabulas Poëtarum, ridicula ac portentosa mendacia, quibus etiam cœlum infamare conantur, & mercedem stupri inter sidera collocare. Sed scire, Hebræa nomina, quæ apud eos aliter appellantur, vocabulis fabularum gentilium in linguam nostram esse translata. Qui non possumus intelligere quod dicitur, nisi per ea vocabula, quæ vsu didicimus, & errore combibimus.* Hæc ferme eadem affirmat Sanctus Doctor *in cap. XXIV. Isaiæ: Nec putare debemus apud Hebræos has stellas his appellari nominibus, quæ Græcus sermo resonat & Latinus, sed propria habere vocabula. Sicut enim Deus vocauit lucem diem; & firmamentum cœlum, & aridam terram, & congregationes aquarum maria; sic etiam singulas stellas suis appellauit nominibus, quarum proprietatem nostra lingua non exprimit. Scriptum est de eo in alio loco: Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Idem pene Gregorius *ad hunc locum.*

Quid de his stellis dicant fabulosa Poëtarum commenta, quid subtilius Astronomi, non est nostrarum partium, disputare, aut tractare accuratius. Tantum dicemus, id, quod locus hic postulat, ab his astris commoueri fluctus, & æstuante pelago contingere naufragia. De Arcturo, qui etiam Bootes dicitur & Arctophylax, sic Plautus *in Rudente.* pag. 142. a 24. *Quæ astra tempestates moueant.*

Arcturus signum sum omnium quam acerrime,
Vehemens sum oriens, occidens vehementior.

Et Horatius *lib. 3. carm. ode 1.*

Desiderantem quod satis est, neque
Tumultuosum sollicitat mare,
Nec sæuus Arcturi cadentis
Impetus, aut orientis Hœdi.

De Hyadibus idem *lib 1. carm. ode 3.*

Nec timuit præcipitem Africum,
Decertantem Aquilonibus,
Nec tristes Hyadas, nec rabiem Noti.

De his Tullius *lib. 2. de natura Deorum: Tauri caput stellis consperssum est frequentibus. Has Græci stellas vocitare sueuerunt a pluendo, ὕειν enim est pluere. Nostri imperite suculas, quasi a suibus essent, non ab imbribus nominatæ.* De Orione plura, cuius non solum ortu, sed etiam occasu dira solet oriri tempestas. De ortu Virg.

Cum subito assurgens fluctu nimbosus Orion,
In vada cæca tulit.

De occasu Horatius *in Epodo ode 10.*

Nec sidus atra nocte amicum appareat,
Qua tristis Orion cadit.

Vtrumque coniunxit Aristoteles *lib. 2. Meteor.* vbi dicit, dirum esse & turbidum Orionis exortum & occasum.

Hæc de singulis; de omnibus simul, aut de eorum plerisque plura habemus testimonia. 25. Plinius *lib. 18. c. 28.* vbi dicit tempestates, grandines, procellas excitari; *ab horridis syderibus, veluti ab Arcturo, Orione, Hœdis.* Hœdi autem a nonnullis vocantur Hyades. Virgilius optimus astronomus, ex disciplina nautica inducit Palinurum obseruantem ea sidera, ex quorum siue exortu, siue occasu timeri potuit tempestas, *lib. 3. Æneid.*

Sidera

Sidera cuncta notat tacito labentia cœlo,
Arcturum, pluuiasque Hyadas, geminosque Triones.
Armatumque auro circumspicit Oriona.

Hæc eadem ab Vlysse obseruari, dum ad nauis sederet gubernaculum, dixit Homerus *lib. 1. Odyss.*

26. *A regione australi tempestates frequentes.* *Et interiora austri.*] Alii promptuaria, seu recessus, aut penetralia austri. Hic ego Deum puto a Iobo ventorum appellari moderatorem & dominum, vt omnino probetur ambulare super fluctus maris, id est, maris esse dominum; nam si astra creauit, quæ ventos excitant, & ventos, a quibus maris proueniunt tempestates & æstus, nihil iam superest, quod alii ex eo elemento vendicare sibi possint. Ab austro vero, id est, ab australi plaga tempestates ingruere vehementes, multa Scripturæ sacræ testimonia docent. Qua de re nos aliqua ad illud cap. *I, 19. Ventus vehemens irruit a regione deserti*; Et ad illud *Habacuc. III, 3. Deus ab austro veniet, & sanctus de monte Pharam:* Pharam autem, & desertum in australi regione sunt. Et ad illud *Isai. XXI, 1. Sicut turbines ab Africo veniunt, de deserto venit, de terra horribili.* Ab his interioribus egressuram esse tempestatem dixit Iobus *cap. XXXVII, 9. Ab interioribus orietur tempestas.*
pag. 142.b

27. *Deus ventorum dominus.* In austrum igitur, si Idumæam regionemque Chanaanitidem intuearis, erant promptuaria, seu conceptacula ventorum, qui tam in illo mari, quam in terrestri illo spatio vehementes excitant procellas, in quibus Deus pro suo arbitratu & illos continet, ne turbent terram & mare, & cum libet tanquam e carceribus & claustris emittit, vt a peccatoribus exigant pœnas, aut alias ob causas, quibus Deus hominibus maiestatem suam ostentare vult. Simile aliquid de Æolo mendaci commento fabulatur antiquitas: quem ventorum constituit moderatorem & regem; ad cuius imperium aut emittuntur ex antris Æoliis, aut in sua claustra reuocantur: qui licet reluctentur & fremant, imperium, quod accepere, detrectare non possunt. De quo Maro *lib. 1. Æneid.* vbi sic de Iunone:

Nimborum in patriam loca fœta furentibus austris
Æoliam venit. Hic vasto rex Æolus antro
Luctantes ventos, tempestatesque sonoras
Imperio premit, ac vinclis, ac carcere frænat.
Illi indignantes magno cum murmure montis
Circa claustra fremunt: celsa sedet Æolus arce,
Sceptra tenens, mollitque animos & temperat iras.

In hac fabula mysticus continetur sensus, quem offert Iobus; eodem libro Maro explicuisse videtur, quod Iobus ante significauit, cum Deum dixit ambulare super fluctus maris, id est, maris esse dominum. Nam cum Neptunum Deum esse maris ostendit, illum facit per summos pelagi fluctus ambulantem:

Et temperat æquor,
Atque rotis summas leuibus perlabitur vndas.

Vers. 10. *Qui facit magna, & incomprehensibilia*, &c.] Multa de Dei potentia dixerat, sed adhuc multo plura dicenda supererant: quæ magna esse dicit, admirabilia, & sine numero. Quæ velle enumerare, humanæ facultatis non est, eaque aliorum considerationi relinquit. 28.

Vers. 11. *Si venerit ad me, non videbo eum: si abierit, non intelligam.*] Probat Iobus quod supra *v. 3.* dixerat, non esse tutum cum Deo contendere, quia & sapiens est & fortis, atque ideo multo esse consultius, coram sapiente obmutescere, quod facit discipulus imperitus & rudis coram sapientissimo magistro, & subiicere se, quod facit imbecillus puer coram robusto ac strenuo bellatore. Nunc aliam adducit causam, cur parum sit tutum, cum Domino contendere, quia humanis oculis cerni non potest, neque humana intelligentia cognosci illius aduentus, aut pugnandi tempus, & ratio. Quia cum inuisibilis sit, neque sciri potest, cum pugnaturus veniat, neque quando recedat a pugnando: quæ res in humano congressu, quicumque ille fuerit, multum habet momenti, imo hac vna in re spectari solet summa victoriæ. Id enim agunt diligentissime duces, vt sua consilia sint occultissima, ita vt non aduersarii solum, sed etiam commilitones & socii, quid fieri, aut quid tentari debeat, prorsus ignorent. Hoc argumento vsus est Paulus *ad Ephes. VI, 11.* dum ad spiritualem pugnam Christianum armat militem: *Induite* 29. *Cum Deo contendere tutum non est.*

duite vos armaturam Dei, vt possitis stare adversus insidias diaboli, quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem. Hæc mihi potior explicatio, quam etiam noster adducit Pineda. Aliæ sunt plures, ad mores quidem opportunæ, parum tamen, vt opinor, ad litteram consentaneæ. De incertitudine gratiæ quidam accipiunt, & in his Gregorius, quæ res quieto ac securo animo esse non sinit; cum nemo sciat, an amore sit vel odio dignus. Adde, quod quemadmodum, qui dubitat, an hostem habeat hominem vicinum, potentem & callidum, quique ipsum possit opprimere repentino congressu, si saperet, nunquam securos duceret somnos, sed perturbationis & sollicitudinis plenos, neque vllam haberet noctem a timore vacuam, quia illa est magis insidiis opportuna: sic homo suæ conditionis ignarus, qui, quo in statu sit, nescit, & an Deum pro se ad auxiliandum amicum, vel contra se ad oppugnandum inimicum habeat, timere iure optimo potest, cum illum fortem esse sciat, neque de illius animo, aut de statione constat, cum sit inuisibilis, & ipse semper sit in tenebris, neque aduersarium videre possit, cum tamen Deus semper sit in luce, neque quisquam possit illius oculos latere. Quæ consideratio pro die iudicii aut mortis potentissima est: *Et vos estote parati, quia qua hora non putetis, filius hominis veniet.*

pag. 143. a

30. *Homo cur semper esse debeat in motu.*

31. *Ignorat homo, an aliquid beneficii loco ponendum sit, an secus.*

S. Thomas aliter explicat, ait enim ignorare hominem, quando Deus veniat. id est, auxilium conferat ad salutem, vel abeat, id est, auxilia detrahat, aut protectionem; multa enim beneficia sunt, quæ homo putat esse detrimenta, qualia sunt, quæ modo patitur Iobus. Alia existimantur esse beneficia, quæ hominem perdunt, qualia sunt, quæ honori sunt homini, aut humanæ commoditati. Hæc autem homo ignorat, neque aduentum Domini, aut recessum videt.

32. Vers. 12. *Si repente interroget, quis respondebit ei?*] Alia causa, seu potius superioris appendix, proponitur, cur cum Deo sumi non debeat ab homine mortali contentio. Nam cum homo Deum videre non possit, fieri potest, vt tunc sit nobis propior, cum maxime illum a nobis procul esse credimus. Et quemadmodum homo, etiam si robustus & strenuus sit, si tamen imparatum & de periculo securum hostis aggreditur repentino assultu, facile opprimitur: sic etiam homini alioqui sapienti, si repente ab insperato competitore interrogetur, quid respondere possit, opportunum non occurrit. Hæc itaque ratio Iobum a disceptando cum Domino deterret: quia eo fortasse tempore ad iudicium disceptationemque vocabitur, cum minus de illa contentione cogitabit, aut cum magis erit ad seuerum illud examen imparatus: aut non dabitur respondendi facultas, quia non dabitur pœnitentiæ locus, quæ ad obiecta crimina respondere solet.

Vel quis dicere potest, quid ita facis?] Durum est certamen, & si humana pensetur trutina, iniqua conditio, si rationem alteri reddere cogaris, neque ab illo rursus possis exigere. Sed quod inter homines in disceptanda causa videtur iniquum; id, si cum Deo sit futura contentio, æquissimum est. Exigit Deus iure suo perquam optimo a creatura sua, qua acceptum quicquid habet, creatori suo referre debet, rationem omnium, quæ ipse præstitit, & quæ illa debet suæ obligationis non immemor præstare. At quid a creatore suo creatura exigat, aut cur cum illo expostulare debeat, nihil habet. Hoc idem habes *Isai. XLV, 9. Ierem. XIIX, 6.* ex quibus sumpsit Paulus *ad Romanos IX, 20. Voluntati eius quis resistit, o homo, tu quis es, vt respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic, an non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?*

33. *A Deo non exigenda ratio, cur aliquid faciat.*

pag. 143. b

34. Vers. 13. *Deus, cuius iræ nemo resistere potest, & sub quo curuantur, qui portant orbem.*] Magni stuporis repugnare Deo, cui quantumcumque pro viribus obluctèris, assequeris nihil, illo contra nitente, præter pudorem & interitum. Ante cuius faciem illi procumbunt & inflexa ceruice supplices adorant, qui illa apud homines potentia pollent, vt suis humeris vastam mundi molem sustinere credantur. Quinam sint hi, qui portare dicuntur orbem, incertum est. Quidam angelos esse putant, in quibus sunt S. Thom. Gregorius, & Lyra, cuius ministerio omnis corporalis

corporalis creatura diuinitus procuratur, vt dicit Augustinus *libr. 3. de Trinitate.* Hi autem incuruantur, quia diuinæ voluntati semper obsequuntur, iuxta illud in *Psalm. CII, 20. Benedicite Domino omnes angeli eius, ministri eius, qui facitis voluntatem eius.* Alii dæmones esse credunt, ita Caietanus & Didymus. nam & hi rectores dicuntur tenebrarum. Alii viros sanctos, quorum precibus orbis sustentatur, ne pereat & ruat, sicut prioribus sæculis mundus aquarum inundatione interiit, & quinque ciuitates cœlesti conflagrarunt incendio. Periit primus mundus Noëtico diluuio, quia defecerunt iusti, qui suis illum humeris sustinerent & portarent: *Omnis quippe caro corruperat viam*

35. *Iusti columna mundi.* *suam.* Subuersi sunt Sodomæi populi, quia in toto illo tractu neque decem viri inuenti sunt iusti, qui ruentem illam molem subiectis humeris sustinerent. *Genes. XIIX 32. Non delebo*, ait Dominus ad Abraham, *propter decem.* Sane Moyses columna fuit ruentis populi, qui absque illo corruisset. *Psalm. CV, 23. Et dixit, vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione.* Qua de re nos pluribus ad illud *Ezechiel. XIII, 5. Non ascendistis ex aduerso, neque opposuistis murum pro domo Israel.* Est pulcher locus *Ezech. XXII, 30. Quæsiui de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra.* Hi ergo, qui tanquam columnæ portare videntur orbem, incuruantur ante Deum, & supplices pugnant orando, non hostili modo repugnando: quod fecit Abraham, & Moyses, & quotquot a populo, pro quo stabant, diuinum furorem auerterunt. ita opinatur Hieronymus, & ex eo Beda, & Philippus. Sic autem Hieronymus: *Portantes orbem sancti recte intelliguntur, qui gloria meritorum suorum magni & potentes sunt apud Deum. Hi ergo cordis humilitate ad interueniendum pro peccatoribus in conspectu eius sunt incuruati. Ita sancti portant mundum, dum eum, ne ruat ac pereat, orationum fortitudine sustinent.* Quomodo sancti Deo restiterint, & quomodo Deus illis vires addiderit ad repugnandum, ita vt Deus ipse contra se pugnare videatur, dum robur aliis contra se sufficit, dixit optime Gregorius, & exemplis illustrauit Moysis, Aaron, Phineis, Dauidis, Heliæ.

Communior tamen est, &, meo iudicio, 36. vera sententia, in his hominibus, qui portant *Reges quomodo dicantur portare mundum.* orbem, illos intelligi, qui alios suo premunt aut moderantur imperio, qui iura dicunt, qui sibi licere putant quodcumque libeat, neque pag. 144. a cuiusquam timent potentiam, quia neminem superiorem agnoscunt, quales sunt Reges, Dynastæ, qui eos sibi interdum spiritus assumunt, vt diuinum sibi aliquid arrogent, & pro diis haberi velint, & coli a timido & subiecto populo. Hi porro dicuntur portare orbem, quia suis decretis ac legibus res constituunt & moderantur publicas, stabiliunt imperia, & audiunt ab assentatore populo eas acclamationes, quæ non longe absunt ab hac gloriosa compellatione. Appellantur enim regni columna, aut columen, murus patriæ, & alios de se audiunt innumeros titulos, qui regni sonant, aut mundi firmamentum, quasi ipsis sublatis ruitura sit vniuersi moles. Sic Propertius *lib. 4. Eleg. vltim.*

Tota domus cœpit nunc onus esse tuum.

Quia nimirum domum illam portare videbatur. Sic Maro de Turno *lib. 12. Æneid.*

Decus imperiumque Latini
Te penes, in te omnis domus inclinata recumbit.

Sed præcipue illi orbem, aut regnum portare existimantur, qui eximio sunt robore tam animi quam corporis, quique patriæ sunt pro muro: qualis fuit Alexander Seuerus, cui, vt refert Lampridius *in eius vita*, acclamauit populus: *Salua est Roma, si saluus Alexander.* Qualis etiam fuit Hector, quo cadente cecidit Troia; de quo apud Senecam *in Troade* captiuus cecinit chorus:

Columen patriæ, mora fatorum,
Tu præsidium Phrygibus fessis,
Tu murus eras, humerisque tuis
Stetit illa decem fulta per annos:
Tecum cecidit, summusque dies
Hectoris idem patriæque fuit.

Tales etiam appellari potuerunt, qui in fabulis suis humeris dicuntur sustinuisse cœlum, vt Atlas & Hercules, ille ingenio, hic robore. Hi ergo quantumcumque opibus, ingenio, & virtu-

virtute valeant, suam tamen ante Deum gloriam & potentiam incuruant.

37. Incuruantur autem isti potentes ante Deum, quicumque illi sint, siue angeli, siue dæmones, siue viri in hoc sæculo potentes, quia in illo licet interdum inuiti experientia magistra cognouerunt maiorem esse potentiam, quam vt ab humana manu debilitari possit. Atque ideo, quantumcumque inflati rerum successibus, aut abundantia, & gloria, eo adiguntur, vt fateantur se esse nihil, & vni Deo gloriam & honorem deberi. Sic sane Nabuchodonosor, qui cum sibi aurea excitata statua diuinum nomen communi plausu atque acclamatione vendicaret, curuauit tandem se coram Deo. *Dan. III, 69.* & iterum cum dixit *cap. IV, 34.* *Nunc igitur*, inquit, *ego Nabuchodonosor laudo, & magnifico, & glorifico Regem cœli: quia omnia opera eius vera, & viæ eius iudicia, & gradientes in superbia potest humiliare.* Et Antiochus illustris, qui diuinum sibi nomen assumpserat, & Deus a Samaritanis salutatus fuerat, vt tradit Iosephus *lib. 12. cap. 7.* sic tamen a Deo vexatus est, vt clamaret: *Iustum subditum esse Deo, & mortali non paria Deo sentire.*

Omnes potentes curuantur ante Deum.

38. Aut certe tunc incuruati dicuntur viri isti

pag.144.b potentes, cum a Deo, vt humano modo loquar, prosternuntur, & scabellum fiunt illius pedum, aut cum illius pedum vestigia lambunt. Quod dixit Isai. *cap. XLIX, 23.* de regibus ac reginis: *Vultu in terram demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent.* Aut etiam compellentur ceruices incuruare, & iugum subire in eo curru, vbi diuina triumphat maiestas; Quod fecere aliquando profani, qui vt se supra reges, imo supra homines esse significarent, pro equis ac mulis reges ad iugum alligarunt, quo ipsi ambitiose vehebantur. Talia ausus fuit Ægyptiorum Rex barbarus Sesostris, qui reges sorte ductos singulis annis adiungebat ad currus, quibus ipse populis suam non tam gloriam, quam infamiam ostenderet. Cuius meminit Plinius *lib. 33. c. 2.* Diodorus Sicul. *lib. 2. c. 1.* de quo etiam Lucanus *lib. 10.*

Quorundam regum barbara insolentia.

Venit ad occasum, mundique extrema Sesostris,
Qui Pharios currus regum ceruicibus egit.

Hi porro reges atque dynastæ, qui ante Deum venerabundi & supplices suas ceruices inclinarunt, significari videntur ab *Habacuc cap. III, 6.* illis verbis, *Incuruati sunt colles mundi.* Vide quid nos ad illum locum, vbi adumbrari reges collibus ac montibus ostendimus. Gregorius ad hunc locum ita putat, in his, qui portant orbem, angelicas intelligi virtutes, vt magis inclinet in nostram sententiam: dicatque hic significari reges & dynastas, qui portant orbem, & sub illius pondere curuantur. *Ipsi*, inquit, *orbem portant, qui curam præsentis sæculi portant. Tantorum quippe pondera vnusquisque sustinere compellitur, quantus in hoc mundo principatus. Vnde terræ princeps Græco eloquio βασιλεὺς dicitur, id est, basis populi: quia videlicet ipse super se populum sustinet. Qui motus illius potestatis pondere fixus regit.*

Vers. 14. *Quantus ergo sum ego, vt respondeam ei?*) Si alii abiiciunt sese ante Deum, 39.
cum pro sua magnitudine orbem portare posse existimentur, neque mutire audeant aut possint in illius conspectu, cum ab eo reprehenduntur, aut in abiectum & sordidum locum exturbantur. Quid ego faciam tantulus homo, aut quid querar a tanta maiestate deterritus?

Vers. 15. *Qui etiamsi habuero quidpiam iustum, non respondebo; sed meum iudicem deprecabor.*) *Respondere* verbum est forense, 40.
quo aliquis obiectum depellit crimen, aut iustam negat esse causam, cur hoc, aut illud patiatur. Ait ergo Iobus, se non commissurum, vt respondeat Deo, cum obiectat crimen, aut pœnam infligit pro peccato: etiam si depulsionem haberet honestam & iustam siue obiecti criminis, siue supplicii impositi. quia repugnare Deo neque tutum est, neque vllo modo honestum esse potest. Nulla vero cum Deo prudens est vtilisque contentio, nisi humilis a pœnitenti animo peccatorum confessio, quæ aculeos obtundit diuini furoris, & arma ad vltionem intenta extorquet e manibus: Aut oratio item humilis, quæ ab offenso Deo clementiam exorat, neque iustitiam implorat, sed misericordiam aduocat atque sollicitat, in qua magis, quam in suis meritis spem locat victoriæ: *Meum*, inquit, *iudicem deprecabor.* Si suam causam Iobus pag.145.a
ab

Oratio humilis vtiliter cum Deo pugnat.

ab humano iudice definiri vellet, non ageret precibus, sed rationibus, & testibus, quibus suam confirmaret causam, & infirmaret alienam: sed suarum rerum Deum iudicem esse vult, quem in hominibus suis actionibus intuetur: atque ideo dicit, suum sibi orandum esse iudicem, a quo obtinebit humilis oratio, quod audax meritorum ostentatio non possit. Optime *ad hunc locum* Gregorius Iobi interpretatur sensum: *Et si ad opus virtutis excreuero ad vitam, non ex meritis, sed ad veniam conualesco. Preci itaque innitendum est, cum recta agimus, vt omne, quod iuste viuimus, humilitate condiamus.* Hoc modo causam apud Deum iudicem egit Daniel *c.IX,18 Non in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis.*

41. Vers. 16. *Et cum inuocantem exaudierit me, non credo, quod audierit vocem meam.*] Aliam causam timoris & obseruantiæ ostendit. Si Deus orantem exaudierit, id est, ad vota & postulata responderit, bono esset animo, quia vehementer animum reuocat & exhilarat habere sibi Deum placatum & beneuolum; sed neque id est satis homini de sua salute & pace solicito, nisi id sibi constet a Domino fuisse concessum. Quamdiu enim in dubio fuerit, non potest, si sapiat, esse sine metu. Quemadmodum is, quem sua culpa supplicio addixit capitali, etiamsi sibi ab eo, qui summam in eo genere potestatem habet, remissa sit culpa, & supplicium illud capitale depulsum; timet tamen non minus quam antea, nisi quis illum faciat de remissione & Principis voluntate certum. Qui sane affectus laudabilis, & qui nos in metu semper continet, neque omnino sinit animum habere sedatum. *Prov. XXIIX, 14. Beatus vir, qui semper est pauidus, qui vero mentis est duræ, corruet in malum.* Facit huc illud *Ecclesiastic. V, 5. De propitiato peccato noli esse sine metu.* S. Thom. & Caietanus aliter explicant, & dicunt, neque Iobum, neque alios, qui Deum assidue atque feruenter orant, intelligere, an a Deo obtinuerint aut vota sua, aut quod ipsis futurum sit ex vsu. Quia cum a morbo aut

Semper timendum peccatori, qui nescit sibi remissum peccatum.

42. hominum iniuriis crucientur grauiter, orentque, vt ab illis naturæ aut fortunarum incommodis liberari concedat; etiam si exorent, quod vehementer orant, dubitant tamen, an ipsis ad salutem expedit magis sustinere aduersa, quam optatis & secundis frui. *Contingit,* inquit S. Thom. *quandoque, quod hominem Deus exaudit non ad votum, sed ad profectum. Sicut enim medicus non exaudit infirmum ad votum postulantem amoueri medicinam amaram, si medicus eam non remoueat, eo quod scit, eam esse salutiferam: exaudit tamen ad profectum, quia per hoc sanitatem inducit, quam maxime infirmus desiderat. Ita Deus homini in tribulationibus constituto tribulationes non subtrahit, quamuis deprecanti, quia scit eas expedire ad finalem eius salutem. Et sic licet Deus vere exaudiat, tamen homo in miseriis constitutus exaudiri se a Deo non credit.* Hæc S. Thom. Iobus igitur cum liberali cuperet a diuturna illa duraque carnificina, idque iterum atque iterum oraret ardenter; neque tamen se labor ille remitteret, neque præterea nosset, sibi durum illud certamen futurum ex vsu, immissumque magis a beneuolo, quam ab infenso Deo, dubitare poterat non sine causa, suas a Deo preces fuisse repulsas. Vtraque explicatio satis videtur grauis & apta; pag.145.b

Sæpe Deus non exaudit ad vota, sed ad vtilitatem.

prior tamen superiora cum sequentibus magis apte coniungit.

Vers. 17. *In turbine enim conteret me, & multiplicabit vulnera mea etiam sine causa.*] 43.
Reddit rationem, cur timeat, & cur in eodem sit angore post adhibitas preces, quia an ad salutem & pacem fuerit exauditus, ignorat. Est enim valde horribile, dubitare quenquam, an sibi habeat infensum Deum, a quo momento temporis extingui possit, aut torqueri vehementius. Illud *in turbine*, celeritatem indicat, & caliginem, sicut transtulerunt Septuaginta. Quæ duo maiorem ostendunt metus aut sollicitudinis causam. Est tamen timendum, subito aliquem posse consumi: accedit tamen timoris multum, si id fieri posit ac soleat adeo occulte, vt nemo se ad declinandum vulnus comparare valeat. Vtrumque valet vox Hebraica שערה *saarah*, quam Vulgatus *turbinem*, Septuaginta transtulere *caliginem*. Porro in *turbine* aliquid suboleo prouerbiale, in quo significari video grauem aliquam & subitam ruinam. Est turbo præceps & vehemens, & quacunque

Deus cur timendus.

In turbine grauis & subita ruina significatur.

que permeat omnia late conturbans. De quo nos pluribus ad illud *Nahum I, 3. Dominus in tempestate, ac turbine via eius.* Vbi prouerbialem aliquam speciem videri diximus. Quod probat illius in Scriptura non infrequens vsus, *Ierem. XXIII, 19. Ecce turbo dominicæ indignationis egredietur, & tempestas erumpens super caput impiorum. Isai. XXIIX, 2. Ecce validus & fortis Dominus, sicut impetus grandinis, turbo confringens.* vbi Vulgatus *in turbine*, Chaldæus legit *vsque ad filum lineum imputat mihi.* Quod videtur esse prouerbium, quo iudicii seueritas ostenditur, in quo rerum etiam minimarum exigitur ratio. Et quidem vox Hebraica שער filum etiam significat.

Iudicium Dei seuerum.

44. *Etiam sine causa.*] Locus hic varie accipitur, & ad varias patet explicationes, *sine causa*, id est, sine culpa, nempe noua, aut Iobo comperta: Aut certe sine causa, aut culpa, quam punire velit, quia fortasse nulla est; sed vt se insontium pœnis & lacrymis oblectet, quia hoc Deo gratissimum est spectaculum. Ita Iobus ipse indicat infra, *v. 23. Occidat semel, & non de pœnis innocentium rideat.* Quod etiam Seneca gentilis homo cognouit *lib. de prouidentia cap. 2. Spectaculum dignum, ad quod respiciat intentus operi suo Deus. Ecce par Deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compositus.* Aut fortasse sine causa, quia si experiri voluit Deus, qua esset animi virtute Iobus, quanta in perferendis laboribus constantia; iam ipse norat, quem latebat nihil, quique nouo rerum experimento non egebat. In quacunque harum explicatione nulla apparet impietas, cuius a quoquam accusari debeat; cum nihil Deo affingat iniquum aut tantæ maiestati non decorum. Cum sua creatura suo arbitratu vti posit, & ab illa repetere, quod ante tradiderat; neque ab illo, quod Iobus fuerat paulo ante confessus, quisquam honeste posit dicere, *cur ita facis?* Sed sane, vt vidimus, non sine causa Deus exercet suos quantumuis innocentes; vult enim illos beneficiis cumulare grandibus, atque ideo illos grandibus studet cumulare meritis: & in Iobo peculiaris ratio fuit, cuius virtutes mundo toti, & ipsi etiam dæmoni, cuius eum potestati permisit, voluit esse manifestas. Quod & Iobo magno honori fuit, & ipsi Deo maxime gloriosum. Lege librum Senecæ *de prouidentia*, & disces, quam non sine causa a Deo variis pag. 146. a casibus exerceantur innocentes.

Deus non sine causa homines exercet.

45. Vers. 18. *Non concedit requiescere spiritum meum, & implet me amaritudinibus.*] Ab his, quæ patitur, coniectat Iobus, quid a Deo timere debeat, & quam sollicito esse debeat pectore, qui dubitat suam orationem exauditam, & Deum sibi iam esse placatum. Cum experientia longa iam didicerit duram esse Dei manum, quæ hominem amaro inebriat poculo, neque ad punctum temporis respirare sinit. Hieronymus *hic* thoracis angustiis, & eo morbo, qui a Medicis ἀζομαθικὸν dicitur, laborasse Iobum existimat. Qui sic a pulmonibus constringuntur, & concluduntur aditus, vt reddere, siue recipere spiritum pulmones coangustati non sufficiant. Ego hic, vt in simili antea dixi, figuratum & prouerbialem sermonem esse puto, quasi malis mala continenter succedant, neque momentum sit vllum a labore vacuum. Quod aliter per ablatam deglutiendæ saliuæ facultatem significatum est. In Hebraico textu 46.
tam hic, quam qui proxime antecessit versus, in futuro tempore est. Et ita recentiores pene omnes reddiderunt, neque difficilis erit sensus, hic nimirum, etiam si nulla causa fuerit pro sua in me & in omnem creaturam potestate, repente me conteret, & pluribus me vulneribus conficiet, neque me interspirare paululum concedet, & amaro me poculo ad ebrietatem vsque potabit.

47. Vers. 19. *Si fortitudo quæritur, robustissimus est.*] Optime hic Caietanus aliquot cum Domino pugnandi formas numerat, neque vllam honestam esse dicit, aut vtilem, si cum tam acri antagonista certandum sit. Primus certandi & proprius modus est, si arma cum armis, & cum lacertis lacerti conferantur. At quis cum eo huiusmodi certamen inire potest, qui montes transfert, qui terræ concutit columnas, cuique instar est nihili omnis humana atque creata potentia? De hac Dei potentia satis alibi in hoc libro multa, & in hoc ipso capite in principio non pauca.

48. *Si æquitas iudicii, nemo audet pro me testimonium*

monium dicere.] Congrediuntur homines ſæpe non ſolum manu & ferro, ſed etiam iure conſerti, vbi non res lacertorum vi, ſed iure, teſtibus atque æquitate decernitur. Qua in re non minus homo, qui iudicio cum Deo, quam qui armis certare voluerit, ſuperabitur.
Deus iudex æquus, cui contradicit nemo. Quia Deus iuſtisſimus; homo vero ea parte maxime laborat, quia neque illius iuſtitia ſic eſt explorata, vt nihil in illa æquitas deſideret, neque arma illi ſuppetunt & inſtrumenta, quibus ſuam tueatur, & diuinam æquitatem oppugnet. Liberant, aut damnant in iudicio reum teſtes, & tabulæ: nihil horum ſtare poteſt ab homine in hoc nouo atque impari certamine: quæ enim tabulæ, quæ leges contra legum autorem? Qui teſtes tantum habebunt ſtuporis aut audaciæ, qui ſuo teſtimonio æquitatem ſummam damnare, & a quo ipſi ſpiritum acceperunt, & vitam, quod ad ipſos attinet, iugulare velint. Hebraice *quis dabit mihi tempus?* Et ita vertit Pagninus. Tigurina: *Quis mihi patrocinabitur?* Septuaginta: *Quis iudicio eius contrariabitur? Quis conuenire faciet me?* Ad hæc omnia patet verbi יעד *iaad* ſignificatio multiplex. Quæ omnia valde coanguſtant & premunt hominum cauſam atque iudicium: cum in diſceptatione eiusmodi, neque patronus vllus, aut teſtis contra Deum eſſe aut velit, aut poſſit.
pag.146.b Neque certum poteſt tempus vadimonio conſtitui: neque vllus deſignari, qui concertatorem vtrumque in ius vocet, & tandem cogat vadimonium obire.

49. Verſ. 20. *Si iuſtificare me voluero, os meum condemnabit me.*] Alius eſt modus, quo quis a ſe criminis ſuſpicionem depellat, cum teſtis, & omne forenſe inſtrumentum abſit, nempe ſi quis pro ſeipſo teſtimonium ferat, ſuamque a ſeipſo innocentiam probet. Hæc vero probatio infirma eſt, & nihilomagis cauſam iuuat, quam ſi ab omni foret teſtimonio deſerta.
Nemo teſtis in ſua cauſa. Neque enim in iudicio legitimo teſtimonium illud admitti ſolet aut debet, quod aliquis de ſeipſo perhibet. Quod Chriſtus ex communi iudicandi modo docuit, *Ioan. V, 31. Si ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, teſtimonium meum non eſt verum.* Neque ſolum non fauebit cauſæ teſtimonium huiusmodi; ſed etiam incommodabit plurimum; non enim modeſti eſt aut vrbani ingenii, negare crimen a pluribus obiectum, vel ab eo, in quo firma eſt autoritas & fides, de qua nemo dubitat; niſi contra ſtet multorum fides, quibus allini nulla poſſit perfidiæ labes. Hoc itaque Iobi de ſua ipſius innocentia teſtimonium, quo obiecta a Deo crimina depellit, ipſum condemnat impietatis & blaſphemiæ; cum Deo videatur impingere, quod ab ipſius nomine quam longiſſime abeſt.

Verſ. 21. *Etiamſi ſimplex fuero, hoc ipſum* 50.
ignorabit anima mea.] Non attribuit ſibi Iobus ſanctitatem & iuſtitiam, quam ſignificat vox illa *ſimplex*, Hebr. תם *tam*, id eſt, *perfectus:* ſed ait, etiamſi nullum in eo hæſerit peccatum, non tamen id affirmare poſſe; cum de illo ſibi ipſi gratulari aut gaudere non poſſit; cum incertum ſit, neque vllo modo explorari humano conſilio queat, an liber ſit animus a peccati labe. Quocirca in hoc etiam ſtatu plane felici, ſi quisquam alius in mortali vita, neque affirmare poteſt ſe purum a labe, cum de illo ſit omnino ignarus, neque ſecuro eſſe animo, cum ſaltem dubitet, an ſuum ſibi iudicem infenſum habeat. Quare non poteſt habere, quod reliquum eſt vitæ, ab angore liberum, aut a metu vacuum; ita vt iam ipſum vitæ, ſuique tædeat propter quantamlibet peccati ſuſpicionem. Hic mihi ſenſus minus videtur quam alii impeditus. *Nemo de ſua iuſtitia certus.*

Verſ. 22. *Vnum eſt, quod locutus ſum, & in-* 51.
nocentem & impium ipſe conſumit.] Cum dixiſſet, habere ſe nihil, quod ad obiecta a Deo crimina reſponderet, cum ſuo ſe gladio potius conficeret, quam cauſam tueretur; & nouo ſe crimine, & aliorum multorum ſuſpicione oneraret potius, quam exoneraret ab impoſitis, dicit, hoc vnum ſe fuiſſe locutum, quod honeſte dici poſſe arbitrabatur; neque modo id mutat, aut pœnitet dicti, nempe non ſolum in hoc mortali ſtatu vexari a Domino ſceleratos & hoſtes, ſed etiam inſontes & amicos. Quod negarunt duo Iobi amici, eoque nomine illum accuſabant, & vexabant hoſtiliter, quaſi ideo grauiter affligeretur a Deo; quoniam magnus eſſet ipſe peccator, & pro ſcelerum menſura eſſet a ſapiente ac iuſto iudice impoſitus plagarum modus. Neque vnquam a Domino inno-

centem hominem acceptum esse durius. Hæc illi putabant, & obstinato consilio persuadere Iobo nitebantur, persuasi ipsi prius, vt opinor, a dæmone. Vnde orta longa hæc & acris disceptatio; cuius hæc Iobi verba continent fundamentum. Sed vbi id ante locutus fuerit Iobus, non constat: fieri facile potuit, vt in his colloquiis hæc dixerit Iobus, neque tamen fuerint scripturæ mandata, sicut alia multa, quæ suis locis scripta non sunt, neque illa nossemus, nisi alieno loco repetita forent. Sic hoc loco discimus a Iobo, qui repetit, quod antea dixerat, nempe a Deo in hac vita sine discrimine tam iustos & innocentes, quam impios & sontes exerceri, quod prius a Scriptore sacro fuerat omissum. Item quæ sunt ad finem vsque *versus 27*. Quia vero id alicui nouum atque difficile videri potest, pluribus rationibus ostendendum est.

52. REGVLA. *Multa suis locis omissa, quæ alibi ex occasione dicuntur.*

Ignoraremus plurima, quæ dicta sunt a Christo, & ab Euangelistis omissa, nisi illa a Paulo variis in locis commemorata fuissent, vt diximus *in nostris Commentariis super Acta cap. 1. num 15.* Quis nosset de Moysi corpore ortum esse certamen inter Michaelem & diabolum, nisi id Iudas in sua canonica epistola *v. 9.* tradidisset? Quis Cananæos e patriis finibus immissis crabronibus esse depulsos, nisi id Iosue *cap. vltimo v. 12.* iam iam moriturus commemorasset: aut nisi id aliquando futurum, esset prædictum? *Deut. VII, 20.* Quis Oziæ tempore graui terræ motu fuisse concussam, nisi id ab Amos *c. I, 1.* & a Zacharia *cap. XIV, 5.* didicisset? Quis quo tempore Hebræi commorati sunt in Ægypto, admonitos fuisse a Deo, ne Ægyptiorum idola venerarentur, nisi id Ezechiel *c. XX, v. 7.* docuisset? Quis alienos Deos in Ægypto ab illis fuisse cultos, nisi postea eodem capite, & ante *c. XVI, 26. sq.* pluribus idem docuisset Ezechiel? Multa de viris illustribus commemorantur a *c. XLIV. Ecclesiastici*, quæ in propriis locis, vbi videri alicui posset commemorari posse commodius, prætermissa sunt. Multa in *lib. Sapientiæ* a *c. XVI* quæ contigerunt in Ægypto & in longa peregrinatione per desertum, quæ tamen in suis locis non audimus. Quid ergo mirum, si pleraque, quæ in his tribus versibus legimus, dicamus a Iobo fuisse dicta, neque que tamen in eius verbis scripta reperiamus?

Vers. 23. *Si flagellat, occidat semel.*] Hæc verba dicta videntur fuisse a Iobo *cap. VI, v. 9. Qui cepit, ipse me conterat, soluat manum suam & succidat me.* Quæ verba eandem videntur continere sententiam, licet magis expressa, seu, vt dicunt Logici, magis formalia, alio loco dicta fuerint, quæ nunc a Iobo verba repetuntur. In his verbis aliquid videtur Iobus cognoscere minus pie dictum, quam divinam deceret maiestatem, cum defessus ferendo tam acres atque diuturnos morsus, cum aliquo stomacho mortem optet, & inferri sibi a Domino postulet, vt defunctus vita, sit quoque tam acerba vexatione defunctus. Videtur autem ille toties mori, quoties votum habet mortis, aut moriendi causas, quales sine dubio plurimas habebat Iobus, cum horribiles plagæ, & animi angores voluntatem acuerent moriendi, & necessarias afferrent mortis causas, nisi aliter esset a Domino prouisum. Dixerat itaque Iobus aut *cap. VI, v. 9.* aut alio tempore magis expresse, si Deus est, qui tam assidue ac diu flagellat me, & in meis doloribus tam se oblectat effuse, si statuit mihi per tot acerbitates vitam eripere, occidat me semel; quando grauis est & prope necessaria moriendi causa; neque me non tam vitam, quam immortalem mortem sustinere cogat.

53. *Iobus cur mortem optet.*

pag. 147. b

54. Semel *idem interdum valet quod omnino.*

Vox *semel* inter alia plurima idem interdum valet, quod omnino ac funditus, tam apud sacros, quam apud profanos Scriptores: apud quos illud tritum, *vt semel dicam*, id est, nescit opus amplius repetere. Virgil. *lib. 11. Æneid.*

Qui ne quid tale timeret,
Procubuit moriens, & humum semel ore momordit.

Ouidius *epist. 5. Heroid.*

Nulla reparabilis arte
Læsa pudicitia est, deperit illa semel.

Similes occurrunt locutiones in Scriptura. *1. Reg. XXVI, 8.* sic Abisai de Saul: *Perfodiam eum lancea in terra semel. Psalm. LXXXVIII, 36. Semel iuraui in sancto meo*, id est, irreuocabiliter. Plura occurrent attento lectori. Optabat ergo iam tandem perire omnino, qui sæpe visus est mori. Qui ideo videri potuit non occisus omnino, vt sæpius videatur occidi potuisse. Quod de Tyrio fabulantur Poëtæ,

tæ, qui ideo non perit semel, vt sæpius periret. Sic sane de se ac de illo Ouidius *lib 2. de Ponto eleg. 2.*

Viuimus, vt nunquam sensu careamus amaro,
Et grauior longa sit mea pœna mora.
Sic inconsumptum Tytii, semperque renascens
Non perit, vt possit sæpe perire iecur.

55. *Et non de pœnis innocentium rideat.*] Qui alicuius producit vitam, qui mortem optat, & tardantem incusat, ille oblectari videtur miseri pœnis, quas lentas esse vult. Quocum actum esset longe clementius, si vno tantum vulnere, coque insperato foret extinctus. Eo consilio Tyranni, qui se sanctorum Martyrum pœnis oblectabant, non pyra, seu fornace vehementer accensa, quæ cito, sed igne remisso ac languido, qui lente consumit, illorum corpora cremari iubebant. Sic Deus ridere videtur & oblectari innocentium pœnis, quando illas tam lentas ac diuturnas esse vult; cum improborum dolores velit esse breves, & mortis moram instar puncti, de quibus Iobus ipse *c. XXI, 13. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad infernum*, (id est, ad sepulcrum) *descendunt.* Dicitur vero Deus ridere, quia sic iudicat hominum vulgus, quod non aliter de diuinis solet, quam de humanis meditari: & de suo sensu, qualis sit diuinus, nonnunquam vere, sed sæpius falso ac stulte coniectat. Sed reuera Deus ex virorum fortium cum mala fortuna conflictu, cùm dolores pro ipsius gloria patienter tolerant, neque illis animo languente succumbunt, non lenem capit voluptatem. Quod paulo ante dicebamus ex Seneca *lib. de prouidentia c. 2.* ad illud *vers. 17. etiam sine causa.* Quo loco dixit etiam Seneca statim post illa verba: *Non video, quid habeat in terris Iupiter pulcrius, si conuertere animum velit, quam vt spectet Catonem, iam partibus non semel fractis stantem nihilominus inter ruinas publicas rectum.* Tolle nomen Iouis, & Christianam arbitrare sententiam. Idem pene Gregorius *ad hunc locum*, vbi Deum dicit gaudere vehementer iustorum lacrymis ac doloribus ex ipsius desiderio conceptis: *Si risum*, inquit, *Dei eius lætitiam appellat, de innocentium pœnis ridere Dominus dicitur, quia quo a nobis ardentius quæritur, eo de nobis suauius lætatur. Quasi quoddam quippe ei ex pœna gaudium facimus, cum per sancta desideria potius nos amore castigamus.* Sanctorum lacrymæ, vt ait Bernardus, vinum sunt angelorum, quod suauiter olet, & vnguentum exquisitæ fragrantiæ. Et multo magis Dei, a quo illæ expressæ, & quibus æternam consolationem promisit. Vt autem arbuscula, quæ myrrham stillat, incidi solet, & prope dixerim hostiliter distringi atque nudari, vt plus fundat vnguenti, quod lacryma etiam appellatur: Sic quia Dominus lacrymarum sitientissimus est, versat interdum animos, & vexat dure, & diu, quo se magis illis copiose manantibus oblectet & expleat.

Quo sensu dicatur ridere Deus de innocentium pœnis.

pag. 148.a

55. Hæc mihi ita probantur, vt non minus probetur & placeat, quod Gregorio placuit in explicatione priori: in qua ridere idem esse putat, quod non misereri. Quasi Deum non misereat, cum mortem differt illius, qui quotidie, si pœnarum acerbitates consideres, existimatur mori. Sic autem ibi Gregorius: *Ridere Dei est humanæ nolle afflictioni misereri. Vnde per Salomonem Dominus reprobis in culpâ durantibus dicit: Ego quoque in interitu vestro ridebo, id est, afflictioni vestræ nulla pietate compatiar.*

Ridere dicitur Deus, cum non miseretur.

56. Vers. 24. *Terra data est in manus impii, vultum iudicum eius operit.*] Hoc etiam Iobus refert se dixisse: quasi quod aliquando questus fuerit de Deo, quod mundi gubernationem, & potestatem supremæ non dissimilem, impiorum voluntati permisisse videatur, qui conturbant iura, neque fas apud illos aut ratio valet. Quæ sententia multos explicat nexus, & quos explicationes aliæ, aut impediunt, aut certe non videntur omnino dissoluisse. Non enim nimis apte consentiunt, quæ ab aliis dicuntur, cum his, quæ præcesserunt antea, aut consequuntur proxime. Hæc porro dixisse Iobum, aut cum adessent coram amici, aut certe ante illorum aduentum, persuadet, quod non valde dissimilia dixit idem *cap. XXI, 7. 9.* vbi de impiorum felicitate multa, eaque, vt apparet, non sine stomacho: *Quare*, inquit, *impii viuunt, subleuati sunt, confortatique diuitiis? Domus eorum securæ sunt & pacatæ; & non est virga Dei super illos.* vbi plura in hanc sententiam.

Vultum

57. *Vultum iudicum eius operit.*] Hic impius, qui summam in terris videtur habere facultatem, conculcat leges, peruertit iura, & quidquid libet, id sibi licere putat. Muneribus corrumpit iudices, & emit iudicia, quæ prostant venalia, quo artificio iudicum operit vultum, redditque cæcos, ne veritatem intueantur: & qui legum esse debuere custodes & vindices, illi leges prodiderunt, & causas publicas, dum student priuatis; neque in illis tenuiorum oppressæ fortunæ habuere perfugium.

58. *Quod si non ille est, quis ergo est?*] Si non est impius, qui sic humanarum rerum rationes moderatur, qui iudicum excæcat oculos, qui nihil sibi ab aliorum potestate metuit, quis ergo est? non quidem Deus, quia nihil ille facit non æquum, & potius iudicum aperit & illuminat oculos, quam cæcat, aut obnubilat. Ergo impius aliquis, qui tyrannicos alit spiritus, est, cui Deus permisit, vt pro suo arbitratu terram administraret. Sed quis sit hic impius, quærunt Interpretes. Quidam diabolum esse putant; alii homines impios, quos diabolus ad omnem vim, fraudem, & iniuriam audaces reddit, cuique magis se, quam diuinis legibus obsequentes præbent. Sed parum refert, hoc ne an illo modo capias. Quid enim interest, si dæmon per se, aut per impios homines humanas rationes administret? Quemadmodum neque curamus, an humanus Princeps per se curet commissum sibi regnum, an per suos ministros; quocunque enim id modo fiat, a Rege dicitur administrari respublica. Et quidem non semel dicitur terra dæmonis potestati permissa, aut aliquid aliud, quod valde ab hac loquendi forma non recedit. *Ioan. XII, 31. Nunc Princeps huius mundi eiicietur foras.* idem *c. XIV, 30. Venit enim Princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.* Et *c. XVI, 11. Princeps huius mundi iam iudicatus est.* idem Paulus *ad Ephes. VI, 12. Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum.* Quare mirandum non est, si ex illis, quæ in mundo passim obseruabat, in bonorum impiorumque rebus, aut vehementer depressis, & supra modum subleuatis, in eam cogitationem veniret Iobus, vt terram existimauerit diaboli potestati fuisse permissam. Neque longe abfuit ab ea cogitatione Dauid, cum dixit *Psalm. LXXII, 2. Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei: quia zelaui super iniquos pacem peccatorum videns.* Quod item graue videbatur Ieremiæ *cap. XII, 1. Quare via impiorum prosperatur, &c.*

Dæmon quomodo princeps huius mundi.

pag. 148. b

59. Quæ ratio Gentiles dubitare fecit, an in humanis rebus esset prouidentia; vel omnia temere succederent, & casu. Est ea de re opinio cuiusdam Philosophi apud Plutarchum, *lib. 1. de placitis Philosophorum.* Et quando aliquid accidebat in terris, quod minus æquum hominibus videretur, aut nulli putabantur esse Dii, aut iniusti, & ignari rerum. Extat Varronis epigramma, qui ex honesto tumulo hominis vilissimi, & duorum magnorum Principum, aut nullo, aut tenui rudique sepulchro, nullos esse Deos, suspicabatur, qui humana curarent, & hominum compensarent merita:

Ex malorum felicitate & bonorum miseria suspicati antiqui, non esse Deum.

Marmoreo Licinus tumulo iacet: & Cato paruo,
Pompeius nullo. Quis putet esse Deos?

Ouidius *in morte Catulli:*

Cum rapiant mala fata bonos, ignoscite fasso;
Sollicitor nullos esse putare Deos.

60. Vers. 25. *Dies mei velocius fuerunt cursore: fugerunt, & non viderunt bonum.*] Tres versus, qui proxime, sine dubio claudendi sunt parenthesi, quia non quid modo dicat; sed quid ante dixisset, commemorat Iobus: idem puto dicendum de tribus sequentibus, in quibus Iobus videtur de Domino conquestus, quod ante suum tempus velocissimo cursu vitæ suæ dies abierint, qui esse debuere longiores. Ex quo coniectare facile possumus, in medio vitæ curriculo, aut certe non procul ab eo, tot rerum Iobum subiisse naufragium. Quando & plures ante suscepit filios, quos oppressit domus subitus casus; & postea non pauciores, cum ad priorem statum restitutus est. in eo autem videtur Iobus minus locutus esse patienter, cum dicat, ante suum tempus præcisam esse vitam, antequam videret, quæ in terra in bonis numerari solent. In quo apparet dicendi modus hyperbolicus, quo significari solet vitæ mensura momentanea;

Qua ætate Iobus tentatus & afflictus.

quome-

quomodo Ezechias apud Isaiam *c. XXXIIX, 12.* Nam cum prius dixisset, *in dimidio dierum* suorum, eadem fortasse ætate; in qua hæc a Iobo dicta sunt, se dixisse, quæ sequuntur, illud tempus statim suæ vitæ principium
pag.149.a nominauit. *Præcisa est*, inquit, *velut a texente vita mea, dum adhuc ordirer, succidit me: de mane vsque ad vesperam finies me.*

61. *Vitæ breuitas tribus similitudinibus explicata.* Hanc vitæ breuitatem, quam explicat Ezechias telæ metaphora, quæ in ipso statim exordio præciditur, tribus aliis similitudinibus expressit, quas ex tribus sumpsit elementis. Ex terra sumpsit cursorem, qui quanta potest maxima celeritate contendit, vt ad metam perueniat, aut ad alium finem sibi destinatum, quando in ea celeritate magna rerum momenta cernuntur. Neque si in via aliqua occurrant oblectamenta, quæ in aliis temporibus magno emeret, in illa tamen celeritate contemnit omnia: quia vires animi ac corporis ad propositum sibi terminum intendit. Sic Iobus nondum se oblatis sibi deliciis oblectarat, cum vitæ cursus finitus est.

62. Verf. 26. *Pertransierunt quasi naues poma portantes: sicut aquila volans ad escam.*] Vbi Vulgatus *poma portantes*, Hebraice est אבה *ebeh*, quod varii varie transferunt & exponunt. Quidam rapidissimum fluuium esse putant in Arabia, qui naues præcipiti secum impetu rapit. Sic quidam ex Hebræis, & cum illis quidam ex nostris, Caietanus, Isidorus Clarius, Montanus *in Bibliis regiis.* Alii vocem illam reliquerunt, significantes esse, aut certum locum atque prouinciam; aut marinum aliquem tractum, in quo sunt naues maxime ad cursum, & quasi volatu expeditæ. Alii piraticas naues intelligunt, quarum præcipua commendatio in celeritate ponitur; quales sunt, quæ dromones aut celoces dicuntur. Accommodate ad hæc Symmachus in catena: *festinantes*, Vulgatus: *naues poma portantes*, reddidit. Chaldæus eodem prope modo: *naues fructus.* Quas leuissimas & velocissimas esse oportet, ne si tardior sit cursus, in medio mari putrescant & pereant poma. Quorum integer viror & succus non potest esse diuturnus; maxime in mari, vbi noxius ille humor etiam multo duriora corrumpit. Hæc autem comparatio satis indicat, quam vana sunt, quamque futilia bona, quæ homo in hac mortali & ad hanc mortalem vitam congerit. Quæ corrumpuntur & putrescunt facile, non secus ac poma, quæ per mare transmittuntur: quæ nisi veloci ad transmarina loca cursu vehantur, aut nulli sunt vsui, aut porcorum cibariis relinquenda.

Sicut volans ad escam.] De celeritate, qua ad prædam rapitur aquila, nonnihil diximus *in nostris Commentariis super Habacuc*, ad illud *c. I, 8. Volabunt sicut aquila festinans ad comedendum.* Celeritas magna prouerbiali specie cum aquilæ volatu comparatur, cum fertur ad prædam. Sic *Ierem. XLIIX, 40. & XLIX, 16. 22. Ezechiel. XVII, 3. 7.* De velocitate aquilarum ad prædam Isidorus *lib. 10. c. 7. Tanti*, inquit, *contuitus esse dicitur, vt cum super maria immobili penna feratur, nec humanis pateat obtutibus, de tanta sublimitate pisciculos natare videat, vt tormenti instar descendens raptam prædam pennis ad littus pertrahat.* Illud *tormenti instar* magnum habet ad celeritatis amplificationem pondus. Perinde enim est ac si dicat, aquilam ad prædam non minori celeritate ferri, quam ab arcu sagitta excutitur, aut a bombarda plumbeus excutitur globus. 63. *Quanta aquilæ velocitas.*

Septuaginta illud de naui poma portanti aliter transtulerunt: *Nunquid est nauibus vestigium viæ?* Vnde ego aliquid subodoror spectatum etiam a Iobo, ita vt non solum suam, aut hominum vitam ostendat celeri cursu fuisse finitam, quod satis exprimit aut nauis onustæ pomis in maris traiectus, aut aquilæ in prædando pernicitas, sed etiam nullum illius relictum esse vestigium. Quod vidit etiam expressitque autor Catenæ Græcæ: *Vt nauis, inquit, aquilæue nulla extant impressa vestigia, ita beatæ florentisque vitæ nulla relinquuntur argumenta. Ergo vt nauis nulla in mari, & nulla aquila in aere vestigia fecit: sic humanæ felicitatis certum nullum signum adfertur.* Quæ nullum sui cursus signum relinquunt, non semel per auium volatum, aut nauis transmissionem significantur. *Prov. XXX, 19. Tria sunt difficilia mihi,* &c. *viam aquilæ in cœlo, viam nauis in medio mari Sap V, 8. 9. 10.* ad *aquilam*, & *nauem cursorem* etiam adiungit, vt omnino cum Iobo locus ille conueniat. Sic autem ibi de sua felicita- 64. *Felicitatis & humanæ gloriæ memoria fatilis.* pag.149.b

te impii: *transierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuncius percurrens, & tanquam nauis, quæ transuolat in aere* &c.

65. *Velocitatis summæ hyperbolica descriptio.* Quod duo illa posteriora, nauis & aquila, vestigium relinquant nullum sui volatus aut remigii, nemo dubitat. Sed id quoque de cursore dicendum probare conabimur; non quidem ex reiipsius natura: nam cursor vestigia sua terræ impressa relinquit, per quæ indagari & deprehendi possit; sed ex hominum vulgari loquendi vsu, qui hominis velocitatem modo significet, quasi neque terram incedendo tangat, sed quasi per aerem volucris instar gradiatur, vbi nullum ingressus sui relinquat argumentum; quod non apud profanos modo scriptores, sed etiam apud sacros vsitatum est. Virgil. *lib. 7. Æneid,* de Camilla:

Illa vel intactæ segetis per summa volaret
Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas.
Vel mare per medium fluctu suspensa tumenti
Ferret iter celeres, nec tingeret æquore plantas.

Silius *lib. 6.*

Vix campus euntem
Sentit, & exilis plantis interuenit aër,
Raraque non fracto vestigia puluere pendent.

Claudianus *de tertio consulatu Honorii:*

Vobis Ionia viridis Neptunus in alga
Nutrit equos, qui summa freti per cærula possint
Ferre viam, segetemque leui percurrere motu
Nesciat, vt spumas, nec proterat vngula culmos.

Ouidius *de Atalanta:*

Signa tubæ dederant, cum carcere pronus vterque
Emicat, & summam celeri pede libat arenam.

Plura Latinorum adducere possem exempla, neque Græcorum pauciora: neque a linguis aliis vulgaribus alienum esse puto hunc dicendi modum. Sane Hispanus, cum hominem, equum, aut aliud quoduis animal velocissimum significare vult, hoc explicat modo: *Nollega, ono asienta el piè enel suelo.*

66. Quod autem hic loquendi modus vsitatus fuerit Hebræis, probat illud *Dan. IIX, 5.* vbi de hirco, in quo vmbra quædam proponebatur Alexandri, qui incredibili celeritate lustrauit & subiugauit terram, dicitur: *Hircus caprarum veniebat ab occidente super faciem terræ, & non tangebat terram;* id est, ea celeritate, vt per aërem videretur potius, quam terram ingredi. Et illud *Isai. XLI, 3.* quod pag. 150. a
quidam de Abrahamo capiunt, alii de Cyro, alii de Christo: *transibit in pace, semita in pedibus eius.* Sic a nonnullis exponitur, & in illo quandam agnoscunt Hebræis familiarem hypallagem in hunc modum: pedes eius in semita non apparebunt, quia nimirum sic transibit velociter, vt videatur volasse per aërem, quam per terram ingressus, & in ea pedum impressisse vestigia; in his sunt Lyra, Adamus, Emanuel Sa.

Vers. 17. *Cum dixero, nequaquam ita loquar, commuto faciem meam, & dolore torqueor.*] Hunc quoque versum claudendum 67.
esse puto parenthesi, & spectare ad verba, quæ nuper Iobus dixerat a se stomachosius prius esse dicta: quasi illa aut modo non probet, aut olim non probauerit. Sed quasi voces illas meliori mente damnauisset, statuissetque, non illo modo amplius esse loquendum, finxisse vultum ad hilaritatem, aut commutata facie dolorem simulasse, etiamsi angore interius vreretur grauissimo. Hæc videtur non parum apta, & cum antecedentibus consentanea sententia. Et quidem difficile est, vultu tegere, quod intus excruciat, aut quod intus in qualemcunque motum efferuescit & æstuat. Est tamen prudentis & 68. *Prudentis est dissimulare ad tempus.*
constantis animi, neque exiguos interdum affert vsus, dissimulare, aut certe non prodere vultu, aut externo aliquo signo, quod intus animo patiaris, aut verses, maxime si familiam alas, aut cum potestate sis, ne dolore tuo aliis dolori sis, aut ad aliorum animos, tuos sensus non sine damno aut offensione transmittas. Hoc fecisse videtur, vel vt ostenderet, inflictas sibi a Domino plagas se ferre non inuitum, aut ne suis, quos vt reipublicæ pater diligebat, dum ipse dolet ac gemit, dolorem afferret. Sic tamen externis cruciabatur plagis, & doloribus vrebatur internis, vt gemeret cogente dolore, imo, & cum stomacho videretur cum Deo expostulare, quod secum ageret multo seuerius, quam

quam exigeret peccati mensura. De qua re iam ante egimus, & deinceps necessario pluribus agendum.

Est autem in his, qui præsunt, hoc documentum maxime necessarium, ne quidquid sentiunt, exterius prodant, aut vultu in diversa mutato, aut verbis. Quæ animum indicant non bene constitutum, aut durius affectum. Vultus enim Principis subditorum imprimit & informat animos, & quos habet sensus, ad aliorum pectora transmittit. Quod docuit Maro in suo Ænea, in quo imperatoris optimi formam expresit *lib. 1.* qui cum orationem habuisset spei bonæ plenam, qua mœrentes socios bono esse animo iussit, cum tamen non minus ipse, quam alii animo mœreret, addidit:

Talia voce refert, curisque ingentibus æger
Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.

69. Vers. 28. *Verebar omnia opera mea sciens, quod non parceres delinquenti.*] Orationem ad Dominum conuertit, & docet, studuisse se, ne vnquam a Dei voluntate deficeret, neque tamen ideo in suis sibi operibus satisfecisse. Post longum hyperbaton, quod sex non minus versibus interpositum est, ad intermissa reuertitur: atque ideo hæc cum illis verbis *v. 22.* coniungenda sunt: *Tædebat me vitæ meæ.* Cum enim dixisset, non esse tutum cum Deo velle contendere, rationesque il-
pag. 150.b lius cogitationis tradidisset, dixissetque suis se verbis iugulatum iri, si excusare se ac iustificare voluerit; & per parenthesim quædam inseruisset verba, quæ, quia defensionis speciem habuissent, ipse damnauerat: nunc alias rationes adducit, cur Dei congressum horrere debuerit; neque coram illo mutire sit aut tutum, aut honestum: quia etiam si simplex esset & a peccato liber, illud tamen ipsi non poterat esse compertum. His ergo, prætermisis aliis, hæc verba connecto; quæ grauia sunt, vt etiam iustorum hominum linguam comprimant. Duo ergo dicit, primum ab omnibus operibus aliquid esse timendum, etiam si ab omni labe pura videantur: quia Deus intima quæque penetrat, & in illis aliquid deprehendit puniendum, in quo nihil homini apparebat iniustum. Deinde quia nullum hominum, delictum abire patiebatur impune. Quis cum hæc secum solicite meditetur & attente, animo potest esse securo? cum de suorum operum iustitia dubitet, & sciat, nihil esse, quod non sit examen Domini subiturum seuerum, & supplicium delicto consentaneum.

Vers. 29. *Si autem, & sic impius sum, quare frustra laboraui?*] Hæc verba, meo iudicio, non obscure probant sex versus, qui antecessere proxime, submouenda esse ab orationis continenti filo, & includenda parenthesi. Non enim illa laudaret Iobus, neque videretur admirari, quod cum tale instituisset viuendi genus, impius nihilominus haberetur, videreturque frustra pium laborem suscepisse. Nam quæ parenthesis illa quasi aliena concluserat, aliquid videntur habuisse non omnino iustum, quod cogente nemine Iobus ipse damnauerat. His positis, hunc ego sensum horum verborum esse puto: Si illud vitæ genus institui, quale a principio capitis ad hunc vsque versum descriptum est (seclusis sex versibus,) si Deum semper timui, neque me in eius conspectu iustum esse credidi; si denique considerans rerum etiam minimarum reddendam esse rationem, neque quicquam abiturum impune, & consentaneo ad hæc mores meos, & animi sensus informavi, si nihilominus violatæ pietatis accusor, scire ab te velim, o Domine, quod ego non assequor, qua in re fuerit a me peccatum? 70.

Hæc postrema verba multis explicantur modis: & reuera eiusmodi sunt, vt ad varias sententias, aut accommodari, aut detorqueri posint. Quidam hæc verba non ad Deum relata, sed ad Baldad existimant, quare paulo ante dixerat, Iobum esse peccatorem: quasi dicat, se fructum bonorum operum aut non consecutum, aut perdidisse. Ita tenent aut indicant Eugubinus, Vatablus, Stunica. Sed quæ sequuntur, satis indicant, hæc ad Deum conferri, sicut quæ statim eodem texuntur filo, quæ a Deo separari nullo modo possunt. 71.

S. Thomas, & cum illo alii non pauci, sic accipiunt, vt plagæ illæ existimentur impositæ pro peccatis, & Iobum, qui vsque adeo punitur acerbe, esse peccatorem; atque ideo laborasse frustra, quia quamuis tam acrem 72.

pro iustitia subierit agonem, quo spectabat ardens illa contentio; non tamen quod optabat fuerit consecutus, cum adhuc Deum sibi infensum, & suorum scelerum vindicem experiatur durum.

73. Alii hanc vocem esse putant animalis partis, quæ dolorem sentit, & causam non curat, aut ignorat. Qualis erat illa Dauidis *Psalm. LXXII, 13. Et dixi, ergo sine causa iustificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas: & fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis.* Sed sane cum illa, quæ præcessere, a rationali parte processerint, item quæ proxime consequuntur, non est, cur ab alia parte hanc etiam vocem profectam arbitremur.

pag. 151. a

74. Ego extremam hanc vocem sic explicari posse arbitror, & pie, & facile, ita vt Iobus non neget in se fuisse culpam, iustamque causam, cur a Deo vexari posit, sed ignorare, quænam illa sit, & quid in suis rationibus atque consiliis sit, quod minus Deo placeat, quodque ab ipso in posterum emendari debeat: ne cum diu multumque laborauerit, laborasse videatur frustra: quia frustra putat laborem illum esse susceptum, in quo Deus aliquid, quod reprehendat, inuenerit, sicut ille frustra certare dicitur, neque dignus existimatur corona, qui non iudicatur certasse legitime. Eodem, opinor, sensu Iobus ipse *cap. VII.* dixit *vers. 20.* se peccasse, & cupere se a Deo audire, quidnam admiserit, cur Deum aduersarium experiatur, & quomodo illum sibi placare posit: *Peccaui, quid faciam tibi, o custos hominum? quare posuisti me contrarium tibi?*

75. Septuaginta aliter hæc transferunt: *& quia sum iniquus, quare non sum mortuus?* Quod sic Augustinus *lib. annot. in Iob & quia sum impius, quare non sum mortuus, & laboro?* iuxta quam lectionem ego hæc verba proxime præcedentibus adnecterem in hunc modum: Quia ego talia, & talia verba locutus sum, & ideo impius iudicor & pœnarum reus; cur morti traditus non sum, sed laborare cogor, & spiritum trahere angustum & ægrum? Chrysostomus *in catena*: *Ego impietatis exemplum sum cunctis propositus; cur igitur non perii? improbum enim oportebat tolli de medio, ne cæteris magister esset improbitatis.* Olympiodorus item *in catena: Si integrum de mea impietate factum est iudicium, an non mihi rectius futurum erat, antequam ad impietatem delaberer interire?* Pie vterque. Sed quia a translatione Vulgata non recedo, sic etiam neque ab expositione, quæ illam consequitur translationem.

Vers. 30. *Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ; tamen sordibus intinges me.*] Non adeo Iobus de sua sibi munditia placet, vt non sibi de aliqua manuum, id est, operum suorum immunditia metuat: quia diuinos timet oculos, quos latere nihil potest impurum, etiamsi homines in illis nihil esse putent non purissimum. Quantumuis, inquit, manus lotæ fuerint, neque niuis candor atque mundicies illarum superet puritatem & splendorem; tamen oculi tui, o Domine, plusquam lyncei aliquid inuenient squaloris & sordium, quibus me contaminatum deprehendas, & damnes. 76.

Hic nobis aliqua sunt obseruanda necessario: primum, cur manus his aquis dicantur esse lotæ, quæ ex liquefacta niue profluxerunt. Neque enim maior esse videtur vis in niualibus aquis, quam in fontanis, aut marinis. Quidam maiorem esse putant vim abstergendi in illis aquis, quas niues eliquant, quam in eis, quæ ex fonte hauriuntur, aut fluunt, neque rationem reddunt. Ita S. Thom. Dionysius, & alii. Ego duas causas suboleo, cur niualis aquæ potius meminerit. Altera est, quia fortasse aquæ, quæ in Idumæo oriuntur tractu, eiusmodi sunt, vt vestimenta, quæ tingunt, aut quæcunque alia, quæ mundare volumus, non tam emaculent, quam corrumpant & turpent, quemadmodum multæ reperiuntur aquæ fœtentes & impuræ, quas non minus horremus, quam cœnum, aut si quid est cœno aut luto sordidius. Quod si qua regio eiusmodi abundet aquis, quæ neque ad potum, neque ad eluendas sordes adhiberi solent, pluuiales aut niuales aquas colligit, quæ puriores sunt, easque in cisternis seruat ad illos vsus, quos præstare non potest aqua, quæ hauritur ex fonte puteoque vernaculo. Quod autem Idumæorum aquæ parum ad potum atque alios vsus fuerint opportunæ, illud facit 77.

pag. 151. b

Qui candidi sunt, cur dicantur loti aquis niuis.

verisimile: quia non longe abest Idumæa a mari mortuo, quod etiam salsissimum appellatur: aquæ vero, quæ prope sunt, pessimæ aliquibus locis appellantur, vt de fonte constat, quæ est apud Ierichuntem, quem sanauit Elisæus *4. Reg. II, 21.* & aquæ quædam regionis Moabitidis *Isai. XV, 6.* Nemrim dicuntur, id est amaræ, & Ieremias *cap. XLIIX, 34.* pessimas vocat.

78. Sed alia minus mihi displicet ratio, cur manus niualibus aquis dicantur ablutæ. Vsitatum est enim in Scriptura sacra, vt talibus aliquis dicatur lotus, qualium referre videtur similitudinem: quomodo *Cant. V, 12.* columbæ, quæ suo candore lac imitantur, lacte dicuntur lotæ: *sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ.* Et *Psalm. LXVII, 15.* quidam atra illuuie fœdi niue dicuntur dealbandi: *Niue dealbabuntur in Selmon*, quia lacti videntur, aut niui similes. Sic ergo manus lotæ dicuntur aquis niueis, quia candidæ sunt, sicut columbæ lacte dicuntur lotæ, & alii niue dealbati, quia candorem habent lacti aut niui similem. Sic manus dicuntur aquis lotæ niualibus, quia & sicut nix candidæ, & sicut aquæ, quæ ex liquefacta niue manant, splendentes & puræ. Aliæ enim aquæ, quæ in illa regione, cœnosæ sunt & turbidæ. Cur aquis niuis abluendæ sint manus, pro morali sensu dixit optime Gregorius: quia illæ de cœlo sunt puræ & illimes; quæ vero de terra, cœnosæ & turbidæ: illæ veram adumbrant pœnitentiam; istæ non item, quia aliquid habent e terra non purum.

79. *Manus* pro operibus sumuntur quorum ipsæ administræ sunt, atque ideo si immunda sunt opera, manus quoque dicuntur immundæ: *Isai. I, 15. manus vestræ sanguine plenæ sunt;* mundæ vero, cum nullum in homine reperitur opus, quod censura notet, & lavacro, aut igne indigeat expiatorio. Porro, vt *in Catena* notarunt Olympiodorus & Chrysostomus, cum aliquis suam innocentiam probare volebat, manus coram lauabat, quasi nullam ex obiecto crimine contraxisset maculam. Quod dixit de seipso Dauid *Psalm. XXV, 6. Lauabo inter innocentes manus meas.* Quod item fecit Pilatus in causa Christi. Manus itaque lotæ ac puræ totius hominis munditiam ostendunt.

Vers. 31. *Sordibus intinges me.*] Vsitatum est in Scriptura, vt id fecisse dicamur, quod factum esse declaramus, aut futurum prædicimus: quomodo Isaias *cap. VI, 10.* dicitur excœcaturus populi oculos, & aggrauaturus aures, quia prædicturus est excœcandum esse populum, & illius, ne diuinum audiant verbum, aures obturandas. Et iudex *Isai. V, 23.* dicitur iustificare impios, quia iustos pronunciat, & absoluit. Et magis accommodatum ad nostrum propositum, *Leuiticor. III.* cum de leproso iudicium est, Sacerdos illum contaminare dicitur, quia contaminatum declarat. Et Deus, a quo omnis abest impuritas, neque vllum vnquam contaminavit, contaminasse tamen dicitur Principes quosdam Israel, quia dum illos supplicio punit capitali, contaminatos fuisse declarat. *Isai. XLIII, 28.* Hanc regulam late persequitur Augustinus *lib. 83. qq. q. 69.* iuxta hæc Deus Iobum intincturus, aut contaminaturus dicitur sordibus, quia illum, quantumcunque ipse sibi integer videatur, & purus, in suo iudicio contaminatum ostendet. 80. REGVLA. *Id fecisse dicimur, quod factum declaramus.* pag. 152. a *Leprosi vestimenta qualia.*

Hebraice pro *sordibus intinges me*, habemus, *in foueam demerges me, aut balneabis me.* Neque alius videtur Vulgati sensus. *Tingere* enim idem est, quod baptizare ac mergere. *Sordes* vero pro sordido loco millies vsurpantur. In *fouea* ego lacum intelligo, aut cisternam aqua plenam cœnosa & turbida, in quam si quis coniectus fuerit, fœdatus egredietur limo, & grauem ex se odorem exhalans: Ait ergo iuxta hanc lectionem Iobus, si aquis niuis videar mihi lauisse manus & totum me, tu tamen ita me iudicabis impurum & squalidum, ac si ex cœnoso lacu, aut obscœno porcorum volutabro inquinatus extraherer. 81.

Et abominabuntur me vestimenta mea.] Quidam in *vestimentis* opera intelligunt, quibus non aliter ornatur atque induitur animus, quam vestimento corpus; iuxta illud *Matth. VII, 15. Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium.* Et quidem cum monemur, vt munda seruentur vestimenta nostra, nihil audimus aliud, quam vt opera nostra sancta sint. Sed credo, hoc loco 82. Vestimenta *pro operibus.*

allu-

allusum esse ad leprosorum leges, si quæ tamen apud Idumæos, sicut in Hebræorum populo fuerunt. Vt enim leprosi certas in vestimentis habuere notas, quæ alios homines a conuictu arcerent atque congressu, quia ab illis morbum illum turpem & fœdum contrahi posse significabant; sic etiam opera, quæ instar vestimentorum sunt, quæ Deus in seuera iudicii trutina deprehendet, abominabilem, & ab omnibus declinandum Iobum prædicabunt: ne, vt dicebat paulo ante Chrysostomus, magister aliis esset improbitatis. Porro iuxta illa, quæ paulo ante dicebamus, *abominari* idem est, atque abominabilem ostendere, & dignum esse aliquem, quem refugiamus & auersemur, neque quicquam cum illo aut monstro, aut peste habeamus commune. Alii alias adhibent explicationes, a quibus enumerandis abstineo, quia duriusculæ sunt. Hanc Gregorius probat, & sequitur S. Thomas, qui in vestimentis opera intelligit, aut animi habitus, quæ vestimenta homo tunc fœde atque inuerecunde contaminat, quando ad actiones diffluit sceleratas & impias. De his Salomon *Eccles. IX, 8. Omni tempore sint vestimenta tua candida. Isai. IX, 5. Vestimentum mixtum sanguine. Apocalyps. III, 4. Habes pauca nomina in Sardis, quæ non contaminauerunt vestimenta sua.* Hæc porro vestimenta nos abominantur, ait Gregorius, quia abominabiles reddunt.

83. Vers. 32. *Neque enim viro, qui similis mei est, respondebo.*] Quasi dicat, si mihi vobis-
pag. 152. b cum, o amici, aut cum homine mihi non dissimili futura res esset, sperarem fieri posse, vt depellerem, aut eleuarem, quæ mihi in humano iudicio intenderentur crimina: quia illi forte non viderent acutius, aut oculis obseruarent magis infensis, quam egomet, si quid excidisset ab æquo & bono, aut si qua esset peccati, aut species, aut odor, quæ piorum oculos offenderent. Sed aduocor ad iudicium illius, qui magis habet perspicaces oculos, cui nihil est clausum, nihil absconditum, in cuius oculis, quod alii probant, laudantque mirifice, inquinatum est, igneque dignum expiatorio. Hoc, quod modo Iobus, dixit multis post sæculis Isaias *cap. LXIV, 6.* facti sumus, vt inmundus omnes nos, & quasi pannus menstruatæ, vniuersæ iustitiæ nostræ.

Nec qui mecum in iudicio ex æquo possit au- 84.
diri.] Cum tibi cum æqualis conditionis antagonista certandum est, qui vt dicere contra potest non inutiliter; sic etiam contra se vicissim audire potest, quod illi ex vsu, aut voluptate futurum non sit; spes est aliqua victoriæ, & aliquod in pugnando solatium. Sed quis Deum, qui idem iudex est, arguentem redarguat? quod artificium, quæ solertia veritatem simulet, aut dissimulet vitium? quæ tergiuersatio iudicium eludat? quæ largitio corrumpat? quem ad horrendum Dei tribunal, quod in humano frequens est, accessum habebit, gratia, fauor, ambitio? Cur aliquid affingam veritati, & turpitudini speciem prætendam honestatis coram illo, cui si quid iustum habuero, respondere tamen non audeam, sed ad preces statuam confugiendum potius? Hæc supra dixerat, *v. 15.*

Vers. 33. *Non est, qui vtrumque valeat ar-* 85.
guere, & ponere manum suam in ambobus.] *Idumæorum*
Cum duo eiusdem ordinis iudicio conten- *in iudican-*
dunt, iudicem aduocant eiusdem etiam con- *do consuetudo.*
ditionis & ordinis, cui dirimendæ litis arbitrium permittunt. Qui vtrumque pro suo iure arguit: vtrumque, quod res ipsa & æquitas postulat, commendat, & denique quod superioris potestatis est, vtriusque capiti manus imponit, remque totam ex æquo libere componit. Quænam esset Idumæorum forma in publicis legitimisque iudiciis, incertum est, & meo iudicio certum, ad patriam consuetudinem respexisse Iobum. Sed est non improbabile, iudices, siue illi arbitri essent ac sequestri, siue publicis iudiciis a republica senatuque præpositi, consueuisse, quod modo indicabamus, manus imponere litigantium capiti, quasi significarent habere se potestatem, cuius sunt manus symbolum, supra caput illorum, & posse de illis statuere, quod æquum existimarent & bonum: Sane quod ad Hebræos attinet, duos senes, qui Susannæ causam iudicarunt, super illius caput manus imposuerunt. *Dan XIII, 34. Posuerunt manus super caput eius.* Sed isti fortasse non tam fecerunt, vt iudices, quam vt accusatores,

res, & testes. Id enim lex præcipit *Leuit. XXIV, 14.* aut fortasse, vt vtrumque coërceat a litibus, & in officio & æquitate contineat; quod S. Thomas indicat: aut manus vtriusque coniungit, vt componat dissidentes animos. Notum est enim, consertis manibus animos quoque antea diuersos sociari, & fœdera sanciri. An ob harum causarum aliquam manus ponat super alios, qui futurus est sequester & iudex, an ob aliam, iuxta
pag. 153. a receptos Idumæorum mores, incertum est; quia de Idumæorum constituta republica nihil certum.

86. Vers. 34. *Auferat a me virgam suam, & pauor eius non me terreat: loquar, & non timebo eum.*] Rationem adducit aliam, cur respondere neque audeat, neque possit: quia duram in se Dei manum & experitur modo, dum nouis quotidie modis exercetur ipsius & probatur patientia: neque Deus, ex quo cœpit verberare, ferream ab vlceroso corpore virgam remouit; quam adhuc habet ad plagas intentam, neque videtur vnquam finem habitura. Quod si a præsenti carnificina, & a futuro metu respirare conceditur, futurum se dicit meliori animo, & pro se vtcunque responsurum. nunc autem vultus minax, & vl- pag. 153. b
cerum dolor, & plagarum metus vocem intercludit, & loquendi prorsus facultatem adimit.

Quid responsurus fuerit Iobus, nisi præsens 87.
virga, & futuræ metus obsisterent, non dicit: sed est verisimile, nihil illum fuisse dicturum, in quo quisquam modestiam aut pietatem requireret. qualia nimirum extra illud iudicii tempus dixit *cap. sequenti vers. 2. Indica mihi, cur me ita iudices?* & quæ sequuntur. quod cum res esset ad iudicium deducta, non auderet, sed potius suæ causæ atque iustitiæ diffidens, ad preces diuinamque clementiam confugeret, quæ miserorum est certum & commune perfugium.

ARGVMENTVM CAP. X.

TOtum hoc caput orationem continet plenam doloris & pietatis, neque ab oratoris artificio nudam. Orat primum, vt ipsum a dolore tam assiduo & graui respirare sinat, quod sibi concedi debere ex eo probat: quia Dei figmentum est, neque res eximia perfectæ attentione atque opere a suo artifice dissoluendæ sunt, sed potius conseruandæ. Quod si, quod humanus solet iudex, tormentis velit a reo veritatem exprimere, id ipsi non esse necessarium affirmat, cuius oculos latere nihil potest, & probe nouerit, an ipse impius, an secus fuerit. Deinde quam sapienter humani corporis fabrica compacta fuerit, eleganter edocet. Rogat deinde, ne diutius cruciando, hominibus, qui non semper æquissime iudicant, occasionem præbeat, vt ipsum putent propter peccata torqueri tam acerbe. Quot enim sunt plagæ, quot diuini furoris argumenta, tot ad ipsum conuincendum peccati producuntur testes. Ad extremum orat, vt remissius agat, sibique tribuat respirandi atque plangendi tempus, priusquam in eam regionem descendere permittat, vbi plorandi causa numquam deerit, neque vlla erit in omni æternitate lacrymarum vtilitas.

CAPVT X.

pag. 153. 1. TÆdet animam meam vitæ meæ, dimittam aduersum me eloquium meum, loquar in amaritudine animæ meæ.

PARAPHRASIS.

1. Vita mea molesta mihi est & minime vitalis, quia in illa nihil video, quod amem; nihil, quod non horream. Quare loquar, non quidem contra Deum, vt illum inclementiæ aut obliuionis accusem, sed contra meipsum: quia licet pag. 153.

licet in quo peccauerim, quo sum mentis stupore, non cognoscam, peccasse me non dubito. Agam itaque animo mœrenti & singultanti voce, non quasi cum aduersario rationibus, sed precibus quasi cum offenso iudice.

2. Dicam Deo: Noli me condemnare: indica mihi, cur me ita iudices.

2. Orabo itaque Deum, vt duo mihi in hac ærumnosa conditione concedat. Alterum, ne irascatur, aut damnet, quod coram eo contra seipsum audacius loquatur: alterum, vt ostendat, in quo antea peccauerit, & cur ipsum tam acerbe & diu puniendum putet.

3. Numquid bonum tibi videtur, si calumnieris me, & opprimas me opus manuum tuarum, & consilium impiorum adiuues?

3. Primum fateor, te iustum esse iudicem & tuorum amantem; neque illum esse, qui calumniis & cauillis euertas, & opprimas, quem tuis ipse manibus formasti; neque illorum foueas fraudulenta consilia, & adiuues vota, qui innocentibus moliuntur insidias, aut malum meditantur. Quare si quid patior, aliquid a me peccatum est, quod tu hac tribulationis fornace expiari vis.

pag. 154. 4. Numquid oculi carnei tibi sunt: aut sicut videt homo, & tu videbis?

4. Quod autem serues integram in iudicando iustitiam, licet aliter homines rerum ignari suspicentur, qui occulta non vident, illud mihi omnino persuadet, quia oculos non habes carneos, e terrena crassaque materia, qui nihil vident nisi coloratum; atque ideo tibi manifesta sunt, quæ humani nequeunt assequi sensus. Quare in his, quæ homines ab omni vendicant labe, multa tu, o Domine, deprehendis, quæ condemnes & purges. pag. 154.

5. Numquid sicut dies hominis dies tui, & anni tui sicut humana sunt tempora:

6. Vt quæras iniquitatem meam, & peccatum meum scruteris?

5. 6. Numquid, o Domine, cum omnia videas penitusque cognoscas, opus est tibi longa temporis mora, vt in causam inquiras? opusne testibus, vinculis, equuleo, vt veritatem explores, quod fieri solet in humano iudicio, vt iniquitatem meam longo hoc carcere & carnificina perscruteris?

7. Et scias, quia nihil impium fecerim, cum sit nemo, qui de manu tua possit eruere.

7. Quare cum ipse manifeste noueris, pius ne sim, an impius, humanum adhibes eruendæ veritatis artificium? quid me contractis neruis, quasi constrictum vinculis, in hoc fimetum quasi in obscurum & tetrum carcerem coniecisti; quasi timeas, ne a tua potestate fugitiuus elabar, cum scias esse neminem, qui de manu tua possit ipse effugere, aut alium eximere.

8. Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu: & sic repente præcipitas me?

8. Quod autem a te veniam & minus seueram manum oro, meo plane iure optare atque exigere videor; manus enim tua formauit me, licet ex materia ignobili, nobile figmentum. Neque aliquid est in me a vertice ad calcem, quod non

non præcipua quadam attentione tuæ finxerint manus. Cur igitur vas, quod ex luto opere figulari formasti, in ipsa pene rotæ conuersione disperdis? cur me tanto ex loco, in quem me cum tanta gloria prouexisti, tanta celeritate repente præcipitas?

9. Memento quæso, quod sicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me.

9. Memento, obsecro, quod ex luti me concretione formaueris in eandem materiam breviter rediturum, quod ad commiserationem satis videtur habere momenti. cur hoc breue vitæ atque ærumnosum tempus sine nouis laboribus & angustiis peragi non finis?

10. Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti?

10. Nonne sicut ex coagulato pressoque lacte formatur caseus, sic me tu ex vili obscœnaque materia finxisti? Nam sicut ex vberibus lac mulgendo exprimitur, deinde cogitur, duraturque coagulo, ex quo formatur caseus; sic fœmineum sanguinem virile semen densat atque coagulat, vnde tandem fingitur & animatur fœtus.

11. Pelle & carnibus vestisti me: ossibus & neruis compegisti me.

11. Ex hac tam molli homogenea, siue similari materia varias finxisti diuersasque naturas, quibus humani corporis fabrica compacta est: pars enim quædam lentescit in neruos, pars mollescit in carnem, pars duratur in ossa, pars in pellem extenditur; qua tota denique fabrica vestitur.

pag. 155. 12. Vitam & misericordiam tribuisti mihi, & visitatio tua custodiuit spiritum meum.

12. Huic moli exanimatæ prius infuso spiritu vitam tribuisti; quam perpetua misericordia prosecutus es. Vel cum adhuc materno claud-eretur in vtero, ne ibi elideretur, & periret, vel cum in lucem & vitalem auram emersit; denique numquam a me abfuit visitatio tua, fidelisque custodia. pag. 155.

13. Licet hæc celes in corde tuo, tamen scio, quia vniuersorum memineris.

13. Hanc autem singularem prouidentiam & curam celare videris, aut tuarum manuum obliuisci figmenti, dum tamdiu illud lacerari finis. Ego autem non dubito, quin nostra cures atque dispicias, neque te rerum nostrarum obliuio capiat.

14. Si peccaui, & ad horam pepercisti mihi: cur ab iniquitate mea mundum me esse non pateris?

14. Si quid a me in ætate priori peccatum est, & tua tunc benignitate dimissum, cur non grauioris etiam ætatis criminibus ignoscis? aut cur pateris, vt hac ætate grandiori soluam, quæ in iuuenili & imperita commisi?

15. Et si impius fuero, væ mihi est: & si iustus, non leuabo caput, saturatus afflictione & miseria.

15. Quocumque in statu sim, recusare non possum, quominus aliquid patiar, quod minus amet, imo quod valde horreat natura mortalium. Quid igitur faciam? quo me vertam. o custos hominum Deus? si impius fuero. Væ mi-

 hi

hi misero, quem sequetur maxima vexatio, si iustus non possum saltem hominum opinione non esse miser, quem pœnæ, licet temporariæ, sic comprehendent, saturabuntque, vt respirare non possim, aut leuare caput. calamitatum oppressum pondere.

16. Et propter superbiam quasi leænam capies me, reuersusque mirabiliter me crucias.

16. Dimiseras olim adolescentiæ peccata, nunc autem me quasi leonem superbientem insequeris. Et reuersus ad illa castiganda peccata, quorum oblitus videbare, sic me crucias, vt qui expectant non temere admirentur, & quod, cum tam sis clemens, tuarum manuum opera tam crudeliter torqueas, & quod humanum corpus ex futili materia concretum sustinere possit tam longum & seuerum examen.

17. Instauras testes tuos contra me, & multiplicas iram tuam aduersum me, & pœnæ militant in me.

17. Quot in me plagas, quot conuitia atque ludibria intorqueri permittis, tot producis testes, quæ hominum opinione me sceleratum esse conuincunt. Quod offensionis & in me cruciando documenta præbes: tot meam causam & existimationem militari more spicula compungunt.

18. Quare de vulua eduxisti me? & vtinam consumptus essem, ne oculus me videret.

19. Fuissem quasi non essem, de vtero translatus ad tumulum.

18. 19. Quare si neque nocens, neque innocens recusare possum, quin sim miser, cur me ex materni vteri claustris viuum eduxisti? & in hominum cœtum aggregasti, quorum vtinam oculos nunquam subiissem. Patienter ferrem, si ita conceptus essem, & laterem in vtero, vt viderer non esse conceptus; sed statim ab vtero, tanquam tumulo, & mortui domicilio in verum tumulum esse translatus.

pag. 156. 20. Numquid non paucitas dierum meorum finietur breui? dimitte ergo me, vt plangam paululum dolorem meum:

20. Quando perbreue est, quod reliquum mihi esse video viuendi tempus, oro, vt laxari iubeas, atque remitti illa, quæ totum mihi spiritum & sensum absorbent. Vt plangam paululum, quod mihi maxime dolori est, & te mihi placem offensum: & quando ab aliis in funere pias lacrymas non spero, mihi ipsi aliquandiu plangendo impendam exequiarum officium. pag. 156.

21. Antequam vadam, & non reuertar, ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine:

21. Summum hoc, o Domine, putabo beneficium, si mihi detur plangendi tempus atque facultas. Illud enim multo potius erit, quam eo descendere, vbi æterna horret caligo, neque deerit vnquam plorandi causa: neque vlla speratur vel minima lacrymarum vtilitas, a qua non datur vnquam ad libertatem & lucem remigratio.

22. Terram miseriæ & tenebrarum,

22. Est autem infelix ille miserorum & damnatorum carcer densissimis obsitus tenebris, & in

vbi vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

in eo instructa luculenter suppliciorum officina: vbi cum nulla sit mors, erit tamen triste atque perpetuæ mortis æternum simulacrum. Neque ibi est ordo, aut ratio, qualem habere solet vtcumque constituta respublica, sed sempiternus horror insectatur & exagitat reos.

Vers. 1. *Tædet animam meam vitæ meæ.*]

pag.156.a
1. Non contendit Iobus cum Deo, neque se coram illo profitetur iustum. Sed tantum ostendit, quam crucietur vehementer, ita vt vitam ducat non vitalem, sed adeo molestam, vt lucrum putet illam cum morte commutare. Illud *animam meam*, ex vsu Scripturæ idem valet quod *me*. Quare sensus est: *Tædet me vitæ meæ*, quia nimirum in illa nihil video, quod meum mœrorem consoletur, aut dolorem moderetur, aut leuet. Quocirca loquar non quidem contra Deum, quem velle crudelitatis aut obliuionis arguere, impii est, & omnino desipientis animi; sed contra meipsum. Nam qua sum mentis cœcitate ac stupore, licet peccasse me non sentiam, & tale aliquid admisisse, quod tam horribili supplicio expiari debeat, tamen peccasse me non dubito; neque in Deo æquitatem aut clementiam requiro: sed causam, cur Deum tam habeam infensum, discere ab illo studeo: vt illud defleam, quod ipse in me detestatur & odit; ac deinceps ab eo diligenter caueam, quod ille non probat. Quare precibus vtitur & rationibus, quibus magis in se diuinam misericordiam inflectat. Quod autem precibus agat apud iudicem, non rationibus iudiciali more quasi cum aduersario, modus ipse agendi non obscure probat. In quo magnum se oratorem Iobus ostendit.

Iobus de Deo non queritur, etiamsi queri videatur.

2. Primum, vt reus iuxta Rhetorum leges obiectum sibi crimen depellat, aut eleuet, aut, quod eodem spectat, ne sibi detur vitio, quod aliquid videatur audacter aut temere molitus,

Necessitas magna erratorum excusatio.

pag.156.b necessario dicit illud sibi susceptum, aut suscipiendum esse consilium. Est enim in omni actione magnum telum necessitas. Hoc agit primum Iobus, & eo sibi ad beneuolentiam aditum parat; dum tædium proponit vitæ, & in eo dolorum æstu significat, non potuisse se erumpentem sæpe vocem comprimere, neque efficere, cum maxime cuperet, ne voces & gemitus extorqueret dolorum acerbitas. Id enim indicat illud: *Dimittam aduersum me eloquium meum.* Quod Sanctus Thomas indicat: Quasi dicat, erumpere sæpe gestiebat vox non aliter ab angore animi, quam sagitta ab arcu sagittarii manu violenter excussa. Sed continui diu, quasi carceribus obiectis, renitentem, nunc tandem dimittam, & non tam effundam, quam exire patiar. Quod in dolore simili & metu fecisse dicitur fœmina; quæ verba iam pene elapsa & erumpentes lacrymas euocabat, de qua Ouidius *epist. 11. Heroidum*:

Continuo gemitus, elapsaque verba reprendo,
Et cogor lacrymas combibere ipsa meas.

Neque parum ad beneuolentiam facit, quod illa verba, quæ non tam emittuntur, quam sinuntur erumpere, non sunt contra Deum, sed contra Iobum: *Dimittam*, inquit, *aduersum me.* Hæc mihi videntur soluta magis. Alii aliter exponunt, melius, opinor; verum nonnihil est, in quo hærere potest attentus lector.

Vers. 2. *Noli me condemnare.*] Hoc quoque ad beneuolentiam pertinet. Orat enim 3.
Iobus, ne irascatur Deus, aut vitio vertat, quod tantum sibi libertatis assumat, vt ad Deum videri possit locutus esse liberius: quasi dicat, ne mihi ad stultitiam imputes, pag.157.a
aut stultitiæ me, aut sceleris arguas, atque condemnes, si coram te aduersum meipsum dimittam eloquium meum. Eodem modo *Genes. XIIX, 30.* Abraham: *Ne quæso indigneris Domine, si loquar.* Et iterum *vers. 32 Obsecro, ne irascaris Domine, si loquor adhuc semel.* Hoc idem nunc agit Iobus, orat enim, sibi vt liceat, non inuito Deo, coram

ipso loqui; quod nihil est aliud quam petere loquendi facultatem.

4. *Indica mihi, cur me ita iudices.*] Non queritur de Deo Iobus, licet doleat, nec causas quærit illius seueri iudicii, quod nihil illi præter vitam reliquit, eamque sic affectam ægre, vt illam cum morte commutare non pigeat. Sed vt peccatum suum cognoscat & ploret, ac tandem sciat, quod minus in suis actionibus probet Deus, quas cupit illi esse probatissimas, ne deinceps aliquid audiat a Deo non probabile. Aut etiam, vt huius tam seueri iudicii causa comperta, qui peccatis grauibus, suadente diabolo, illum obligatum esse putant, & tale supplicium sceleribus non deberi vulgaribus, cognoscant tandem esse falsam, & vexare desinant, si non innocentem prorsus, minus tamen, quam ipsi sibi persuaserant, nocentem.

5. Vers. 3. *Nunquid bonum tibi videtur, si calumnieris, & opprimas me opus manuum tuarum, & consilium impiorum adiuues?*] Interrogatio sensum reddit omnino contrarium. qui talis est: nequaquam probas aliorum iniquam vim, aut calumnias, neque impiorum vota atque consilia foues aut adiuuas, licet successus interdum habere permittas. Et multo minus ipse calumniam struis, & opprimis, quem tuis ipsis manibus formasti. Quare si quid patior, aliquid a me peccatum est, quod tu punire velis, & tribulationis fornace purgare; quid enim credam futurum tibi voluptati, vt sine vllo suo merito tuarum manuum figmentum intereat? Ex duabus causis a iudice imponi potest & frequenter solet innocenti supplicium, quod ab illius meritis procul abhorret: vel quia iudex iniquus est, & ad eiusmodi sumendum supplicium aut odio, aut largitione corrumpitur, aut aliis de causis non magis honestis iudicia transuertit: aut quia innocentis neque cognoscit, neque explorat merita, aut quid cautum sit a legibus, ignorat. De priori parte actum est hic, de posteriori statim.

6. Quinam sint hi homines impii, quorum Deus adiuuare dicitur consilia, obscurum est: quia sub hæc tempora Iobus plurimos habuit hostes, quos, in suo quemque genere, acerrimos expertus est. Quidam dæmones putant, quorum instinctu homines infenso in Iobum animo commoti sunt. Alii Sabæos & Chaldæos, quibus, nisi Deus ad impios conatus adfuisset, non videbantur tam cito, tamque ex votis tot acturi prædas, & sine vllo incommodo incolumes in patriam reuersuri. Alii, meo iudicio, melius eos impios esse credunt, qui instigante diabolo, Iobum multis oneratum esse sceleribus, sibi persuaserant, & eo nomine illi aut insultabant, aut irridebant, aut aliis huiusmodi contumeliis atque ludibriis insectabantur. Hi vero fuerunt Iobi domestici, vxor, & serui: quotquot denique illius imperio suberant. Et ad extremum tres non tam amici, quam molesti consolatores, qui cum ex cruciatibus Iobum peccatorem esse coniectarent, quo durius ille & lentius torquebatur, eo magis illorum confirmabatur opinio.

Vers. 4. *Nunquid oculi carnei tibi sunt; aut sicut videt homo, & tu videbis?*] Alteram adducit causam, cur Dei iudicium non possit esse non iustum; quia & hominum merita, & eorum pondera ignorare non poterat, qui oculos non habet carneos; qui sæpe lippi sunt & languidi, atque in rebus etiam clarissimis hallucinantur: & vt bene fuerint a natura constituti, certe interiora non vident, aut coloris expertia. Deus autem oculos habet plusquam linceos, quibus neque obiecti parietes impedimento sunt, ne, quæ abscondita sunt, penitus inspiciat, neque opus est, obiectum, vt videri possit, esse coloratum. pag. 157.b 7. *Longe aliter Deus quam homo iudicat.*

Vers. 5. 6. *Nunquid sicut dies hominis dies tui: & anni tui sicut humana sunt tempora: vt quæras iniquitatem meam, & peccatum meum scruteris?*] Fac, humanum iudicem integerrimum esse, neque apud illum valere quicquam præter æquum & fas. Fac, optimo esse ingenio, ad indagandum acri atque sagaci, ad decernendum acuto atque prudenti. Sed quia in hominum animis multæ latebræ sunt atque recessus, quæ sæpe magnorum iudicum conatus & prudentiam eludunt: necesse est, vt antequam de causæ veritate ac meritis sibi satisfaciant, aliquot transierint dies, neque pauci: quia multa sunt sic impedita, vt extricari non possint post multum temporis & olei; multa, quæ illam habent honestatis speciem, vt potius videantur ornanda muneribus, 8.

bus, quam coercenda aut afficienda suppliciis. Hi porro iudices non satis habent indiciis & testibus indagare veritatem, & aliis modis in causam inquirere; sed ad omnem calliditatem atque solertiam equuleum adhibent & trochleas, vt in quæstione, quam non antea potuerunt, veritatem extorqueant. At Deus, qui æternus est, & cognoscit multo antequam fiant, neque tempore indiget, aut aliquo instrumento forensi, tamen diu in mores inquirit Iobi examine seuero: & insuper quæstionem adhibet, quasi ipse aliter de Iobi causa statuere non posset. Id omnino his verbis significat ipse, dum ait: *Nunquid sicut dies hominis dies tui*, &c.

Dies pro iudicio. Hic ego in *die* iudicium, aut iudicandi modum significari suspicabar: & esse neque Hebraicum, neque Græcis familiarem dicendi modum, sed vicinæ alicuius prouinciæ, qualis fortasse fuit Idumæa. Sane *diem* pro iudicio ciuili vsurpari dixit Hieronymus *epist. ad Algasiam q. 10.* vbi docet multis, illos etiam, qui probe aliquam linguam calluerunt, ex patrio idiomate peregrinas voces aut phrases adducere: & in his numerat Paulum, qui ex Cilicia, vbi natus erat, aliquot in suas epistolas Cilicismos induxit, quorum vnus est *dies* pro iudicio. Sic autem Paulus *1. Corinth. IV, 3. Mihi autem pro minimo est, vt a vobis iudicer, aut ab humano die*, id est, a quolibet alio humano iudicio. Sic videtur hunc locum interpretatus Ambrosius, & indicat Chrysostomus; sane illud Apostoli in eadem epistola *c. III, v. 13. Dies Domini declarabit*, plerique iudicium exponunt. Quod si ita est, & quod Cilicibus in vsu fuit, id etiam Idumæis fuit familiare, facilis est horum verborum interpretatio, quæ nihil aliud volunt, quam diuersa esse Dei atque hominum iudicia. Homines enim testimoniis, coniecturis, & quæstionibus agunt, quia aliter veritatem explorare non possunt; Deus his explorandæ veritatis instrumentis non indiget, cum nihil illius oculos possit latere. Et tamen humanum in Iobi causa iudicium imitatur, cum multum assumat temporis, quod propter ingenii imbecillitatem, rerumque argumenta varia humanus iudex facit necessario. Multos enim dies, vt ante probauimus in præfatione *ad cap. III.*

REGVLA. *Ex patrio idiomate sæpe scriptores voces adhibent, cum lingua loquuntur aliena.*

pag. 158. a

Iobus in illa misera sordidaque fortuna iacuit, tam a domesticis, quam ab externis habitus ludibrio, quod durum fuit examen. Deinde adhibitum est non vnum, aut simplex, sed acre multiplexque tormentum. Quod si carcere, & vinculis, & equuleo vtitur humanus iudex, ne impositam a lege pœnam reus effugiat; claustrum quoque Deus ad custodiam adhibuit, dum sic illigauit suo fimeto Iobum, omnibus pene membris captum, vt neque in alterum latus se conuertere potuerit.

10. Vers. 7. *Et scias, quia nihil impium fecerim, cum sit nemo, qui de manu tua possit eruere.*] Quasi dicat: Quid humanum adhibes eruendæ veritatis modum, cum ipse noris, quid ego fecerim; pius ne sim, an impius? Quid me contractis neruis, consumptis carnibus, exhausto denique ac pene mortuo corpore quasi ferreis vinculis constrictum tenes? Quasi timeas, ne a tua potestate fugitiuus abeam, cum scias esse neminem, qui de tua manu possit ipse effugere, aut alium eximere? Hic mihi sensus difficilis non est, quia iudicii humani, cui se Deus in Iobi causa accommodare videtur, ritum, rationemque persequitur. Alii ab aliis afferuntur acuti quidem & idonei, sed in illis, vt in rebus obscuris frequenter accidit, aliquid occurrit, in quo non facile acquiescat curiosi lectoris attentus animus, neque hic alicui videri posset ab omni difficultate solutus.

11. In toto hoc ac præcedenti capite, vt vidimus, non se profitetur aut putat Iobus ab omni culpa liberum, neque id obscure significauit tum aliis locis, tum maxime *c. IX, 20. Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me; si innocentem ostendero, prauum me comprobabit.* Sed his omnibus nonnihil, immo plurimum incommodare videtur, quod hic innocentiæ suæ testem aduocat Deum: & eodem teste se nihil impie fecisse dicit. Hoc nobis discutiendum est, & ab hac opinione Iobus, seu suspicione vindicandus. Dici posset accommodate ad illa, quæ in *cap. VI. principio* produximus, non simpliciter negasse Iobum, se peccasse, sed illa admisisse, propter quæ iuxta Dei consuetudinem tam seuere ac tamdiu cruciari debuerit. S. August. *in annot. in librum Iob. Scis*, inquit, *me nihil impie fecisse, quantum ad homines.* Scis me fecisse

nihil, propter quod hominum testimonio sceleris reus conuinci, aut damnari debeam: sed quis coram te, qui corda nosti hominum, a peccati labe se liberum putet?

12. Ego aliter hunc locum exponendum putabam, neque videbar mihi vim vllam allaturus veritati ac textui. Neque parum meæ cogitationi fauebat Hebraicus textus, qui pro eo, quod Vulgatus habet *quia*, adhibuit כי *ki*, eodem textu ac filo cum præcedenti versu, vbi similiter legimus כי *ki*. Neque dubitandum videtur, cum ista particula apud Hebræos multa significet, hic eandem habere significationem, & vsum, quem habuit in proximo præcedenti versu, ibi כי conuertitur, *vt*, vt *quæras iniquitatem meam*. Eodem modo hic, vt scias, *vt nihil impium fecerim;* Sic itaque duos versus coniungo: *nunquid dies hominum dies tui*, &c. Erit itaque sensus: inquiris in vitam meam, vt in ea inuenias, aut iniquitatem, aut iustitiam, & innocentiam. Quod si illud כי secundo loco particula sit dubitatiua, vt *an*, *num*, *forsan*, sic enim tunc legeremus, *vt quæras iniquitatem meam, & scias, an ego nihil impium fecerim.* ita videtur sentire Pineda noster, dum ait: *Facis ne hæc, vt scias an peccauerim nec ne?*

pag. 158.b

13. Vers. 8. *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu.*] Rationem adducit aliam Iobus, cur a Deo impetrare debeat veniam, & ab eo labore, quem tunc patiebatur, aliquid laxamenti. quia nimirum opus est Dei, & licet ex materia ignobili, nobile figmentum. Quæ ratio apud homines multum habet momenti: ægre enim adducuntur, vt opus sua industria sumptibusque perfectum, demoliantur. Amat hortulanus, quam plantauit, arborem, neque illam succidit, nisi inuitus: neque opus suum dissoluit artifex sine doloris sensu. Quod si aliquid mentis, aut sensus haberet artificium mutum & inanime, ad autorem suum sine dubio confugeret, vt quod deesset adderet ornamenti, & ab eo eximeret incommodo, a quo esset detrimentum aut mortem accepturum. Idem nunc facit Iobus, malis vrgentibus diris & innumeris: orat enim, vt opus suum respiciat & tueatur Deus: quando in eo nihil est, quod non diuina manus singulari quadam attentione formauerit. Quam formationem sic describit eleganter & viuide, vt nihil videatur dici posse commodius. Nunc singulas partes explicemus.

Omnes opus manuum suarum diligunt & conseruant.

Plasmauerunt me totum in circuitu.] Quasi dicat, nihil esse a vertice ad calcem, quod non diuina finxerit manus. Illud *plasmare* singulare est verbum, vt eius indicat opus, qui rota, & eius, qui aliquo alio modo & instrumento signa fingit e luto. Ad hunc locum respexit sine dubio Dauid *Psal. CXIIX, 73. Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me: das mihi intellectum, vt discam mandata tua.* quo loco Dauid eodem vtitur, quo Iobus, argumento, vt Deum illius operis opificem inflectat, vt opus, quod non videbatur absolutum, omnino perficiat. Cognouisse videtur Iobus, quod de formato Adamo multis post annis a Moyse proditum est, *Gen. I.* vbi sumptus de terra dicitur Adamus, & accepto vitæ spiraculo terream illam & exanimem molem fuisse animatam. Illud *in circuitu* totius hominis partes indicat, ita vt nihil in homine sit, quod diuini artificii solertiam non testetur & prædicet, nihil, quod omnipotentem Dei manum & ineffabilem sapientiam non ostendat. De qua in homine formando multa Patres, multa meditantur Philosophi. Vide ex Patribus Basilium, & Ambrosium *in hexaemero*, Clementem *lib. 8. recognitionum.* Ex Philosophis Galenum *lib. de vsu partium*, Tullium *lib. 2 de natura Deorum*, Lactantium *de opificio Dei.* Cumque in rebus omnibus appareat valde diuina solertia, in quibus omnino nemo, nisi excors & insanus, aliquid aut reprehendat, aut requirat, in hominis tamen formatione sic elucet, vt in hoc opus admirabile, quicquid est pulcrum, quicquid illustre & magnum, contulisse videatur, & vere hominem μικρόκοσμον, id est, mundum abbreuiatum & exiguum appelles. Cumque illud *in circuitu* vniuersa contineat, ita vt nuper dicebamus, quæ in hoc minore mundo continentur, ita vt nihil sit, quod in sui conditionem architectum Deum non agnoscat; tamen attentionem quoque & sedulitatem indicat, quam in formando ac poliando hoc opere Dominus adhibuit. Quod videtur sic expolisse, quemadmodum statuarius, aut sculptor 14.

Specialis Dei attentio in homine formando.

pag. 159. a

ptor, informe lignum aut saxum informare studet in viuum aliquod & illustre simulacrum. Quod semel atque iterum oculis atque animo lustrat, alio atque alio modo versat, elimat, & retractat, donec eo ducit, vt spirare videatur, & nihilo aut modice a viuente distare.

15. *Et sic repente præcipitas me.*] Ægre admodum fert quicunque artifex, si aliquo modo dissoluere cogatur opus a se perfectum: & tunc multo ægrius, cum in eo multum industriæ ac temporis positum est. Amamus enim, quæ nostra elaborauimus arte, vel ingenio, quasi fœtum quendam & imaginem nostri, in qua nostra viuet gloria, sicut in sobole quodammodo parentis mortui durat memoria, & vita aliqua ex parte mortis necessitatem declinat. Sic faber domum cum dolore destruit, quam ante cum labore sumptuque construxerat: cum gemitu agricola sua consitas manu arbores succidit, & licet confectum senio, & iam inutilem canem, vel equum, qui domi nati in illam ætatem adoleuerunt, ægre tamen a nobis excedere permittimus. Docuit hoc Arist. *lib. 9. Ethicor. ad Nicom. cap. 7. Vnusquisque*, inquit, *opus proprium magis amat, quam ab opere amaretur, si animatum fieret. Maxime vero fortasse circa Poëtas idem euenit, qui poëmata propria perinde ac filios supra modum amant.* Quo etiam sensu atque dolore tangi Deum, docet illud *Gen. VI, 6. Tactus dolore cordis intrinsecus, delebo*, inquit, *hominem, quem creaui.* Quare si quid haberet mentis imago, aut planta, quam delere aut succidere parat, qui plantauit aut finxit, dicerent, opinor, quid perdis, quod tanto tuo labore molitus es? Quid filios, qui abs te lucem & vitam acceperunt, tam inclementer vexas, tam deformas, & elidis hostiliter? Hoc eodem Iobus vtitur argumento, vt infensum Deum, aut indignanti similem ad pietatem inflectat. Ac si dicat, cur manuum tuarum opus euertis? Cur vas, quod ex argilla opere figulari formasti, in ipsa pene rotæ conuersione disperdis? Cur me tanto ex loco, in quem huc usque cum tanta gloria prouexisti, tanta celeritate repente præcipitas?

Cum dolore quiuis suum euertit opus.

16. Illud *præcipito* perquam apte adhibetur ad explicandum subitum casum, qui omnia secum abstulit, quæ ad vsum & dignitatem Iobi pertinebant. Aliud est descendere, aliud præcipitari, ac reuera descendit aliquis per partes, & quosdam quasi gradus ad extremam fortunam, cadit ex opinione atque honore primum; deinde ab opibus, post ab amicis; amittit vires & speciem, exhaustus & deformatus a morbo, & tandem sensim, & per gradus, longa plerumque interposita mora, vitam amittit. At qui præceps ruit, subito cadit totus, neque is, qui præcessit, ad illum, qui consequitur, casum, viam aut monstrat, aut parat. Sane præcipitauit Dominus Iobum, dum temporis momento omnibus spoliauit ornamentis, ereptis pecorum armentorumque gregibus, oppressis liberis a ruente domo; sublatis omnibus, quæ hominum vulgus a fortuna vel industria putat esse concessa. Deinde subito alio atque præcipiti casu afflixit corpus, & doloribus cruciauit ingentibus: alienauit amicos atque domesticos, & illorum incredibili animorum, studiorumque muta- pag. 159. b
tione, exacuit linguas, armauit manus, neque aliquid reliquit præter miseram animam, a qua, vt sese dabat doloris acerbitas, iamiam descendus videbatur. Hoc autem extremam aleam, vniuersaleque naufragium præcipitari est, non descendere. Vbi Vulgatus *præcipitas*, Heb. est בלע *balaa*, quod vorare, seu absorbere valet. Neque minorem habet vim, quam *præcipito*, licet sit aliunde sumpta translatio. Neque enim periculo, aut maiori mora aliquis in naufragio, cum vires omnino defecerunt, absorbetur a fluctibus, quam e sublimi loco præceps ruit. Vterque enim vitam amittit, & cum vita omnia & vitæ subsidia, & dignitatis ornamenta. Nisi mauis, similitudinem a fera sumi, quæ lacerat & vorat subactam prædam. Hæc porro deglutiendi ac deuorandi metaphora in Scriptura sacra frequentissima est.

Quid præcipito, & in quo differat a descendo.

Vers. 9. *Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me; & in puluerem reduces me.*] Minutius iam formationis persequitur modum, 17.
quem vniuerse magis atque confuse proxime proposuit. Et primum docet, ex qua materia finxerit Deus protoplastum hominem, ex luto videlicet, non aliter ac figulus ex humido atque subacto puluere vas format fictile. Vnde vocatus est Adam, id est, terrenus. In

Homo ex Gili. formatus materia.

quo omnes etiam homines, qui ab illa stirpe propagati sunt, formati existimari possunt ex luto, quod a suo capite & fonte limoso ac turbido traxerunt: atque ideo terreni, seu terrei a paterna origine vocati sunt. Sed cum respe ctaret ad Adamum, quem ex puluere formatum esse constat, non aliter, vt non pauci ex Patribus volunt, quam statuam futilem ex argilla format plastes: tamen hic non de primo parente, sed de seipso videtur locutus esse Iobus, & suam formationem descripsisse. Neque enim sine causa dicit se fuisse a Deo factum *sicut lutum*, quia de materia obscœna atque olida formatus est, quæ non valde distat a cœno lutoque figulari. Si enim de Adamo loqueretur, non *sicut lutum*, sed omnino *ex luto* videbatur fuisse dicturus. Adde quod quæ inde de hominis formatione dicantur, minus in Adam, optime vero in aliorum hominum conceptionem formationemque conueniunt, vt mox patebit magis. Addidit autem, & *in puluerem reduces me*. Quasi dicat: Quid vltra persequeris hoc vile fluxumque figmentum, nonne satis fuit, stirpem suam & genus ex sordida ac lutea duxisse materia; ac tandem in puluerem, ex quo formatum est, iri resolutum? Cur hoc breue vitæ ac ærumnosum spatium sine nouis laboribus & angustiis peragi non finis. Conditionis itaque meæ, & finis vitæ, quæ, si cætera absint valetudinis incommoda, non potest esse diuturna, recordare, neque doloribus dolores, neque ignominiæ aliam rursus atque aliam ignominiam adde.

18. *Miseria nostra & vilitas Deum ad misericordiam inclinat.*

Hæc porro hominis formatio, & adiuncta carnis lutique fragilitas mouere potuit Deum, vt si quid ab homine peccatum esset, veniam lubens facilisque concederet. Secus est in angelis, a quibus cum abesset carnis infirmitas, multo potuere magis tentationi resistere. Qua de re optime *ad hunc locum* Greg. *Angelorum*, ait, *spiritus idcirco irremissibiliter peccaverunt, quia tanto robustius stare poterant, quanto eos carnis commixtio non tenebat. Homo vero idcirco post culpam veniam meruit, quia per carnale corpus aliquid, quo semet ipso minor* pag.160.a *esset, accepit. Vnde & apud respectum iudicis argumentum pietatis est hæc eadem infirmitas carnis.* Quo argumento vsus est David Ps. 77. *multiplicauit, vt auerteret iram suam ab eis, & non accendit omnem iram suam, & rememoratus est, quia caro sunt.* Et Psal. 102. eadem ferme repetit, quæ Iobus. *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognouit figmentum nostrum, recordatus est, quoniam puluis sumus.* Quare dum dicit Iobus, *Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me.* Hoc dicit, vt interpretatur Gregor. *infirmitatem carnis considera, & reatum iniquitatis laxa.* Hanc orandi formam Thais, quæ magnis se peccatis onerarat, accepit a magistro suo, neque aliam per aliquot annos permisit, vtpote maxime suis moribus opportunam: *Qui plasmasti me, miserere mei.*

19. *Quomodo seminalis materia ad fœtum disponitur.*

Vers. 10. *Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti.*] In luto terram videmus non nudam, & iuxta naturam siccam, id est, non coactam & continuam, (nam siccitas non tam continuat & vnit, quæ separata sunt & soluta; quam quæ coacta sunt & concreta, soluit atque dissociat.) Videmus autem terram & puluerem, si aliquid admisceas aquæ, sic subigi posse, & in vnum corpus apte concrescere, vt non plures esse putes, minutasque terræ particulas, sed vnum aliquid omnino continuum, quale vas est iam coctum & durum, quod ex viridi ac molli luto formavit figulus. Hoc ferme modo in materna vulva fingitur fœtus, ex sanguine videlicet matris, qui si liquidus esset, qualem pruriens in matre calor subministrat, non magis ad fingendum animal esset idoneus, quam pulueris dissociatæ partes ad figulinum opus. Quare accessit a virili concubitu seminalis humor, qui liquentem & solutam porrectam a fœmina materiam spissat & coagulat, non secus atque succi quidam, aut herbarum flores, aut aliud quoduis coaguli genus lac cogit ac coagulat, ex quo deinceps ea ratione temperato caseus formatur, qui formato iam fœtui in illo admirabili naturæ opere respondet. Primum itaque sicvt ex vberibus lac mulgendo exprimitur, deinde cogitur, duraturque coagulo, ex quo formatur caseus; sic e fœmineis fontibus sanguis euocatur, quem virile semen quasi coagulum densat & stringit; vnde tandem fingitur & animatur fœtus. Hac eadem similitudine vtitur Arist. *lib. 1. de generat. animalium c. 20.*

c. 20. Euenit, inquit, *quod ex recta ratione est, vt cum mas formam & principium motus præbeat, fœmina corpus atque materiam (quemadmodum in lactis concretione corpus lac ipsum est; succus ac coagulum principium spissandi, cogendique obtinet) sic quod a mare in fœmina distinguitur, intelligi debeat.* Plin. *lib. 7. c. 15.* virile semen fœminei sanguinis coagulum appellat.

20. Vers. 11. *Pelle & carnibus vestisti me: ossibus & neruis compegisti me.*] Fœmineus ille sanguis, eo, quem diximus, modo a virili semine dispositus nihilo magis densus ac durus est, quam lac coagulatum, quod vsque adeo molle est, vt parum absit a liquido, a quo ad significandas res molliculas, & in quibus nihil est firmitatis, comparatio ducitur. Ex eo admirabilis naturæ solertia, seu potius diuina sapientia varias finxit diuersasque naturas, quibus humani corporis fabrica compacta est. Pars enim quædam lentescit in neruos, pars mollescit in carnem, pars duratur in ossa, pars in pellem extenditur. Denique ex re tantula, tamque sibi simili organa finguntur plurima ad varia naturæ ministeria. Illa autem omnia carnibus quasi interula veste, & pelle quasi externo teguntur & ornantur pallio; tota vero humani corporis moles ab ossibus quasi a columnis & tignis sustentatur, quæ nerui quasi quædam vincula constringunt & continent; Hæc scite atque eleganter optimus Philosophus Iobus ita describit, vt nihil a quoquam desiderari posse videatur. Quod item fecere plures alii. Ex quibus vnum dabo Lactantium *lib. de opificio Dei c. 7. Deus*, inquit, *solidamenta corporis, quæ ossa dicuntur, nodata & adiuncta inuicem neruis alligauit atque constrinxit. Hæc autem visceribus (viscerum nomine carnes intelligit) operuit, vt quemcunque locum decebat: vt quod solida ossa conclusa tegerentur. Item visceribus ipsis venas admiscuit, quasi riuos per corpus omne diuisos. Per quos discurrens humor & sanguis vniuersa membra succis vitalibus irrigaret. Et ea viscera formata in eum modum, qui vnicuique generi ac loco aptus fuit, superiecta pelle contexit: quam vel sola pulcritudine decorauit, vel setis adoperuit, vel squamis muniuit, vel plumis insignibus adornauit.*

Admirabilis hominis fabrica.

pag. 160. b

21. Vers. 12. *Vitam & misericordiam tribuisti mihi.*] Non satis habuit Deus, eo, quem diximus, modo disposuisse ac conformasse corpus, sed infundit animam, & tribuit vitam, sine qua exanimata moles nihilo esset melior, quam rude saxum, aut aridum lignum. Addidit insuper misericordiam, de qua non eodem modo meditantur Interpretes. S. Thom. inclinationem putat insitam ad commiserationem; ait enim simul cum anima rationali infundi diuinitus hominibus quædam virtutum semina, quæ alii igniculos appellant: aliqua quidem communiter omnibus; aliqua vero specialiter aliquibus. Hanc autem innatam Iobo ad miserendum propensionem, ex eo sibi persuadet, quia infra dicit *c. XXXI, 18. Ab infantia creuit mecum miseratio, & de vtero egressa est mecum.* Quæ sane S. Thom. sententia verissima est, quam amplexus est Lyra: sed nescio, an huic loco satis accommodata.

Certe communiter alii de singulari Dei misericordia ac prouidentia hæc interpretantur. 22.
Sic Patres Græci, qui sunt in catena. Chrysostomus, Olympiodorus, Polychronius. Augustinus *in annotationibus in Iob*, Beda, Gregorius, & alii ferme omnes. Hæc autem misericordia tunc apparuit, cum animatum fœtum custodiuit in vtero, vbi nunquam non præsens vitæ animæque periculum: donec tandem iam partui lucique maturus in vitales auras hominumque conspectum emerserit. Quam etiam beneuolentiam ostendit, postquam in lucem susceptus est; quo tempore nunquam non occursant aut vitæ pericula, aut valetudinis incommoda. Deus autem nusquam abest homini, quem creauerat, vt quæ nocere possunt arceat, & sua in hominem beneficia non solum tueatur, sed etiam promoueat. Quod magis explicat, quod proxime sequitur.

Magna Dei misericordia conseruari fœtum in vtero.

Visitatio tua custodiuit spiritum meum.] Visitatio ambiguæ significationis est: modo enim significat aliquid ab odio & offensione, modo aliquid a beneuolentia & paterna sedulitate profectum. Sic dicimus visitari a Domino peccata, cum illa imposito supplicio castigat; visitari iustos & amicos, cum illos ab iniuria, seu vitæ ærumnosa conditione liberat. Quomodo visitatus dicitur populus, quando Deus illum prius ab Ægyptia, deinde a Babylonica seruitute liberauit. Visitata Elisabeth, quando 23.

Visito vox ambigua.

pag. 161. a

do ignominiam a suo nomine sterilitatis depulit. Sic autem visitauit Dominus & custodiuit spiritum Iobi, quia illi semper adfuit, & moriendi necessitatem, aut grauem causam, quæ nunquam non aderant, singulari prudentia summouit.

24. *Deus nostra respicit; etiamsi ignorare se simulet.*

Vers. 13. *Licet hæc celes in corde tuo, tamen scio, quia vniuersorum memineris.*] Celare dicitur Deus in corde suo, aut immemor esse meritorum, cum suæ voluntatis atque iudicii nullum hominibus præbet experimentum, nullum signum, cum tamen omnia Deo sint proposita, neque quicquam illius lateat intelligentiam. Sic viri iusti sæpe clamant, & cum Deo quodam modo expostulare videntur, cum a viris impiis opprimuntur: neque tamen impii suorum scelerum pœnas exolvunt. Sic Dauid *Psalm. XLIII, 23. Exurge, quare obdormis Domine? obliuisceris inopiæ nostræ.* Huiusmodi plurima concurrent in Scriptura sacra testimonia. Sic Deus, cum affligi patitur Iobum, & innumeris vexationibus atque angoribus confici, quodammodo videtur oblitus creaturam illam, quæ tot quotidie conflictatur incommodis, suis ipsius manibus formatam, & ad ipsius non pertinere prouidentiam. Non tamen de illius prouidentia queritur, aut illum dicit suæ calamitatis ignarum, aut immemorem, quod in fortuna simili fecere plures alii; sed dicit cognitionis illius, quam in illo non negat, nullum in angusto illo rerum articulo præbuisse signum: Quod verbis declarat apertissimis, *licet hæc celes*, &c. Ac si diceret, suspicari posset aliquis, quem alienior de te imbuisset opinio, te non curare hæc humana, neque meminisse, tuarum manuum atque operæ nos esse figmentum, cum tam acerbe atque inclementer iactari permittas, neque tui aut amoris aut curæ humanis oculis argumentum appareat. Ego tamen, cui clarius abs te lumen affulsit, non dubito, quantumcumque in animo consilia celes, quin nostra cures atque dispicias; neque vnquam te rerum nostrarum tuique figmenti obliuio teneat.

25. Vers. 14. *Si peccaui, & ad horam pepercisti mihi, cur ab iniquitate mea mundum me esse non pateris?*] Loquitur hic fortasse Iobus iuxta illorum opinionem, seu errorem, qui peccatoribus tantum infligi mala putant, & ex malorum inflictu hominem peccatorem esse coniectant. Quorum e numero fuerunt tres amici Iobi diabolica calliditate decepti, quorum errorem Iobus toto hoc opere accurate confutat. Si superiori, inquit, ætate ad hoc vsque seculum nihil a tua seueritate durius pertuli, imo multis abs te beneficiis cumulatus sum; quo, vt est imperitorum hominum sensus, dimissum esse peccatum meum significasti; cur nunc, dum tamdiu, & tam acerbe crucias, nondum peccatum esse dimissum ostendis. Sed quasi antiqua in me peccata hæreant, perinde ac si a tua clementia non essem veniam consecutus, superiorum scelerum pœnas expendo. 26.

Hæc mihi iuxta vulgatam translationem sententia videtur esse non difficilis, Sed placet magis, quod Lyra probat, cui subscribunt, aut sibi non omnino displicere indicant alii, dum dicunt, orare Iobum, vt quando superioris vitæ peccata, si forte peccauit, dimisit Deus, neque ab illis, quas iuste poterat, pœnas exegit; sic etiam aliis grauioris ætatis peccatis ignoscat; neque tam velit punire vehementer. Aut certe ne in senectute liceat iuuentutis errata, quibus antea, dum non punit, ignouisse videbatur. Id sane suspicatum esse Iobum indicat illud *cap. XIII, 26. Consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ.* Quod etiam timebat, & ne accideret orabat Dauid, dum dicebat *Psalm. XXIV, 7. Delicta iuventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* pag. 161. b

Septuaginta ita conuertunt: *Quod si & peccauero, custodis me, ab iniquitate autem non insontem me fecisti.* Quæ sic Olympiodorus exponit: *Tuam decet humanitatem, vt aliquam veniam tuo tribuas opificio, neque velis pro tua rerum omnium scientia cunctas actiones meas & peccata acri studio obseruare.* Idem aliter: *Licet non subita in eum, qui peccauit, animaduersione vtare, haut eum præterea dimittis insontem:* Augustinus *in notationibus in Iob: Custodis, vel obseruas me, ne vsquam lateant peccata mea.* 27.

Hebr. paulo aliter: quod sic vertit Pagninus: *Si peccaui, in custodiam ponas me, & ab iniquitate mea non mundes me.* Tigurina: *Si quid peccaui, annotauisti mihi; neque siuisti* 28. pag. 161. a

me-

meam iniquitatem abire impune. Hebræus apud Caietanum: *Si peccaui, & custodies me, & ab iniquitate mea non mundabis me.* Eodem modo Biblia regia, nisi quod ad extremum habent, *non mundes me.* Quæ tam Hebræi, quam hebraizantes quidam cum interrogatione legunt, in hunc sensum: *Nunquid si peccavi obseruabis me super, & infensis me oculis intuebere neque a peccato meo aliquando mundabis?* Ita legit & exponit Eugubinus, &, vt idem dicit, Hebræorum aliqui, neque hinc longe abiit Vatablus. Alii interrogationi non putant esse locum, & hunc in modum accipiunt: quasi nimis sit durum, ea, quæ ab hominibus peccantur, obseruari omnia, neque concessa a Domino venia laxari. Est qui putet, hic esse aliquam iurisiurandi, aut imprecationis formam, quasi neget Iobus se peccasse, preceturque, si scelus vnquam admiserit, vt in æternam detur custodiam, neque vllo tempore peccatorum vincula, aut supplicia laxentur.

29. *Homo quocunque in statu & conditione miser.*

Vers. 15. *Et si impius fuero, væ mihi est: & si iustus, non leuabo caput saturatus afflictione & miseria.*] Non potest homo non esse miser quocunque loco ac conditione in hoc mortali statu. Quod Iobus ipse paulo ante dixerat, *cap. IX, 22. Innocentem & impium ipse consumit.* Nam si homo impius fuerit, vltio illum & infortunium sequitur; quodque durius est & horribilius, cruciatus illi & dolor adhærebit æternus. Illud *væ* magnum aliquid & tremendum sonat, quale, licet aliæ non desint vexationes, abesse tamen solet a iustis. Neque iustus, Deoque familiaris, & amicus suis quoque doloribus & angoribus caret. Deus enim iustos exercet & probat, neque otiosas vult esse virtutes, quæ stadium amant, & militare, id est, acre, & forte iuxta suum nomen, institutum profitentur. Hi iuxta vulgarem & pinguem hominum sensum, miseri vocantur: quia homines quid in labore atque certamine honesto atque legitimo lateat boni, non assequuntur. Ex quorum sensu Iobus locutus videtur. Nam beatos esse iustos, etiam dum pro iustitia & religione torquentur, sæpe Scriptura clamat, &

pag. 162. a

Matth. V. & *Luc. VI.* qui esuriunt, lugent persecutionem patiuntur, in beatis numerantur. Ait ergo Iobus, siue colat, siue prodat iustitiam, recusare non posse, quo minus eo, quem diximus, sensu miser sit, id est, patiatur opum aut valetudinis incommoda.

Hanc iustorum siue vexationem, siue miseriam varii varie explicant. Beda: *Si iustus sum, idem est tanquam si impius sim, quia pondus pœnarum quæ impio debentur, sustineo.* Sanctus Thomas hanc iusti miseriam, pœnitentiam, & confessionem esse dicit, quam videlicet deponere nunquam debet, qui admissi a se aliquando peccati conscius est. Et quidem id expressum habes *Ecclesiastic. V, 5. De propitiato peccato noli esse sine metu.* Augustinus *in annot. in Iob. Si iustus fuero, non possum respirare in conspectu hominum. Nam tu vides peccata, quæ homines latent.* Si quis est enim in homine sensus, aut pudor, licet alii in illo nihil videant, quod iure reprehendant, placere tamen sibi non potest, aut leuare caput: quia quid ille fecerit, cogitaueritue, Deus videt testis, & iudex. Glossa ideo iustum dicit non debere leuare caput, aut placere sibi, quasi liber sit a vitæ animæque periculo, quia nescit, qualis se post mortem exitus maneat; iuxta illud *Ecclesi. IX, 1. Nescit homo, vtrum amore, an odio dignus sit.*

30. *Homo nunquam debet esse sine metu.*

Non leuabo caput.] Sicut incuruare aut demittere caput, aut despicere in terram, & similia, abiectum atque demissum animum significat, aut illum, quem admissi pudet, & pondus graue sustinet ignominiæ; sic eleuare, siue attollere caput animum indicat securum & alacrem, quique nihil habet, quod vereri aut erubescere debeat. Quare eleuatio capitis exultantis atque arrogantis animi argumentum est. Sic passim audimus, illos efferre caput, qui ex hostibus obtinuere victoriam; aut qui in suis sibi rebus maxime placent. Vnde eadem formula ab Hebræis expressa dicit Hispanus, *no leuantar cabeza, Psalm. XXVI, 6. Nunc exaltabo caput meum super inimicos meos.* Et *Psalm. CIX, 7. De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Et de superbis suæque pulcritudinis amantibus fœminis dicitur *Isaiæ III, 16.* eleuatas esse, & extento ambulasse collo: quod idem est, atque suum incedendo caput extulisse. Cur vero iustus, etiamsi nullius sibi culpæ conscius sit, caput extollere, aut su-

31. *Leuare caput letitiam significat, aut felicem successum.*

pag. 162. b

32. perbire non debeat, proxime diximus.

Saturo, & inebrio, abundantiam significat. *Saturatus afflictione & miseria.*] Afflictio illa est, qua iactabatur dure spoliatus bonis, exsibilatus atque despectus etiam ab amicis atque domesticis; graui præterea morbo atque vlcere fœdatus. Deinde metus atque suspicio, ne dignus sit odio. Et quia suarum rerum Deum habet iudicem & testem, cuius vbique obseruabat atque timebat oculos. Quare laborabat corpore & spiritu; illud morbo & vermibus cruciabatur; hic angore & metu æstuabat vehementi. Saturari Hebraico idiomate abundantiam significat, sicut etiam ebrietas. Quomodo inebriata dicitur terra ab imbribus, qui large defluxerunt; gladius a sanguine, quem abundanter effudit; mœstus ab absynthio, qui multas habet dolendi causas. Sic aliquis his rebus saturatus dicitur, quarum vim maximam & stimulos expertus est. Sic de illo, qui iugum portat Domini, dicitur *Thren. III, 30. Dabit percutienti se maxillam. saturabitur opprobriis*, id est, tolerabit opprobriorum satis. Eodem dicendi modo vsus est Iobus, cum dixit *c. XVI, 11. exprobrantes percusserunt maxillam meam: satiati sunt pœnis meis*, id est, sumpserunt de me, quantum illis opprobriorum collibuit.

pag. 162. b

33. Vers. 16. *Et propter superbiam quasi leænam capies me.*] Locus hic difficilis est, neque vno modo explicatur, aut legitur. Septuaginta, *rapior sicut leo ad occisionem.* Neque longe aliter Latinæ aliquot translationes. Sic sane habet Gothicus Codex, & alii, qui *leæna* legunt in primo casu, quod etiam magna ex parte faciunt Hebræi, & translationes aliæ nouæ; sed cum aliquo discrimine: nam Hebræi, & quidam hebraizantes, leænam, seu leonem non cum Iobo lacerato, sed cum Deo lacerante comparant, quasi Deus non aliter acceperit laceraritque Iobum, quam leo lacerat, quam venatus est, prædam. Quod vt sentirent, non leuibus adduci potuerunt argumentis. Neque enim raro Deus, cum infensus significatur, cum leone confertur, qui lacerat & deuorat feras, *Oseæ V, 14. Ego quasi leæna Ephraim, & quasi catulus leonis domui Iuda.* Idem iterum *cap. XIII, 7. Isai. XXXIIX, 13. Quasi leo sic contriuit omnia ossa mea.*

34. Vbi Vulgatus *propter superbiam*, Hebr. est ויגאה *veigueh*, quod Hebræi vertunt, *multiplicetur, augeatur, crescat;* nempe afflictio atque miseria, de qua proxime, & per optandi modum interpretantur in hunc sensum: Vtinam afflictio mea & dolor sic augeatur & inualescat, vt me quam primum conficiat & extinguat, ne tamdiu meus protrahatur dolor & interitus.

35. Ego omnes has translationes sic conciliari posse existimo, si dicamus, sic Iobum a Deo acceptum fuisse crudeliter & hostiliter, vt ex eius interitu militarem gloriam consequi voluisse videatur. Quemadmodum illum gloriosam dicimus obtinuisse victoriam, a quo hostis viribus & vsu militari strenuus superatus est. Sic Hercules, si quid fidei merentur fabulæ, ex occiso leone, hydra, tauro immortalem gloriam consecutus est. Sic Dauid ex occiso leone & vrso primum, deinde ex interfecto Philistæo gloriosum inter suos nomen obtinuit. Sic Banaias inter fortes Israel numerari meruit, quia leonem in diebus niuis interfecit. Sic igitur Deus, quasi leo, siue leæna esset Iobus, quem confecisse venabulo egregiæ existimatur virtutis opus, illum insecutus est hostiliter, vexauit duriter, eoque deduxit, vt pro mortuo censeri posset.

36. Quare superbiam Dei esse suspicor, quæ hoc loco gloriam & splendorem significat, sicut alibi millies, non immoderatum animi tumorem, quo sibi quis aliquid præter meritum arrogat, & sibi inani ac stolida assentatione blanditur. Erit igitur sensus: Quasi gloriam tibi captares ex illustri victoria, me vnum videris ex multis elegisse. In quo conficiendo præclarum ederes specimen constantis animi, & virtutis eximiæ, quasi ego leo essem, quem extinxisse diuinæ foret, non humanæ potentiæ. Hæc expositio ideo mihi non omnino displicet, quia translationes alias apte cum vulgari conciliat, neque in ea quicquam apparet aut difficile, aut a textu violenter extortum. pag. 163. a

37. Quod vero *superbum* nihil significet aliquando vitiosum, natum ab eo spiritu, qui insolenter inflatus omnia sibi inuerecunde arrogat, sed excelsum, & vere splendidum, quod alii merito admirentur atque suspiciant,

Superbus non semper sonat animi elati vitium, sed

aliquando celsitudinem, & veram gloriam.

ciant, docent non solum sacra, sed etiam profana monumenta, *Proverb. IIX, 18.* de diuina sapientia: *Mecum sunt diuitiæ, & gloria, opes superbæ. Isai. LXI, 6. Fortitudinem gentium comedetis, & in gloria eorum superbietis;* id est, eritis gloriosi & illustres, idem *cap. LX, 15. Ponam te in superbiam sæculorum.* Ex profanis vnus Virgilius multa nobis exempla suppeditat *lib. 1. Æneid.*

Hinc populum late regem, belloque superbum
Venturum excidio Libyæ.

Et *lib. 3. Æneid.*

Barbaricas vestes auro spoliisque superbi.

38. Hoc porro dicendi genere ostendit Iobus, se non adeo esse robustum & strenuum: aut ita accedere ad leonis robur & audaciam, vt ex illius victoria aliquid ipsi accedere posse gloriæ videatur. Imo potius videatur, si humana trutina ista pensentur, futurum ignominiæ, cum tantus imperator cum re vsque adeo infirma ac futili certamen suscipiat, maxime propter peccata superioris ætatis, quibus iam videbatur ignouisse. Quod dixit iterum *cap. XIII. 25. Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris. Scribis enim contra me amaritudines, & consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ.*

39. Si quis porro dicat superbiam esse Iobi, & hanc esse spiritum inflatum & stulta ambitione tumentem, non me habebit difficilem: tum quia hæc est multorum, & pene vulgaris opinio: tum quia non multum habet difficultatis, nisi quia dissidentes translationes non satis apte componit. Tunc autem hic erit sensus: dimiseras adolescentiæ peccata, a quibus pœnas, quas dependere debueram, non exegisti. Sed ad tempus pepercisti mihi, ad tempus, inquam, præsens: nunc autem propter superbiam meam, cuius ab amicis vehementer arguor, quasi leonem superbientem & immanem insequeris: & ad iuuentutis peccata, quorum iam oblitus videbare, animum refers, & in ea non aliter inveheris, quam in leonem venator, aut armentarius; a quo magnis est affectus detrimentis. Cui expositioni belle assonat, quod proxime sequitur: *reuersus mirabiliter me crucias.* Reuersus nimirum ad illa, quæ reliquisse dimissa videbare, propter illa in me mirabili seueritate baccharis.

Hæ duæ explicationes minus mihi videntur esse difficiles; neque quam magis probem satis habeo constitutum. In priorem tamen magis propendeo. Addam tamen alias, quia neque illæ sua carent probabilitate, & in re difficili atque implexa facere soleo; neque, vt reor, sine aliquo operæ pretio. Septuaginta: *Sicut leo capior ad occisionem, rursusque mutans me crucias.* Quasi dicat, cepisti me in fouea, aut reti, sicut leo a venatore solet: & quasi satis non habeas semel atque iterum me vulnerasse, alio me atque alio modo versas, vt magis me crucies, & nihil relinquas a plaga atque dolore vacuum. Alii istud *propter superbiam*, sic accipiunt: *Ita me tractas, vt soles superbos.* Quo vero affectu ac studio Deus in superbos inuehatur, illosque vertat atque conuertat, & ex vna ignominia atque cruciatu in alium atque alium trahat, satis exemplorum habemus. Id sane expertus est Pharao, Saul, Nabuchodonosor, Aman, Antiochus, quos varie versauit Deus, donec ad interitum, aut ad inauditum ignominiæ genus adduxit. Beda aliter, assimulari se Iobus ferocissimæ bestiæ dicit, cum tamen humilis sit & mansuetus; & tunc Deum reverti, quando veteribus pœnis adiicit nouas, idque mirabiliter: quia prodigii instar est posse mortalem hominem, & humanas vires tam dirum ac longum pænarum pondus sustinere. Auctor catenæ hunc putat esse sensum: *Robur & potestatem leonis ante obtinebam; nunc præter omnium opinionem facta conversione commutata est omnis illa felicitas; fortitudo & gloria occidit. Nam postquam breui spatio illam prioris status mei iucunditatem circumscripsisti, in summam me ærumnarum coniecisti.*

40. (pag. 163. b)

41. *Reuersus mirabiliter me crucias.*] Hic locus iam a nobis explicatus est. Aut enim Deus ad illa peccata castiganda rediit, quorum videbatur deposuisse memoriam: aut quia iterum atque iterum variis modis reuersauit Iobum, vt nihil esset a labore vacuum, aut expers a plaga. Quare cum pecorum atque armentorum greges, aut latronum repenti-

nus insultus, aut ignis cœlestis abstulisset, ruente domo, in conuiuali luxu oppressi sunt filii: deinde non vno vulnere, aut vno morbo percussum est ac deformatum corpus. Tandem in illum non solum alieni, sed etiam amici atque domestici, imo & vxor ipsa aut linguam exacuerunt, aut armauere manus. Quare dici Deus non inepte potuit reuersus esse sæpe, vt patientis hominis imaginem exacte perficeret: quemadmodum statuarius, qui exprimere ad viuum meditatur effigiem, illam millies reuersat, retractat, & inculcat, semperque habet alligatam runcinæ ac cœlo; neque absoluit ab officina atque arte, donec ita perficiat, vt illam curiosi atque intelligentes oculi non solum probent, sed etiam admirentur. Aut certe rediisse dicitur Deus, quia ad castigandas iuuentutis ignorantias rediit, quarum videri poterat oblitus. Hoc porro fecit mirabiliter, quia plane admirabile fuit, & Deum tam clementem, & suorum amantem, innocentem hominem tam vexasse crudeliter, & humanum corpus ex futili materia concretum ferre potuisse tam longum & acerbum examen.

Homo sicut lignum, ex quo fit imago, multis vexationibus fit imago Dei.

42. Gregorius hunc Domini reditum optime interpretatur ad mores, & docet, quod signum esse familiare solet, & homo peccator non temere coniectet rediisse ad se Dominum, a quo prius propter peccatum procul a peccatore recesserat. Lege totum *cap. 34. ex lib. 9. moralium*, quod sane præclarum est. Nos ex illo carptim nonnulla collegimus: *Cum ab autore*, inquit, *relinquimur, nec ipsa vllatenus destitutionis nostræ damna sentimus. Quo enim longe nos conditor deserit, eo mens nostra insensibilius obdurescit, ac miserando modo fit quotidie tanto securior, quanto peior. Cumque vnde sit lapsa non meminit, & supplicia secutura non metuit, quantum lugenda sit nescit. At si afflatu sancti Spiritus tangitur, ad considerationem protinus suæ perditionis euigilat, in cœlestium inquisitione se excutit, amoris summi æstibus inardescit: quæ se circumprimunt, damna considerat, & plorat proficiens, quæ prius læta torpebat.* Bene ergo conditori dicitur: *reuersusque mirabiliter me crucias. Quia omnipotens Deus vnde mentem nostram visitans ad amorem suum erigit: inde hanc per lacrymas grauius affligit. Ac si aperte dicat, relinquendo me nequaquam afficis, quia insensibilem reddis, sed cum reuerteris, crucias: quia dum te insinuas mihi, me, quam sim lugendus, demonstras.*

Tremor, & dolor signum est rediisse Deum ad peccatorem.

pag. 164. a

Vers. 17. *Instauras testes tuos contra me, & multiplicas iram tuam aduersum me.*] Accommodate ad sensum & cogitationem amicorum, superbiæ suæ aut scelerum testes vocat plagas; quas in corpore suo tanquam stigmata circumfert, quæ in illo aliquid supplicio dignum hærere testantur. Quo autem plures sunt plagæ atque grauiores, plura etiam atque grauiora fuisse scelera ostendunt his, qui eadem cum amicis Iobi sentiunt & dicunt. In plagis etiam numero amicos Iob, qui tanquam testes, quos nulla nota vel infamia a testificandi iure aut fide depellit, & excipit, non obscure illum arrogantiæ & exploratæ tyrannidis incusant. Item domestici, & vxor ipsa, a quibus quotidie conuitia audit, & cum ludibrio & sannis in singula momenta experitur iniurias. Quæ omnia viro innocenti & nobili & graues inurunt ignominiæ notas, & dolores ingeminant acerbissimos. *Ira* autem pro illis sumitur, quæ plerumque ab irato animo proueniunt; cuiusmodi sunt plagæ, conuitia, & quæcunque corpus fœdant, aut compungunt, & honorem, & clarum antea nomen notant, & obscurant. Neque infrequens est, vt causa per antonomasiam sumatur pro his, quæ oriuntur a causis, quomodo amor & charitas pro beneficiis, quæ ex amore nascuntur; odium, & inuidia, metus, lætitia, luctus, & mœror pro his, quæ eiusmodi affectus plerumque pariunt, & eorum sunt certum & familiare signum. 43.

Peccator quot scelerum testes habeat.

Ira pro his, quæ ab ira nascuntur.

Et pœnæ militant aduersum me.] Quid sit militare, nemo dubitat; nempe hostilem in modum arma contra quenquam sumere, & illa in aliorum caput ex militari disciplina vibrare. Sed plerumque vox hæc multitudinem significat instructam armis, qualis est in acie, quæ sociatis viribus hostem oppugnat. Qualis fuit illa metaphorica acies ex beneficiis conflata, quam sponsus *Cant. II, 4.* in sponsam instruxit, vt illius beneficiorum pondere expugnaret animum, & vel tardantem 44.

ad

ad amandum pertraheret: in hunc sensum explicuimus *in nostris Commentariis super Cantica* illud, *ordinauit in me charitatem.* Vbi charitas pro beneficiis adhibetur, quæ ex amore prouenerunt, sicut proxime *ira* pro plagis atque conuitiis, quæ ira in Iobum, quasi ex vibrato arcu, tela contorsit.

45. Vers. 18. 19. *Quare de vulua eduxisti me*, &c.] Hi duo versus satis a nobis explicati sunt ad eadem prope verba *cap. III, 3.* ad illud, *pereat dies, in qua natus sum.* vbi diximus, hanc esse, aut certe videri interiectionem, qua dolorem suum, aut ærumnosum vitæ genus explicabant Hebræi, vt fecit etiam Ieremias *cap. XX, 18.* & Matathias *2. Machab. II, 7.* quod aliorum exemplis late probauimus: qua item de re *Prolegom. 3.* Quod fortasse magis apud Idumæos vsitatum fuit, vbi natus Iobus. Sane & si in hoc dicendi genere aliquod esset peccatum: aut si hoc non admitteret, probaretque Idumæorum consuetudo, non tacu-
pag. 164. b issent amici Iobi, qui illius mores & ingenium tam infenso atque pertinaci animo insectati sunt: neque abstinuerunt a procaci lingua, quam in illius dolorem & iniuriam procudeꝛunt. Sed ea de re, aut non egerunt, aut adeo modice, vt de his Iobi querelis non admodum curasse viderentur. Porro horum duorum versuum sententia obscura non est: nempe sibi longe futurum fuisse commodius, si nunquam esset susceptus in lucem; sed in matris esset extinctus vtero, & inde statim ad tumulum translatus, quam vitam sic ærumnosam trahere, vt neque nocens, neque innocens effugere potuerit afflictiones & miserias, quarum tunc acerbissimos sentiebat aculeos.

46. Vers. 20. *Nunquid non paucitas dierum meorum finietur breui? Dimitte ergo me, vt plangam paulులum dolorem meum.*] Hoc idem petierat *cap. VII, 16.* dum ait: *Parce mihi, nihil enim sunt dies mei.* Vide, quid nos eo loco. Hic optare ac petere videtur Iobus a Domino paucorum dierum inducias concedi, vt a continentibus magisque in singulas horas crescentibus malis respirare liceat: quando, vt se res dant, & dolor intenditur, diu vitæ finis morari non potest. Quare orat, vt paulum sese remittat, & hostium acerbitas, & dolorum atrocitas, vt dolorem suum iuxta miserorum consuetudinem legitimo prosequatur planctu. Ne id sibi ab irato atque offenso Domino negetur, quod miserorum dolori negari non solet: vt sibi ipsi, quando funebre officium ab aliis sperare non potest, breui illo spatio, quod reliquum est vitæ, exequias impendat.

Hæc mihi sententia non displicet, maxime si statuas, quod dixit Hieronymus *epist. 25. ad Paulam*, in *planctu* non significari fletum, aut lacrymas, sed magnificentiam & splendorem funeris. *Planctus*, inquit, *magnus non est in plangentium examinatione, vt tu putas, sed in pompa funeris & exequiarum frequentia intelligendus est.* Sed puto, hanc de vero planctu ac lacrymis esse petitionem, quo ploret non dolorem, quem a morbo & hominum ludibrio patitur, sed quem ex peccatorum suspicione ac timore concepit, vt placet sibi offensum iudicem, & aditum sibi lacrymando ac pœnitendo obstruat, quem ad æternas tenebras patere didicit peccatoribus. Ille enim maximus fuit Iobo atque continuus dolor, vt diximus supra *cap. III.* hunc leuare lacrymando atque gemendo voluit tunc maxime, quando appropinquare sensit extremum diem, & eripi pretiosum & breuem pœnitentiæ locum. 47. *Planctus in funere idem quod pompa funebris.*

At dices, hoc ipsum inter dolores & iniurias Iobum præstare potuisse, imo, vt hæc præstaret, ab illis doloribus ac vermibus admoneri tacite, a quibus quam celerrimo gressu rapiebatur ad mortem. Sed quicunque hæc cogitat, non satis meditatur, aut nouit, quanta sit vis doloris & iniuriæ, & humanæ naturæ quanta sit infirmitas. Noui ego viros non e media turba, qui cum pietati diu dedissent non leuem operam, & diebus singulis orationi studuissent non indiligenter, qui tamen in statu simili excitare se ipsos non possent ad orandum, & de Deo animæque periculo cogitandum: quia metus & dolor omnem abripiebat cogitationem & sensum. Pleni sunt sacri, pleni profani annales exemplis eorum, qui cum maxime cuperent, de suis peccatis eorumque dolore, ac venia procuranda cogitare non possent. Quam difficultatem, opinor, in seipso Iobus experiebatur, 48. *Vehemens dolor aut metus animum ad Deum & orationem leuari non finit.* pag. 165. a

batur, dum remitti dolorem optat, precaturque, vt plangat dolorem suum, id est, peccatum, ne ipsius pondere in inferni tenebras

49. præceps ruat. Ex quo quiuis, qui a sana mente prorsus non exciderit, coniectabit facile, stultum esse temerariumque consilium eorum, qui negotiorum omnium maximum ad tempus omnium ineptissimum, & omnino pessimum differre voluerit. Ex omnibus duo habemus exempla ex Scriptura sacra. Alterum Dauidis *Psalm. LXX, 9.* qui orat, ne cum vires defecerint, deseratur a Domino. Alterum Iobi, qui vt lugere possit, optat aliquid sibi de animi angore & corporis dolore remitti.

Temerario consilio conuersio ad mortis articulum differtur.

50. Accedit, quod interdum, dum vrgemur doloribus, neque ad suspiria atque lamenta spiritus, neque ad plorandum lacrymas, natura ipsa mortalium attonita, vel lassata suppeditat. Qua de re optime Gregorius *lib. 9. Moral. ad hunc locum: Sicut moderata,* inquit, *afflictio lacrymas exprimit, ita immoderata subducit, quia mœror ipse quasi sine mœrore fit, qui afflicti mentem deuorans sensum doloris tollit.* Lege totum caput, quod maxime facit ad mores. Adde, quod vehemens stupor ac dolor, vndecunque prouenerit, comprimere solet lacrymas, imo & siccare, cum tamen illarum profusione laxari soleat & sedari dolor. Quod explicuere Poetæ in fabulosa Niobe, quæ doloris acerbitate ex filiorum interitu concepti in lapidem dicitur conuersa. idem de se cecinit Ouidius *lib. 1. de Ponto eleg. 2.*

Vehemens dolor ac stupor lacrymas comprimit.

Fine carent lacrymæ, nisi cum stupor obstitit illis,
Aut similis morti corpora languor habet.

Vide plura *in nostris Commentariis* ad illud *1. Reg. XXX, 4. Donec deficerent lacrymæ.*

51. Vers. 21. *Antequam vadam, & non reuertar ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine.*] Multi hæc de sepulcro accipiunt, in quod multa conueniunt eorum, quæ hic Iobus commemorat, & horret. Neque desunt, qui omnia, quæ hoc loco dicuntur, aptari posse putent mortuorum claustris, a quibus neque horror abest, neque caligo. Vbi etiam nullus esse dicitur ordo: quia omnes summi atque infimi, senes ac iuuenes sine vllo discri-

pag. 165. b mine rapit mors, infertque sarcophago, iuxta illud Lyrici:

Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas
Regumque turreis.

Et idem alibi:

Æqua lege necessitas
Sortitur insignes & imos,
Omne capax mouet vrna nomen.

Ego tamen eo propendeo magis, vt putem, 52.
hic agi de pœnis, quo maior inclinat Interpretum sententia. Ita sane Hieronymus: *Quod terram,* inquit, *inferorum descripserit, nulli dubium est. Nullus ordo ibi est vitæ. Tenebrosa est proculdubio velut carcer, in quem peccatores & impii, qui lucem odio habuerunt, & tenebrarum filii contrudentur. Quæ terra caligine mortis operta est, vt clausi in nocte æterna nullam pœnitentiæ lucem aliquando aspiciant.* Cum Hieronymo sentit Gregorius *libr. 9. Moral. a cap. 45.* S. Thomas *in expositione secunda.* S. Aug. *in annotationibus in Iob* pœnas intelligit æternas, & indicat, quod verum est, illud, *antequam vadam,* idem esse atque *ne vadam. Vult,* inquit, *requiescere, antequam eat in pœnas æternas, ad hoc vtique, vt non eat: quemadmodum si dicamus alicui, corrige te, antequam damneris; non enim, cum se correxerit, damnabitur.* Neque ratio deest, eaque grauis; nam a terra tenebrosa redeundum sibi esse negat, at non negat a sepultura reditum, qui carnis resurrectionem tam aperte fatetur. Neque in sepulcro est vmbra mortis, sed vera ac propria mors; in inferno mors non est, sed mortis imago; nam ea est damnatorum vita, vt debeat mors vocari in æternum producta, quia talia damnatus singulis patitur momentis, vt cum illis humana vita conseruari non possit. Quare perpetua est ibi vmbra, & imago mortis, quemadmodum in eo, qui iam agit animam, & extremum trahit spiritum: qui cum viuus sit, quia mortis habet ineuitabilem causam, in mortuis tamen eum numeramus, & in illo mortis effigiem spectare dicimur. Deinde quia in sepulcro sempiternus horror non est, imo neque horror omnino, quia ossa, quæ in eo latent, aut caro, quæ antea tumulata computruit, neque sensum habent, vt quicquam ibi patiantur aduersum, neque cogitationem, vt ad caliginem illam & sepulcrales sordes, aut metu rigeant, aut horrore tangantur.

Antequam idem aliquando, ac ne.

53. *In inferno mortis imago.*

ARGV-

ARGVMENTVM CAP. XI.

SOphar tertio loco aggreditur Iobum, quem primum impietatis & in dicendo libertatis accusat: quia suos sibi non solum sermones, sed etiam mores ab omni iniquitate puros esse dicit. Quasi cum Deo expostulet, quod innocentem tam excruciare voluerit vehementer. Quem ignorantiæ primum accusat; qui cum Dei opera inscrutabilia assequi non possit, neque illius arcana explorare consilia, audacter tamen in illo æquitatem & clementiam requirat. Deinde causas reddit, cur homo, quæ Dei sunt, perscrutari non debeat. Ac tandem orat, vt si liberari ab his, quæ patitur, & ad meliorem velit reuocari fortunam, deponat laruatam sanctitatis imaginem, & veram amplectatur solidamque virtutem; quæ placat Deum, & ab illo quicquid in votis esse potest, abunde consequitur.

CAPVT XI.

pag. 165. 1. REspondens autem Sophar Naamathites, dixit:

2. Nunquid qui multa loquitur, non & audiet? aut vir verbosus iustificabitur?

3. Tibi soli tacebunt homines? & cum cæteros irriseris, à nullo confutaberis?

4. Dixisti enim: Purus est sermo meus, & mundus sum in conspectu tuo.

5. Atque vtinam Deus loqueretur tecum, & aperiret labia sua tibi.

6. Vt ostenderet tibi secreta sapientiæ, & quod multiplex esset lex eius, & intelligeres, quod multo minora exigaris ab eo, quam meretur iniquitas tua.

7. Forsitan vestigia Dei comprehendes, & vsque ad perfectum, omnipotentem reperies.

8. Excelsior cœlo est, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognosces?

PARAPHRASIS.

1. 2. Ad hæc Sophar Naamathites subindignans: Numquid, o Iobe, in oratione diffluente & longa spectandam putas æquitatem, & illum innocentem putari, qui prolixa se oratione defendit? est præterea iustum & vrbanum, vt vicissim amici verba commutent, & qui locutus est, se quoque aliis audientem præbeat. pag. 165.

3. Æquum putas, o hominum audacissime, vt tibi libere atque procaciter verba iactanti contumeliosa & fatua obloquatur nemo? & cum aliis subamaris conuitiis intemperanter illuseris, nemo tuam in loquendo libertatem coerceat, aut dicta insipienter prolata confutet?

4. Ecquis ferat tantam in cogitando confidentiam, tantam in dicendo libertatem, vt in Dei conspectu prædices, in tuis neque verbis, neque moribus vllam reperiri peccati labem!

5. 6. Faceret vtinam Deus, in cuius conspectu purum te esse dixisti, vt suis te verbis doceret, & ab illius magisterio cognosceres illius sapientiæ arcana consilia, quæ iustissima sunt; quam multiplex esset, & iusta lex, & illius Deus quam custos vigil, quam integer vindex, & tunc omnino ac manifeste cognosceres, minores abs te exigi pœnas, quam propter peccata dependere iuberis.

7. Vt multum diuque labores, tamen Dei vestigia, id est, illius opera non comprehendes! neque ipsa probe comprehensa ad perfectam Dei cognitionem deducent; sicut neque ex imagine, artificis omnino natura cognoscitur.

8. 9. Neque solum propter inscrutabilem naturam Deus ab humana intelligentia cognosci non potest; sed etiam, quia sua immensitate

 creata

9. Longior terra mensura eius, & latior mari.

creata omnia complet & exuperat. Est enim cælo sublimior, quo attolli nequit mortalis infirmitas, & terrena mole, & ipso etiam inferno, id est abdito terræ sinu profundior: cuius magnitudinem, & terræ longitudinem, & maris latitudinem, immensis superat interuallis.

10. Si subuerterit omnia, vel in vnum coarctauerit, quis contradicet ei?

10. Arrogantis est ingenii, Dei velle comprehendere consilia: amentis vero, ab illo exigere, cur hoc vel illud faciat, etiam si rerum mutet & inuertat naturas; si diffusa coarctet, & compressa & coarctata diffundat. Et multo maioris dementiæ est, in Dei consiliis, aut æquitatem desiderare, aut aliquid, quasi iniquum foret, reprehendere.

11. Ipse enim nouit hominum vanitatem, & videns iniquitatem, nonne considerat.

11. Iudicare res diuinas homo, cuius mens infirma & intelligentia obscura, neque debet, neque potest. Secus Dominus, qui attente considerat & penitus cognoscit hominum opera vanissima, quæ non tam præmio aut beneuola aliqua significatione probari sibi, quam imposito supplicio improbari significat.

pag. 167. 12. Vir vanus in superbiam erigitur, & tanquam pullum onagri se liberum natum putat.

12. Ille vero, cuius Deus vanitatem improbat & punit, non dubia illius documenta præbet; qui magnifice de se loquitur, qui sua immoderate iactat, qui in suis sibi operibus placet, qui denique immodice atque inuerecunde superbit. Hoc primum signum, aliud est huic maxime affine, si legibus parere recusat, si voluntatem & libidinem sibi pro legibus esse vult. Non secus, atque onager, qui, cum in syluis solitarius agat, mortalium nemini parere didicit. pag. 167.

13. Tu autem firmasti cor tuum, & expandisti ad eum manus tuas.

13. Hæc tu, o Iobe, vanæ atque superbæ mentis documenta dedisti, dum tua tibi vsque adeo placent, vt in illis obstinato hæreas, obfirmato contra Deum spiritu, quem ex omnibus aut solum, aut maxime intuetur & probat: & expandis ad illum inquinatas manus, quasi illæ Deum placare, & ab illo beneuolentiam demereri possint.

14. Si iniquitatem, quæ est in manu tua, abstuleris a te, & non manserit in tabernaculo tuo iniustitia:

15. Tunc leuare poteris faciem tuam absque macula, & eris stabilis, & non timebis.

14. 15. Quod si a manibus tuis, id est, ab operibus iniquis & vanis, quibus honestatis simulatam speciem prætexuisti, iniquitatem abstuleris, & puras a puro corde manus ad Deum expanderis; relegata a tabernaculo tuo, quæ in eo diu inueterauit, iniustitia: Tunc mundam absque confusione leuabis ad Deum faciem tuam, quam a suo conspectu non repellet Deus: neque ex tuo amplius deiicieris loco: aut vllus te motus de imminente ruina aut turbine concutiet.

16. Ea

16. Miseriæ quoque obliuisceris, & quasi aquarum, quæ præterierunt, recordaberis.

16. Ea deinde accedet rerum abundantia, ea instaurata & in meliorem statum renouata familia, valetudinis, & existimationis antiquæ vicissitudo, vt non magis superioris miseriæ recorderis, quam aquæ, quæ in flumine defluxit, in cuius locum longe maior aquarum abundantia successit.

17. Et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam: & cum te consumptum putaueris, orieris vt lucifer.

17. Cum aduenisse tibi putes extremum diem, tunc experieris affulsisse vitæ tunc primum ineuntis iucunda primordia, & redire fortunam meliorem, de qua iam actum videbatur omnino, non aliter, atque si sub ipsum vespertinum crepusculum lucifer exoriatur matutinus.

18. Et habebis fiduciam, proposita tibi spe, & defossus securus dormies.

18. Quod si Deo placere studeas, in eoque fiduciam collocaueris, quod timeas deinceps, nihil erit in vita; neque erit post mortem, qui sepulcrum incestet, & defossis in eo cineribus insultet.

19. Requiesces, & non erit qui te exterreat: & deprecabuntur faciem tuam plurimi.

19. Requiesces in sepulcro molliter, ita vt a somno potius videare, quam a morte captus; neque erit, qui te dormientem excitet, aut a loco moueat. Illi porro, qui te miserum & inopem insectabantur hostiliter, fortuna longe in contrarium mutata, humiles ad te accedent & supplices, vt erratorum veniam & pacem precentur.

20. Oculi autem impiorum deficient, & effugium peribit ab eis, & spes illorum abominatio animæ.

20. Non sic impii, non sic, quorum tabescent atque deficient oculi, cum in aliis videant, quod ipsis maxime erat in votis, neque tamen cum vehementer ambirent, consecuti sunt. Neque si grauibus iactentur incommodis, sic vndique prementur malis, vt nullus se illis aperiat ad salutem aditus. Ac tandem eueniet illis, pro eo, quod sperabant, cupiebantque vehementer, id quod ipsorum execrabatur animus, & horrebat magis.

Vers. 1. & 2. *Respondens autem Sophar Naamathites, dixit: Nunquid qui multa loquitur non audiet? aut vir verbosus iustificabitur?*]

pag. 168. a 1. FErebat, vt apparet, impatienter Sophar tam longam orationem Iobi, qua, & suam causam tuebatur, & amicorum obiecta sibi crimina, aut depellebat, aut eleuabat. Quia cum iam ante concepisset plurima, quæ cum amicis meditatus fuerat, vt illa omnia, occasione captata, in Iobum euomeret quasi parturiret, neque diu differre vellet molestum illum partum, quo illius viscera distendebantur & disrumpebantur vehementer, veluti defessus expectando cum stomacho dicit, non in sermonibus multis expectari iustitiam, neque illum ideo existimari innocentem, qui prolixa se oratione defendit. Et iustum esse præterea, rationique consentaneum, vt vicissim amici verba commutent, & qui locutus est, se quoque aliis audientem & patientem præbeat. Hanc sententiam prouerbialem inter Idumæos esse puto, certe aliquid subolet prouerbiale. Quale

le est illud Terentianum: *Si pergit dicere quæ volt, porro quæ non volt audiet.*

2. Vers. 3. *Tibi soli tacebunt homines? & cum cæteros irriseris, a nullo confutaberis?*] Intolerabile prorsus est superborum hominum ingenium, intolerabile fastidium, quo illa reprehendunt & aduersantur, quæ minus ad illorum sensum aut voluptatem dicuntur: irrideri se putant, si ad suam insaniam alii non conniuent: imo si quæ dicta fuerint inscite & temere non laudant, & cum illis, si Deo placet, in publico ac legitimo foro iniuriarum agunt. Nihil, vt vides, dixerat Iobus non modeste, nulla in re amicorum nomen aut dignitatem violarat; & liberius, & contumeliosius acceptos ab illo amicos dicit fuisse Sophar; & tandem dignum, qui de se audiat non dissimilia; imo vt eo loco ac tempore confutetur acerrime ad pudorem vsque.

3. Vbi Vulgatus *confutaberis*, Heb. מכלים *machlim*: id est, *& non erit, qui te pudefaciat atque confundat.* Quasi dicat: tantum tibi assumis, vt quiduis tibi in alios licere putes: neque quicquam tibi ab aliorum reprehensione, siue offensione metuas. Tigurina: *vt te sannionem agentem nemo suffundat pudore.* Quæ verba quantum habeant non solum libertatis, sed etiam impudentiæ atque inhumanitatis, quis non videt? Sannio hic vocatur Iobus a Sophar, in qua voce magna est contumelia, neque leuis iniuria; sannio enim vilissima est persona, profligatique pudoris: qui id habet sibi proprium & maximum, vt vultu, oreque indecore distorto, & gestu corporis ad vocem & risum accommodato aliorum exprimat mores, & seipsum interea ridiculum ostendat. De quo Cicero *l. 2. de oratore:*
pag.168. b *Quid potest esse tam ridiculum, quam sannio est, qui ore, vultu imitandis moribus, denique corpore ridetur ipso?* En qualem personam tribuit Sophar tanto tamque religioso viro, qualem nimirum in mimis Comici morioni dant.

4. Vers. 4. *Dixisti enim, purus est sermo meus, & mundus sum in conspectu tuo.*] Postquam præfatus Sophar, quid de Iobo sentiret, effudisset audacius, disputationem aggreditur, & quæstionem proponit, quam tractat multis, illam nimirum, quam duo alii amici ante tractauerant, neque rationibus admodum diuersis. Et primum arrogantiæ illum & libertatis accusat, quod nihil locutus se impure dixerit, & in oculis Domini iustus apparuerit. Quæ accusatio grauis est, & quia ambitiosum prodit spiritum, aliorum offendit & auertit animos, & accusatores potius acuit, quam patronos aduocat. Sed non constat, an verum fuerit hoc crimen, quod obiicitur Iobo, vel confictum a Sophar, vt haberet quod oppugnaret, quasi qui sibi scopum proponunt, quem sagittando appetant.

Chrysostomus *in Catena* putat, hoc a Sophar confictum esse crimen, cum Iobus prius contrarium fuerit aperte professus. *Atqui*, inquit, *ille ipse dixit; in veritate scio, quia non est mortalis mundus coram Domino. Vide quemadmodum ei obiectent repugnantia.* Greg. ad hæc verba: *Qui beati Iob dictorum meminit, quam falso hoc voci illius impingatur agnoscit. Quomodo enim hoc dicere potuit, qui ait: Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me? Sed habet hoc prauorum malitia, vt cum vera in se flere mala renuit, fingat aliena.* idem ad hunc locum Beda, & indicat Hieronymus. 5.

Sed videtur probabilius, quod Hieronymus putat, & innuit S. Thomas, & pluribus ostendit Pineda, non omnino hæc commentum esse Sophar, sed ex quibusdam Iobi sermonibus hæc texuisse, & accusatorum more hæc amplificasse, interpretationeque parum beneuola ac pia eo rem adduxisse, vt talia censeretur locutus Iobus, qualia nunc obiiciuntur. Sic autem Hieronymus: *Non ita dixit, quod purus esset & mundus, id est, quod cogitationibus & verbis ante Deum immaculatus existeret: sed dixit: Nihil impium feci:* Addit Beda ad hæc omnino verba Hieronymi: *Ergo calumniatoris hæc verba sunt, non veritatem & iustitiam prosequentis.* Potuit autem Sophar ex variis locis occasionem sumere, vt verba illa tribueret Iobo, quæ proxime accepimus ex *cap. VI, v. 2. Vtinam appenderentur peccata mea*, &c. & *v. 30. Et non inuenietis in lingua mea iniquitatem.* & *cap. X, v. 2. Indica mihi, cur me ita iudices?* Quod ad irrisionem pertinet, occasionem dedit manifestam illud *cap. VI, 26. Ad increpandum tantum verba concinnatis, & in ventum verba profertis.* Sed quomodo hæc minus sint grauia, 6. *Sophar vnde occasionem sumpserit reprehendendi Iobum.* pag.169. a

via, quam videtur significasse, suis locis ostendimus. Alia dixit, quæ magis ad hanc obiurgationem illum adducere potuissent ex *cap. XXXI.* & *cap. XVI.* Sed hæc nondum audita fuerant a Sophar: quæ non magis quam hæc superiora Iobum ambitionis & vanitatis coarguunt.

7. Vers. 5. *Atque vtinam Deus loqueretur tecum, & aperiret labia sua tibi.*] Existimabat Sophar, hæc Iobi verba ex eo prouenisse, quod & Dei ignorat legem, & ingenium, atque ideo suum ignorabat peccatum, quia legem a se violatam non putabat. Deum parum arbitrabatur æquum & iustum, quia supplicii pondus supra meritorum mensuram imposuerat. Quare optare se dicit, vt a Deo audiret sua diuina arcanaque consilia, quæ iustissima sunt, & hominibus aut nullo modo, aut certe non satis explorata, & quam esset illius sancta & multiplex lex, quam homo seruare religiose debet. Cognouisset enim & Deum esse iustum legis a peccatore temeratæ vindicem, & maiores se debere pœnas, quam Deus ab illius erratis exegisset. Hæc porro, quæ Sophar Iobo desiderat a Deo esse manifesta, non solum sunt, quæ ad Dei legem pertinent & arcana consilia, sed etiam, quæ de se ipso Iobus ignorat. Multa latebant Iobum, quæ diuinis oculis erant aperta, quæ Iobus ipse si nosset, haud dubie damnaret; multa, quæ non tam Deo acciderant grata, quam Iobus ipse rerum ignarus sibi persuaserat; quasi a Deo disceret, & quo essent apud Deum loco agnosceret, multo de se aliter, ac de Deo sentiret, loqueretur que. Huc spectabat oratio Sophar. Et sane ita accidit, vt ille cogitabat, si tamen hæc erat illius cogitatio. Nam cum Deus cum Iobo locutus est, multa eorum, quæ dixerat antea, damnauit, vt constat *cap. XLII.*

8. Vers. 7. *Forsitan vestigia Dei comprehendes,* &c.] Docet, Deum ab humana intelligentia comprehendi non posse: atque ideo stultum videri, qui de illis iudicare voluerit, quorum non nisi admodum obscure cognitionem assequitur. Vestigia autem Dei creaturæ sunt, & opera diuinæ manus, quæ artificis illic interuenisse testantur opera, non tam qualis sit artifex, cuius figuræ, ac magnitudinis. Qui vestigium videt leonis, leonem illac transiisse cognoscit, non tamen e vestigio cognoscit alia, quæ sunt ornamenta & horribilia leonis, non rugitus, vngues, dentes, toros, iubas, fœtentem halitum, superbos spiritus, & alia plurima, quæ amabile & horribile docent generosum animal. Vides vestigium hominis, nescis tamen, an illud impresserit stultus, an sapiens, diues, an pauper; rex potens & splendidus, an sumptus e fœce populi vilis homuncio. Vestigium pictoris est imago, ingenium in ea, & artis præstantiam artificis cognoscis; vultum ignoras, & alia omnia, quæ amabilem hominem, aut odiosum faciunt. Fieri enim & potest, & solet, vt formosam deformis, & deformem contra formosus fingat imaginem. E vestigiis denique exiguum est, idque obscurum admodum, quod de illius artifice, aut signatore cognoscimus. pag.169. b Qui hæc inferiora cognoscit, vestigia cognoscit Dei; sed nihilo Deum magis nouit, quam ex imagine formam, aut naturam, aut signa varia, aut ornamenta pictoris. Hoc videtur ex his, quæ proxime succedunt, significari.

Quomodo ex suis vestigiis cognoscatur Deus.

Et vsque ad perfectum omnipotentem reperies.] Quasi dicat, non cognosces perfecte, quis sit Deus; atque ideo neque scrutari debes diuina consilia, aut de illius prouidentia, aut de æquitate queri.

Vers. 8. 9. *Excelsior cœlo est, & quid facies?* &c. 9. Alio probat argumento, aut eodem tamen magis explicato, non posse Deum a Iobo perfecte cognosci: quia non solum natura, quæ infinitis spatiis humanam excellit, sed etiam loco ab humana habitatione longissime distat: ad quem homo in hoc mortali statu neque ascendere potest, vt maxime cupiat, neque descendere. Est enim cœlo sublimior, quo attolli nequit mortalis infirmitas & terrena moles; & ipso etiam inferno, id est, abdito terræ sinu profundior: ad quem locum homo, quantumcumque se deprimat alte, non perueniet. Cuius magnitudo, & terræ longitudinem, & latitudinem maris immensis superat interuallis. Hæc facilis est, &, vt reor, germana sententia. Sed addo explicationem aliam, neque alienam, vt puto, neque difficilem.

Exigua est & obscura notitia, quam ani- 10.

malium,

malium, aut aliarum rerum veſtigia ſuppeditant ei, qui ex veſtigiis, id eſt, operibus naturas rerum ſcrutari deſiderat, vt nuper explicuimus: quia notitiam ex veſtigiis Dei de Deo multo minus certam ſcrutator naturæ Philoſophus comparare poteſt. Aliarum namque rerum veſtigia non ita ſunt varia, aut illis impreſſa locis, vt non poſſint ab homine induſtria inueniri mediocri. At quis omnia poſſit, aut audeat Domini ſcrutari veſtigia, quæ tot ſunt, quot in natura rerum formæ, quarum multæ in his formatæ ſunt locis, quo peruenire non poſſit humana moles, aut etiam humana cogitatio. Quot res a Deo in cœlo; quot in abditis terræ viſceribus! Quam alte, quam profunde impreſſit Deus ſapientiæ ſuæ atque omnipotentiæ veſtigia! Quot in terra ſunt concreti lapilli! Quot metalla! Quot in cœlo nouæ etiam hominibus incognitæ rerum ſpecies! Sed neque quæ in ſumma terræ facie formata ſunt, aut in mari creata, aſſequi poteſt omnia mortalis induſtria. Quis enim immenſa terrarum luſtrauit ſpatia, aut latos pelagi fines, aut inacceſſos ſinus ſcrutatus eſt? At ſcimus, in aliis terris alia naſci, hominibus, qui ſub alio viuunt cœlo, prorſus ignota. Quanta ex transmarinis regionibus aduexerunt Hiſpani, quæ antiquus orbis neque de fama nouerat? quanta ex noſtro orbe ad regiones illas transoceanitidas adducta, quæ nouus ille orbis admiratus eſt? Sane verum eſt Maronianum illud *Georg.* I. aliis regionibus alia eſſe vernacula, & propria: ſub alio atque alio cœlo alia atque alia naſci, quæ regionibus aliis negata ſunt.

---Nonne vides croceos vt Tmolus odores,
India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi,
At Calybes nudi ferrum, viroſaque Pontus
Caſtorea, Eliadum palmas Epiros equarum?
Continuo has leges æternaque fœdera certis
Impoſuit natura locis.

pag.170. a Neque minus mirabilis Deus in his, quæ vltra Oceanum, quam in illis, quæ intra Oceanum in noſtris finibus produxit. Quis ergo homo ex veſtigiis cognoſcet Deum, cum plurima illius veſtigia videri non poſſint?

11. Verſ. 10. *Si ſubuerterit omnia, vel in vnum coarctauerit, quis contradicet ei?*] Oſtendit Sophar, Deum ab humana atque mortali mente cognoſci non poſſe, neque illius tuto indagari conſilia. Nunc docet, ſtultarum eſſe mentium, rationem a Deo exigere, cur hoc vel illud faciat, etiam ſi rerum mutet & inuertat naturas, ſi diffuſa coarctet, & compreſſa & coarctata diſſoluat & diſtrahat; & multo maioris eſſe ſtultitiæ, in Dei conſiliis aut æquitatem deſiderare, aut iniquitatem reprehendere. Quod Sophar putabat factum a Iobo, quando illius potentiam & inſcrutabile conſilium tantopere commendat: quæ dum mortalis homo non agnoſcit, & humano ducitur, aut abducitur ſenſu, in Domino videre ſe putat quod inuiſet.

Verſ. 11. *Ipſe enim nouit hominum vanitatem, & videns iniquitatem nonne conſiderat?*] 12.
Ita homo ſua meditatur, vt interdum ſibi in illis vehementer placeat, quia oculos habet carneos, & quæ carnalium ſunt, nonnunquam ita probat, quaſi nihil a ſpiritu diſtarent. Quæ tamen vaniſſima ſunt, neque vllum apud Deum, qui occultiſſima quæque nouit, pondus habent. Horum ergo Dominus merita atque momenta ſeuero explorat examine, & cum ibi non vera deprehendatur, ſed fucata ſpecies ſanctitatis, ſupplicio potius impoſito damnat, quam præmio aliquo, vel beneuola ſignificatione commendat. Hinc frequentes hominum querimoniæ de Dei prouidentia, quem nimis libera voce appellitant meritorum immemorem, cum illi fallaci blandimento deluſi merita eſſe putant, quæ Dominus in peccatis numerat. Sic apud Iſaiam *cap. LIIX*, 2. Deus ad quoſdam, qui in ſuis ſibi operibus placebant; cum tamen illa reſpueret & improbaret Deus: *Rogant*, inquit, *me iudicia iuſtitiæ, appropinquare Deo volunt. Quare ieiunauimus, & non aſpexiſti: humiliauimus animas noſtras & neſciiſti? Eſſe in die ieiunii veſtri inuenitur voluntas veſtra.*

Deus aliter de meritis quam homines iudicat.

Verſ. 12. *Vir vanus in ſuperbiam erigitur.*] 13.
Egit proxime de hominum vanitate, quæ nihil habet ponderis apud Deum, cuius ſignum edit ſane perquam optimum. Vt enim quæ leuia ſunt & vana, vt lanugo, vt ſtipulæ, vt fumus, & ſi quæ ſunt eiusmodi, quia pondus non habent, facile a vento aut diſſipantur, aut ſurſum eriguntur: Sic qui vani ſunt, magnifice de ſe cogitant, & ſibi de ſuis rebus aſſentati

Vir ſuperbus vaniſſimus.

ti pueriliter immoderate se ac sua iactant, & immodice atque inuerecunde superbiunt. Quare qui sua iactat, qui supra reliquos se ipsum temerarius attollit, & præ se alios nihil esse putat; ille vanitatis suæ non dubium præbet documentum.

14. *Superbus inconstans, & lubricus.* Vbi Vulgatus, *vir vanus in superbiam erigitur*, Hebr. est איש נבוב ילבב *is nabob ii labob.* quod varii varie reddunt. Septuaginta: *homo vero aliter natat sermonibus.* In Sixtianis, & apud Didymum *in catena*, in Complutensibus: *homo autem in casum animatur verbis.* Aug. *in annot. in Iob* pro *natat* legit *nutat.* Sed est idem omnino sensus. Nam sicut qui natat, nihil habet firmitatis, qui in elemento est liquido ac fluido, quod natantem aut nauigantem huc illucque conuertit & iactat, neque aliquid habet, in quo quasi in certa aliqua statione consistat: Sic etiam qui nutat, neque firmum figit, aut stabilem gradum, modo se huc incertus, modo se illuc agit atque conuertit. Vnde sicut aliquis nutare sic etiam fluctuare dicitur in aliqua sententia; quia vox vtraque lubricum aliquid notat & incertum. Homo autem ille, de quo hic Sophar, quia vanus est, neque quis sit, aut velit, aut etiam possit Deus, nouit, cum de Deo meditatur & cogitat, quia certum nihil habet, in quo consistat, necesse est, vt alia atque alia vagetur incertus: neque eodem semper modo de Deo loquatur. Sic Augustinus habet: *Homo vero aliter nutat sermonibus: modo illi placet Deus, modo illi displicet, cum apud Deum sit firmitas.* quasi diceret, homini, qua est stultitia atque ignorantia, id accidere in cogitatione atque sermone de Deo, quod illi, qui in loco firmo atque stabili nutat ac titubat. Quod non prouenit ex lubricitate loci, si forte nauigare contingat ex aqua assiduis agitata motibus, sed ex male sano capite ab ebrietate atque vertigine. Sic etiam si homo, dum de Deo loquitur, aut cogitat, si natat, aut fluctuat, aut nutat, non ideo accidit, quod in Deo non sit firmitas; sed quia hominis imbecille cerebrum vertigine laborat, quæ in re morali ac mystica multiplici ratione contingit.

pag. 170. b

15. *A corde voces diversarum significationum deductæ.* Pagninus ex Hebr. *Homo vero vacuus efficitur cordatus.* Tigurina contrarium adhibet sensum: *Attamen vir inanis desipit.* Hebræus apud Caietanum: *Vir vacuus eleuabitur corde:* id est, vt exponit Caietanus, cordabitur, id est, desinet esse excors: eodem modo explicat Vatablus. Quod autem quidam ex Hebræis, seu hebraizantibus, legant *cordatum*, & *prudentem*; alii *væcordem*, *excordem*, aut *stultum*, in causa fuit verbum לבב *labob*, de quo paulo ante; quod verbum actionem significat cordis, aut opus circa cor, obscurum tamen, & non ambiguum: cum enim cor dicatur, & vere sit prudens, sapiens, fatuum, tardum, pingue: sic etiam facit, vt homines prudentes sint & acuti, væcordes & fatui: & stulte deinde, aut sapienter, & acute loquantur. Multi ergo verbum ילבב quod a לב *lob*, id est, a corde deducitur, in peiorem; alii in meliorem significationem accipiunt. *Superbus sine corde.* Duo Latini a corde verba deducunt omnino contraria, alterum est *incordio*, quo vsus est in Cistellaria Plautus: alterum *excordio*, Græce quo vsi sunt LXX. *Cant. IV, 9.* vbi enim Vulgatus, ἐκκαρδιῶ, *vulnerasti cor meum*, illi transtulerunt ἐκαρδίωσας, id est, *excordiasti me*, aut abstulisti mihi cor. Quidam igitur *excordiare*, id est, dementem reddere aut væcordem; alii *incordiare*, id est, cor indere, quod aberat, aut sanare, quod male sanum erat, interpretantur. Vtriusque autem interpretationis satis ad mores est, neque parum ad literam accommodata sententia. Si in peiorem accipias partem, id est, insipientem esse dicas, satis hoc conuenit in superbi ac vani mores & ingenium, a quo longe abest mens & sapientia. Et talis a Sophar existimatur esse Iobus, quasi præ mentis stupore de Deo male loquatur & sentiat: si vero cordatum hominem interpretere, id videtur agere Sophar, vt Iobum, quem insipientem putabat, prudentem redderet. Quod tunc assecuturum esse Iobum arbitrabatur, cum arrogantes abiiceret spiritus, seque Deo summitteret supplicem, & de illo multo excellentius quam antea sentiret.

pag. 171. a

16. Sed vt vidimus, multo aliter legit Vulgatus, & sensus, quem iuxta ipsius translationem adduximus, multo facilior. Explicuit autem optime vim Hebraici verbi לבב *labob*, quod, sicut nuper dicebamus, a corde deriuatur, & significat aliquid magni, quod pertinet ad

ad cor, siue illud ad gloriam & excellentiam, siue ad ignominiam, languorem, seu desperationem spectet. Magnam in corde suo mutationem & affectum immoderatum accipit, qui magnifica de se cogitat, & quasi cor accipit, quod dum languet, aut desperat, despondisse & deposuisse videri poterat. Sic audiuit de se Amasias, cum ex comparata de Idumæis victoria magnos assumpsisset spiritus: *Dixisti, percussi Edom: & idcirco erigitur cor tuum in superbiam.* De filio item eius Ozia, cum ex noua rerum comparatione insolesceret, dictum est 2. *Paralip. XXVI*, 16. *Cum roboratus esset, eleuatum est cor eius in interitum suum, & neglexit Dominum.* Plura eiusmodi occurrent exempla, vbi in erecto seu eleuato corde superbi intelliguntur spiritus: qui cordis effectus cordis vanitatem luculenter prodit.

17. *Superbus & vanus asino sylvestri similis.* *Et tanquam pullum onagri se liberum natum putat.*] Ecce aliud hominis vani, & in quo nihil est solidi, documentum clarum, si legibus parere recusat, si iugum detrectat, & impositum excutit, si voluntatem, seu libidinem sibi pro legibus esse vult: non aliter, atque onager, id est, syluester asinus, qui cum in sylvis solitarius agat, mortalium nemini parere didicit. Onager Hispane *zebra* dicitur, sic enim habet aliis in locis Hispanica translatio. Sunt, qui gloriæ sibi esse ducunt, nullis subesse legibus, sed suæ sibi libidini pro suo arbitratu seruire: hos sane merito cum onagris compares, quorum stupor maximus est, & in omnem libidinem intemperantia præceps. Cui dum plene satis faciunt, nihil putant esse fortunatius, nihil honestius; cum reuera infelicius nihil sit, nihil sordidum, aut indecorum magis.

18. Hebræi paulo aliter legunt, *homo nascitur, vt pullus asini.* Quod si iuxta Hebræorum lectionem superioribus adiungas, sensus erit, quem adducit Vatablus, qui verbum לבב *labob*, *cordatum*, ac *sapientem* interpretatur, *Quamuis homo nascatur excors, & expers omnium scientiarum & omnis cognitionis, vt pullus onagri, tamen per Dei gratiam redditur intelligens.* Si tamen in לבב *fatuum* intelligas, & excordem, aut excordiatum, sensus erit, homo vanus atque superbus perinde fatuus atque stupidus est, atque si natus esset pullus onagri, id est, ex asinino genere, quo nihil stolidius esse creditur. Septuaginta, *Vir natus mulieris tanquam onager solitarius.* & quia superiora sic exposuerant, *Homo natat sermonibus*, id est modo huc & modo illuc lubrico gradu nutando conuertitur, rationem huius inconstantiæ reddit, quia non magis est cordatus & sapiens, quam si natus foret ex asinino genere.

Cum autem in onagro multa videamus, 19.
quæ naturalis historiæ scriptores tradiderunt, *Onagri proprietates.*
vt quod sit stupidus, quod asinino generi commune est, quod sit immanis, quod velox,
quod robustis instructus vngulis, quod solitarius, quod nimis in libidinem effusus, & præceps, pag. 171. b
Interpretes alii similitudinem duxerunt a stupore, Vulgatus vero ab aliis omnibus, dum illi libertatem attribuit, qua nullius hominis iugum, aut imperium subire vult, & impotenter rapitur eo, quocunque illum rapit libido, aut furor. De illo sane Ieremias *cap. II*, 24. dum reprehendit Hierosolymam, quæ leges non curat, sed suis cupiditatibus intemperanter obsequitur, quasi nata esset omnino libera, ait: *Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui.*

Vers. 13. *Tu autem firmasti cor tuum, &* 20.
expandisti ad eum manus tuas.] Hic quoque locus varie conuertitur. Septuaginta: *Si tu mundum posueris cor tuum.* Pagninus: *Si prosperaueris cor tuum.* Tigurina: *Si cor tuum recte componas.* Vulgatus magis ad Hebraicam litteram accommodate reddidit. Versiones aliæ habent non difficilem sensum, a quo non admodum discrepat ille, quem offert non inuitum Vulgata translatio. Conuenerant inter se tres isti viri instructi prius a dæmone, vt Iobum, cuius putabant fucatam esse sanctitatem, eo nomine reprehenderent & eam esse causam persuaderent, propter quam diuinam manum tam experiretur infensam & duram. Deinde hortantur, vt alienam sanctitatis laruam deponeret; & veram & propriam speciem religionis assumeret, quod fecit prius Eliphaz *cap. IV.* & *V.* & Baldad *cap. IIX.* Et idem nunc eodem pene modo facit Sophar. Est igitur hic Hebræorum & hebraizantium sensus: Si cor tuum, o Iobe,

vere

vere ad Deum, & non simulate conuerteris, & puras ad Deum supplex extenderis manus, omnia tibi succedent ex votis, &c.

21. Hæc Hebræi, & Hebræorum asseclæ. Vulgatam autem translationem alii aliter explicant. Quidam, neque illi vulgares, aut pauci, in peiorem partem accipiunt, quasi Iobus contra Deum cor obfirmauerit, ita vt illum in corde tacite contemnat, aut certe non curet, & externis tantum colat ceremoniis & victimis. ita Gregorius, S. Thomas, Hieronymus, Beda, vtraque Glossa, Lyra, & plerique alii. Quare aliud indicat manus ad Deum extensa, aliud intus mens agit, quæ nihil minus, quam de Deo cogitat. Neque sane mirandum, si ii, quos eo adduxerat dæmon, & falsis suspicionibus imbuerat, talia sibi de Iobo persuaderent, eaque adeo libere & audacter objicerent.

22. Est qui putet, obiici in hac accusatione Iobo, non quod secum contra Deum obfirmaret animum, & contra illius legem obdurauerit, sed quod suæ pertinaciter adhæserit sententiæ; contra quam tres amici viri sapientes sentiebant, quasi illi in sua cogitatione non errauerint; neque Iobus bene de rebus suis sperare debuerit; si ab illorum monitis recederet: & nihilominus cum in illo esset errore, tamen suas ad Deum preces effuderit, & manus extenderit, vt ab illa se eximeret molestia, qua tunc a Domino premebatur hostiliter, quod non videbatur consecuturus, nisi
pag. 172. a mutaret mentem, & alieno potius duceretur consilio, quam abduceretur suo. Sed eo libentius in eam explicationem, quam video placuisse pluribus, hisque magnæ apud omnes autoritatis, qui suam sententiam verbis expressere non dubiis. Pro omnibus accipe Hieronymum, a quo alii non longe abeunt: *Formasti*, inquit, *cor tuum, non vt satisfaceres Deo per pœnitentiam, vt auferret plagam hanc pessimam in tuis carnibus sæuientem. Expandisti ad Deum manus tuas, id est, falsa operum merita ore vaniloquo dilatasti: quia multis locis nomine manuum opera designantur.* Eadem prope Beda, & addit: *Expandisti ad Deum manus tuas, vt insultantis animo & furentis, in expansione manuum tuarum ad Deum, cordis tui blasphemiam demonstrares.*

Vers. 14. *Si iniquitatem, quæ est in manu tua, abstuleris a te, &c.*] Hæc eadem Iobus a duobus aliis amicis audierat. Vnde apparet, illos vicissim hæc prius inter se contulisse, & vt hæc exprobrarent, & ad diuersam vitæ rationem hortarentur, venisse composito. Monet igitur Sophar iste Iobum, vt iniquitatem a se procul abiiciat, cui honestatis prætexuerat speciem: neque patiatur eodem secum tabernaculo commorari iniustitiam, cuius tunc existimabat pœnas exigi ab vltore Deo. Quod cum vere & ex animo præstiterit, mutatum iri ærumnosam vitæ conditionem promittit. 23.

Vers. 15. *Tunc leuare poteris faciem tuam absque macula.*] *Leuare faciem* ad aliquem, ex vsu Scripturæ est, intueri aliquem, aut alicuius subire conspectum, & cum illo loqui familiarius, quod sine pudore facere illi solent, qui nihil in vultu fœdum & turpe, nihil habent distortum & indecorum. Quod autem coram homine macula facit in ore, id facit coram Deo in animo peccati labes, quantumcumque abscondita & virtutis specie artificiose fucata, neque homines, qui virtutem colunt, facile ad suum conspectum & colloquium admittunt eos, quos morum contaminat improbitas. Si talis esset Iobus qualem esse arbitrabatur Sophar, non posset, si saperet, leuare faciem ante Deum, a quo scire debuit exploratum esse sui animi statum. Vt autem, qui nullius sibi conscius est culpæ, faciem leuat, neque cuiusquam veretur siue curiosos, siue censores oculos; sic quem facti, aut pœnitet, aut pudet, oculos deiicit. Vnde qui verecundatur, vulgari sermone dicitur, *vultum demittere: deiicere oculos: in terram intueri*, & similia. Sic sane de fœmina in scelere deprehensa ac pudibunda dixit Ouidius *6. Metam.* 24.

Leuare faciem ad aliquem quid.

Deiicere oculos eius est, qui culpam agnoscit.

Sed non attollere contra
Sustinet hæc oculos.

Et de alia *in eodem articulo:*

Erubuit, gremioque pudor deiecit ocellos.

Et in sacris Abner *2. Reg. II, 22.* negabat se posse leuare faciem ad Ioab, si illius fratrem occidisset: *Noli me sequi, ne compellar confodere te in terram: & leuare non potero faciem meam ad Ioab fratrem tuum.* 25.

Et eris stabilis, & non timebis.] Qui in metu est, non solum animos in varias cogitationes & consilia versat; sed etiam eodem
pag. 172. b in loco stabili vestigio consistere non solet: quia & modos explorat varios, & varia quærit effugia, quo periculum declinet, quod imminere putat. Allusum videtur ad illud, de quo proxime *v.* 12. *Vir vanus in superbiam erigitur.* quod Septuaginta vertunt, *natat*, & secundum Augustinum *nutat*, qui vero natat aut nauigat, stabilis non est, quia nihil habet solidum ac firmum, in quo nitatur. Quod optime in suo Ænea, & eadem metaphora expresit Maro *lib.* 8.

Magno curarum fluctuat æstu,
Atque animum nunc huc celerem, nunc diuidit illuc:
In partesque rapit varias, perque omnia versat.

Et magis ad hanc cogitationem accommodate Valerius *lib* 5. *Argon.*

Præcipue Æsonidem varios incerta per æstus
Mens rapit vndantem curis, ac multa nouantem.

Hæc itaque instabilitas ex eo nascitur, quia extra Deum nihil est firmum, vnde etiam efficitur, vt extra illum nemo posit esse sine metu. Quare optime monet Sophar, illum, qui sine macula leuare faciem ad Dominum potuerit, neque futurum instabilem, neque metu turbandum.

26. *Obliuisci malæ, aut bonæ fortunæ, magnam indicat mutationem.*

Vers. 16. *Miseriæ quoque obliuisceris.*] Verbum *obliuiscor*, aut *non recordor*, & similia, epitasim habent, & significant magnam in vtraque fortuna rerum mutationem, cum enim ærumnis atque inopiæ, felicitas eximia, & ingens succedit rerum abundantia, obliuisci dicimur eius miseriæ, qua perfuncti sumus. Multis in Scriptura sacra abundamus exemplis. *Isai. LIV*, 4. *Noli timere, quia non confunderis.* &c. *Quia confusionis adolescentiæ obliuisceris, & opprobrii viduitatis tuæ non recordaberis amplius. Genes. XLI*, 51. cum eductus esset de carcere Ioseph, vbi vitam egerat infelicem & sordidam, & inde ad proximum regio gradum ascendisset, filium, quem in ea fortuna suscepit, vocauit *Manassem, dicens, obliuisci me fecit Deus omnium laborum meorum.* De mutatione felicis status & lauti ad infelicem & squalidum, est illud eiusdem cap. *v.* 30. Cum enim præcesisset septem annorum incredibilis abundantia; deinde ea dicitur obuenisse sterilitas frumenti, *vt obliuioni traderetur cuncta retro abundantia. Eccles. XI*, 29. *Malitia horæ obliuionem facit lætitiæ magnæ.* Quare his verbis magna Iobo promittitur felicitas, cum dicitur tot calamitatum, quas ante pertulerat, nulla deinceps futura memoria. Porro Hieronymus in hac obliuione bonorum successionem intelligit, ad locum *Isaiæ* ex *cap. LIV*, 4. *Obliuiscetur*, inquit, *pristina mala non obliuione memoriæ, sed bonorum successione.*

27. *Prouerb. aqua, quæ præterit, pro re, cuius omnino periit memoria.*

Quasi aquarum, quæ præterierunt, recordaberis.] Prouerbialem reor hunc loquendi modum, quo significatur alicuius siue boni, siue mali, quod iam præteriit, nihil esse reliquum, quod sui ipsius conseruet, aut excitet memoriam. Nam aliarum multarum rerum, quæ in nobis, aut in rebus nostris grassatæ sunt, vestigia quædam aut documenta remanent, quæ nobis sui ipsarum reuocant memoriam. pag. 173. a
Si domum, aut segetes populatus est ignis, cineres ex incendio relicti peruagatam esse flammam testantur. Si sanatum vulnus, superest ex eo cicatrix, illius fidelis & pene iuratus testis. At aqua, quæ in flumine est, quæque iam præteriit, dum alia illius loco succedit, nullam relinquit notam, nullum vestigium, quod illius conseruet memoriam. Neque vllus est, qui illius recordetur, cum alia succedat, quæ præcedentis subeat vices, faciatque, ne illa prior sit necessaria. In hanc sententiam pene omnes conspirant, neque ego alienus ab ea sum.

Sed alia mihi videbatur non improbabilis, 28.
quam priusquam explicare aggredior, obseruo, in australi plaga, id est, in deserto, quod egresi ex Ægypto obierunt Hebræi, tempestates non raro excitari grauissimas; vt docuimus *in nostris Commentariis super Abacuc* ad illud *cap. III*, 3. *Deus ab austro veniet*, & pluribus supra *cap. IX*, 9. ad illud: *Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas, & interiora austri.* In illa igitur regione omnino arenti subitæ interdum ingruunt grauesque tempestates, & imbres, qui tamen præcipites transeunt & breui torrentes, qui existimari poterant futuri perpetui,

petui, sic terram arentem relinquunt, vt nemo crederet illac vnquam transisse vim tantam aquarum. Sic mihi videbatur explicari posse illud *Psalm. CXXV, 4. Conuerte, Domine, captiuitatem nostram, sicut torrens in austro.* Licet non ignorem, aliis omnibus explicationem aliam placere, & fortasse verius.

Prouerbium Australis procella *pro eo, quod cito transit.*

Putabam enim, captiuitatem populi, in qua grauissima Hebræi apud Babylonios pertulerunt incommoda, cum vehementi aliqua tempestate conferri, quæ obuium quodque populatur & vastat. Sane Chaldæorum aduentum, qui vastata Hierosolyma, populum inde captiuum Babylonem abduxit, similem australi procellæ dixit *Isai. cap. XXI, 1. Sicut turbines ab Africo veniunt, de deserto venit, de terra horribili.* Vt ergo torrens & tempestas in australi plaga, a qua omnia videntur diripienda, transit tamen; neque in ea regione arenti vllum relinquit vestigium, & quasi memoriale, quo quis intelligat, torrentem illac,
29. aut tempestatem peruasisse. Orant ergo extorres illi, dure tunc apud Babylonios iactati, vt captiuitatem suam australi torrenti similem faciat, qui minatur acerba, dum præceps labitur, breui tamen deficit: & regionem, quam late prius inundauerat, perinde relinquit, ac si illam attigisset nunquam. Et plane ita accidit, nam cum torrens atque tempestas captiuitatis excessit, redierunt exules in patriam, exultantes onusti manipulis, quos ex longa lacrymarum & laborum semente retulerant, vt eo Psalmo satis ostendit Regius vates. Quod etiam prædixerant Isaias & Baruc, ille *cap. LXVI, 20. Adducent fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis.* Baruc autem *cap. V, 6. Exierunt* (captiui) *pedibus ducti ab inimicis; adducet autem illos Dominus ad te portatos in honorem, sicut filios regni.* Id autem ita contigisse, sicuti prædictum ante fuerat, habemus ab Esdra *lib. 1. cap. II, v. 66. In ipsis* (nempe Iudæis, cum reuocarentur in patriam) *cantores, & cantatrices ducenti, equi eorum sexcenti triginta sex: Muli eorum ducenti quadraginta*
pag.173. b *quinque, cameli eorum quadringenti triginta quinque.* Clarius idem *libr. 3. cap. V, v. 2. Darius Rex misit vna cum eis equites mille, donec deducerent eos in Ierusalem cum pace, & cum musicis, & cum tympanis, & tibiis: & omnes fratres erant ludentes.* Vide Iosephum *libro Antiquitat. 11. cap. 4.* vbi ea de re pluribus!

Sic ergo cum multiplex morbus, quo ex- 30.
haustus fuit Iobus & pene consumptus, bonorum spoliatio, non alienorum solum, sed amicorum etiam & domesticorum amara conuitia, torrens quidam videretur rapidus, promittit Sophar, si meliora Iobus meditetur, futurum, vt torrens ille breui transeat, & omnia relinquat ita pacata & placida, vt & ipse doloris obliuiscatur antiqui: neque quispiam superioris vexationis vllum signum inueniat, quod superioris molestiæ reuocet memoriam. Et quidem non aliter accidit. Nam qui transacta tempestate Iobum intueretur, qualis in extremo capite describitur, cumulatum bonis, filiis auctum, & lauta copiosaque familia, nihil putaret passum aduersi, sed ad superiorem fortunam nunquam non incolumem, incrementum potius nouum accepisse. Quare dicere potuit, quod ante Iosephus euocatus e carcere ad nomen, & ordinem regio proximum *Genes. XLI, 51. Obliuisci me fecit Deus omnium laborum meorum.*

Vers. 17. *Et quasi meridianus fulgor consur-* 31.
get tibi ad vesperam.] In vespera videbatur esse Iobus, quæ proxima est nocti, id est, morti vicinus, cuius in se causas experiebatur vehementissimas, & nuncios certos raro certe fallaces, quod ipse non semel coniectarat, & dixerat, vt *cap. VII, 6. Dies mei velocius transierunt, quam a texente tela succiditur, & consumpti sunt absque vlla spe.* & *cap. X, 20. Nunquid non paucitas dierum meorum finietur breui?* In hac vespera, quæ pene cum nocturna caligine confunditur, promittitur meridianus splendor, qui & clarissimus est, & a nocte quam longissime distat. Hæc satis aperta.

Prouerbium oritur lux in vespere *pro felicitate insperata.*

Hæc porro dicendi forma prouerbialis videtur, sicut & alia huic persimilis, licet in significatione omnino contraria: cum enim ex flatu fortunato, in quo nulla videbatur timeri posse mutatio, aliquis repente cadit, occidisse illi dicitur sol in meridie, vt *Ierem. XV, 9. Occidit ei sol, cum adhuc esset dies,* clarius

Prouerb. occidit sol in meridie *pro subito infortunio.*

Amos IIX, 9. Occidet sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis; & conuertam festiuitates vestras in luctum. Vt sol occidere dicitur, cum aliquis ex prospero deiicitur statu; sic contra sol oriri dicitur in vespere, aut nocte, cum ex statu ærumnoso ac sordido aliquis ad splendidam conditionem emergit. Notum est enim, sicut lux & dies pro lætitia atque statu fortunato sumitur; sic etiam tenebras & noctem pro infelici ac sordida conditione sumi. vide quid nos *in nostris Commentariis* diximus ad duo loca relata proxime ex Ieremia & Amos.

32. *Et cum te consumptum putaueris, orieris vt lucifer.*] Eadem iteratur sententia, in qua satis explicatur, quomodo in priori hemistichio vespera sumatur pro articulo iam morti vicino, in quo actum esse putat de vita.

pag.174. a Vers. 18. *Et habebis fiduciam proposita tibi*
33. *spe: & defossus securus dormies.*] Spes illa sola firmitatem habet, quæ Deum respicit, & Deo nititur. Nam qui in humano brachio, aut humano die, id est, humanis commodis atque subsidiis firmamentum posuit, ille quid sperare possit, nihil habet solidi. Dixit hoc idem Ieremias *cap. XVII, 5. Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum: & a Domino recedit cor eius*, &c. Benedictus vir, qui confidit in Deo, *& erit Dominus fiducia eius.* Quo loco respexisse videtur Propheta ad hæc verba, in quorum nunc commentatione versamur, vt indicare videntur, quæ sequuntur.

Spes sola firma, quæ in Deo ponitur.

34. *Et defossus securus dormies.*] Quidam *defessum* legunt, sed male. Quid defessus hic significet, obscurum est. Quidam hic pacificam & honestam sepulturam intelligunt, in qua magnam antiqui felicitatem statuebant. Qua priuabantur illi, qui cum vrna carerent, cœlo tegebantur. Qui dormiebant, id est, iacebant exanimes, non securi, quia lacerari poterant a canibus, ferisque carniuoris, aut certe in aperta terra inhoneste tabescere, aut tandem, quod aliis accidit non raro, exhumari ab inimicis poterant, & haberi ludibrio, quod plane docuit Ieremias *cap. IIX, 1.* vbi dicit, extrahenda esse de sepulcris suis ossa Regum Iuda, & aliorum Principum, & Sacerdotum ac Prophetarum, & exponenda ad solem, & tandem in sterquilinio ac terræ superficie dispersum ac putrefactum iri. Et tandem ita tempore a Ieremia designato contigisse tradit Baruch *c. II, 25. Proiecta sunt in calore solis, & in gelu noctis.* Hoc idem contigisse Nabuchodonosori putant nonnulli, qua fide, ipsi viderint, vide quid nos *in nostris Commentariis in Ieremiam cap. vltim. num. 10.* Sane hoc valde fuit apud Gentiles vsitatum; neque infrequens, opinor, apud Idumæos, quorum erat barbarum & irreligiosum ingenium. Illud certum, nonnullos testamento cauisse, vt suum cadauer cremaretur potius, quam inferretur sepulturæ, ne hostium, quorum timebant offensionem, ludibrio paterent: Qua de re Plinius *lib. 7. cap. 54. Ipsum*, inquit, *cremari apud Romanos non fuit veteris instituti, terra condebantur. At postquam longinquis bellis obrutos erui cognouere, tunc institutum est. In familia Cornelia nemo ante Syllam Dictatorem traditur crematus, idque voluisse veritum talionem eruto C. Marii cadauere.* Quod etiam *lib. 2. de legibus* tradidit Cicero. Quod timuerunt postea Romani, ne sui ab hostibus maiores paterentur: de quibus *in Epodo* Horatius *ode 16.*

Sepultura magnus honor, illa negata dedecus.

Cadauera ab hostibus exhumari solita.

Barbarus heu cineres insistet victor, & vrbem
Eques sonante verberabit vngula.
Quæque carent ventis, vt solibus ossa Quirini,
Nefas videre, dissipabit insolens.

Ab hoc ergo metu liberat Iobum Sophar, si Deum ex animo colat, & ab illo vno spes tota dependeat. Hanc sententiam aut tenent, aut indicant nonnulli: tenet aperte S. Thomas, Dionysius paulo obscurius.

Alii securitatem illam promitti putant non 35.
ab hostili iniuria, quæ ossa condita effodiat & dissipet; sed a procaci maledicorum lingua, quæ a mortuorum reprehensione non temperet, maxime Tyrannorum, quos dum viue- pag.174.b
rent, vel obscuro murmure violare non audet: in mortuos vero æque summi atque infimi libero conuitio bacchantur. Ita Lyra. Alii hic resurrectionem carnis intelligunt, de qua securus erit Iobus, quam dum sperat, & beatam vitam, felicem se post mortem arbitrabatur. ita Hieronymus, & Beda, & Titelmannus.

Hæc mihi difficilia non sunt, quibus belle 36.
assonat, quod proxime succedit: *Et non erit, qui*

qui exterreat, id est, a quo timeas, ne effossis ossibus per ludibrium insultet, ne quis nomen maledicus laceret, ne metus de futura ad meliorem vitam resurrectione conturbet. Sed ego hic arcanum aliquid magis videre videor, neque alienum a prouerbiali & hyperbolica forma, qua cum aliquid magnopere amplificamus, vltra debitos & a natura definitos terminos producimus. Vnde aliquid vltra æternitatem futurum esse dicimus, cum tamen vltra æternum nihil esse possit. Sic *Exod. XV, 18. Dominus regnabit in æternum, & vltra.* Quod Hispanus in contractibus, quos perpetuos esse vult, familiari & quasi legitima formula adhibere solet, dum dicit, *para siempre iamas*, quasi dicas *y aun mas que siempre.* Sic cum significant vitia, quæ inoleuerunt iuuentuti ad finem vsque vitæ duratura, in sepultura dicimus simul cum peccatore perpetuo mansura, cum tamen illa in corpore iam exanimato & in cineres soluto non durent. Sic infra *cap. XX, 11.* dixit idem Sophar de impio: *Ossa eius implebuntur vitiis adolescentiæ suæ, & cum ipso in puluere dormient.* Qui locus hanc sententiam satis reddit probabilem, cum vtriusque idem sit autor: & in vtroque perpetuitas significetur, aut diuturnitas. Ex quo etiam fit probabile, hunc dicendi modum Idumæis esse familiarem; certe huic Sophar non inusitatum. Cum ergo dicitur Iobus defossus, id est, sepultus, fore securus; significatur diu, id est, quamdiu vita durauerit, futurus sine metu.

Cum aliquid amplificamus, illud vltra definitos a natura terminos extendimus.

37. Addo explicationem aliam, vt habeat lector plura, quæ probet, aut reiiciat. Qui nimis censentur felices, etiam post mortem futuri dicuntur fortunati: quia illorum apud posteros erit non ingrata memoria: qualis *Ecclesi. XLIX. sq.* dicitur fuisse Iosiæ, imo ossa ipsa, quasi vigerent, aut viuerent, in ipso clausa tumulo florere & germinare dicuntur. Sic *Eccles. XLVI, 14.* de iudicibus Israel: *Sit memoria eorum in benedictione, & ossa eorum pullulent.* & *Isai. LXVI, 14. Ossa vestra quasi herba germinabunt.* Hoc vero Hebræi dicunt accidisse Prophetæ, qui occisus fuit a leone *3. Reg. XIII, 24.* Nam qua parte sepulcri, quod habuit cum alio Propheta fallaci commune, sepultus est, flores eruperunt speciosi & suauiter olentes. Tam igitur aberunt, vt, quo sensu diximus, tumulata corpora & defossa putrescant, vt potius quasi artificis manu infossæ generosæ plantæ altioribus nixæ radicibus, magis ac magis adolescant quotidie, & grandioribus onerata fructibus incuruentur. Quod cecinit Ierem. *cap. XVII, 8.* de illis, qui sperant in Domino, vbi videtur hunc, quem versamus locum, in suam Prophetiam transtulisse: *Benedictus*, inquit, *vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius, & erit quasi lignum, quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, & non timebit,* pag. 175. a
cum venerit æstus, & erit folium eius viride, & in tempore siccitatis non erit sollicitum. Quod de fortunatis eodem pene modo cecinere Gentiles. Sic sane Persius *satyra 1.*

Iusti etiam post mortem fortunati.

Nunc non cinis ille Poëtæ
Felix? nam leuior cippus nunc imprimit ossa?
Laudant conuiuæ. Nunc non e manibus illis,
Nunc non e tumulo, fortunataque fauilla
Nascentur violæ?

Vers. 19. *Requiesces, & non erit, qui te exterreat.*] Hic locus iam a nobis explicatus est nuper; consequenter enim post mortem, id quod illis, quibus bene cupimus, optare solemus. Quibus pacem precamur & requiem, id est, quicquid in eo statu prudentibus esse solet in votis, scilicet, ne quis ossa moueat de loco suo, ne quis tumulo insultet, vt locus, in quo situm est corpus, religiosus sit, & in honore ac pretio; eodemque modo in sepulcro iaceat, vt dormire potius ac quiescere videatur, quasi mox ad opera consueta rediturus, quam in eo aut in saniem diffluere, aut a vermibus carpi. Denique ita mortali vita defunctus sit, vt in posteriorum memoria gloriose atque iucunde viuat. 38.

Deprecabuntur faciem tuam plurimi.] *Deprecari faciem*, idem est, quod deprecari aliquem, facies enim hominis hominem circumscribit. Hebræorum etenim idiomate, idem est *facies Dei, facies Iobi, quod Deus, & Iobus.* Est autem deprecari aliquem, vel alicuius faciem, aliquem venerari, & in eo superiorem aliquam potestatem agnoscere, & supplicem ad illius genua procumbere, aut veniæ, aut opis obtinendæ gratia. Sic *Psalm. XLIV, 13. Vultum tuum deprecabuntur omnes* 39.

Faciem alicuius deprecari quid.

 diui-

diuites plebis. *Isai. XI, 10. Ipsum gentes deprecabuntur.* Ait igitur Sophar, mutandam esse Iobi fortunam, & eo tandem attollendam dignitatis, vt qui illi prius insultabant, aut petulanter, aut hostiliter, eundem obseruent, & supplices veniam & pacem precentur. Quod sane ita contigit, vt prudenter potius coniectabat, quam prophetice prædicebat Sophar, vt satis constat ex postremo capite.

40. Vers. 20. *Oculi autem impiorum deficient.*] Contrariam ostendit futuram esse fortunam eorum, qui contra fecerint, siue illi fuerint, qui suadente & instigante diabolo conuitiis & sannis exagitabant Iobum, siue alii omnes, qui aliud viuendi genus instituerent, id est, qui neque Deum vere & ex animo colant, neque ab illo sperent vitam & auxilium. Oculi autem tunc deficere dicuntur, quando
pag.175.b quod in suis consiliis spectabant, non assequuntur, aut cum id vident, quod illis molestiæ plurimum, & voluptatis nihil affert. Quo etiam sensu dolere dicuntur oculi. Deficiunt autem oculi, cum in aliis vident splendere id, quo ipsi carent, & impotenter ambiunt; maxime si illis bona contingat fortuna; quibus bene esse nullo modo velles. Vide quæ diximus *in nostris Commentariis* ad illud *cap. II. lib. 1. Regum*, quod a Propheta quodam accepit Heli *v. 33. Vt deficiant oculi tui; & tabescat anima tua.*

41. *Et effugium peribit ab eis.*] Id est, quando a Deo recesserunt, quod vnum est certum & fidele perfugium, nihil habebunt tutum, quo in rerum aduersitate confugiant. Perire autem ab aliquo aliquid quodcumque fuerit (nam hic dicendi modus late patet) nihil est aliud, quam hominem id, quod optabat, non obtinere, aut ab eo excedere, quod iam obtinere videbatur, quodque iam spe certissima deuorarat. *Amos II, 14. Peribit fuga a veloci*, id est, velox non effugiet. *Psalm. CXLI, 5. Periit fuga a me. Ies. XXIX, 14. Peribit sapientia a sapientibus*, id est, non inuenient sapientiam. *Ezech. VII, 26. Lex peribit de sacerdote:* & alia plura eiusmodi in eundem vsum.

Perire aliquid ab aliquo quid.

Et spes illorum abominatio animæ.] Non sperabant illi, qui a Domino recesserunt, abominationem, aut afflictionem animæ, id est, id, quod illorum anima execratur & horret, sed quod oblectat & exhilarat. Sed sperari dicitur abominatio animæ, quia id aduenit pro sperata aut procurata requie: quod minus erat ex voto, imo quod erat odiosum magis. Est tamen in omni, vt reor, idiomate, certe in Hebraico frequentissimum, vt aliquis id dicatur curare ac velle, quod opera natura sua spectare videntur, tametsi alio spectent operantis consilia. Sic dicitur exitium aut mortem quærere, qui mare ingreditur, cum tempestas imminet; aut qui inermis aut infirmus cum armato & potentiori congreditur; & spoliari, qui viam ingreditur, quam latrones obsident. Sic etiam sperare dicitur, aut velle abominationem & dolorem, etiam si hæc maxime horreat, qui illa meditatur & facit, quæ plerumque dolor & abominatio consequitur. Porro *spes* pro re sperata ponitur; sicut *timor* pro re timenda, *petitio* pro re petita, *laus* pro laudabili, iuxta illam regulam, quæ docet, actionem pro actionis subiecto, termino seu effectu sumi. Qui ergo ita viuunt, vt a Deo illorum fiducia omnino non dependeat, id videntur optare, sperare & quærere, quod omnium maxime abominari debuissent. 42.

REGVLA. *Id curare, aut velle dicimur, quod opera, quæ facimus, natura sua postulant.*

ARGVMENTVM CAP. XII.

EGerant cum Iobo tres amici parum officiose & vrbane, & nimis insolenter, quasi ipsi altissimam tenerent abditarum rerum cognitionem, quam Iobus assecutus non esset. Quos ipse subamare licet modeste reprehendit, docetque, quam ipsi tenere se putant scientiam, nemini esse ignotam, qui mediocri sit ingenio, & paulo attentius rerum naturas & obuias proprietates considerare voluerit. Cum nulla sit creatura, quantumcumque

cumque rationis, sensus, imo & vitæ expers, a qua homo illa doceri non possit, quæ tam illi de se superbe prædicant. Et hanc esse causam dicit, propter quam maior est in senibus sapientia, quia longiori rerum vsu plura fecerunt rerum experimenta. Quanta vero sit in Deo potentia, ab effectibus probat, quia momento temporis potest, & magna moliri, & eadem dissoluere, excelsa deiicere, & quæ vilia putabantur & abiecta, in excelsum locum & ordinem attollere. Quibus rebus ostendit fieri posse, vt tres amici, qui sibi videbantur fortunati, ex sua felicitate cadant, & ipse, qui tunc iacebat spoliatus & nudus, ad ampliorem dignitatis gradum assurgeret.

CAPVT XII.

pag. 176. 1. Respondens autem Iob, dixit:

2. Ergo vos estis soli homines, & vobiscum morietur sapientia?

3. Et mihi est cor, sicut & vobis, nec inferior vestri sum: quis enim hæc, quæ nostis, ignorat?

4. Qui deridetur ab amico suo sicut ego, inuocabit Deum & exaudiet eum: deridetur enim iusti simplicitas.

5. Lampas contempta apud cogitationes diuitum, parata ad tempus statutum.

6. Abundant tabernacula prædonum, & audacter prouocant Deum, cum ipse dederit omnia in manus eorum.

PARAPHRASIS.

1. 2. Ad hæc Iobus stomachosius, quasi ferre non posset amicorum insolentiam, quasi sibiipsis præter cæteros sapientiam arrogarent: Ergo vos soli homines & sapientes? ergo sic se in vobis sapientia conclusit, vt si vobis vita, sapientia pariter humano generi deficiat? egregie sane foret humanis rationibus consultum, si tam angustis se finibus sapientia coarctasset. pag. 176.

3. Excordem me putatis, & sapientiæ totius expertem, quasi vobis sapientiam omnem & cordis maturitatem arrogetis: sed est mihi cor non ineruditum, sicut vobis, quibus mens contigit nihilo quam mihi prudentior. Neque ea, quæ de vestra sapientia inflatius prædicatis, & in hac disceptatione producitis, eiusmodi sunt, vt quiuis de populo non intelligat.

4. Durum est, ab aliis derideri & grauibus exagitari conuitiis: quodsi id ab amicis homini contingat, a quibus solatium doloris & inopiæ subsidium sperabat, multo durius. Quare inuocabit vltorem Deum, neque surdis orationem illam auribus accipiet; quia iniuste patitur simplicis innocentia, cuius ipse tutelam & patrocinium sumpsit.

5. Despicitur quidem iustus ab his, qui in hoc mundo diuitiis & auctoritate præstant, quasi lampas foret iam extincta, quæ nihil videtur habere aliud, nisi fumum, & ex eo parum gratum odorem: aderit tamen tempus, cum accendatur rursus; & splendidissima appareat his, qui prius illam quasi obscurum aliquid & vile contemnebant.

6. Et primum non video, cur a vobis, qui innumeris affligor incommodis, contemni, & tantopere irrideri debeam; quasi hæc mala non nisi homini peccatori contingant. Cum contra se res habeat, & quotidiana doceat experientia;

cum

cum enim prædones diuinum furorem in seipsos peccandi assiduitate prouocent, Deus tamen illis liberali manu multa largitur, quibus ipsorum splendent tabernacula, & lauta supellectili, & magna ad necessarios & honestos vsus rerum abundantia.

7. Nimirum interroga iumenta, & docebunt te: & volatilia cœli, & indicabunt tibi.

8. Loquere terræ, & respondebit tibi: & narrabunt pisces maris.

7. 8. Magnam vos & solos existimatis scientiam assecutos, eamque quasi vobis tantum notam alios docere vultis: cum tamen hæc ab animantibus, quibus nullus inest rationis vsus, ediscere possimus, qualia sunt iumenta, quorum notus stupor, quæ gradiuntur in terra, & volucres cœli: imo & terra ipsa, quæ non rationis solum expers est, sed sensus & vitæ. Ipsi etiam muti pisces prædicant, qui in maris profunditate sua sibi domicilia locarunt.

9. Quis ignorat, quod omnia hæc manus Domini fecerit?

10. In cuius manu anima omnis viventis, & spiritus vniuersæ carnis hominis.

9. 10. Quis tam est stupidus atque amens, qui ignoret, aut dubitet, hæc omnia a Domino fuisse formata, & ipsius benigna prouidentia conseruari? Qui qua facilitate fecit omnia eadem posset vniuersa dissoluere, cum in ipsius manu posita sint, a qua vt vitam habent, sic etiam interitum timere debent.

11. Nonne auris verba diiudicat, & fauces comedentis, saporem?

12. In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia.

11. 12. Ipsi nos sensus ad Dei cognitionem per obscura licet vestigia deducunt, quod sane faciunt, dum ea percipiunt, quæ ipsis Deus, quasi propriam materiam & naturale pabulum, obiecit. Quomodo aures, quæ sonum capiunt, verba diiudicant: palatus saporem, quem in cibis inuenit; & idem de reliquis sensibus est, in suo cuique ordine iudicium. Ex quo fit, vt in senibus maior sit sapientia, quia longo ætatis tempore, adhibito etiam sensuum experimento maiori, plura de rebus cognoscere, & magis earum naturas callere potuerunt.

13. Apud ipsum est sapientia & fortitudo, ipse habet consilium & intelligentiam.

14. Si destruxerit, nemo est, qui ædificet: si incluserit hominem, nullus est, qui aperiat.

13. 14. Antiqui illi senes longa rerum animaduersione cognouerunt, sapientissimum esse atque fortissimum Deum: sapientissimum quidem, vt sciret; fortissimum, vt posset, quæ complexus esset mente prius, vniuersa perficere: contra quem nihil omnino valet humana potentia. Quod enim ipse construxerit, demolietur nullus: si quem vinculis alligauerit, id est, malis addixerit, nemo illum exoluet, neque valetudini libertatique restituet.

15. Si continuerit aquas, omnia siccabuntur: & si emiserit eas, subuertent terram.

15. Quid aqua mollius, quid infirmius? sed illa sublata terram relinquit Deus arentem, & sterilem, & imbre affluentius & immoderatius emisso, eandem obruit & euertit.

16. 17. Fortis

16. Apud ipsum est fortitudo & sapientia: ipse nouit & decipientem, & eum, qui decipitur.

17. Adducit consiliarios in stultum finem, & iudices in stuporem.

16. 17. Fortis est & sapiens, qui nouit, quis patitur, & qui infert iniuriam; qui fraudem intendit, & qui a callido & fraudulento decipitur. Ac tandem efficiet, qua est potentia, vt qui fortes existimantur, & sapientes, quales sunt consiliarii & iudices, vtique a successu cadant, ad quem suas cogitationes & machinas intenderant; ita vt illi stulta meditati, hi cum aliorum stupore aliquid supra vires aggressi videantur.

pag. 178. 18. Balteum Regum dissoluit, & præcingit fune renes eorum.

19. Ducit sacerdotes inglorios, & optimates supplantat:

20. Commutans labium veracium, & doctrinam senum auferens:

18. 19. 20. Potentiæ illius illud præclarum & vsitatum argumentum est, quod detracto balteo exauctoratos principes relinquat, & quasi de populari turba, & illo illustri Regum ornamento sublato cingulum supponit ex sparto materiave palustri contextum; sacerdotes, quorum magna est apud omnes gloria, aut qui licet sacerdotia non obeant, alias tamen ob causas sacerdotali salutantur nomine, ab illa cadent gloria, quam videbantur habituri perpetuam. Optimates denique, cum magis sibi de sua fortuna blandiuntur, e sublimi loco subito deturbat; eos denique sapientes amentes reddet fatuosque, quorum erant antea vera sanaque consilia, qui commutatis labiis ante veridicis falsa plurima, aut a sano sensu vacua inutiliter fundent. pag. 178.

21. Effundit despectionem super principes, eos, qui oppressi fuerant, releuans.

21. Sic rerum vices mutat, fortunamque conuertit, vt Principes, quibus alii prius fuere ludibrio, viles ipsi fiant, & ab aliis magnopere despecti: alii vero, qui fuerunt aliorum tyrannide vehementer oppressi, ab hac iniuria releuati superiori sint ac meliori loco.

22. Qui reuelat profunda de tenebris, & producit in lucem vmbram mortis.

22. Qui sicut illa, quæ latebant in tenebris terræque visceribus, euocat in lucem ad hominum siue necessarios, siue voluptuarios vsus, sic ex ærumnosa fortuna, quæ tenebricosi loci instar est, & mortis vmbra, euocat e misero, & statuit in excelso ac splendenti loco.

23. Qui multiplicat gentes, & perdit eas, & subuersas in integrum restituit.

23. Qui cum ad miraculum vsque gentes multiplicet, illas repente sic extinguit & delet, vt nullum humani generis videatur relictum esse vestigium. Deinde sic extinctum illud genus instaurat & reuocat, vt nullam videatur accepisse plagam.

24. Qui immutat cor principum populi terræ, & decipit eos, vt frustra incedant per inuium.

24. Qui excæcari permittit, & a seipsis deficere Principes terræ, qui a recto deuiant, & sine vlla vtilitate per inuia & salebrosa loca cæcis errant vestigiis.

25. Palpabunt quasi in tenebris, &

25. Hi porro, quorum mutatum est cor, aut

non in luce, & errare eos faciet quasi ebrios.

mens erepta atque turbata vehementer, quasi cæci palpabunt in tenebris; quibus pro oculis manus sunt, quæ viam explorant: aut sicut ebrii, quibus vini immoderatus vsus sic turbat mentem & euertit, vt nihil sani aut videant, aut faciant.

Vers. 1. *Ergo vos estis soli homines, & vobiscum morietur sapientia?*]

pag. 179. a
1. AVdierat Iobus tres amicos superbe contra se & libere loquentes, quasi ipse superbus esset, & tyrannus, & diuinæ legis, & consiliorum ignarus, aut contemptor; cum tamen nihil dicerent, quod ignoraret, qui mediocriter esset in diuinis aut naturalibus instructus. Illos igitur nimium de sua prudentia confidentes, suoque indulgentes ingenio, plus quam bellos & modestos deceret, modeste reprehendit, asperso tamen modico siue sale, siue felle sub ironica forma, & de Deo ipse multo quam amici sublimius disputationem instituit.

2. Quidam hic interrogationem esse negant, & putant, aperte tres hosce viros stultitiæ coargui; quasi quod ad ingenium & prudentiam attinet, nihilo essent meliores, quam qui de vulgo sunt & media plebe. Ita omnes pene Hebræi, & ex hebraizantibus nonnulli. Quibus non parum suffragatur Hebraicus textus, qui sic communiter a recentioribus conuertitur: *Vere quod vos populus, & vobiscum morietur sapientia.* quasi dicat: non plus sapitis, quam quilibet e populo, & si qua in vobis fuit sapientia, apparet nunc ex dictis, in vobis defecisse, & esse iam mortuam. Caietanus hinc interrogationem expungit; sed aliter interpretatur; quasi illi ita loquantur, vt non cum cordatis ac sapientibus, sed cum vulgari atque imperita turba sermonem habeant.

3. Sed optime Vulgatus reddidit, neque alius videtur sensus ab Hebraico textu, si modo hic ironiam esse statuas, in hunc modum: Vere quod vos sentitis ac dicitis, populus sequitur & sentit, qui per os vestrum loquitur, ex quo arripiunt verba, quasi quoddam oraculum, cui nullum potest subesse mendacium, nullus error. Quare vobis sublatis, tolletur sapientia, non solum vestra, sed communis omnium, non aliter quam sublato sole peribit illa lux, quæ totum collustrat & irradiat mundum. Incepit ex abrupto ab illatiua particula *ergo*, cum tamen antecesserit nihil in oratione Iobi, ex quo inferri posset hæc amicorum insolens ignorantia. Habet autem hoc dicendi genus aliquam epitasim, quæ ostendit affectum aliquem animi efferuescentem: qualis est dolor, offensio, & reprehensio durior. Sic Ouidius *lib. 3. de tristibus eleg. 2.* dolorem suum, & offensionem in illos, a quibus in suis laboribus desertus fuit ac proditus, ostendit, incipiendo ab eadem particula:

Ergo erat in fatis Scythiam quoque visere nostris,
Quæque Licaonio terra sub axe iacet?
Nec vos Pierides, nec stirps Latonia vestro
Lecta sacerdoti turba tulistis opem.

Vers. 3. *Et mihi est cor sicut & vobis*, &c.] 4.
Excordem amici putabant esse Iobum, neque cum ipsis vllo modo comparandum; quod hæc verba non obscure indicant, & docuit Eliphaz aperte infra *cap. XV, 3. Arguis*, inquit, *verbis eum, qui non est æqualis tibi.* Hanc hominum nimis immoderatam insolentiam coërcet Iobus, & nihil esse docet, cur illi super reliquos efferri spiritu vano atque ventoso debeant, cum ipse illis nullo modo sit in- pag. 179. b
ferior, siue prudentiam spectes, siue alia, quæ homines, in quibus aliquid est mentis, admirantur & probant. Quæ autem illi effuderunt inflatius quasi diuinæ cuiusdam sapientiæ plena, & in quibus videntur sibi placuisse magnopere: non eiusmodi sunt, vt propterea spiritus sibi debeant ingentes assumere; cum illa etiam, si mediocri sit ingenio, nullus ignoret. Hæc porro ideo videtur dixisse Iobus, tum vt hominum comprimeret inflatos animos, tum vt se magis compararet ad institutam disputationem; ne in principio videretur magni-

magnificare aduersariorum potentiam, & dum de se alieno tempore demissius loquitur, cessisse hostibus, & illorum sapientiæ succubuisse videretur. Non audierat Iobus illud *Prouerb. XXVI, 5. Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.* Et tamen ab eodem spiritu, a quo illa dictata fuerunt, edoctus, iuxta illorum stultitiam respondet, & illa retorquet in illos, aut certe non admodum diuersa, quæ ab ipsis illiberaliter audierat.

5. Vers. 4. *Qui deridetur ab amico suo sicut ego, inuocabit Deum, & exaudiet eum.*] Sicut tres amici Iobum impietatis & tyrannicæ crudelitatis accusarant, sic vicissim Iobus amicos impiæ cuiusdam feritatis accusat, & diuinam præterea indignationem & vltionem ostendit. Est autem iniuria non leuis, ab aliis duris lacerari conuitiis; si autem id ab amicis contingat, grauis dolor, quia hi videntur non incerta iactare, cum actionum omnium & consiliorum conscii existimentur. Deinde, quia violatæ fidei & amicitiæ proditæ insperata mutatio ægre afficit animum laborantis, maxime cum ab illis irrogatur iniuria, & intorquetur contumelia, a quibus contra hæc omnia adfuturum putabatur fidele subsidium, tunc autem qui talia iniuste patitur ab amicis, diuinum implorabit auxilium. Neque Deus deerit, qui innocenti & pauperi, cum male iactantur, deesse non solet, cum illorum sit patronus & pater; neque conuitia & sannas abire

Cur iniuriæ ab amicis irrogatæ grauiores.

6. patietur impune. Non legerat Iobus, quæ de pauperum & miserorum afflictione Scriptura aut prodit, aut præcipit; quia illius ætas diuinarum Scripturarum monumenta præcessit. Sed norat, vt apparet, diuinum ingenium, & ab illo interius afflatus, aut rerum experientia edoctus; nouerat, quantæ Deo curæ atque studio fuerit pauperum & miserorum vexata conditio: quamque facile inclamatus audiat, & intentos inimicorum stimulos retundat, atque in aduersariorum exitium destinato conuertat. Id sane dixit postea Deus Moysi *Exod. XXII, 21. Aduenam non contristabis, neque affliges eum,* &c. *Viduæ & pupillo* (eadem est ratio de miseris aliis) *non nocebitis: Si læseritis eos, vociferabunt ad me; & ego audiam clamorem eorum.* Et Dauid *Psal. IX, 14. Tibi derelictus est pauper: orphano tu eris adiutor.* Quæ sententia in Scriptura sacra millies auditur: neque Iobi amici siluerunt, quorum vnus Eliphaz dixit *cap. V, 15.* de Deo: *Porro saluum faciet egenum a gladio oris eorum, & a manu violenti pauperem, & erit egeno spes.*

Deus pauperum, & miserorum patronus.

Vers. 5. *Lampas contempta apud cogitationes diuitum, parata ad tempus statutum.*] Hu- 7.
ius loci varia est translatio, & sententia multi- pag. 180.a
plex. Septuaginta sic legunt: *In tempus autem statutum paratus fuerat, vt caderet ab aliis.* In qua lectione, vt vides, non auditur *lampas.* Horum autem verborum hic videtur sensus: non temere atque fortuito contigisse illam fortunæ conuersionem, qua Iobus, id est, ille miser, cui amici tam insultabant inclementer, ex florenti cecidit fortuna, & ad extremam deiectus est. quæ tamen misera conditio non est vltra modum & tempus duratura, quod Deus illius calamitatis extremum esse voluit. Quasi dicat, ad Domini præceptum ingruit illa tam acerba calamitas, & tempore ab illo constituto desinet. Hæc iuxta Septuaginta lectionem. Hebræi, aut ex Hebræo, alii longe aliter. Pagninus: *Lampas contempta est cogitationi peccati, qui paratus est ad lapsus pedis.* Tigurina: *Lucernam contemptam iudicio hominis opulenti, qui idoneus est gressibus dirigendis.* Sensus huius ad mores opportunus. Contemnunt homines opulenti, & ideo superbi, iustos & simplices, qui minus quam ipsi opibus abundant, qui tamen illis lucerna splendens esse debuissent, qui gressus dirigerent errantes & deuios. Vatablus paulo aliter vertit; & hanc causam esse dicit, cur Deus viros innocentes & integros interdum affligat, vt alii discant, qualis ipsos exitus maneat, cum diuinam legem tam impudenter & libere conculcarint, cum innocentes tam acerbe fuerint vexati; si enim hæc lignum viride patitur, quid sibi timeat oportet, quod aridum est & magis aptum incendio.

Hebræus apud Caietanum: *Titio despectus* 8.
cogitationibus quieti directus nutantibus pede. Quæ verba odiosum aliquid & despicabile indicant, cum neque lucem habeat, quæ oblectet & dirigat, & fument inamœnum aliquid, quod oculos offendat. Puto autem apud Hebræos prouerbiali forma, qui inutiles,

Prouerb. Titio pro re molesta, & futili.

les & molesti sunt titionem vocari fumigantem, aut fumigans linum; de titione habes *Isai.VI*, 4. de lino *Isai. XLII*, 3. Hæc tamen contempta lampas, aut titio, qui in divitum superborumque conspectu nihil habere videtur aliud, quam molestum fumum, ad tantum adeo splendorem paratus est, vt intuentium perstringantur oculi, & præ admiratione ebriosorum instar nutent, & vacillent incerti pedes.

9. Sed proculdubio vulgata translatio multo melior, cuius sensus ad mores grauissimus est, qui tamen non vnus apud omnes. Gregorius sic ad hunc locum, vt optime Odo in compendium redegit: *Bene iusti simplicitas, & lampas esse dicitur. & contempta. Lampas, quia interius lucet; contempta, quia exterius non lucet. Intus ardet flamma charitatis, foris nulla gloria resplendet decoris. Lampas ergo contempta iustus est: quia superbi, quique dum pensare bona sequentia nequeunt, pene nihil æstimant, quos non vident habere quod amant. Statutum autem contemptæ lampadis tempus est, extremi iudicii prædestinatus dies; quo iustus quisque, qui nunc despicitur, quanta potestate fulgeat, demonstratur.* In hunc sensum accipiunt plures alii. Quidam in *lampade contempta* Christum intelligunt, quem olim contempserunt Iudæi; quibus fuit scandalum, & gentes, quibus visus fuit olim stultitia, ut dicit Apostol. *1. Corinth. I*, 23. & tandem statuto tempore sic splenduit, vt iisdem visus fuerit gloriosus & potens. Alii de Iobo intelligunt, qui se ipsum facit lucernam extinctam & contemptam in trium amicorum conspectu: ita tamen, vt sibi aliquando meliorem fortunam promittat, si non in hac mortali vita (nam sibi impendere iam extremum diem suspicabatur) certe in futura, in qua hominum compensantur labores, & quæ marcida videbantur & mortua, cœlesti infusa rore reuiviscunt & germinant. ita Hieronymus, Beda, S. Thomas. Et quidem lucernam fuisse Iobum, ipse indicat *cap. XXIX*, 2.3. vbi describit felicitatem suam, quam videtur appellare splendentem lucernam: *Quis mihi tribuat, vt sim iuxta menses pristinos, secundum dies, quibus Deus custodiebat me; quando splendebat lucerna eius super caput meum.* Sed dum

Lampas contempta cur vocatus iustus.

pag.180.b

Lampas extincta qui ex glorioso statu cecidit.

conuersa fuit prior illa fortunata conditio, & ipse ad sterquilinium & vermes vsque deiectus, contempta fuit illa lucerna, & ita molesta, quasi nihil ex se daret præter fumum. Hæc 10.
mihi difficilia non sunt: sed addam ego aliam explicationem: de qua (vt volet, me non invito) prudens lector statuet. Non solum se ipsum Iobus ab amicorum calumnia defendit, sed etiam illos docet atque redarguit, quasi oblata diuinitus luce ad bene cogitandum & sentiendum vti nolint; sed illam contemnant, & aliam sibi lucernam proponant, quam accendit cupiditas, vel ambitio, quæ non tam illuminat, quam perstringit & obtundit oculos; non tam a fouea & præcipitio liberat, quam in foueam & præcipitium inducit incautos. Ait ergo, lucem illam, quam ab autore naturæ primum hauserunt, & quam deinde acceperunt diuinitus inspiratam, quam abiecerunt omnino, dum priuatis rationibus & alienis consiliis obsequuntur, constituto tempore, quod tamen ipsis exploratum non est, accendendam rursus, vt tunc cognoscant, & licet inuiti fateantur, a se grauiter esse peccatum, & sanctam esse legem, quam ingratam putabant & inutilem. Id vero inuenient, cum in viuis esse desierint, & illis spolientur ornamentis & bonis, quæ & prius immoderatos spiritus, & tunc certum & durum exitium attulerunt; dicantque licet sero, cum lucem intueantur, quam non viderant, aut cum vidissent, quasi somnia quædam & figmenta neglexerunt, illud quod *Sap. V*, 6. 8. impii dixerunt: *Ergo errauimus a via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis: & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Quid nobis profuit superbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis?*

Vers. 6. *Abundant tabernacula prædonum, & audacter prouocant Deum, cum ipse dederit omnia in manus eorum.*] Multa sunt, quæ in 11.
hac cum Iobo dissertatione viri isti eximiæ sapientiæ opinione vehementer inflati & audacissimi peccant. Primum, quia putant, bonos tantum humanis commodis abundare; & contra sceleratos aut viuere anguste, aut duris vrgeri atque attenuari laboribus. Ex qua opinione falsa sibi persuaserant, in Iobo solidam non esse atque sinceram, sed tantum fucatam

catam religionem. Hunc igitur errorem nunc argumento ſatis efficaci confutat, & iubet primum intueri prædonum domos, & ſuperba tabernacula, in quibus eſt lauta & pretioſa ſupellex; qui cum aſsidue peccando diuinum in ſe furorem inſtimulent, a Deo tamen humanis cumulantur bonis; & nihil deſiderant, quod neceſſarium videatur, ſiue ad vitæ ſubſidia, ſiue ad dignitatis ornamenta.

pag. 181. a

12. Hæc arbitror ſatis ad textum; ſed opinor aliud etiam Iobum ſignificare voluiſſe, ſe videlicet propter inopiam & dolores, ex multiplici morbo multiplices, contemni non debere. Cum nemo ſceleratos, etiam ſi rebus omnibus affluant, commendandos putet; quales ſunt prædones, quorum domus plenæ ſunt rapinis, ſplendent aliena ſupellectili: quæ data dicuntur a Domino, quia ille a ſuis dominis auferri permittit. Neque ſtatim illam audaciam & violentiam caſtigat & comprimit; ſed his prædonibus, qui alienis opibus impudenter exultant, ab vltore Deo exitium minatur, dum dicit: *prouocant Deum*: nempe vt ſtimulos acuat furoris ſui, eosque in viſcera prædatorum adigat. Hi autem prædones fuiſſe videntur Sabæi, Madianitæ, & alii vicini populi, qui Idumæorum attingunt fines, & ex rapto viuunt, qui vtpote in agris agere ſoliti, & rei pecuariæ impenſe dediti, in tabernaculis habitant, quæ belle inſtructa habent miſerorum exuuiis.

13. Verſ. 7. *Nimirum interroga iumenta, & docebunt te, & volatilia cœli, & indicabunt tibi.*] Duo hic agere videtur Iobus, quæ amicorum verba & cogitata confutant. Dixerant illorum aliqui, viros tantum ſceleratos a Domino puniri; & bonos tantum bonis & ornamentis cumulari; vnde Iobum ſceleratum eſſe putabant, quem Dominus tam videretur inſectatus hoſtiliter, vt ſpoliatum omnibus, quæ prius largitus fuerat liberaliter, & fœdo conſumptum vlcere, omnium ludibrio & vexationi permiſerit. Et tacite ſeipſos iuſtos profitentur & integros, cum in lauta viuant & florenti fortuna, neque eorum aliquid patiantur, quæ in Iobo ſiue dolent vere, ſiue dolere ſe ſimulant. Hanc autem cogitationem ſatis infirmant, quæ adducuntur a Iobo; cum enim in illis, quæ in exemplum adducit, nulla ſit ſanctitas, nulla merita. Quæ enim ſanctitas, vbi nulla malorum bonorumue cognitio? & tamen omnia illis cumulate largitus eſt Dominus; etiam his, qui venenum alunt aliis animantibus noxium, & vnguibus ac dentibus ſæuiunt, & innoxia lacerant & deuorant animalia, neque ab illis effuſi ſanguinis, aut illatæ mortis pœnas exigit; ſed graſſari libere & impune permittit. Hæc igitur Iobus animalia conſuli ab amicis iubet, & ab illis diſcere, quibus Deus aut largiatur bona, aut inferat mala, cum præferoces belluæ atque carniuoræ exultent, & graſſentur impune; innoxiæ vero, manſuetæ, & dociles aliarum ſint alimentum & præda. Hanc ſententiam indicat Caietanus.

Deus bonis & malis bona indulget humana.

Hæc huiusmodi exemplis voluiſſe videtur 14.
Iobus: ſed ſine dubio alteram amicorum cogitationem euertit. Superbe ſibi altisſimarum rerum ſcientiam arrogabant hi viri; & quaſi ignoraret Iobus, illum, quaſi diuinorum conſiliorum conſcii forent, docuerunt, oſtenderuntque a Deo omnia fuiſſe fabricata, & alia, quæ diuinam ſapientiam & facultatem prædicant. Quæ Iobus non tam dicit eſſe occulta, vt non ipſa ſe prodant omnibus, qui cum mediocri ingenio mediocrem attentionem adhibere voluerint, quotquot enim ſunt rerum formæ, & quæcunque illarum in oculis incurrant, diuinæ ſapientiæ atque virtutis documenta ſunt. Hoc docent ea etiam animantia, quæ ſtupida ſunt, quales ſunt iumenta, & piſces; imo & terra, quæ non rationis ſolum expers eſt, ſed etiam ſenſus, quorum admirabilis fabrica, & virtutes etiam admirabiles, admirabilem autoris ſui virtutem & potentiam docent. Sed quis dubitet, admiranda hæc opera a ſapienti & omnipotenti manu fuiſſe perfecta. Hæc porro per onomatopœiam loqui dicuntur, & interrogantibus reſpondere, quia non aliter ſuo aſpectu, & conſtanti in tanta rerum diuerſitate ordine ſpectatorem inſtruunt, quam auditorem alia, quæ ratione pollent & vſum habent linguæ. Hoc argumento Paulus *Actor. XVII, 24.* cum ageret cum Athenienſibus, vſus eſt. Hoc vſus Dauid *Pſalm. XIIX, 2.* vbi cœlis & firmamento, diei ac nocti, id eſt, rebus, quas in die ac nocte contemplamur, ſermonem attribuit.

A rebus etiam inanimatis docetur homo.

pag.181.b

buit. Cum igitur hæc doceant illa etiam minuta, quæ nobiscum sunt, & quæ passim, & vltro nostris occursant oculis, non erit opus, vt dicebat Sophar, vt ista inuestigemus, & sciamus, cœlorum sublimitatem ascendere, aut terræ lustrare longitudinem, aut ad maris profunditatem descendere.

15. Vers. 10. *In cuius manu anima omnis viuentis, & spiritus vniuersæ carnis hominis.*] Non solum Deus formauit omnia, sed etiam sua potentia & benignitate conseruat, qui qua facilitate fecit omnia, eadem posset vniuersa dissoluere, cum in ipsius manu posita sint, a qua, vt vitam habent, sic etiam mortem timere debent. Loquitur de natura viuentium, & præcipue de ea, quæ rationis est particeps. Sed dici eadem possent de quacunque alia creatura, quæ non minus quam humana, a Deo in suo statu & conseruatione dependet.

16. S. Thomas hinc putat inferri a Iobo, neque bona hæc humana dari hominibus propter merita, vitæque sanctitatem; neque mala, quæque humana existimantur incommoda, propter peccata: cum bonos interdum vexari, & malos ornari vehementer contingat. Atqui illa, quibus abundant & ornantur mali, in quibus sunt armenta & plantæ, in manu Dei sunt: quæ ille, si nollet esse in malorum potestate, extingueret vtique & deleret, quia ab eius manu omnino dependent. Quod cum non faciat; sed potius integra in eorum potestate conseruet, & contra a bonis excedere ac perire permittat: consequens sit, & bona & mala in hoc mortali statu bonis & malis esse communia: neque licere ex hominum, siue felici, siue aduersa fortuna, virtutem ac impietatem cuiusquam coniectare.

17. Vers. 11. *Nonne auris verba diiudicat, & fauces comedentis saporem.*] Hic locus varias admittit explicationes, neque facile est statuere, quænam illorum sit germana, aut germanæ propior. Sanctus Thomas putat, hic agi de cognitione Dei, quam homo ex rerum sensibilium contemplatione & cognitione venatur. Nam inuisibilia Dei, per ea, quæ sensu capimus, intellecta conspiciuntur. Et quia antiqui multa audierunt, videruntque, & aliorum sensuum vsu perceperunt, maiorem quam alii scientiam consecuti sunt, & ideo additur: *in antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia.* Quæ explicatio omnium mihi maxime placet: quia neque ipsa extorquetur a textu, & optime cum Iobi sensu congruit, qui ex creaturis cognosci posse Deum proxime dixerat.

Græci Patres *in Catena* Chrysostomus, & pag. 182. a
Olympiodorus, quibus ex Latinis nonnulli 18.
subscribunt, ita dicunt hominem ratione sublimia & spiritualia cognoscere; sicut corporata & terrena exteriorum sensuum qualicumque iudicio. Alii hæc de diuina sapientia interpretantur, quæ omnia, quæ vbicunque loquuntur, cogitantur, ac fiunt, ita cognoscit, quasi illorum audiret voces, quod aurium; aut gustaret, quod faucium opus est, & ad hanc explicationem accommodate, in Deo statim fortitudinem atque sapientiam, consilium & intelligentiam agnoscit.

Verum, vt dixi, explicatio S. Thomæ mi- 19.
hi potissima est, quæ homini, vt sensus tribuit externos, vt exteriora hæc & corporata cognoscat; sic internos tribuit, & mentem, quibus ratiocinando altiori quadam cognitione hæc eadem, atque alia superiora cognoscat, ex quo fit, vt in antiquis, quia plura viderunt audieruntque, maior inueniatur & plurium rerum intelligentia. Hæc porro omnia eo spectant, vt intelligant tres illi viri, qui magnam sibi sapientiæ laudem arrogabant, alios etiam attentione mediocri obtinere posse, quod sibi aut solis, aut cum paucis concessum esse arbitrabantur. Quid autem homines prudentes, dum creaturas interrogant; & quæ sunt rationalis, imo, & animalis facultatis expertes, vt iumenta, pisces, terram, & quæ terra grauida germinat, didicerint, statim explicat, dum ait, quid ex varia creaturarum natura atque operatione, & rerum omnium admirabili ratoque concentu, de illarum sapientissimo atque potentissimo architecto cognouerint: & ideo subdit.

Vers. 13. *Apud ipsum est sapientia, & forti-* 20.
tudo: ipse habet consilium, & intelligentiam.] Hoc de Deo sentiunt & prædicant, qui rerum naturas accurate considerant. Quomodo enim ille rerum constans & admirabilis ordo, tam grata venustas, tam necessarii atque opportuni pro temporum varietate prouentus atque

atque vsus, nisi a summa sapientia atque consilio, & ab omnipotente virtute oriri potuerunt? Agnoscebant itaque sapientiam atque intelligentiam in Deo, vt sciret, & fortitudinem, vt posset, quæ complexus esset mente prius, descripsissetque, vniuersa perficere.

21.] *Quæ Deus destruxit, nemo est, qui ædificet.* Vers. 14. *Si destruxerit, nemo est, qui ædificet: si incluserit hominem, nullus est, qui aperiat.*] De sapientia Dei hactenus; nunc de potentia, quam summam esse dicit, & ab effectu explicat. Qui ita aut sua, aut aliena opera dissoluerit, vt a nulla virtute instaurari possint; ille sane docet supremam illi inesse potestatem, & vim, cui nulla posit obluctari potentia. Quis mundum, quem diluuio deleuit tempore Noetico, restituere posset, nisi qui ante condiderat? cur nemo potuit hactenus reædificare Pentapolim, nisi quia a Domino peccatorum vindice subuersa est? cur Solymitanum templum reparari non potuit, licet humana potentia, quæ in terris putabatur maxima, sæpe tentauerit, nisi quia autore Deo a Romanis excisum fuit a fundamentis. Illud porro quod additur: *Si incluserit hominem, nullus est, qui aperiat:* summam indicat

22. *Clauis pro imperio.* potentiam, &, vt reor, prouerbiali forma: nam vt diximus *in nostris Commentariis super Isaiam* ad illud *c. XXII, 22. Dabo clauem domus Dauid super humerum eius:* clauis insigne Regum est, sicut alibi scriptum. Ibi autem de claui dicitur: *Aperiet, & non erit, qui claudat; & claudet, & non erit, qui aperiat:*

pag.182. b quæ verba iterum audimus de Christo *Apocal. III, 7.* hoc idem de Deo prædicat Iobus eodem omnino, vt apparet, sensu. Quid porro sit *aperire, & claudere*, seu *includere*, obscurum non est. Aperire enim aliquid indicat lætum, fortunatum, optabile; sicut etiam contra clausum miserum significat, ærumnosum, quodque splendore, luce ac libertate caret. Sic cœlum, quod rigente hyeme clausum videbatur, sub vernum tempus cum gratior affulsit clementiorque tempestas, aperiri dicitur; vnde Aprilis vocatur ab aperto tempore, quia laxat aperitque quæ gelu contraxerat, & vinculorum more constrinxerat. Si Deus cœlos clauserit, neque imbres emiserit, nemo illos aperiet, quantumcunque clamet terra sitiens & arida; neque si velit ad hominum vota irrigare terram solutis imbribus, nemo erit, qui illius se consiliis opponat aut vtiliter, aut impune. Si vuluam clauserit infœcundam, nemo concepta prole aperiet, & vendicabit a sterilitatis ignominia; si aperire voluerit, & augere sterilem prius numerosa sobole, nihil poterit illius resistere voluntati. Si Deus tumulo concluserit mortuum, nemo illum suscitabit ad vitam, si aperire voluerit sepulcrum, & excitare eos, qui in puluere conclusi dormiunt, impediet nemo. Denique si voluerit Iobum, quem alligauit sterquilinio & fortunæ miseræ, soluere, & priori statui, aut etiam meliori restituere, hoc illi perquam facile erit, neque illum quæcunque vis creata, aut naturæ necessitas impediet; quod si ad finem vsque sæculorum, aut etiam vltra in dira illa illuuie continere voluerit, nemo erit, qui constrictum soluat, aut aperto illo carcere eximat e vinculis.

Claudo infelicem, aperio felicem indicat fortunam.

Vers. 15. *Si continuerit aquas, omnia siccabuntur; & si emiserit eas, subuertent terram.*] 23.
Potens est Deus aperire & claudere, id est, sanare & perdere. Neque ad hos tam illustres ac diuersos effectus instrumentis indiget, quibus salutem hominibus, aut exitium afferat: sed id sine vllo rerum apparatu, sed sua tantum voluntate quam citissime perficit. Vt enim ad vniuersi fabricam, & cœlestium orbium molitionem neque ferramentis ac vectibus, neque vllis machinamentis indiguit; sic etiam neque ad demoliendum ac dissipandum, quod ante sine vllo labore atque adiutore construxerat. Nihilominus siue perdere omnia, siue conseruare voluerit, arma habet ad vtrumque consilium potentissima, quia manus illa tractat omnipotens, cui nihil esse potest infirmum. Sane quæ frigore con- 24.
crescunt atque conglaciant, arma dicuntur *Creaturæ omnes arma sunt Dei.*
Dei infra *cap. XXXIIX, 22. Nunquid ingressus es thesauros niuis, aut thesauros grandinis aspexisti, quæ præparauit (Deus) in tempus hostis, in diem pugnæ, & belli.* Nunc Iobus aquam instrumentum esse dicit diuinæ potentiæ, qua vel compressa & clausa, vel affluentius & immoderatius emissa ciuitates plurimæ perierunt. Deficiente pluuia, & multorum annorum siti arentibus agris, desertam esse terram

rama a cultoribus & incolis, non semel accepimus. *Aqua siue abundans, siue deficiens instrumentum Dei ad vindictam.* Neque id in sacris Scripturis & ecclesiasticis annalibus infrequens. Nemo paulo doctior ignorat, qualiter afflicta terra fuerit septem annorum fame, quam prædixit Ioseph *Gen. XLI.* & iterum tempore Elimelec *Ruth. I.* & sub Achab *3. Reg. XVII.* & sub Dauid *2. Reg. XXI.* Mitto siccitates alias; illa, quæ totam inuasit & vastauit Hispaniam, satis pro-
pag. 183. a bat, a Deo non ciuitates solum, quod accidit sæpe, sed prouincias totas potuisse subuerti. Produnt namque antiquissimæ Hispanorum historiæ, viginti sex annorum siccitate omnes fontes & fluuios aruisse præter Iberum & Betim, & terras in hiatus vsque adeo vastos atque profundos discessisse, vt qui alio victus quærendi gratia commigrare vellent, quominus abirent, obuia passim immensa voragine prohiberentur. Sic Hispania diuturna fame bestiis, hominibusque consumptis, in solitudinem redacta est.

25. *Aquarum inundatione ciuitates euersæ.* Quod autem fecit inducta fame, & in æneo cœlo pluuia compressa, idem fecit non semel aquis e cœlo, aut e terræ scatebris immoderate profusis. Oppleuit mari mortuo in valle amœnitatis eximias ciuitates, quas cœleste incendium ante consumpserat; oppleuit, & subvertit mundum in illo Noëtico sæculo diluvio: quod etiam Deucalionis tempore accidisse prodit antiquitas, fortasse fabulose. Quot ciuitates ab aquis siue fluuialibus, siue marinis, siue etiam torrentibus, a copiosis imbribus haustæ fuerint & euersæ, docet Plinius *lib. 2. cap. 90.* & *92.* & nonnulla Seneca adducit exempla *lib. 6. quæst. naturalium cap. 23.* ex Callisthene. Et quidem nos hoc ipso loco, in quo hæc scribimus, ex ingenti alluvione corruisse, imo & corruere spectabamus non sine metu, ne domui nostræ accideret, quod aliorum domus ab aquarum inundatione patiebantur. Sane illa rerum domina Roma, quæ satis erat contra similes casus munita, sæpe in metu fuit, ne ab aquarum exundatione periret. De quo Horatius *l. 1. carm. Ode. 2.*

Vidimus flauum Tiberim retortis
Littore Etrusco violenter vndis
Ire deiectum monumenta Regum,
Templaque Vestæ.

Hoc ipsum indicat Iobus infra *cap. XIV. 19. Lapides excauant aquæ, & alluuione paulatim terra consumitur.*

Vers. 16. *Ipse nouit & decipientem, & eum,* 26.
qui decipitur.] Sapiens est Deus, vt norit & illum, qui infert, & illum, qui patitur iniuriam: nempe innocentem, qui ab iniquo & callido fraudulenter traducitur, & qui illi fraudes & insidias parat. Fortis item est Deus, qui innocentis tueatur causam, & vlciscatur iniurias, & qui crudelem & impium, qui rerum successu impotenter inflatus iuueniliter exultat, e sublimi deiiciat loco, & omnibus exuat ornamentis & opibus; id quod statim exemplis amplificat & illustrat.

Vers. 17. *Adducit consiliarios in stultum finem,* 27.
& iudices in stuporem.] In consiliariis ac ducibus multum existimatur esse sapientiæ, & solers acutumque iudicium: quoniam illi consilio aliorum rationes & studia moderantur & temperant. Hi de aliorum causis rationibusque disputant & statuunt; aut etiam res moderantur publicas, vtpote patriæ parentes, legum vindices, vigilesque custodes. Iudices non solum illi dicuntur, qui iudicaturi sedent, & suum cuique sancte atque legitime tribuunt; sed etiam, qui armis atque consiliis rempublicam tuentur ab iniuriis & ab hostili manu. Sane, qui a tempore Iosue rempublicam susceperunt Israeliticam, & illam ar- *Iudices qui olim.* mata manu toties ab inimicorum iniuriis vindicarunt, iudices dicuntur, & qui illorum gesta commemorat, Liber vocatur iudicum. Hi igitur consiliarii & iudices, quantumcumque sint acuto maturoque iudicio, quem sibi exitum destinarant animo, non assequentur, imo ita rem temperabunt, quæ in deliberationem pag. 183. b
deducitur, & illum tandem successum sortietur, vt omnium sententia iudicentur stulti: & iudices sic se in rerum administratione gerent imprudenter, vsque adeo non erunt in euentu felices, vt alii, qui illorum antea prudentiam nouerant, illorum stupeant inertiam atque væcordiam; & ex illo tandem loco atque opinione cadant, in quibus antea gloriose vixerant. De iudicibus egimus pluribus *in nostris Commentariis super Oseam c. VII.* ad illud *v. 7. Deuorauerunt iudices suos.* vbi docuimus, Reges olim vocatos esse iudices: vide locum.

Septua-

28. Septuaginta sic reddunt: *Qui ducit consultores captiuos; iudices autem terræ in pauorem misit.* quæ sic exponit Polychronius *in catena: Hæc fortasse non de his dicit, qui capiuntur bello, verum de his, qui ingenii solertiam venditant. Ac si diceret: sapientes quoque decipit, & qui iudicio præstant, circumagit: & eos, qui agenda aliis ostendendo præcipiunt ad suam acerrimam normam insipientes pronunciat: eos denique ad summam consilii inopiam redigit.* Vbi hanc Symmachi translationem adducit: *adducens consiliarios ad consilii inopiam.*

29. Vers. 18. *Balteum Regum dissoluit, & præcingit fune renes eorum.*] In *balteo*, inquit Hieronymus, regnantis intelligitur gloria, in *fune* vero e regno depositi ignominia. An balteus Regum sit insigne, mihi incertum est, & admodum creditu difficile, nisi in regio balteo aliquid sit insigne & eximium, quo careant alii; quo Reges ab aliis de vulgo, aut regni Principibus distinguantur. Sane balteum signum esse militare, id est, eorum, qui sua militiæ nomina dederunt, satis constat, siue his, qui sacris, siue qui profanis monumentis mediocrem operam nauarunt. Sæpe enim legimus, his qui aliquod peccati genus admiserunt, supplicii atque ignominiæ loco balteum esse detractum. Neque Rex erat Ionathas, aut Ioab, sed in exercitu Duces, & tamen balteos habuisse traduntur: alter *1. Reg. XIIX, 4.* balteum suum Dauidi dono dedisse fertur: alter *3. Reg. II, 5.* sanguinem Abner in suo balteo posuisse dicitur. & idem balteum vnum daturum se fuisse dixit gregario cuidam militi, si Absalonem ex quercu pendentem occidisset. Et *4. Reg. III, 21.* dum milites ad arma vocantur, conscripti dicuntur omnes, *qui accincti erant balteo desuper*, quare nullus fuisse videtur sine balteo miles. Ego potius arbitror cum Pineda, balteum non tam Regum esse, quam militum insigne, & illius ordinis præcipuum ornamentum: cumque Reges arma tractarent, vtpote regni suorumque custodes, commune cum militibus insigne & ornamentum habuerunt, quia de militum aut bellantium numero censeri poterant. Qui si balteo carerent, magno etiam carerent decore & militari gloria; quæ non nisi ignaris, aut parum fidelibus imperatorum autoritate detrahitur. Baltei vero loco fune præcingitur, qui tale subit dedecus, ex dura vilique materia; ex sparto puta, aut iunco, aut alio quodam astrigmento palustri, aut certe, vbi optime cum illis ageretur, ex canabe. Tale supplicium Deus *Isai. III, 24.* minatur filiabus Sion, dum pro zona, quæ virginibus maxime in deliciis numeratur; & est idem viris balteus, funiculum texit: *Et erit*, inquit, *pro suaui odore fœtor: & pro zona funiculus.*

Balteus insigne militare.

Balteum vero esse virorum ornamentum maximum; & in eo excolendo atque illuminando pretiosa quæque & splendida includi, diximus ad illud *1. Reg. XIIX*, de Ionatha *v. 13.* *Expoliauit se Ionathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam Dauid, & reliqua vestimenta sua vsque ad gladium, & arcum suum, & vsque ad balteum.* nam cum ibi quæreremus, cur extremo loco poneretur balteus, quasi res esset pretiosa magis, arbitrabamur, haberi balteum summi apud milites honoris & pretii: tum quia sine illo putabatur exautoratus, & honesto illo nomine indignus: tum quia re vera ea erat materia atque arte, vt nihil in militari instructu pretiosum ac decorum magis. Fuit quidem apud antiquos de more, vt quidquid esset illustre & pretiosum, non in vasis aut supellectili domestica poneretur, sed in armis, aut phaleris, in ornatu denique militari. Sic Iuuenalis *Satyr. 5.* dum reprehendit nimiam illorum mollitiem, qui de ornandis poculis & muliebribus deliciis magis curant, quam de armorum splendore & pretio: 30. pag. 184. a 31.

In balteo ornatus maximus & splendor.

In armis quicquid erat pretiosum.

---Vino gemmas ad pocula transfert
A digitis, quas in vaginæ fronte solebat
Ponere zelotypo iuuenis prælatus Iarbæ.

Et idem *Satyra 11.*

Argenti quod erat solis fulgebat in armis.

Et ibidem docet, quicquid erat olim gemmatum in poculis, ad equorum phaleras traduci:

Magnorum artificum frangebat pocula miles,
Vt phaleris gauderet equus.

Qua de re plura *in nostris Commentariis super Zachariam* ad illud *cap. XIV, 20.* *In die illa erit, quod super frænum equi est, sanctum Domino.* Cumque in poliendis atque illuminandis armis magnum esset studium, erat tamen maximum in nitore & varietate baltei: 32.

Cuius erant bullæ ornamentum eximium & pene proprium: ab illis enim, Varrone teste, balteus nomen accepit; putat enim balteum dici quasi bullatum, id est, bullis instructum atque distinctum. Hispanus, *Tachonado* vocat. Pro personarum tamen varietate varia erat bullarum materia, modo aurea, modo argentea, interdum vero ex pretioso lapide. Trebonius Pollio *in Salonino*, auro gemmisque distinctos, & quasi stellatos esse dicit quorundam militum balteos. *Cum cingula*, inquit, *sua plerique militantium, qui ad conuiuium venerant, hora conuiuii Saloninus puer auratos constellatosque balteos rapuisse perhibetur.* Clarius idem *in Gallieno*, cui gemmatum attribuit. & Claudianus *lib. 2. de raptu*, Parthicos balteos gemmis baccatos esse tradit. Accedebat ad materiæ nobilitatem artis præstantia, & in argumento mira varietas, vt Homerus in balteo Herculis *Odyss. 11.* in quo celati dicuntur vrsi, apri, leones, deinde pugnæ, & cædes. Et *Iliad 4.* Menelai balteus παναίολος dicitur, id est, *varie celatus.* Vtrumque Virgilius *libr. 10.* in Pallantis balteo coniunxit, vbi auream adhibuit materiam, & in ea argumentum illustre, nempe Danaidum infelices nuptias Eurytionis celo eleganter expressas:

---Rapiens immania pondera baltei,
Impressumque nefas vna sub nocte iugali
Cæsa manus iuuenum fœde, talamique cruenti,
Quæ bonus Eurytio multo celauerat auro.

32. *Balteus ab humeris ad ilia demissus.* Illud ad postremum addo, balteum olim non medium corpus cingere ad ilia, vt nostra ætate vrbanis hominibus mos est, sed ex humeris pendere, quem vulgus militum Punico vocabulo *tabali* appellant. Quintilianus *lib.* pag.184. b *11.* ab humero dextro in sinistrum oblique duci balteum ostendit. Millies audimus, gladium, aut balteum ex humeris pendere. Ita sæpe Homerus, qui *Iliad 15.* gladios dicit pugnantium cecidisse ex humeris, de Euandro *Virg. lib. 8.*

Tum lateri atque humeris Tegeæum subligat ensem.

Et *lib. 12. ad finem* de Turno:

---Infelix humero cum apparuit alto
Balteus, & notis fulserunt cingula bullis.

34. Vers. 19. *Ducit sacerdotes inglorios & optimates supplantat.*] *Sacerdotum vbique magnus honor.* Sacerdotes magno apud omnes gentes fuisse in loco, res est magis nota, quam vt probari debeat. Certe fuisse apud Ægyptios probat illud *Gen. XLVII, 22.* nam cum Pharao pro frumento, quod in extrema fame populis tradiderat, eorum sibi possessiones vindicasset, sacerdotibus tamen terram suam, vt ante, liberam & immunem reliquit, & de victu in illis rerum angustiis large prouidit. *Emit*, inquit, *Ioseph omnem terram Ægypti, vendentibus singulis possessiones suas, præter terram sacerdotum, quæ a Rege tradita fuerat eis, quibus statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur.* Sacerdotes autem inter Idumæos, id est, in Iobi patria, magno esse in honore, probat Iethro, qui & Raguel, socer Moysis, qui *Exod. II, 16.* Sacerdos dicitur esse Madian, qui vir erat diues & potens, &, vt tradit Iosephus *l. 2. Antiquitat. c. 5.* magno inter Madianitas in honore erat. Iobus autem in terra Madianitide, aut non longe ab illa morabatur. Deinde in Idumæa, vbi natus esse creditur & educatus Iobus, virorum principum primogeniti, qui & ipsi Principes, vt regionis illius ferebat consuetudo, Reges dicebantur, sacerdotes quoque videntur fuisse. nam Idumæorum 35. *Esau cur dictus profanus.* pater Esau, ex quo genus suum Iobus traxisse creditur, quia primogenitus erat Isaac, sacerdos fuisse communi omnium consensu existimatur: & illius vestes suaui odore fragrantes, de quibus *Genes. XXVII, 27.* sacerdotales esse existimantur. Et ideo a Paulo *Hebr. XII, 16.* profanus appellatur, quia primogenitura vendita, sacerdotum quoque rem videlicet sacram vendidisse iudicatus est. *Iobus sacerdos.* Et ipse quoque Iobus primogenitus, & Rex, videtur quoque fuisse sacerdos: quia, primogenitus ex genere Esau sacerdotis olim, & quia ipse quoque sacrificasse videtur pro filiis peracto conuiuio, vt illos purificaret a peccatis, si qua inter pocula & geniales epulas contraxissent. *Sacerdotale nomen aliis, propter splendorem communicatum.* Sacerdotes vero eo erant apud omnes loco, ea gloria, vt sacerdotes vocarentur etiam, si illis proprie non conueniret sacerdotale nomen, qui magnam apud alios gratiam & honorem haberent. Sic filii Dauid sacerdotes vocantur *2. Reg. IIX, 18.* cum tamen, quia non erant ex Leuitica tribu, sacerdotes esse prohiberentur. vide quæ ibi diximus. Ait ergo Iobus, eos, qui

qui gloriosi existimantur, aut quia sacerdotes, aut quia alias ob causas a populo honorem accipiunt sacerdotali proximum, depulsum iri a Deo ex illa gloria, quam obtinuerunt antea; & in vilem ac sordidam conditionem iri deiectum. Cuius rei in Scriptura sacra obuia sunt exempla.

36. *Et optimates supplantat.*] Duo sunt hominum genera, quæ vulgares alii venerantur, & non inuiti deferunt obsequium: Sacerdotes, qui sacra curant & religioni seruiunt, & Principes alii & optimates, qui opibus atque autoritate valent, qui præsunt aliis, remque pu-
pag. 185. a blicam communi consensu moderantur: quique, vt sunt vana ac leuia mortalium ingenia, præ se cæteros contemnunt alios, sibique, si Deo placet, aliquid interdum cogitant inesse diuinum. Hos igitur supplantat Deus, id est, incautos inopinato præcipitat lapsu, qui tam ab illorum aberat cogitatione, quam cœlum a terra distat. Porro supplanto luctatorum est, qui tunc supplantare dicuntur antagonistam, cum opposito aut supposito pede, inopinato aut insidiose deiiciunt. Supplantat ergo Dominus optimates, quando nihil tale metuentes aut cogitantes e sublimi loco subito deturbat. Septuaginta sic reddunt: *Qui emittit sacerdotes captiuos: Dynastas autem terræ euertit.* Discrimen est leue, & aliquid affert lucis translationi vulgatæ.

Supplanto quid.

37. Vers. 20. *Commutans labium veracium, & doctrinam senum auferens.*] Magna vulgarium hominum opinione laus est, sacerdotali aliquem aut regali dignitate fungi; prudentium tamen iudicio longe maior, habere doctrinam, vel labore & industria comparatam, vel inspiratam diuinitus, qua quis vera sine errore cognoscat, & veraci atque fideli lingua sine fraude loquatur. Ab hac etiam laude deiiciet Deus homines, qui sibi de ingenii acumine & scientiarum præstantia blandiuntur, quos expectorata doctrina dementes faciet & excordes; & commutatis labiis ante veridicis atque fidelibus, falsa plurima, aut a sano sensu vacua inutiliter fundent. Dixit hoc idem Deus *Isai. XXIX, 10. Miscuit vobis Dominus spiritum soporis: claudet oculos vestros, Prophetas, & Principes vestros, qui vident visiones, perient.* Et statim *v. 14. Admirationem faciam populo huic miraculo grandi & stupendo: peribit enim sapientia a sapientibus eius, & intellectus prudentium eius abscondetur.* Hæc satis probauit in senectute Salomon, cuius fœminæ, quibus ipse nimis erat addictus, subuerterunt cor, & eo vsque adegerunt insaniæ, vt diuersarum gentium supplicaret idolis, & ad illorum cultum, sicut prius ad veri Dei templum, sic etiam altaria & delubra construxerit. Hæc porro expectare videntur tres amicos, quos Iobus amice & religiose admonet, ne multum sibi tribuant, neue alios, qui minus aut possunt, aut sapiunt, superbe contemnant. Quia fieri potest, vt ab eo loco atque ordine depulsi, ludibrio sint illis, quos ipsi prius habuere ludibrio. Erant autem hi optimates, quia Reges: erant sacerdotes suarum gentium more, quia primogeniti: erant sapientes, vt ipsi non obscure de se prædicant. atque ideo timere poterant, ne supplantarentur, excœcarentur, ac tandem euerterentur a Deo.

Deus infatuat sapientes sanos, & delirare permittit.

Vers. 21. *Effundit despectionem super Principes, eos, qui oppressi fuerant, releuans.*] Hæc 38.
satis confirmant, quod modo de amicorum Iobi admonitione putabamus. Cum enim illi Iobum iacentem miserimque verborum acerbitate concitarent, fieri posse docet, vt illi, qui rebus abundant omnibus, & satis in se sibi contra omnes fortunæ casus consilii atque subsidii esse meditantur; cadant subito ex eo grad, quem perpetuum sibi fore videbant; & qui oppressi sunt, & vndique a fortuna iactati vehementer; eleuentur tamen, & aliis sint terrori, a quibus aut passi fuerant ante, aut certe omnia metuebant aduersa. Illud *effundit*, duo significat, quæ diuinam potentiam & liberalitatem significant, aut indicant copiam videlicet eorum, quæ inferun- pag. 185. b
tur, aut dantur, sumpta metaphora ex aquis, aliisque liquoribus, qui, si parca dantur aut auara manu, instillari dicuntur; si vero copiose, & non inclinato modice, sed inuerso vase, effundi. Deinde quod ratione ea tribuitur, sine mora datur, non sensim & guttatim, sed quam ocyssime ad fundum vsque euacuato vasculo; quare hoc dicendi modo Iobus magnam subitamque despectionem supra Principum caput venturam esse denunciat.

Effando magnum aliquid sanat.

39. Vers. 22. *Qui reuelat profunda de tenebris, & producit in lucem vmbram mortis.*] Hæc quidam proprie accipiunt, quasi Deus, quæ in terræ visceribus latent & vmbra mortis, in locis nimirum densissima obsitis caligine, in lucem euocat & hominum conspectum; quod fit, quando e tenebris extrahit, aut ex occulto educit, quæ ab hominibus scelerate teguntur humi defossa; aut quando graui aliquo motu terra concutitur atque dehiscit, & quæ in occultis venis lapilli metallaque latebant, apparent; aut cum excitantur mortui, aut mortuorum manes euocantur ab inferis, & quæ ignorabant homines, manifestant. Alii metaphorice exponunt, dicuntque, tunc Deum reuelare profunda de tenebris, cum aperit hominum consilia, quæ latebant in homine versuto & callido simulationis tenebris inuoluta. Quod fecit olim sæpe, facitque quotidie, dum homines sibi charos admonet per Prophetas, vt caueant insidias, quæ amicitiæ simulatione tegit hominum infidelis improbitas, aut quæ eximiæ videbantur esse virtutes, in illis docet immania atque horribilia latere flagitia. De quo Apostolus *1. Corinth. IV, 5. Qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium* Contra hos sic Dominus *Isai. XXIX, 15. Væ qui profundi estis corde, vt a Domino abscondatis consilium; quorum sunt in tenebris opera, & dicunt, quis videt nos, & quis nouit nos?* Quæ explicatio mihi difficilis non est, & quæ optime cadit in illorum amicorum mores, quos hoc loco Iobus admonet, vt omnem auferant simulationem & fucum; quando Deum, cuius oculi carnei non sunt, latere nihil potest; cui cogitationi non parum fauet, quod *cap. XIII, 4.* fabricatores appellantur mendacii. Et reuera ita accidit, nam Deus amicos illos reprehendit, *cap. XLII, 7.* & in illorum animis aliquid deprehendit, quod non probaret, quod euocauit ex latebris in lucem. sic enim ibi Dominus ad Eliphaz Themanitem: *Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut seruus meus Iob.*

Tenebræ *aliquid sonant flagitiosum & fallax.*

40. Sed fortasse magis est accommodata illa explicatio, quæ locum istum sic cum extrema parte connectit superioris versus, vt illius iteret explicetque sententiam, quod in Scriptura sacra infrequens non est. Notum est autem, *tenebras* & *vmbram mortis, noctem* & *caliginem* iuxta Hebraicæ linguæ proprietatem pro misera & ærumnosa conditione sumi; & contra *lucem* & *diem* pro læta candidaque fortuna; quare cum quis e tenebris euocari dicitur in lucem, idem significatur, reliquisse ignominiam & sordes, & ad felicem sortem emersisse. Quod igitur significauerat, cum dixit proxime, eos, qui oppressi fuerant, *releuans*, idem iterat, cum ait: *Qui reuelat profunda de tenebris, & producit in lucem vmbram mortis.*

Tenebræ *pro fortuna misera.*

Vers. 23. *Qui multiplicat gentes, & perdit eas, & subuersas in integrum restituit.*] Nunc aliud argumentum producit diuinæ potentiæ, cui nihil est factu aut dissolutu difficile. Multiplicare enim potest gentes, & populos, & eosdem repente disperdere & rursus excitare, & ad illum numerum ordinemque redigere, vt nihil videatur fuisse subuersum. Quod duobus modis explicari potest: aut quo sensu a nobis explicatum est modo, quod Deus licet fecisset nunquam, potuisset tamen facere, iuxta illam regulam, quæ secundum adhibet actum pro primo, quomodo ambulare, docere, & mederi dicitur ille, qui ambulare potest, licet tunc sedeat; & institutum & facultatem docendi, seu medendi habet, licet a docendo, seu medendo cessauerit: sic Deus multiplicare dicitur, & perdere gentes, & iterum in integrum restituere, quia id ille præstare perquam facile potest; sicut etiam supra *cap. IX, 7.* diximus, cum explicaremus illud: *Qui præcipit soli, & non oritur; & stellas claudit sub signaculo.* Alter explicandi modus est, si dicamus, id a Iobo fuisse significatum, quod reuera factum a Deo fuerat, quod ignorare ipsum non est verisimile: cum audire potuerit a maioribus suis, qui genus traxerunt ab Abrahamo, creatum esse hominem a Deo, & ab illo quasi stirpe humanum genus ad infinitam multitudinem fuisse propagatam: deinde extinctum inducto diluuio: & iterum a Noë posteris sic esse restitutum, vt humanum genus nullam videatur accepisse plagam: & hoc fortasse verius. pag. 186. a 41.

42. Vers. 24. *Qui immutat cor Principum populi, & decipit eos, vt frustra incedant per inuium.*

vium.] Hæc eodem explico modo, quo proxima: nempe actum secundum vsurpari pro primo. Et licet hæc Deus ante hoc Iobi sæculum aliquando fecerit, at fuisse factum Scriptura non docet: post Iobi tamen ætatem accidit non raro. Legimus enim, Principes populi cœco & præcipiti consilio, & sibi, & suis attulisse perniciem, & prorsus instituisse viam, quæ longe aberat a sana mente, & a salute communi ac propria. Testis fuit ex alienis Pharao, Nabuchodonosor, Balthasar, ex gente Israelitide Saul, Salomon, Roboam, qui dum deuiis abducuntur rationibus, & se, & suam pessundedere rempublicam. Dicitur autem Deus immutare cor Principum, vtique in malum, & illos decipere, vt errent, & in semitam abducantur inuiam; quia id, vt facerent, permittit. qua de re Scholastici Doctores multa, a quibus ego prudens abstineo, hoc tantum paucis admonuisse contentus; tu illos consule. Porro quod hic Iobus de Deo affirmat, id Deus ipse per Isaiam minatur *cap. XXIX, 9. Obstupescite, & admiramini; fluctuate, & vacillate; inebriamini, & non a vino; mouemini, & non ab ebrietate: quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros*, &c.

Principes quomodo decipiat Deus.

pag. 186. b

43. Vers. 25. *Palpabunt quasi in tenebris, & non in luce, & errare eos faciet quasi ebrios.*] Descriptio est hominis, cuius mutatum est cor, & mens aut erepta, aut conturbata vehementer; qui enim talia patiuntur, quasi cœci errant in tenebris, & manu palpant, vt explorent, si quid sese offerat periculi, quando oculis exploratoribus non possunt. Non longe a cœcis absunt temulenti, quibus vini immoderatus vsus mentem sic turbat, vt amentes credas, & furore bacchari hymphatico; cœcitas porro, aut furor, cum magnus est, translatione ab ebrietate sumpta in Scriptura sacra significari solet. *Psalm. CVI, 27. Turbati sunt & moti sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eorum deuorata est.* & Isaias hanc perturbationem, seu cœcitatem, aut æstum animi, spiritum vertiginis appellat, *cap. XIX, 12. Stulti sunt Principes Taneos*, &c. *Dominus miscuit in medio eius spiritum vertiginis, & errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius, & vomens.* Illis, qui vertigine laborant, omnia videntur circumrotari, nutareque, neque quicquam esse stabile ac firmum; quod optime expressit Augustinus, *tractatu de sobrietate & castitate*, si modo opus illud est Augustini: *Ebrietas*, inquit, *est turbatio capitis, subuersio sensus, tempestas linguæ, procella corporis, naufragium castitatis, insania voluntaria.* Eadem vini ebrietatisque metaphora vsus est Dominus per Ieremiam, dum populis, quibus vinum propinari iubet, insaniam & amentiam, suorum denique consiliorum miserabilem exitum denunciat: *Sume*, inquit, *calicem furoris huius de manu mea, ac propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te. Et bibent, & turbabuntur, & insanient a facie gladii, quem ego mittam inter eos.*

Ebrietas *pro perturbatione maxima.*

Illud porro *in tenebris, & non in luce*, epitasim habet Hebræis vsitatam, qui dum vim & pondus volunt addere sententiæ affirmationi, addunt contrarii negationem. Sic Ezechiæ Regi ab Isaia dictum est *c. XXXIIX, 1. Morieris tu, & non viues. Ezechiel. XIIX, 21. Vita viuet, & non morietur. Ioan. I, 20.* de Baptista: *Confessus est, & non negauit.* 44.

REGVLA. *Epitasis est in affirmatione, & negatione contrarii.*

ARGVMENTVM CAP. XIII.

CVm magnam esse sciret suorum amicorum ignorantiam, neque se illis inferiorem nosset Iobus, a Deo dicit se velle cognoscere, quod ab homine mortali non posset. Ante tamen quam alloquatur Deum, & suam coram illo causam disceptet, ostendit, quanto in errore versata fuerit amicorum oratio, & quantum displiceat Deo, dum illius honori consulere videtur; cum dolos hominum penitus agnoscat, & ab hypocritis detrahat religionis simulatæ laruam inanem, & artificium mendax. Deinde dicit, se adeo non desperare de diuina clementia, vt impendente morte ab illo vitam & san-

ctitatem speret. Deinde quia statuit sua peccata coram Deo confiteri simpliciter, ex illo iudicio se putat egressurum a peccato purum. Ad extremum exorato Deo, vt tantisper a dolore respirare sinat, & terrores tollat placato vultu, petit venerabundus & supplex, vt ostendat, quid ipse scelerum admiserit, quod tam vehementer expiari velit, non vt illum acerbitatis accuset, aut inclementiæ, sed vt cautior sit in posterum, neque ad eundem lapidem sæpius offendat.

CAPVT XIII.

pag. 187. 1. ECce omnia hæc vidit oculus meus, & audiuit auris mea, & intellexi singula.

2. Secundum scientiam vestram & ego noui: nec inferior vestri sum.

3. Sed tamen ad omnipotentem loquar, & disputare cum Deo cupio:

4. Prius vos ostendens fabricatores mendacii, & cultores peruersorum dogmatum.

5. Atque vtinam taceretis, vt putaremini esse sapientes.

6. Audite ergo correptionem meam, & iudicium labiorum meorum attendite.

7. Numquid Deus indiget vestro mendacio, vt pro illo loquamini dolos?

8. Numquid faciem eius accipitis, & pro Deo iudicare nitimini?

PARAPHRASIS.

1. 2. Hæc omnia, quæ de diuina potentia dixi, & quæ illam prudentibus abunde demonstrant, & vidi sæpe oculis meis, & attenta meditatione diligenter expendi, & audiui ab aliis ante hoc tempus, & ita intellexi, vt non pauciora cognouerim, quam vos, neque in earum rerum cognitione cuiquam vestrum cedendum putem. pag. 187.

3. Quia a vobis doceri nihil possum, quod ignorem, cum sapientia mea inferior non sit: Ideo cum Deo, qui vera est sapientia, disceptare cupio, vt ab illo audiam, quod mortalium nemo docere potest.

4. Prius autem quam cum Domino disputationem aggrediar, non sine causa ab oratione doctrinaque vestra cauere videor; & a maiori magistro velle doceri, ostendam, quam sit oratio vestra fallax, & quam variis consuta mendaciis, & prauorum dogmatum plena, quæque multa affingit Deo, a quibus longe abest illius singularis prouidentia.

5. 6. Consuleretis honori vestro multo prudentius, si labia vestra obsignata silentio non permitteretis in verba inania & aliena diffluere: vt qui loquendo vestram proditis ignorationem, silentio ostenderetis aliquid in vobis esse prudentiæ. Quare attentis auribus accipite, quod vestræ existimationi meditor optimum esse consilium.

7. 8. Numquid Dei causa, cuius vos in præsentia vindices profitemini, vsque adeo a defensione est aut æquitate nuda, vt mendacis propugnatoris indigeat, quasi vero non possit honestior adhiberi defensio? Hoc autem vestrum artificium eorum est, qui facies hominum & personas accipiunt; qui vt ius alterius in iudicio defendant, quiduis audent atque confingunt, neque tam de æquitate, quam de victoria laborant.

9. Num-

pag. 188.

9. Aut placebit ei quem celare nihil potest? aut decipietur vt homo vestris fraudulentiis?

10. Ipse vos arguet, quoniam in abscondito faciem eius accipitis.

11. Statim vt se commouerit, turbabit vos, & terror eius irruet super vos.

12. Memoria vestra comparabitur cineri, & redigentur in lutum ceruices vestræ.

13. Tacete paulisper, vt loquar quodcumque mihi mens suggesserit.

14. Quare lacero carnes meas dentibus meis, & animam meam porto in manibus meis?

15. Etiam si occiderit me, in ipso sperabo: verumtamen vias meas in conspectu eius arguam.

16. Et ipse erit saluator meus: non enim veniet in conspectu eius omnis hypocrita.

pag. 188.

9. Numquid hæc Domino placebit fraudulenta defensio, quem latere non possunt quantumlibet occulta consilia? Aut sicut homo simulata specie decipi; sic vos decipi posse existimatis fallaci aut simulata religionis specie?

10. Tantum autem abest, vt Deo hi doli atque figmenta, & acceptio personarum placeant, vt potius ille vehementer oderit & arguat; cum non ignoret, quid tacite hæc vestra fraudulentia moliatur.

11. 12. Tacet modo Deus, & dum iram suppliciumque suspendit, quid vos occulte cogitetis, ignorare se simulat: cum autem sese commouerit, & sibi reipsa significauerit occultum esse nihil, obstupefaciet vos, cum ad terrorem & minas vim etiam addiderit vltricem. Erit autem supplicium superbo spiritui accommodatum maxime: efficiet enim Deus, vt horum memoria, quam immortalem esse student, non sit diuturna magis quam cinis ab incendio relictus; qui modico flatu sic dissipatur, vt momento temporis vanescat, neque aliquod combusti ligni, aut suiipsius vestigium relinquat. Neque vitæ tempus erit gloriosum magis: nam qui modo erecto incedunt collo tanquam aliorum domini, iidem iam subiecti ac domiti ceruices incuruabunt, quas alii sicut vile lutum contorqueant & calcent.

13. Quando iam de vobis dixi, quod vere sentio: & ad audiendum animos vestros idonee comparaui, cohibete tantisper linguam interim dum sine vlla simulatione dixero, quod mea mihi cogitatio suggesserit.

14. Sincere loquar atque simpliciter, & quo animam meam, a qua nullo modo dissentit oratio, inspicere possetis, lacerarem libenter carnes meas dentibus, vt aperta fenestra, si fieri posset, illam intueremini: sed existimate vos illam videre, perinde atque si illam spectandam omnibus gestarem in manibus.

15. 16. Hoc primum statuo, ne quis me putet agi desperatione præcipitem, aut de diuina clementia minus æque sentire. Hoc itaque primum velim cogitetis, etiamsi iugulo meo ferrum intentet, & nihil sit propius, quam mors iamiam ab ipso comparata, non tamen abiiciendam esse spem, quam in ipsius clementia collocaui. Atque ideo spe veniæ confirmatus & alacer coram ipso, mea peccata confitebor & arguam. Et

quia

quia nihil simulabo, sicut facit hypocrita, quem ille a conspectu suo tanquam odiosum aliquid repellit, ideo quem iudicem adeo, patronum & seruatorem habebo.

pag. 189. 17. Audite sermonem meum, & ænigmata percipite auribus vestris.

17. Hinc iam, his vtcumque positis, audite sermones meos, qui alicui fortasse vestrum ænigmati videbuntur non dissimiles, quia multa coniungunt, quæ non videntur apte posse componi. pag. 189.

18. Si fuero iudicatus, scio quod iustus inueniar.

18. Iam audite, quæ sermones mei inuoluere videntur ænigmata. Primum est, quia me coram Deo peccatorem esse fateor, & tamen me iustum declarandum esse prorsus affirmo: quia licet peccator ingrediar: quia tamen peccata non operiam, sicut facit peccator, sed potius nudabo, accusaboque simpliciter, iustus egrediar.

19. Quis est, qui iudicetur mecum? veniat: quare tacens consumor?

19. Cum autem ex simplici ac vera peccatorum meorum confessione salutem sperem, & mœrentis animi solatium; quid moror? cur non statim iudicem meum aduoco, qui statim de mea causa iudicet, qui Deus est? cur dum hoc differo iudicium, meipsum angore inutili & stulta sollicitudine discrucio?

20. Duo tantum ne facias mihi, & tunc a facie tua non abscondar:

21. Manum tuam longe fac a me, & formido tua non me terreat.

20. 21. Sed vt vultum tuum, o Domine, & iudicium tuum subire audeam, & omnia errata mea confiteri simpliciter, de duobus mihi prius cautum esse volo. Alterum, vt respirare mihi tantisper liceat ab eo dolore, qui liberam eripit loquendi facultatem. Alterum, dum me ad tuum sisto conspectum oblatis minis, ne me terreas, quarum iam pridem expertus sum pondus; vel tua maiestate, quæ eloquentes etiam homines reddit elingues.

22. Voca me, & ego respondebo tibi: aut certe loquar, & tu responde mihi.

22. Nunc ergo, Domine, quando ad te causam meam iudicandam defero, tu qui melius nosti, quid facto opus sit, iudicandi modum atque ordinem præscribe? Ille autem est, vt tu me prius interroges, aut ego contra lacessitus tibi respondeam.

23. Quantas habeo iniquitates & peccata, scelera mea & delicta ostende mihi.

23. Studeo, o Domine, abs te scire, in quo ipse tantopere peccauerim, non vt te nimiæ seueritatis accusem, sed vt cautior sim in posterum, ne ad eundem lapidem iterum offendam. Et vt homines intelligant, quam ob causam me tamdiu, & tam vehementer exerceas. Quare mea mihi scelera, meas mihi, obsecro, iniquitates ostende.

24. Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum?

24. 25. Cur quasi alienum me, & inimicum deputas? cur non amplius mihi benignam faciem,

25. Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris.

ciem, & oculos propitios & hilares ostendis? An tuam potentiam & amplitudinem decere putas, folium, quod ventus rapit atque dispergit, tam longo ac duro certamine lacessere, & aridam stipulam vsque adeo pertinaci studio insectari crudeliter?

26. Scribis enim contra me amaritudines, & consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ.

26. Videris, o Domine, scripsisse contra me, id est, stabili irreuocabilique decreto statuisse, vt perpetuo sim miser, & pro peccatis, quæ in iuuenili ætate commisi, in ætate grandiore consumar: neque alius mihi sit cibus nisi amarus, & qui vitam non tam confirmet & alat, quam extinguat.

27. Posuisti in neruo pedem meum, & obseruasti omnes semitas meas, & vestigia pedum meorum considerasti:

27. Numerasti, Domine, & considerasti gressus meos: in quibus, quia aliquid inuenisti, quod supplicio accommodato expiares, pedes meos in neruo constrixisti. Ne sicut ante ingressu vago & libero, quacumque liberet, expeditus errarem.

28. Qui quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimentum, quod comeditur a tinea.

28. In quo neruo alligatus ita constringor, vt multis perforatus vlceribus excrucier, & toto corpore ab interna tabe defluente putrescat, non secus atque lignum a carie, & a tinea vestimentum corroditur.

Vers. 1. *Ecce omnia hæc vidit oculus meus.*]

pag. 190. a I. IMperitum Iobum putabant aduersarii, quique de diuina sapientia atque virtute non æqua dignaque sentiret. Ille tamen, quo illorum cogitationem criminationemque refelleret, illustrem edidit confesionem, qua, quo esset in Deum animatus modo, & quid de Deo divinaque virtute sentiret, professus est. Ille porro omnia, quæ capite præcedenti attulit, illustrissima sunt, quæ se cognouisse dicit non solum ex aliorum narratione, sed etiam oculorum aspectu. In *oculis* autem mentem etiam & rationem intelligo, qua quæ cognouimus, vidisse dicimur, & oculus sæpe pro ratione atque intellectu ponitur, *Num. XXIV, 3. Deut. XXIX, 4. Lucæ XXIV, 31.* vbi aperti dicuntur duorum discipulorum oculi, cum tamen corporei oculi non essent occlusi. & Paulus *Actor. XXVI, 18.* missum se esse dicit a Deo, vt Gentium aperiat oculos, mentis videlicet, qua Deum agnoscerent.

Oculi *sæpe pro mente sumpti.*

2. Puto nihilominus corporeis oculis vidisse Iobum eorum plurima, quæ proxime retulit, quod homini acuto & attento difficile non fuit, longam enim eo tempore ætatem egerat, multa viderat, audieratque, in quibus subesse omnia diuinæ potentiæ ac voluntati didicerat. Annon & nos quotidie audimus, & nostris spectamus oculis non sine stupore, quam plurimos, qui iudicio prius atque consilio ita apud omnes excellere putabantur, vt eorum sententiæ ac placita oraculorum pondus obtinerent, in rebus grauissimis interdum errasse turpissime, & qui summo apud omnes erant in splendore ac loco, indecoro lapsu eosdem habitos esse ludibrio: Arere campos, & perire pecudum & armentorum greges aquarum inopia, & contra aquarum abundantia nimia corrumpi segetes, & totam spem agricolarum in herba vanescere, inutilemque luxuriem. Hæc itaque omnia Iobus aut vidit ipse oculis, aut certe ex euentu mente ratiocinando consecutus est.

3. Verſ. 2. *Secundum ſcientiam veſtram & ego noui, nec inferior veſtri ſum.*] Oſtenderant amici, quorum ſpiritus cogitatio vana inſolenter inflauerat, multa ſe de Deo cognoſcere, qualia nunc a Iobo commemorata ſunt, quorum nonnulla ipſi proxime retulerunt. hæc omnia Iobus ſibi eſſe non ignota refert: neque ab illis audiuiſſe quicquam, quod auribus ſuis accidiſſet nouum, aut oculis non ſpectatum: quare in ea rerum cognitione illorum nemini cedere, neque ſi cum illis diu multumque diſceptet, ſperare ſe aliquam, ad doctrinam, quam haberet, acceſſionem futuram.

4. pag.190.b Verſ. 3. *Sed tamen ad omnipotentem loquar, & diſputare cum Deo cupio*] Cum nihilo tres amici eſſent ſapientiores Iobo, ſicut modo audiuimus, & cum eſſent mendaces, vt ſtatim docet, nihil ab illis doceri poterat Iobus, quod ignoraret ante. Atque ideo ſtatuit cum Deo diſceptare ac loqui, cuius intelligentiam nihil fugit, & ab illo doceri, quod opus eſſet ſcito, qui neque falli poſſet, neque quemquam fallere. ita putant Caietanus, Vatablus, Iſidorus, Clarius, Pineda. Neque quicquam incommodi eſt ab illa particula *veruntamen*, quæ in Scriptura ſacra non ſemper eſt aduerſatiua, ſed interdum cauſalis. & ita a nonnullis vertitur *ideo*, vt *Matth. XI, 21. 22. Si in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent. Veruntamen dico vobis, Tyro & Sidoni remiſſius erit in die iudicii, quam vobis.* Illud *veruntamen*, vt patet hoc loco, valet, *ideo*, vel *quapropter*. & idem dicendum eſſet de *ſed tamen*, quia eadem vtriusque vis. Sane recentiores quidam hoc loco reddunt *ſane*, vel *profecto*.

Sed tamen, veruntamen, *& ſimilia non ſemper ſunt aduerſatiuæ particulæ.*

5. Indicauerat *cap. XI, 10.* Sophar, audacis eſſe ingenii, diſceptare cum Deo, aut ab illo rationem petere, cur hoc, aut illud fecerit: Non tamen hac Sophar reprehenſione retardatur Iobus, quominus cum Domino loquatur, & cum ipſo diſceptet, non tamen præfracto & peruicaci ingenio, vincendi aut concertandi ſtudio, ſed quaſi diſcipulus, qui informari deſiderat a magiſtro, qui modeſte interrogat, & cauſas eorum, quæ fiunt aut docentur, exquirit: vt quæ dicuntur, melius intelligat, & erroris cauſas omnes amputet, ne quid in poſterum faciat, quod magiſter improbet, aut alii reprehendant. In his ego nihil inuenio, quod modeſtum & ingenuum diſcipulum non deceat. Neque nouum eſt aut inuſitatum, vt rationes adducamus in hac modeſta ac religioſa diſceptatione, cur debeat nobiſcum agi clementius, dummodo id totum diuinæ clementiæ ac voluntati permittatur. Sic ſane fecit vir ſanctus Ezech. apud Iſaiam *cap. XXXIIX, 3. Obſecro Domine, memento quæſo, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto.* Sic Moyſes *Num. XIV, 16.* orat Deum, vt ignoſcat populo, cui cædem in deſerto minatus fuerat, ne audiant Ægyptii, & dicant: *Non poterat introducere populum in terram, pro qua iurauerat: idcirco occidit eos in ſolitudine.* ſic Dauid ſæpe ſuam infirmitatem ac dolorem oſtendit, vt clementem Deum ad miſericordiam inflectat, vt *Pſalm. VI. XXXVII. CI. CXLII.* neque aliud facit in ſua diſceptatione Iobus, vt liquet ex *cap. VII.* & *X.* neque diverſa eſt diſceptatio, quam hic Iobus meditabatur, quæ incipit *a verſu 20.* & *caput XIV.* totum abſoluit.

Verſ. 4. *Prius vos oſtendam fabricatores mendacii, & cultores peruerſorum dogmatum.*] pag. 191. a 6.
Prudenter Iobus eo, quem diximus, ſenſu cum Domino diſceptare non vult, priusquam amicos erroris & mendacii conuincat, ne ipſi, plus ſatis ſibi in ſua ſanctitate atque ſapientia aſſentati, ſuperbe iterum inſultent, & audaciæ innocentem & impietatis accuſent. *Fabricatores* autem appellat *mendacii*, quia ipſius ſanctitatem fucatam dicebant, non ſinceram & puram, cum contra ſe res haberet, vt conſcius erat animus, & quia crudelis appellabatur & tyrannus, vt *c. IV.* ſignificauit Eliphaz, deinde quia idem Eliphaz eodem loco dixerat *v. 12.* ſibi in nocturna quiete apparuiſſe virum, a quo diuinam quandam philoſophiam edoctus eſt, quod videtur commentum potius fuiſſe vigilantis, quam a Deo ſomnium oblatum. Oblatum potius crediderim, ſi modo oblatum, a dæmone, vt haberet Eliphaz, quo maiorem Iobo moleſtiam afferret, & triſtium cogitationum æſtu ad deſperationem adduceret, quod *ad ſequentem verſum* docuit

docuit Chrysostomus. Peruersa autem dogmata, quorum reos amicos accersit, illa fuisse videntur, quod Dominus peccatoribus tantum in hac vita dolores immittit, quasi aliter, aut nequeat, aut non soleat peccata punire, & vt putat S. Thom. quia credebant in hac tantum vita fieri meritorum retributionem, id est, flagellari peccatorem, & viri iusti præclare ac religiose gesta compensari.

7. Vbi Vulgatus, *fabricatores mendacii, & cultores peruersorum dogmatum.* Septuaginta legunt: *Vos autem estis medici iniusti, & curatores malorum omnes.* Symmachus: *Addicti estis mendacio, & medici concinnatores mei apparantes absurda.* Eadem pene sonat textus Hebraicus, vt recentiores reddiderunt Interpretes. Quæ verba sic explicat Polychronius: *Superuacaneum est disceptare vobiscum, qui cum ad me sanandum accesseritis, vestris me nunc sermonibus, quasi iaculis sauciatis, ipsaque, quam patior, calamitate dolorem mihi affertis acerbiorem, medicosque imperitos imitamini, qui cum sanantia negligunt medicamenta, stulte ægrotorum vulnera quasi morsu discerpunt.* Eodem pene modo Didymus vterque *in catena.* Et quidem satis se in causa Iobi gerebant stulte, nam cum lenire deberent & fouere vulnera oratione beneuola, & ad detergendum doloris sensum attemperata, verbis omnino duris & ab illo rerum articulo alienissimis, quasi asperso sale, refricabant.

8. *Silentio stultitia tegitur.* Vers. 5. *Atque vtinam taceretis, vt putaremini esse sapientes.*] Verba horum virorum parum ad leniendum dolorem attemperata, satis produnt, minus in illis esse sapientiæ, quam ipsi sibi tribuebant, aut sibi ab aliis tribui desiderabant. Quare prudens illis præbet consilium, si videri velint non insipientes, nempe ut suam inscitiam silentio tegant. nam qui silet, nihilo videtur sapiente inferior, quantumcunque ille crasso sit ingenio, & Abderitana (vt aiunt) mente. Quod *Prou. XVII. in fine* scriptum est a Salomone postea: *Stultus si tacuerit, sapiens reputabitur: & si compresserit labia sua, intelligens:* quæ sententia millies est ab externis vsurpata. Notum est illud Philosophi, qui cum rogaretur, vt adolescentem videret, iussit illi, vt loqueretur; quia aliter ille videri atque cognosci non poterat,

Lingua animi index.

melius enim homo ex lingua, quam ex facie cognoscitur: vt enim lingua patriam, sic etiam non minus ingenium prodit. Neque magis ex sermone cognoscis aliquem esse Græcum aut Scytham, quam esse prudentem aut fatuum. Qua de re extat apud Alciatum emblema, quo insipientem admonet, vt taceat: pag. 191. b

Cum tacet haud quicquam differt sapientibus amens,
Stultitiæ est index linguaque, voxque tuæ.

Hæc Chrysostomus *in catena*, postquam communem hanc sententiam pluribus explicuit, cum putaret, Iobum debuisse respondere modestius, ne tam grauem mendacii labem sociis & amicis impingeret, culpam illam in diabolum reiicit, a quo verba illa, & mentem acceperant, vt exulcerarent grauiter afflictum, & de sua in tolerando constantia depellerent. Sic autem ibi Chrysostomus ad Iobum: *Tu, o chare, Deo noli eo genere verborum permoueri: sanctos potius imitare, certumque habeto, satanæ hos esse impetus: a diabolo enim tui exagitantur obtrectatores, ea re potissimum, vt te a fide abstrahat, atque vt a recto instituto abducat.* 9.

Vers. 6. *Audite ergo correctionem meam.*] Attentos reddit quasi aliquid audituros, quod ipsos scire magnopere expediat, quasi in magno sint errore, a quo illos liberos esse maxime cupiat. 10.

Vers. 7. *Numquid Deus indiget vestro mendacio, vt pro illo loquamini dolos?*] Videre studebant amici Iobi causam Domini suscepisse, voluisseque a calumnia defendere, quæ obiici arbitrabantur a Iobo: quasi iniustus esset Deus, cum innocentem, & quem ornare debuisset potius, tam seuere & inclementer acciperet. Dicebant autem, iustissime id fecisse Deum, qui non nisi sceleratos excruciat, cum in illo non reperiatur sanctitas, nisi simulata: & insuper esse crudelitatis & impietatis scelera, quæ impunita abire non licebat; quare non esse, cur in Deo æquitatem requireret, cum in scelerato animo non deesset materia, cui diuini furoris ignis adhæresceret. Sic egregii isti diuinæ huius criminationis defensores, Deum ab omni iniuria vindicabant, quasi non essent plures aliæ causæ, quæ a diuino 11.

vino nomine omnem iniustitiæ suspicionem auerterent. Cum autem tantum esse sceleris in Iobo non solum suspicarentur, sed prædicarent aperte, quod plane falsum erat: eoque nomine Dominum ab iniuria defenderent, ait Iobus, Deum ad sui defensionem non indigere mendacio: cum multis aliis modis suam posset æquitatem probare. Neque enim vna causa est, quæ Deum & iuste, imo & clementer moueat, vt hominem quantumcumque innocentem & iustum, duris exerceat modis, & seuero atque expiatorio examine, & fornace ferrea excoquat ad purum. Quod si nullam humana curiositas causam inueniat, illa satis grauis est & iusta, quod Deus est, a quo homo habet, quod viuat, & sit: neque iniurius est, si quod dedit libere, suo arbitratu auferat, aut truncet, quod supra dixi *c. IX, 12. Quis dicere potest* (nempe Deo) *cur ita facis?*

12. Vers. 8. *Numquid faciem eius accipitis, & pro Deo iudicare nitimini?*] Iudices se tres isti viri inter Deum & Iobum constituerant, quorum conatus eo videbatur incubuisse, vt qua iure, qua iniuria Iobum suo iudicio aut damnarent sontem, aut insontem opprimerent: quia iam illis erat constitutum pro Deo omnino beneuolam ferre sententiam. Quare, vt ille causa cadat, & dignus iudicetur, a quo Deus tam duras exigat pœnas, actore & suasore diabolo, reum esse declarant ementitæ religionis, ereptæ per violentam & ty-
pag. 192. a rannicam iniuriam tenuiorum prædæ, atque ideo in Deo, si in Iobi caput atque fortunas durius animaduertat, neque æquitatem, neque clementiam requiri. Quid sit *faciem accipere* in iudiciis, qui in sacris literis mediocriter fuerit versatus, ignorat nemo; est enim idem, quod personam accipere: nam faciem alicuius, pro eo, cuius est facies, sumi in Scriptura obuium. Ille autem in iudicio personam accipit, qui non tam æquitatem in iudicando respicit, quam bonum illius exitum, cuius voto seruit magis quam legi, qui non tam iudicem agit æquum & integrum, quam patronum eius, cuius personam aut faciem accipit Qui autem eo accedit ad iudicandum animo, facile inuenit, quid imponat innocenti malitiose conuictum, & quo vendicet a cul-

Faciem aut personam alicuius accipere quid.

pa, quem saluum esse cupit: neque enim deest aut aliqua honestatis species, quæ prætendatur culpæ, aut aliquod effugium, quo negetur reus illud admisisse, cuius gratia cogitur subire iudicium. Hoc vero totum satis explicat, quod statim subditur: *Pro Deo iudicare nitimini;* quasi dicat Iobus, in id esse intentos amicorum animos, vt Deum eximant ab omni suspicione culpæ, vt ipsi religionis sibi laudem concilient, quoque id assequantur, non dubitare struere quoscumque dolos, & in ipsius caput quiduis confingere.

Vers. 9. *Aut placebit ei, quem celare nihil potest, aut decipietur, vt homo vestris fraudulentiis?*] Non poterant hi viri cognoscere, 13.
talem esse Iobum, qualem ante descripserant, cum illius impietatis aut tyrannidis nullum in vita clementi atque integra appareret documentum: quare fraudulentiam interpretatur illam, quæ laruam sanctitatis, sanctitati veræ omnino contrariam, in Iobo criminantur. Fuit autem fraudulentia vel dæmonis, qui in illam fraudem primum illos induxit, vt nuper ex Chrysostomo dicebamus, & hoc certius; aut illorum, qui vt opinionem religionis & sapientiæ captarent, videri cupiebant inuenisse causam, cur Iobus tam dure plecteretur a Domino, quem a crudelitatis & iniustitiæ labe vindicare studebant. Illæ vero artificiosæ fraudes, licet occultæ essent hominibus, qui internos animi sensus non assequuntur, Deum tamen latere non possunt, cui nihil est absconditum, nihil clausum. Porro illud *celare* pro *latere* positum est, alioqui res Grammatica non constaret.

Vers. 10. *Ipse vos arguet, quoniam in abscondito faciem eius accipitis.*] In abscondito 14.
faciem Domini accipiunt, quia externo sermone humanis sensibus æquitatem obiiciunt, dum simulant se in iudicando nihil præter veritatem inquirere: neque abduci ab integritate beneuolentia, aut transuerti odio, neque ita alteri parti patrocinari, vt alteram prodant & oppugnent. Hoc illi se facere simulabant, cum interim aliquid confingerent, quod Iobi causam vehementer premeret. Quod Deo non potuit esse non ingratum, qui veritatem amat, neque ad suam æquitatem tuendam commentis indiget hominum, aut mendacibus

dacibus vmbris. Tantum autem abest, vt illi hi doli, atque figmenta, & faciei acceptio placeant, vt potius vehementer oderit, cum non ignoret, quid vestra hæc calliditas & fraudulenta solertia moliatur.

15. Vers. 11. *Statim vt se commouerit, turbabit vos.*] Tacet modo Deus, & quid vos occultis
pag.192.b consiliis agitetis, aut non videre, aut ignorare se simulat, cum autem qui modo quiescere videtur, & tantisper vindicem dexteram a supplicio suspendere, sese commouerit, & quasi suscitatus fuerit a somno, obstupefaciet vos, cum ad terrorem & minas vim etiam addiderit vltricem.

16. Vers. 12. *Memoria vestra comparabitur cineri: & redigentur in lutum ceruices vestræ.*] Explicat, quale futurum sit illud supplicium, quod Dominus, vbi primum se commouerit, sumet de fraudulentis hominibus, longeque superbis & inflatis, qui videbantur existimare, non aliter posse Deum ab iniustitia defendi, nisi illi in causa laboranti confingendo mendacium subsidio venirent. Minatur autem tale supplicium, quale superbo spiritui nullum videtur accidere potuisse molestius. Hi enim memoriam sui student apud posteros conseruari diuturnam, vt quo vita non potuit, eo vitæ gloriosa memoria perueniat. Sed hæc memoria nihilo erit firmior atque constantior, quam cinis ab incendio relictus, qui consumti ligni videri potuit monumentum seu memoria, qui cinis a modico vento huc illucque distractus, temporis momento ita vanescit totus, vt neque ignis, neque ligni combusti vllum videamus superesse vestigium. Hæc hominum obliuio sequetur funus. Neque vitæ tempus erit gloriosum magis, nam ea viui patientur, quæ magis horrent, qui excelsi inter homines videri student.

Qualis impiorum post mortem memoria.

17. In *ceruicibus* maxime ostenditur superborum hominum ambitiosus spiritus: nam vt homines abiecti & sordidi, aut qui grauem fuerunt ignominiam passi, demisso incedunt vultu & inflexo collo: sic contra qui excelso sunt apud omnes loco, quique supra reliquos videri volunt, sibique valde in sua fortuna & specie placent, ceruices erigunt, quo non solum supra alios, sed etiam supra seipsos sublimes appareant. Sane de filiabus Sion, quarum & elatio animi & pulcritudinis cura magna fuit, dicitur *Isai III, 16. Pro eo, quod eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo.* Et cum iubeant parentes filias ad modestiam & honestatem componere, id monentur præcipue, vt erectas illarum ceruices, dum adhuc tenera est ætas, incuruent, *Ecclesiastic. XXX, 12. Curua ceruicem eius in iuuentute.* Et qui de suo statu ceciderunt, sine vlla spe ad priorem fortunam redeundi, dicuntur non iam amplius leuaturi ceruices; id est, ambitioso ingressuri incessu. Sic *Iudic. IIX, 28. Humiliatus est autem Madian coram filiis Israel, nec potuerunt vltra ceruices eleuare.*

In erecto collo superbia & fortuna felix significata.

Deinde victores hostium suorum ceruices calcare solent, quæ summa est calamitas, summum dedecus, quale subierunt quinque Reges a Iosue subacti, de quibus *Iosue X, 24.* cum enim extracti essent ex spelunca, in quam eos mortis metus impulerat, *vocauit*, Iosue, *omnes viros Israel, & ait ad principes exercitus, qui secum erant: Ite & ponite pedes super colla Regum istorum*, quod illi fecerunt eodem temporis vestigio. Iisdem verbis victoriam Deus suo populo promittit, qui tunc ab hoste victore tyrannico premebatur imperio. *Baruc IV, 25. Persecutus est*, inquit, *te inimicus tuus, sed cito videbis perditionem ipsius, & super ceruices ipsius ascendes.* Est autem vsitatum in Scriptura, vt qui nullo habetur, aut habendus esse dicitur loco, sed spernendus omnino, pag.193.a ille calcandus dicatur sicut lutum. Sic *Isai. X, 6. Diripiat prædam, & ponat illum in conculcationem, quasi lutum platearum. Michææ VII, 10. Nunc erit in conculcationem quasi lutum platearum.* Cum igitur superborum ceruices redigendæ dicuntur in lutum, conculcandæ dicuntur, non secus atque calcatur lutum, quasi aliquid sordidum & vile. 18.

Superati hostis ceruices calcari solitæ.

Vers. 13. *Tacete paulisper, vt loquar quodcumque mihi mens suggesserit.*] Non facile ferunt viri superbi, notari se ac reprehendi ab aliis maxime de illis rebus, quas ipsi magis, & maiori captant studio, vt si vir, qui fortis & strenuus videri vult, ignauiæ & inertis timoris accusetur, si qui sapientiæ sibi laudem quærit, illiteratus dicatur, & ingeniosus parum. Quare difficile sibi imperare possunt, vt non statim ignominiam depellant, & loquentis 19.

ora obiectis aliis criminibus obstruant; imo vt non manus iniiciant violentas, quæ irrogatam sibi vlciscantur iniuriam. Hoc timere videbatur Iobus, cum verbis, a quibus non videbatur abesse conuitium, amicorum aures verberasset grauiter, & animos non facile patientes iniuriæ exulcerasset vehementer. Atque ideo illos spectare iubet & tacere, quia licet eo tempore non videantur locuti, incitati tamen erant & parati ad respondendum, & repellendam iniuriam, quam sibi arbitrabantur illatam. Dum autem addit; *quodcumque mihi mens suggesserit.* indicat, a suis verbis abfuturum esse mendacium aut figmentum, neque dicturum aliquid, in quo non lingua cum mente consentiat.

20. Vers. 14. *Quare lacero carnes meas dentibus meis: & animam porto in manibus meis?*] Hic locus difficilis est, & varias habet translationes, neque pauciores Interpretum sententias. quas si referre & confutare velim, longus sim, neque credo negotium suscipere admodum necessarium. Adducam eas, quas puto magis ad veritatem accedere. Et primum non probo, quod nonnulli putant, Iobum vere ac proprie, cum vrgeret desperatio & dolor, statuisse vitam suam quam ocissime finire, cum nullus alius occurreret modus, quo tantam dolorum acerbitatem redimeret: a quibus vt se dissolueret, commodum existimauit, si se quoque dissolueret a vita. Hæc autem aliquam habuisse videntur verisimilitudinem, ex eo, quod in summo dolore fecisse dicitur Iobus *c. II, 8. qui testa saniem radebat sedens in sterquilinio.* hæc porro testa videri potuit fuisse dentata, atque ideo appellari a Iobo dentes suos. Aliquid horum videri potuit intuitus, aut suspicatus Eliphaz, cum dixit *c. V, 2. Vere stultum interficit iracundia, & paruulum occidit inuidia.* hanc sententiam aut tenent aut indicant Hieronymus, Beda, Philippus, & Dionysius, pro omnibus accipe Hieronymum: *Torquentibus illum nimiis cruciatibus, manus vel labia sua dentibus lacerabat.*

21. Sunt, qui putent, Iobum, quod prius optare se dicebat, disputationem iam ingredi cum Deo, & rogare, quid tantum in se sceleris admiserit, vt tam grauibus vrgeatur malis, quæ carnis laceratione prouerbiali figura significat, & in extremo sit vitæ periculo, quale iam adiisse existimatur, qui animam suam in manibus portat: ita putant Hebræi, vt docet Eugubinus, & cum ipso e nostris nonnulli. pag. 193, b
Verum nescio, quam apte subiiciatur: *etiam si occiderit me, in ipso sperabo:* & tam cito a secunda persona transeat ad tertiam.

Communior est & meo iudicio magis accommodata sententia illorum, qui respondere existimant, Iobum amicorum criminationi, aut suspicioni, qui eo credebant adductum desperationis, vt consilium secum mortis inierit; eoque nomine aut ipsum accusauerant, aut quo erant ingenio ac sensu, accusaturi videbantur; quasi neget, a se etiam si gravissima patiatur rerum ac corporis incommoda, consilium esse mortis temere ac stulte susceptum: neque illa cogitasse, quæ mortem afferunt: qualia sunt lacerare suis dentibus carnes, quod faciunt, quos rabies exagitat atque vrit, aut qui dolori, aut ignominiæ succumbunt, cum illorum pondus sustinere non posint, aut qui propterea vilem habent vitam, quia illam multis vident angoribus confici, & intolerabilibus vndique infortuniis vrgeri. Tam itaque longe est, vt propter hæc incommoda aut in seipsum hostiliter sæuiat, aut de Deo male, aut contra Deum cogitet ac sentiat, vt speret a Deo omnia secunda; etiam si eo sit adductus, vt suo iugulo strictum gladium impendere videat a diuina manu. Qui autem moriturus iam de vita ac diuina clementia non desperat, quomodo verisimile est in dolore voluisse sibi mortem inferre, aut de illo desperare, qui licet affligat & excruciet, nondum tamen aut intentat iugulo, aut adigit in viscera districtum ferrum? ita putant aut indicant Sanct. Thomas, Caietan. Lyra, Pineda, Cyprianus Cistercienis, & mihi omnino placet. 22.

Addam tamen aliam, quæ licet omnino mihi non probetur, habebit tamen in ea curiosus lector aliquid fortasse, quod non improbet: Duo dixerat hoc ipso capite Iobus, alterum de amicis, quos dixerat esse dolosos & fabricatores mendacii; qui nimirum aliud haberent intus in animo, aliud in lingua: quales sunt illi, quos bifrontes dicimus, qui non aliud præ se ferunt vultu, quod in pectore cælant; 23.

lant; se vero non aliter loqui, quam sentiat: sic enim exponebamus illud, *loquar quodcumque mihi mens suggesserit.* quod hic de se promittit; & quod in duplici & parum sincero amicorum animo reprehendit, id minus vsitato, &, ut appareat, sermone prouerbiali significat. dum enim dicit lacerandas sibi carnes, ostendit aperiendam sibi lacerato pectore fenestram, per quam quiuis possit omnes latebras atque recessus explorare, ac omnino discernere, quid lateret intus, & tandem animum cum externo vultu factioneque conferre, vt quid sincerum & ingenuum, quid insidiosum & infidele esset in homine, cognosceret. Tales autem homines futuros esse dicebat Momus: qui fenestratum haberent pectus, ne quis locus esset, vbi doli atque mendacia laterent. Quod etiam indicat anima palam in manibus portata: quod enim palam portamus, omnium vtique oculis subiicimus. Ab hac sententia non videtur abhorrere Au-
pag.194. a gustinus *lib. Annot. in Iob. Non*; inquit, *mihi parcam, vt non solum vos arguam, sed etiam me.* & illud: *Et animam meam porto in manibus meis.* sic exponit; *Animam meam ponam in manu inspiciendam, vt nihil celem; siue vt computem peccata mea.* Hæc ego meditabar, nescio an vera, certe non sine aliqua verisimilitudine.

24. *Lacerare carnes, quid.* Superest nunc explicemus duas sine dubio figuratas dicendi formas, quibus suum dolorem ac sensum explicat Iobus; lacerare carnes magnam indicat doloris vim, siue hominem spectes, quem vrit ingens dolor, siue in quem hostili alii, atque ardenti aut impotenti furore rapiuntur. Qui enim ingenti dolore insaniunt, impotes nimirum doloris & ignominiæ, aut certe sui ipsorum, suas lacerant carnes, vt qui laborant rabie, aut aliquo alio furore limphatico. Hinc factum est, vt qui se propter casum aliquem durum aut ignominiosum excruciant, dicantur se ipsos lacerare. Sane qui hostes suos durius accipiunt, aut in illos furiose bacchantur, comedere dicuntur, aut esurire illorum carnes, aut sanguinem sitire. Sic Iobus infra ad illos, qui ipsum verbis infestabantur duris, dicebat *c. XIX, 22. Quare persequimini me sicut Deus, & de carnibus meis saturamini?* & *c. XXXI, 31.* eodem fortasse sensu: *Quis det de carnibus eius, vt saturemur?* Sane hoc ex offensione natum esse putant Hieronymus, Gregor. Philippus, Beda, Hugo, Eugubinus, Vatablus, & *Psalm. XXVI, 2. Appropriant super me nocentes, vt edant carnes meas.* Eodem sensu dicitur hostis, cum furore inflammatur in aliquem, illius bibere, aut sitire sanguinem. *Zach. IX, 15.* vbi de hostium strage sermo est, vtrumque coniunxit, & cibum ex hostilibus carnibus, & potum ex illorum sanguine: *Deuorabunt* (nempe hostes suos Iudæi) *& subiicient lapidibus fundæ, & bibentes inebriabuntur quasi a vino, & replebuntur vt phialæ,* quod etiam externis vsitatum. Sic Ouidius *l. 13.* Metamorph.

Licet exercere, meumque
Deuoueas sine fine caput, cupiasque dolenti
Me tibi forte dari, nostrumque haurire cruorem.

Portare animam in manibus; familiaris est 25. Hebræorum forma, neque obscura illius si- *Portare animam in manibus, quid.* gnificatio, vnde vero sumatur metaphora, non ita certum. Hieronymus *epist. ad Sunnam* docet, hunc esse Hebraismum, eoque significari, vitam expositam esse periculo. nam quod manu gestatur, facile excidit, aut etiam facile eripitur. Et hæc est communis omnium ferme Interpretum sententia. Quare cum Ionathas *1. Reg. XIX, 5.* dixit, Dauidem posuisse animam suam in manibus suis, nihil aliud videtur significare voluisse, quam manifestum vitæ adiisse periculum. Quod etiam voluit pythonissa, cum Sauli dixit *1. Reg. XXIIX, 21. Posui animam meam in manu mea.* Sed idem Hieronymus hoc loco, cui Beda subscribit, aliunde putat sumptam esse metaphoram, & sensum esse putat, eo iam miseriæ adductum esse Iobum, vt censeri possit pro mortuo. Quæ enim in manibus habemus, extra nos sunt, & ideo si animam in manibus esse dicamus, excessisse quoque e corpore fateamur, necesse est. Sic autem ibi Hieronymus: pag.194. b
Ipsam vitam suam, quæ solet animæ vocabulo dici, portare se ait, in manibus suis, hoc est, iam in tormentis deficiente anima & exeunte, velut efferendam porto in manibus. Cum hæc eadem tradidisset Beda, adiecit eodem sensu explicandum esse illud *Psalm. CXIIX, 109. Anima mea in manibus meis semper.* Ad quam senten-

tentiam accommodate dicit Hispanus de homine, qui iam extremum ducit spiritum, & haberi potest pro mortuo, *Tiene el alma en los dientes.* id est, iam est extra corpus, aut in extrema, vt aiunt, linea.

26. *Merces illæ, quæ emptorem quærunt, viliores.* Ego aliam etiam causam inueniebam, aut potius meditabar & a scrutariis, aut viliorum mercium ceratoribus putabam illud dicendi genus esse translatum. Hi enim venales habent merces, quæ quia emptores quærunt, & rogant, & publico præconio, aut etiam instrumento clarius resonante euulgantur, neque diu & multum de pretio contendunt, habentur vilissimæ: quia nemo ferme est, qui oblato pretio non referat secum. Quare sensus est, habui vitam ita pro republica & communi vtilitate vilem, vt non dubitauerim quasi rem vilissimam illam profundere, & quasi in lucro pono, si quis illam vel modico pretio, aut etiam gratis sibi velit impendi.

27. *Spei singularis exemplum.* Vers. 15. *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.*] Quia cum Deo statim disceptaturus est, & modus ipse agendi arguere posset Iobum, quod in Deo clementiam & iustitiam requirat, cum suam velit causam & innocentiam tueri, & tamen suum dolorem & duram vexationem amplificat, quæ videbantur in hominem innocentem cadere non posse. ideo huic suspicioni occurrit, & si qua inde nasceretur offensio, illam præcludit. Præmunit denique seipsum, & causam, ne quid amici plus æquo in iudicando præcipites, neque nimis tunc in Iobum beneuoli, ex ipsius verbis arriperent, propter quod illum impietatis aut desperationis arguerent. Hoc totum præmunit breuis hæc oratio: *Etiamsi me occiderit, in ipso sperabo.* quæ in Iobo negat spiritum in ea tribulatione contractum, & in Domino fatetur tantum esse clementiæ, vt cum maxime sæuire videatur, ob illius tamen singularem benignitatem de meliori exitu desperandum non sit.

28. Hæc verba satis meo iudicio confutant explicationem illam, quam cum Hieronymo alii sequuntur, qui dicunt Iobum reuera in seipsum sæuiisse, & carnes suas dentibus lacerasse, qui enim consequens est, vt qui in Domino ita confidat, vt spem certam, mortis præsentia non debilitet, seipsum ferino more laceret, ad quod solum solet adigere rabies, & furor, & extrema desperatio, a qua Iobus se alienum esse docet.

Hic porro dicendi modus, maxime alicuius ingenium clemens & ingenuum commendat, quo vsus est ex profanis Ouidius *lib. 2. Tristium*, vbi sperare se dicit vitam & priorem fortunam ab Augusto, qui & grauibus affecerat incommodis, & plura minabatur in posterum: vbi optima comparatione ostendit, quæ cecidisse aut periisse videbantur, ad felicem statum rediisse. 29. *Clementiæ maxima commendatio.*

Sed solet interdum fieri placabile numen,
Nube solet pulsa candidus ire dies.
Vidi ego pampineis oneratam vitibus vlmum,
Quæ fuerat sæuo fulmine tacta Iouis.
Ipse licet sperare vetes, sperabimus: atque pag. 195. b
Hoc vnum fieri, te prohibente, potest.
Spes mihi magna subit, cum te, mitissime princeps,
Spes mihi, respicio cum mea facta, cadit.

Veruntamen vias meas in conspectu eius arguam.] Non recusat Iobus, si quid ab ipso peccatum est, illud aperire, & omnibus fieri manifestum, quando, vt dixit nuper, animam suam extractam ex animi latebris, quæ occultissimæ sunt, neque multiplices, in manibus coram portare se dicit, & multo minus dicit sua peccata occultanda aut excusanda esse coram Deo, apud quem occultum est nihil, & accusatio criminum defensio est. Quare dicit arguenda esse peccata, id est, accusanda, & vitæ modum, quem hucusque tenuit: quasi hæc sit optima ratio placandi Deum, & excusandæ culpæ, etiam si impendere ab illo videatur extrema calamitas. Quæ non vulgaris est sacramenti pœnitentiæ commendatio. Hæc autem sententia non difficilis est, si *arguere* hoc loco idem quod *accusare* valeat, & illud: *verumtamen*, idem quod *ideo*, quod aliquando in Scriptura contingere diximus supra *v. 3.* ad illud: *Sed tamen ad omnipotentem loquar.* Si tamen idem valeat, quod communiter sonat, & sit potius aduersatiua particula, sensus erit aliquantulum diuersus. Etiam si me occiderit, & gladium habeat meo intentum iugulo, propter peccatum meum, non tamen ideo celabo vias meas, id est, viuendi genus quantumcumque scelerate peractum, 30. *Confessionis vera conditio.*

sed

ſed potius accuſabo, quia ea ratione quem iudicem timebam & aduerſarium, patronum & ſeruatorem habebo. In hunc prope modum Auguſtinus *Annot. in Iob.* Sanct. Thomas, Beda, Lyra, Dionyſius & alii quidam e recentioribus. Pro omnibus accipe Auguſtinum, a quo alii parum diſtant, qui tam hæc verba, quam quæ illis adiuncta ſunt, hoc modo contexit: *Licet occidat me ille, qui potens eſt, qui & cæpit; quamuis occidat peccata mea; tamen loquar, & coram eo arguam me; non me iuſtificabo abſcondens peccata mea. Ecce enim appropinquo iudicio meo, vt iudicem de me; quaſi ipſa ſit hominis iuſtitia in confeſſione ſibi non parcere, tunc a facie tua non abſcondar, quemadmodum abſcondantur peccatores.*

31. Verſ. 16. *Et ipſe erit ſaluator meus.*] Sententia eſt millies a ſanctis vſurpata, quæ magno peccatoribus debet eſſe ſolatio, & ad veram confeſſionem incitamento. Caſſiodorus *in Pſalm. XXXI. O ingenioſa ſimplicitas! o mille tergiuerſationibus cautior puritas! manifeſtare delictum. Illis non iudex, ſed aduocatus eſt Chriſtus, qui ſe propria confeſſione damnarunt.* Ambroſius *libr. 1. de pœnit. capit. 7.* cum adduxiſſet illud Iſaiæ *cap. XLIII, 26. Narra ſi quid habes, vt iuſtificeris. Quid vereris,* inquit, *apud Dominum tuas iniquitates fateri. Adhuc reo culpæ iuſtificationis præmium proponitur: ille enim iuſtificabitur, qui proprium crimen ſponte agnouerit.*

32. *Hypocrita quis.* *Non enim veniet in conſpectu eius omnis hypocrita.*] Hypocrita Græcis eſt, quod Latinis hiſtrio, laruatus nimirum homo, qui aliud ipſe eſt, & aliud ſe eſſe ſimulat, quique non tam eſt auctor ſuæ perſonæ, quam auctor alienæ. Neque raro accidit, vt viliſſimus nebulo Imperatoris aut Pontificis ſummi perſonam ſuſtineat; & qui vitæ eſt profligatæ atque impuræ, ſanctiſſimi ac caſtiſſimi viri larvam aſſumat, & aliena ſpecie ſtultam hominum multitudinem decipiat. Quod tamen apud prudentes homines non aſſequetur, qui norunt ſub honeſta ac ſimulata ſpecie vitia interdum latere turpiſſima. Hi igitur in conſpectum Domini non venient, formaliter nempe, vt Logici loquuntur, hypocritæ, quia Deus ſimulata ſpecie non deluditur, & larvam detrahit, quæ vulgares oculos, quaſi ibi religioſum aliquid lateret, ad venerationem & admirationem alliciunt. Quare ſtultus eſt, ac dignus, qui a diuina clementia ſupplex repellatur, qui plurimis delibutus flagitiis in conſpectu Domini, cui omnia ſunt aperta, ſanctus videri vult, & tam inuerecundo conſpurcatus fuco, magnorum ſcelerum obtinere veniam.

pag. 195. b

33. Hæc explicatio mihi difficilis non eſt, & belle cum toto textu facit, in quo Iobus ait, nihil in ſuis conſiliis atque rationibus fore ſimulatum. Verum communis eſt, neque difficilis ſententia, quæ dicit, hypocritam non venturum in diuinum conſpectum, quia illud hominum genus Deus a ſe repellit, vtpote odioſum, & a quo Deus ſimplicitatis amator vehementer abhorret. Quod autem venire aut eſſe in Domini conſpectu, eius ſit, cuius Dominus conſuetudine lætatur, quemque habet ſibi familiarem & gratum, multa probant. Sæpe enim audimus, impios non futuros ante oculos Domini, & ea cauſa creditur, quia impios odit Dominus, & eos, qui loquuntur mendacium, quæ poſteriora verba hypocritam deſcribunt, *Pſalm. V, 6. Non habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniuſti ante oculos tuos, odiſti omnes, qui operantur iniquitatem, perdes omnes, qui loquuntur mendacium.*

34. Gregorius aliter explicat ad mores optime, neque parum ad textum, ait enim, iuſtos venire in Dei conſpectum, cum coram Deo aſpiciente, & iudice, ſua peccata ſeuere diſcutiunt, apud quem nihil ſimulatio valet & hypocriſis. *Tunc,* inquit, *venimus in Dei conſpectum, quando noſtra peccata ſubtiliter perpendentes in eius nos conſpectu punimus, & flendo diiudicamus. Nam quoties conditoris noſtri potentiam ad ſenſum reducimus, toties in conſpectu illius ſtamus.* De impiis autem & hypocritis ait: *Non veniet in conſpectu eius omnis hypocrita: quia deſtructionem Dei ante oculos non ponit, dum placere humanis oculis concupiſcit. Qui ſi mentem ſuam diſcutiens ſemetipſum in conſpectu Dei poneret, profecto iam hypocrita non eſſet.*

35. Verſ. 17. *Audite ſermones meos, & ænigmata percipite auribus veſtris.*] Hactenus Iobus præmiſit ea, quæ minus moleſtam redderent

disputationem cum Deo, & si quid oleret impietatis, illud eleuaret, aut etiam detergeret. Eo enim spectat appellare Deum clementem & iustum, a quo dum sæuiret, maxime impetrari posset misericordia. Quod etiam fecit multis postea sæculis Ieremias *c. XII, 1.* vbi similia verba præmisit, ne quid impietatis haberet disputatio, cum prius quam cum Deo expostulare videretur, iustum appellet: *Iustus quidem*, ait, *tu es Domine, si disputem tecum; veruntamen iustum loquar ad te. Quare via impiorum prosperatur?* Ænigma obscura quædam est allegoria, quæ sententiam obscuris tegit inuolucris, in qua explicanda laborant interdum diu, & torquentur
pag. 196.a *Quæ ænigmata in libro Iobi.* ingenia. Vocat autem Iobus sermones suos ænigmata, quia multa in illis inuoluuntur obscura, quæ non vulgares mentes assequuntur; quia quomodo, quæ dissidere inter se censeri possent, componentur, non vident. Quale est, quod Deus sit æquus & misericors, & tamen cum illo expostulare videatur, quod tam acerbe vexet innocentem. Quod se iustum appellat, & tamen superbi labem non incurrat, quæ raro admodum a propriis laudibus abesse solet. Quod cum Deo carnei oculi non sint, & penitus videant, quæ humani non vident oculi, dicat tamen in diuino se iustum inueniendum. Hæc sane omnia ænigmata sunt, ad quæ Iobus attentos esse vult amicorum animos.

36. Vers. 18. *Si fuero iudicatus, scio, quod iustus inueniar.*] Hæc pars est ænigmatis, quam amici, quantumuis acuto ad excogitandum ingenio, nunquam intellexerunt. Agit hic sine dubio de diuino iudicio, quod cupere se dicebat supra *vers. 3.* quod tametsi seuerum sit, & omnia quantumcunque leuia exploret, & puniat errata, de quo supra *cap. IX, 28. Verebar omnia opera mea, sciens, quod non parceres delinquenti*; tamen putat, in eo iudicio nullum sibi impingendum iniustitiæ crimen. Quod an de illa virtute, quæ proprie iustitia dicitur, intelligendum sit, an de illa, quæ virtutum omnium complexio est, a qua homo iustus appellatur, & sanctus esse dicitur, quæstio esse posset. Quod Iobus iustus fuerit ea iustitia, quæ cuique tradit quod suum est, neque cuiquam irrogat iniuriam, multis probauit *c. XXXI.* Sed credo de illa iustitia loqui Iobum, quæ omnes amplectitur virtutes, quam se religiose coluisse affirmat eodem capite, vbi ab omni vitio abstinuisse se dicit studium, & manus.

Sed quis hæc componat cum illo, quod pro- 37. *Pœnitentiæ commendatio & vis.*
xime dixerat *v. 15. Veruntamen vias meas in conspectu eius arguam.* Ænigma hoc soluisse mihi videtur ipse Iobus, dum rationem ostendit, quomodo placari possit Deus, & peccatorum obliuisci, quæ in iudicium suum deducta fuerint; cum enim dixisset, *vias meas in conspectu eius arguam*; statim ostendit, hoc ipsum apud Deum, qui pœnitentiam & sinceram nimirum confessionem commendat & amat, maximum esse remedium, quo expientur peccata, & homo iudicetur iustus, & Deus patronus atque seruator sit, non hostis & iudex. Tantum valet sincera & simplex peccatorum confessio, quæ culpas accusat, non defendit; aperit, non tegit, alieno fuco; & ideo subdit: *Et ipse erit saluator meus.* Quod nullo modo ait concedendum hypocritæ, qui vsque adeo peccata non nudat, vt illis honestam speciem religionis obtendat, & mendaci tegat & decoret ornatu: *Non veniet*, inquit, *in conspectu eius omnis hypocrita.* Ait ergo Iobus, in eo iudicio se inueniendum, id est, declarandum esse iustum: quia licet peccator ingrediatur, quia tamen peccata non operiet, sed potius nudabit, accusabitque, iustus egredietur. Ita August. indicat ad hunc locum: *Coram eo*, ait Iobus, *arguam me, non me, iustificabo abscondens peccata mea: Ecce enim appropinquo iudicio meo, vt iudicem de me quasi ipsa sit hominis iustitia in confessione sibi non parcere.* Eodem quo Iobus consilio 38.
vsus est Dauid *Psalm. XXXI, 5. Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Quanta porro sit hæc confessionis & pœnitentiæ vis, docuit Chrys. *hom. 80. ad populum: Ne mihi dicas, nimium peccaui, & quomodo possum saluari? Tu non potes, tuus potest Dominus, & ita* pag. 196.b
delet peccata, vt neque eorum remaneat vestigium. In corporibus quidem hoc non licet; quin etiam si millies medicus laboret, & imponat vulneri remedia, vulnus quidem tollit, cicatrix vero permanet, vulneris circumferens argumentum,

tum, aspectu deformitatem. Et licet in infinitum medicus contendat, non tamen cicatricem delere potest: ipsa namque naturæ repugnat imbecillitas, & artis impotentia, vilitasque medicamentorum: Deus autem, cum delet peccata, neque cicatricem relinquit, neque permittit remanere vestigium, sed cum sanitate pulcritudinem quoque restituit, cum liberatione a pœna dat & iustitiam, & præuaricatum non præuaricato similem reddit. Porro hic obseruandum, iustum inueniri in iudicio, non qui culpis caret, cum illius nomen in iudicium defertur, sed qui iustus declaratur, aut non condemnatur a iudice. Sic Paulus duo ista coniunxit sibi vicissim opposita, *condemnare* & *iustificare*. Illud significat declarare aliquem peccati reum, & obnoxium pœnæ: hoc iustum, & qui supplicio affici non debeat, *Rom. IIX, 33. Deus qui iustificat, quis est, qui condemnet?* & *Isai. V, 23.* a peruersis iudicibus iustificari dicuntur impii pro muneribus. Quod autem munera faciunt apud improbum & corruptum iudicem, id faciunt apud Deum pœnitentis lacrymæ, & nuda criminum & verecunda confessio.

39. S. Thomas putat non affirmare hoc, aut sperare Iobum de iustitia vitæ, cum proxime dixerit, *vias meas in conspectu eius arguam*; sed de veritate doctrinæ, de qua in eo iudicio disceptabatur, & concludit, quod nos proxime diximus: *Ille in iudicio inuenitur iustus, pro quo sententia fertur.* Idem sentit Lyra, & addit: *Vnde cum aliquis disputando verum dicere demonstratur, quasi in iudicio verus inuenitur.* videtur autem Iobus iudice Deo in hac disceptatione cum amicis fuisse superior, & ideo probatus iustus, quia *c. XLII.* Iobi causa probatur, damnatur amicorum. Sed ideo minus mihi posterior hæc explicatio placet, quia hæc disputatio non est cum amicis, neque de amicorum verbis instituitur, sed cum Deo, quo sensu a nobis supra explicatum est, vbi ratio adducitur, cur cum Iobo mitius agi debeat. Quæ non tam disceptatio dici, quam oratio debet supplex & humilis; & eo modo cum Deo congreditur, quo Deus non inuitus superatur, & manus dat liberales & mites, quas paulo antea habere videbatur armatas & infensas.

Hebræus textus habet, vt vertit Pagninus: 40. *Si disposuero iudicium, noui quod ego iustificabor.* Hebræus apud Caietanum: *Ecce nunc ordinaui iudicium.* Quibus verbis modus quidam peccatori præscribitur, quo in congressu iudiciali cum Deo superior euadat, sui voti ac desiderii compos. Illa vero ordinatio seu dispositio ea est, vt conscientiam nudet ante Dominum, & sincere confiteatur, & arguat culpas, a quibus expiari vult, & illarum declinare supplicium.

Quomodo ordinanda confessio.

Aliqui in hoc iudicio superiorem futurum 41. esse Iobum putant, etiam si cum Deo sit illa iudicialis disceptatio, quia Iobus non contendit se indignum esse illo, quod patitur, aut etiam grauiori supplicio, sed pati se pœnas longe grauiores, quam imponi in hac vita solent hominibus, qui non grauiora, quam ipse peccauerint. Neque enim ipse omnium grauissime atque profligatissime peccauit, & tamen illo nemo vexatus est acerbius. Qua de re egimus pluribus supra *c. VI, 2.* ad illud: *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior, in statera, quasi arena maris hæc grauior appareret.* pag. 197. a Neque mihi hæc cogitatio difficilis est, sed sane cum illa male se conciliant nonnulla, quæ deinde sequuntur.

Vers. 19. *Quis est qui iudicetur mecum? veniat.*] Lacessit ex amicis, aut etiam ex aliis de 42. populo ac vulgari turba quemcumque ad illud iudiciale certamen, cuius erit Deus arbiter & præses, qui litem dirimat, & de re tota pro sua auctoritate decernat. Illud *iudicetur mecum*, morem ostendit, quem in controuersiis dirimendis habuit antiquum illud sæculum, sicut etiam alicubi nostrum, vbi concertatores in iudiciis obiiciunt, audiuntque vicissim obiecta crimina. Quare qui alterum 43. in iudicium vocat, non potest de suo nomine & capite recusare iudicium; quod libens de se subiit Iobus ipse, etiam cum esset integra existimatione atque fortuna, & summum inter suos teneret locum. Sic autem ipse de se *cap. XXXI, 13. Si contempsi subire iudicium cum seruo meo, & ancilla mea, cum disceptarent aduersum me.* Sed Deus ipse hanc iudicii formam non detrectat; & audire vult, si quid vilis homuncio obiicere audeat maiestati sum-

Deus non solum iudicare vult homines, sed etiam ab hominibus iudicari.

summæ. *Iſai. I, 18.* cum grauia populo obieciſſet crimina, ipſe etiam audire de ſe vult, ſi quid contra populus velit obiicere; *venite*, inquit, *& arguite me.* Eodem modo ſubire vult apud populum iudicium, *Micheæ VI, 3. Populus meus, quid feci tibi?* Clarius Iſaias *cap. XLIII, 26. Reduc me in memoriam, & iudicemur ſimul: Narra ſi quid habes, vt iuſtificeris.* Super quæ verba Gregorius *libr. 25. Moral. cap. 6. Debet enim vniuscuiusque mens, & cauſas ſuas apud Dominum, & cauſam Domini contra ſe ſollicita inquiſitione diſcutere. Debet caute penſare, vel quæ ab eo bona perceperit, vel quæ mala bonis illius peruerſe viuendo reſponderint.* quod electi quidem quotidie facere non ceſſant. Lege reliqua. Quod ſane pro moribus documentum præclarum eſt.

Examen conſcientiæ quale.

44. *Quare tacens conſumor?*] Locus iſte ad plurimas patet ſententias, & varias accipit a variis. Quidam putant, hæc ad humanum familiareque iudicium pertinere, quo amici diſceptant inter ſe, adhibito interdum arbitro, qui controuerſiam dirimat, cum tamen Iobus nullum haberet prudentem aut incorruptum iudicem, cui ſuam cauſam permitteret; neque vllus etiam ſi foret laceſſitus, ad certamen deſcenderet, illi neceſſario ſilendum fuit, quod illi inſtar eſſet mortis, cum apud imperitam multitudinem, qui accuſatus aut reprehenſus ſilet, reum ſe fateatur neceſſe ſit, & ſua ſe taciturnitate compungat. Quare cum loqui maxime cuperet Iobus, neque vlla concederetur legitima loquendi facultas, vrebatur & conſumebatur intus, & ne omnino ſuam ipſe cauſam videretur damnare, Deum eligit iudicem, & cum illo loquitur: ſic attemperata actione, vt non ſolum cum iudice, ſed etiam cum concertatore diſceptaſſe videatur. Hæc explicatio ex variis auctoribus conflata eſt.

45. Sanctus Thomas duas affert explicationes; altera eſt, nolle Iobum, qui iam extremum ſibi diem impendere ſuſpicabatur, tacere atque occultare arcana quædam, quæ a Deo acceperat, aut vſu longo atque experientia didicerat, vt quando moriendi neceſſitatem euitare non poterat, in ſua doctrina viueret, & mortuus etiam, quoad fieri poſſet, poſteritati proficeret. Quare, inquit, tacens conſumor, cum docendo poſſim finire vitam, neque fas ſit extremum hunc ſpiritum, quem e cœlo haurio, inutilem excedere. Hæc aut his affinia in priori explicatione Sanct. Thomas.

Silentium de Deo aliquando timendum.

pag. 197. b

46. Poſterior explicatio, quæ cum aliis pluribus communis eſt, docet, difficile eſſe, continere ſermonem, maxime cum exiſtimatur non futurus inutilis, & alia ex parte pios animos charitas vrget; tunc enim loquendi ſtudio diſcruciatur homo: & verba concepta prius, & nunc, compreſſa viſcera diſrumpunt. Hæc porro loquendi inflammata cupiditas optime cum eo dolore comparatur, quem habet puerpera, & ea cupiditate & nixu, quo conceptum in vtero fœtum conatur excludere: qui ſane ita vehemens eſt, vt cum eo dolore maximus quiſque dolor in Scriptura ſacra comparetur. Sane dolorem parturientis patiebatur Ieremias *c. XX, 9.* cum non poſſet, quod accepiſſet a Domino libere loqui, cum tamen illud eſſe manifeſtum referret plurimi: *Neque loquar vltra in nomine Domini. Et factus eſt in corde meo, quaſi ignis æſtuans, clauſusque in oſſibus meis, & defeci ferre non ſuſtinens.* Quis non optaret partum illius fœtus, qui rumpebat viſcera, & conſumebat oſſa. Hunc ego locum *in Commentariis ſuper Iſaiam* aliter explicui. Sed viri ſancti, maximique Doctores charitatem hic agnoſcunt, quæ non aliter quam ignis animum inflammat.

Sermonem continere difficile.

47. Gregorius *lib. 13. Moral. cap. 10.* dicit, illam æſtuantis animi vim non potuiſſe ſuſtinere Ieremiam, etiam ſi prius ſilere ſtatuiſſet, quia vrgebat charitas, cum hominum peccata magis increbeſcerent. Idem Chryſoſtomus *homil. 1. de Lazaro tomo 2.* Theodoretus, Sanct. Thomas, & omnium maxime Hieronymus, qui optime docet, diuini verbi efferueſcentem æſtum cohiberi non poſſe. Vide quæ nos ad illum Ieremiæ locum. Sic idem Ieremias *cap. IV, 19.* magis ad parturientis metaphoram, ait, cum inſtigante ſpiritu loqui meditaretur ad populum: *Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo. Senſus cordis mei turbati ſunt in me. Non tacebo, quoniam vocem buccinæ audiuit anima mea.* Et Iſaias, cum loqui vellet, neque tamen poſſet, conſumi ſe dicebat, & tabeſcere, *cap. XXIV, 16.* Vbi enim Vulgatus: *Secretum meum mihi, ſecretum meum*

Non loqui cum charitas vrget magnus dolor.

meum mihi. Væ mihi. textus habet Hebraicus, vt Hebræi volunt, atque hebraizantes, *macies mihi, macies mihi, aut tabes.* quasi dicat: Contabesco dolore, atque animi angoribus totus extenuor atque conficior, cum tacere cogor, & secretum seruare, quod intueor, video enim pœnas peccatori propositas, & vix vnum aut alterum video, qui peccatum horreat.

48. *Stultus sermonem continere non potest.* Similem affectum explicabant, & sentiebant viri quoque impii, cum loqui non permitterentur, quæ concepissent animo, maxime cum in illis sibi placerent plurimum, & sapientiæ laudem in hominum opinione captarent, sumebantque non raro, vt suum explicarent
pag.198. a sensum, a puerperæ nixu atque dolore metaphoram. Sic *Eccles. XIX, 11. A facie verbi parturit fatuus, tamquam gemitus partus infantis.* Neque enim aliter torquetur stultus, dum verbum continet, quam mater, dum in vtero comprimit maturum fœtum. Et statim *vers. 12.* alia explicatur similitudine illa loquendi rabies, qua laborat fatuus: *Sagitta infixa femori canis, sic verbum in corde stulti.* Hanc porro auiditatem seu studium loquendi proprium esse Idumæorum, videtur indicasse Eliphaz *cap. IV, 2.* dum ait, esse difficile non proferre lingua, quem prius animo sermonem conceperis; *Conceptum*, inquit, *sermonem tenere quis poterit?* neque improbabile est, illum dicendi modum, qui sumit a parturiente metaphoram, fuisse apud Idumæos prouerbialem. Quod probat Idumæus Eliu infra *cap. XXXII, 17. Ostendam*, inquit, *scientiam meam. Plenus enim sum sermonibus, & coarctat me spiritus vteri mei. En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas nouas disrumpit: loquar, & respirabo paululum.* Hoc modo affici atque consumi Iobum putabat Sanctus Thomas, dum non loquitur, quæ maxime euulgari cupiebat: *Cum aliquis*, inquit, *dolorem, quem in corde patitur, exterius exprimit, quodammodo illius animus mitigatur; sed tacendo interius magis a dolore angustiatur, & quodammodo sua taciturnitate consumitur.*

49. Hæ apud me explicationes graues sunt. Addo tamen aliam, quæ plurimum facit ad mores, neque, vt opinor, abhorret a textu, quam aut tradit, aut saltem indicat Gregorius, qui ait, ideo a Iobo quemlibet ad iudicium asciсci, quia de exterioribus actionibus, de quibus humani iudicant sensus, nihil videt a se commissum, quod alii reprehendant, de internis autem, quæ magis sunt occulta, neque interdum ipse, qui patrauit, intelligit, sollicitus est. Sicut etiam Dauid, qui vt ab occultis mundaretur, orabat a Domino *Psalm. XIIX, 13.* & hæc illum cogitatio conturbat & conficit. Sic autem ibi carptim Greg. *Viri iusti quantum agere possunt, ne exterius labantur in opere, tantum interius agere nequaquam possunt, vt nunquam labantur in cogitatione. Beatus ergo Iob tam voce electorum, quam voce sua loquens dicit; Quis est, qui iudicatur mecum? veniat. Quia enim in exterioribus actibus, vnde reprehendatur, non habet, libere accusatorem quærit. Quia vero etiam iustorum corda semetipsa nonnunquam de stulta cogitatione reprehendunt, propter hoc fortasse dicitur: Quare tacens consumor? tacens enim consumitur, qui de stulta se cogitatione reprehendens apud semetipsum dente conscientiæ mordetur.*

Ex his Gregorii verbis hanc ego explicationem informo: Coarctabatur Iobi spiritus, 50.
quia timebat, ne quid esset admissum, quod diuinam a se beneuolentiam auerteret; peccatorum autem illud nouerat esse remedium, si peccata nudaret, & ea in conspectu Domini dolenter argueret; quod dixit non obscure *vers. 15. Vias meas in conspectu eius arguam, & ipse erit saluator meus.* Nunc ergo seipsum reprehendit, quod cum tanti angoris ac morbi promptum sit remedium, in voce nimirum, quæ peccata fateatur & arguat, nihilominus ipse taceat, & seipsum stulta taciturnitate consumat, nempe cogitatione tristi, & quotidiano atque perpetuo metu. Hæc noxia atque importuna taciturnitas pene consumpsit Dauidem, clamareque coëgit: *Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea.* Hæc pro auriculari confessione grauia sunt, quæ dum ab impiis contemnitur, aut ab stulta verecundia formidatur, cum tamen illam obire difficile non sit, occupat diabolus animum, quem reperit occupatum pudore. Qua de re frequentes sunt apud Patres, grauesque sententiæ, & exempla plane horribilia eorum, quibus pudor obstitit, quominus animum detegeret *Confessionis vtilitas.* pag.198. b

ſincera confeſsio, qui ideo æternis flammis addicti dicuntur: & ſtulti ſilentii pœnas ſe dare, & daturos in æternum clamant, & quod ſacerdoti vtiliter reuelare noluerunt, id toti mundo ſine vlla vtilitate, & cum ſummo dedecore reuelare coguntur.

51. Verſ. 20. *Duo tantum ne facias mihi, & tunc a facie tua non abſcondar.*] Cum ſtatuiſſet Iobus tandem non tacere, neque vllus licet prouocatus veniret, qui externa opera damnaret, aut reprehenderet in illo familiari iudicio, ſubire voluit diuinum vultum & examen, quod vt facere queat commodius, certe minus incommode, de duobus prius ſibi cautum eſſe voluit. Alterum, vt reſpirare ſibi tantiſper liceat ab eo dolore, qui liberam eripit loquendi facultatem, imo & glutiendi ſaliuam, vt maiori cum attentione poſſit & ſua peccata cognoſcere, eaque arguere, vt quicquid attentionis dolor aufert, id totum in peccatorum cognitionem & gemitum conuertat. Alterum, ne terreat vel oblatis minis, quarum importabile pondus fuerat expertus: vel ſua maieſtate, quæ eloquentes homines reddit elingues. quæ ſi conſecutus fuerit, facilius cum Deo & audacius ageret; *& tunc*, inquit, *a facie tua non abſcondar*; quaſi diceret; abſconderem me vtique, neque vultum tuum auderem ſubire, niſi hiſce duobus ſignis, & tuæ clementiæ beneficiis coniectarem, te mihi futurum eſſe beneuolum.

52. Verſ. 22. *Voca me & ego reſpondebo tibi: aut certe loquar, & tu reſponde mihi.*] Sicut in pugna inferri ſolet & repelli vulnus: & ideo qui militari aut athletico congreditur more, gladium geſtat & clypeum, illo petit antagoniſtam, hoc petitionem excipit & auertit: ſic etiam in ſtadio literario, vbi non manus, & arma, ſed ingenia & rationes conferuntur, alius eſt, qui laceſsit & vrget intorquens pro telis argumenta, alius, qui obiecta diſſoluit & infirmat. Optionem ergo dat Iobus Deo, vtrum malit, eligat, quod eius eſt, qui ſuæ cauſæ fidit, neque ſibi conſcius eſt vllius culpæ, ſiue roget & oppugnet, & ipſe ſibi partes reſpondentis eligat, ſiue reſpondeat, & obiecta diſſoluat, a Iobo in ea diſceptatione laceſsitus. Agit itaque Dei, ſuamque cauſam coram Deo, quem & iudicem & magiſtrum habere vult: quia illius arbitrium ſociis non permittit, quos in ſe iniquius animatos eſſe videt, & Dei cauſam agere, licet interpoſito mendacio ac dolo, vt ante illis liberius exprobrarat, & Dei faciem in iudicando accipere, quod iudiciorum non permittit integritas.

Verſ. 23. *Quantas habeo iniquitates, & peccata, ſcelera mea & delicta oſtende mihi.*] Quod reliquum eſt capitis, facillimum eſt: cum enim Iobus quid paſſus fuerit, patiaturque, proponat homo vilis, & in quo nihil ſit ad tantam vexationem roboris, cupit a Deo cognoſcere, quænam tanta ſint ſcelera, quæ diuinum furorem ad illam ſuppliciorum acerbitatem inſtimularint; & cur ab illo faciem & beneuolentiam auertat quaſi ab inimico, quem omnibus modis extinctum eſſe vult. Hic aliqui nimium curioſe diſcrimina ſtatuunt inter *peccata*, *iniquitates*, *delicta*, & *ſcelera*, quæcunque illa ſint, ab hoc ego negotio ſuperſedeo, quia alienum eſt: hoc tantum dico, exactam Iobum voluiſſe fieri ſuorum ſcelerum diſcusſionem, quod ſatis explicuit multarum vocum idem ſignificantium conglobatione. Scire autem cupit, in quo ipſe tantopere peccauerit, vt & ipſe de peccatis doleat, & cautior ſit in poſterum, ne ad eundem lapidem iterum offendat; non vt Deum inclementiæ aut iniuſtitiæ condemnet, vel certe ipſius peccatis in hominum conſpectum productis, intelligant omnes, non pendere ipſum, dum tam punitur ſeuere, peccatorum pœnas: ſed alias ob cauſas, quæ a culpa vacant, in examen illud durum fuiſſe deductum. 53.

pag. 198. a

54. Verſ. 24. *Contra folium, quod vento rapitur, oſtendis potentiam tuam, & ſtipulam ſiccam perſequeris.*] Poſſet Deus tam acerbe hominem punire, vt ſuam potentiam, imperium, & robur, manifeſtius oſtenderet, quomodo Pentapolim cœleſti conſumpſit incendio, copioſa inimicorum caſtra temporis momento ſubuertit; & quod *capite præcedenti* legimus, balteum Regum diſſoluit, optimates ſupplantat, multiplicat gentes, & perdit eas, & ſubuerſas in integrum reſtituit. Sed hanc rationem infirmat Iobus, dum ait, ſe non eſſe eiuſmodi, vt in illo Deus ſuam poſſit commendare potentiam, cum nihilo fortior ſit folio, quod a tenui aura excutitur ab arbore,

Prouerbium. Folium & ſtipula ſicca pro re futili.

re, & in omnem partem sine vllo pondere difflatur. Aut sicut arida stipula, quæ abripitur a vento, aut sine vlla cunctatione ab igne comburitur, neque plus assequeretur Iobum persequendo, quam assequeretur, si appeteret canem mortuum, aut pulicem vnum, quod *1. Reg. XXIV, 15.* dixit Dauid insequenti Sauli. Istæ vero duæ comparationes prouerbiales esse videntur, quibus res tenues ac futiles significamus, quibus nullæ sunt aut nonnisi debiles ad resistendum vires. Cuius rei plurima sunt in Scriptura sacra testimonia, sæpe homo vocatur fœnum, quod parum differt a palea & stipula, folium etiam dicitur *Ecclesiastic. XIV, 18.* stipula & palea infra *cap. XLI, 18. 20.* pro rebus maxime futilibus sumuntur.

Illud porro hic obseruandum, dum se Iobus folium & stipulam appellat, præparare sibi accessum ad diuinam misericordiam, quæ eo se facilius inflectit, vbi maiorem videt esse miseriam.

55. Vers. 26. *Scribis enim contra me amaritudines.*] Explicat, quomodo Deus contra folium & arentem stipulam, suam voluerit ostendere potentiam. Quia stabili decreto & obfirmato animo videtur illud aut studio sibi aut ludo habuisse, vt Iobum affligeret, omninoque contereret: quando iamdiu multis illum doloribus excruciat, & adhuc brachium habet ad vlteriorem plagam intentum. Agit autem cum Deo, quasi cum iudice, qui quod firmum & ratum esse vult, non satis habet voce coram edicere, sed etiam refert in tabulas, quo plus habeat firmamenti & fidei, & hoc est commune magis, neque mihi displicet.

56. Sunt tamen, qui in *amaritudinibus* non intelligant pœnas, quæ peccata aut expiant, aut puniunt, sed peccata ipsa, quæ, vt humano modo loquar, Deus scribit, vt nunquam excidant ex memoria: sic enim homines faciunt, quibus imbecilla est memoria, quique facile præteritorum obliuiscuntur, nisi promptum
pag. 199. sit hoc familiare subsidium. Deus autem se ad hominum ingenium interdum accommodat, & quod hominum est, sibi ipsi nonnunquam attribuit, vt homines in humanis assueti melius intelligant. Quod autem Deus hoc quem diximus modo, peccata scribat, dicit idem Deus *Isai. LXV, 6. Ecce scriptum est coram me.* vbi nos ea de re pluribus. Quod autem peccatum dicatur, amaritudo, fel, absynthium, notum est. ita sane *Oseæ XII, 14. Deut. XXIX, 18. Actor. IIX, 23.* Hæc sententia mihi non displiceret, si peccata sumas pro peccatorum supplicio. Quod obuium est in Scriptura. Tunc autem amaritudines idem valent, quod peccatorum pœnæ, & nihilo hæc expositio a priori differt: huic autem explicationi belle assonat, quod statim additur.

Et consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ.] Scripsisse videtur Deus, index vindexque peccatorum, in tabulis aut peccatorum pœnas, aut etiam peccata, quæ in iuuenilibus annis Iobus admiserat: quorum exigit ab illo pœnas in grandiori ætate: ita Iobus ipse meditatur, quia cum recentium peccatorum non morderet cruciaretque conscientia, luere se pœnas arbitrabatur eorum, quæ adolescens peccauisset; quorum tamen illi nulla memoria suberat: suspicari tamen poterat, se interno aliquo motu deliquisse, qui tam solet interdum esse occultus, vt ipsum quoque lateat auctorem. 57.

Vbi Vulgatus, *consumere me vis peccatis*, 58.
Hebræus habet, *hæreditare* aut *possidere me facis peccata*, &c. qui præclarus est ad mores sensus, & sententia in Scriptura sacra sæpius iterata. Homines enim hæredes sunt eorum omnium, quæ præcedentes anni pepererunt, & eorum carpunt fructus in senectute, aut etiam æternos, cum ex hac vita primum excesserunt. Quod dixit Isaias *c. III, 10. Dicite iusto, quoniam bene, quoniam fructum adinuentionum suarum comedet. Væ impio in malum, retributio enim manuum eius fiet ei;* vt illorum quilibet sementem fecerit, ita & metet. Ex peccato fel & absynthium, quia est radix germinans amaritudinem, pudorem & ignominiam: neque enim aliud germinat stirps illa maledicta: *Quem fructum*, inquit Apostolus, *accepistis eorum, in quibus nunc erubescitis.* vulgo Hispanorum dicitur quemlibet suorum operum esse filium, neque vllam habere siue nobilitatem, siue sordes, nisi quas a suis parentibus, id est, operibus hauserunt,

Quis fructus peccato respondeat.

quia

quia nimirum illorum hæredes ſunt legitimi, neque vllus eis perit illius hæreditatis fructus. *Eccleſiaſtic. VI, 1. Improperium & contumeliam malus, hæreditabit*, & *cap. X, 13. Cum morietur homo, hæreditabit ſerpentes, & beſtias, & vermes.* Quia ille fuit fructus, propriusque prouentus naturæ lapſæ, qui ad eius filios hæreditario iure peruenit. Iuxta hæc Iobus luere ſe ſuſpicabatur, quæ adoleſcens admiſit; & hæreditare fructus, quos iam pridem obliuioni traditi iuueniles anni ſeminarunt.

59. *In quo peccat homo, in eo punitur.* Verſ. 27. *Poſuiſti in neruo pedes meos, & obſeruaſti omnes ſemitas meas, & veſtigia pedum meorum conſideraſti.*] Explicat Iobus, quomodo luat iuuentutis errata, aut hæreditarit legitimus hæres adoleſcentiæ fructus. Id ius tam diuinum, quam humanum præſcribit, vt in quo peccauit homo, in eo puniatur. *Sap. XI, 16.* vbi ſermo eſt de Ægyptiorum ſupplicio: *Quod quidam*, inquit, *errantes colebant mutos* pag.200.a *ſerpentes, & beſtias ſuperuacuas, immiſiſti illis multitudinem mutorum animalium in vindictam, vt ſcirent, quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* *Falſariorum pœna.* Lampridius falſariis Alexandri edicto inciſos eſſe dicit digitorum neruos, & alterius Claudii edicto manus abſciſſas, teſte Suetonio; vt pars illa præcipue pateretur, quæ alienam manum ſcriptione fallaci mentiebatur, quod ſupplicium poſtea Cæſarum decreto ſtabilitum eſt. Quod item ſupplicium impactum eſt hæreticis, qui Scripturæ ſacræ infideles aſperſerunt labes, aut hæreticorum libros ſcripſerunt. *Pœna eorum, qui ſcripturam corrumpunt.* Et Conſtantinus lenoni, aut cuicunque turpium amorum conciliatori eam conſtituit pœnam, vt fauces oriſque meatus liquato plumbo claudantur, in quibus vox illa lenonia formata eſt *l. 1. C. 25. de rapt. virg.* Et ex Nouella quadam Leonis & Conſtantini periuro lingua præcidi iubetur. Sed omnia pene collegit eleganter Galen. 7. *de Platonis atque Hippocratis placitis*, vbi ait, & olim, & ſuo tempore conſueuiſſe dominos infidelibus ſeruis huiuſmodi impingere aut inurere ſupplicia. *Seruorum quomodo varia peccata plectuntur.* Si enim aufugiſſent domo, vrebant, aut incidebant, aut verberabant, & tundebant crura: idem faciebant in manibus, ſi furaces eſſent: neque parcebant ventri, ſi immoderatius indulgerent abdomini; quod ſi nugaces eſſent, ſuo quoque ſupplicio plectebatur lingua. Denique illa torquebantur aut fœdabantur membra aut plaga aut ſtigmate, quæ improbe factorum inſtrumenta fuerunt.

Sic puto Iobus meditabatur obſeruatas eſſe 60.
a Domino ſemitas omnes, quæ ipſe ſuo in iuventute veſtigio notauerat; neque prætermiſſum vel vnum paſſum, qui deuius eſſet a recta via, vel in quo aliquid foret quomodocumque peccatum. Cum autem pedes ad illud opus, aut locum adduxiſſent, quæ Dominus minus probaret: ideo coniectabat pedes ſuos in neruo concluſos: ita vt qui vago & libero, quacumque luberet, ferebatur inceſſu, alligatus neruo in nullam partem commoueri poſſent. Hæc mihi videtur facilis & germana ſententia, in qua aliquid video non proprie, ſed figurate dictum. Alterum eſt, per ſynecdochen ſpeciem poſitam eſſe pro genere, & pedes poſitos pro quocumque membro, quod quia alicuius peccati inſtrumentum fuit, ſic etiam ſuo quoque ſupplicio obnoxium eſſe debuit. Neque enim pedes tantum alligati ſunt neruo, & ſublata huc atque illuc diſcurrendi licentia; ſed afflicta aut exulcerata lingua, aures aſſiduis verberatæ conuitiis, palatum non tam recreatum quam offenſum inſulſo cibo: denique totum corpus ſic affectum, vt nulla pars illius eſſet immunis a plaga. Quare ſuſpicari poſſet non vna tantum corporis parte fuiſſe peccatum.

Hæc itaque ſuſpicari potuit Iobus, & id a 61.
Deo noſſe cupiebat.

Sed fuerunt etiam alia, quæ illi ſuadere poterant, in aliis etiam rebus eſſe admiſſum aliquid, quod expiari ſupplicio poſſet. nam amicorum ſeuera reprehenſio, ſeruorum, vxoriſque conuitia, & ſterquilinium, in quo tamdiu iacuit, tantus denique fœtor, quantum & corporis peſtilens morbus & illuuies exhalabat, argumento eſſe poterat viro non imprudenti, nimis illum ſtudioſum eſſe munditiæ atque elegantiæ, delectatum eſſe famulorum obſequiis, neque repudiaſſe odores, & vn- pag.200.b
guenta, aliaſque delicias, quibus abundare aſſolent principum aulæ. Quæ tamen omnia per ſynecdochen Scripturæ more ſignificantur in neruo, in quo pedes quondam vagi ac liberi

beri constricti sunt. nam sicut pedibus proprium supplicium assignatum est, sic etiam aliis membris propria debuerunt assignari supplicia. Exemplis abundamus, quæ hanc scripturæ consuetudinem satis ostendunt. Duo tantum accipe, alterum *Zachariæ XIV, 16.* vbi festum tabernaculorum, alterum *Ieremiæ XVII, 21. sq.* vbi sabbatum pro omnibus Iudæorum festiuitatibus vsurpatur.

62. Improprie item figurate ponitur *neruus* pro impedimento, quodcumque illud sit, quod hominem constringit & ligat, neque vagari sinit libero incessu, qualis est podagra, quæ iuxta suam notationem vinculum sonat, aut captionem pedum. Augustinus *compedem* legit. Septuaginta *impedimentum.* vt autem podagra, cum sit morbus, tamen pedica vocatur, aut venatio pedum: quia tam podagrico ad ingressum impedimento est, ac si esset vinculo constrictus. Sic quia morbus, qui Iobum ceperat ac debilitarat, eripiebat omnem ingrediendi facultatem, quod facit neruus: nerui illi nomen a Vulgato interprete datum est.

63. *Neruus quid.* Quid porro sit neruus, non est omnino certum, Hebraic. est סד *sad*, quod quidam cippum, alii compedem, alii, vt diximus, impedimentum exponunt. Ego crediderim, neruum non solum eum habere vsum, vt reum alligatum teneat atque custodiat, sed etiam vt excruciet, quemadmodum Ieremias *cap. XXXIIX, 6. sq.* demissus est in lacum cœnosum & frigidum, non tantum vt ibi contineretur, ne fugeret, sed etiam vt ibi torqueretur a frigore & cœno, & demum fame pædoreque deficeret: *Mittentes eum in lacum, vt moriatur ibi fame.* Porro missum esse Ieremiam in lacum illum nudum, vt torqueretur durius, & citius periret, hoc ego colligebam *in meis Commentariis in hunc Ieremiæ locum*, quia cum Abdemelec educturus eum esset e lacu, tulit veteres pannos, & antiqua, quæ computruerant, & summisit ea ad Ieremiam, nempe vt illa axillis brachiisque supponeret, aut certe funes, quibus esset alligandus, obuolueret, ne distringeretur laceraretúrque Prophetæ caro funium asperitate. Si autem Ieremias vel vestitus esset mediocriter, non fuisset necesse pannos illos veteres ac putres conquiri, cum

Ieremias cur missus in lacum.

ab illo incommodo tueri satis possent indumenta propria, si satis esset a vestibus instructus. Hoc idem ego de neruo cogito, qui sic constringit reos, ne fugiant, vt etiam excrucient. Imo Hieronymus *ad cap. XX. Ieremiæ*, vbi Propheta dicitur coniectus in neruum, tormentum esse dicit, & docet, quem ipse neruum transtulit, conuerti a Symmacho βασανιστήριον seu στρεβλωτήριον, quod tormenti genus aut instrumentum est.

Sane tormenti genus esse, ex eo coniectari licet, quia martyres quidam in neruo fuisse dicuntur, & ibi dura subiisse tormenta: sic martyrologium Romanum *ad tertium Nonas Februarii* de Sancto Celerino: *Custodiam carceris septus in neruo & ferro, variisque pœnis gloriosus fuit.* In quem locum sic Baronius: *Est*, inquit, *neruus ferreum vinculum, quo pedes impedirentur, quo etiam & ceruices implicarentur, vt Festus est auctor. sunt de his apud Plautum nonnulla exempla. Item Isidorus lib. 4. orig. Neruus est, inquit, vinculum ferreum, quo pedes vel ceruices impediuntur. Est de neruo apud Gellium lib. 11. cap. vltimo festiua Catonis sententia, qua dicere solebat; priuatorum fures in neruo & compedibus ætatem agunt, publici in auro & purpura visuntur.* Hæc Baronius. Porro illa loca Plauti, quæ ille indicat, neque tamen adducit, satis ostendunt, neruum genus esse vinculi, quo sontes non coercentur solum, sed etiam torquentur. Sic enim ille *in Asinaria act. 3. scen. 2.* 64. pag. 201. a

Qui aduersum stimulos, laminas, crucesque compedesque,
Neruos, catenas, carceres, numellas, pedicas, boias.

Vbi, vt vides, inter illa numerantur nerui, quæ vinciunt & torquent, sed de nerui forma maior est difficultas.

De forma nerui egimus *in nostris Commentariis in locum citatum Ieremiæ cap. XX.* & *in Act. Apost. ad illud cap. XVI. v. 24. & pedes eorum strinxit in ligno.* Docet autem Hieronymus *super Ieremiam supra*, idem esse in Actis lignum, quo Pauli pedes constricti sunt, & neruum, quo vinctus Ieremias. Putat autem Vatablus *in Ieremiam*, & Mardochar *ex Iosepho Kimhi*, neruum esse duo ligna ea ratione compacta, vt tamen altrinsecus coi- 65.

 rent,

rent, tribus cauata foraminibus, quorum medio collum, extremis manus inseruntur. Sane vinciri etiam collum neruo, vidimus nuper ex *Festo*, & indicat Plautus, cuius tamen locus non succurrit, vbi docet neruo probari & exerceri collum. Videtur negare Hieronymus supra, vbi idem indicat passum Apostolum in ligno, quod Ieremiam in neruo. Sed etiam si concedamus pro pedibus tantum compactum esse neruum, id est, ligneas compedes, nihilominus in eo siue neruo, siue ligno, non erat parum crudele tormentum. Nam pro scelerum meritis aut tyrannorum libidine, sic distinguebatur foraminum spatiis, vt crura supra naturalem habitum disiuncta luxarentur. vnde sæpe in martyrum cruciatibus auditur, *extendi ad quartum vel ad quintum foramen*, &c. vide Eusebium *lib. 5. cap. 1. & lib. 6. cap. 32.* de Origene scribit, in ligneas compedes habuisse intrusos pedes, & ad quartum foramen diuaricata atque distenta crura: & *lib. 8. cap. 11.* idem prope refert de martyribus, qui passi sunt Alexandriæ. Plura de hac re inuenies apud Baronium *in martyrologio ad diem 22. Ianuarii.* Hoc porro tormenti genus Rufinus neruum vocat *lib. 5. cap. 2.* Hic ad extremum obserua, hunc locum vexari ab Eliu *cap. XXXIII, 10.* vbi aliquid ab homine parum fideli falso imponitur Iobo, vt cum eo ventum fuerit, clarius ostendemus.

Nerui forma & vsus.

66. Vers. 28. *Qui quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimentum, quod comeditur a tinea.*] Hic est neruus, in quo Iobi constricti sunt pedes, morbus, quo lenta tabe consumptus est, & sic debilitatus, vt nihilo se magis commouere possit, quam si esset impeditus funibus, aut ferreis vinculis illigatus. Ostendit autem his verbis, neruum non esse externum aliquid & alienum a se, sed aliquid, quod intra se habeat, & a se ipso natum; quod deinde *sequenti capite* multo magis exponit & amplificat. id vero optime duabus similitudinibus explicat. Nam quemadmodum lignum in se aliquid habet, etiam si nulla vis accedat extrinsecus, quo putrescat, qualis est immoderatus & intempestiuus humor, & caries, quæ arrodat, & ipsa præterea naturæ innata debilitas, quæ non possit vetustati resistere. Similiter vestimentum ex seipso gignit & alit tineam, qua corrumpitur, neque vt extabescat & putreat, necesse est, vt aliquid sibi accersat extrinsecus: Sic homo in se habet corruptionis & tabis non infœcunda semina, quæ illum aut lente, aut etiam quam ocissime dissoluant & perimant.

pag. 201. b

Septuaginta, vbi Vulgatus, *qui quasi putredo consumendus sum.* legunt, *qui veterascit sicut vter.* aut sicut Augustinus legit, *veterasco.* Sed est sensus idem, licet ex re dissimili ducta metaphora. Est credo apud Hebræos prouerbialis species, cum significare volunt extremum rei alicuius statum, & morti proximum, *vter veterascens:* aut *vter in pruina:* vt habes *Psalm CXIIX, 83.* quia cum eo peruenit vter, inutilis est, & facile in eo futili statu putrescit & soluitur. Dauid similem se dicit vtri in pruina, id est, vtri vacuo & in rugas contracto, quæ similitudo mire exprimit extremam alicuius conditionem. Versionem Septuaginta sic explicat Aug. *veterasco sicut vter, ita vt vinum nouum portare non possim.* Quasi dicat, pereo totus, & hac & illac perfluo; quasi vter perforatus & vetus, id est, totus exinanior, & a me ipso deficio, quia totus dissoluor in saniem, & iam pene ad fundum & fæces ventum est. Dixit hoc idem, licet in alium sensum Comicus, *plenus rimarum sum: hac illac perfluo.* Sic Iobus, quasi pertusum dolium, & vas confractum quacunque in parte, scatebat vermibus, & manabat sanie: atque ideo a seipso totus euacuabatur. Et ad hunc fortasse sensum statim dicitur vestimento similis a tinea corroso ac perforato. Corpus enim, quod animæ tegumentum est, perforatum est plagis, quas fecerunt vermes, qui fuerunt quasi corporis tineæ. Aliter Chrysostomus: *Quid*, inquit, *causæ fuit, vt vtrem in medium adduceret? Ideo quia inanis est vter, spiritu dumtaxat oppletus. Itaque vulgari sermone contritum est, inflatum nos esse vtrem. Noli igitur*, inquit, *spectare tumorem, noli distentum corium intueri, sed interiora introspice, ac videbis, quantum sit illic inane.* 67.

Prouerb. vter veterascens aut in pruina, pro re futili.

ARGV-

ARGVMENTVM CAP. XIV.

HVmanæ naturæ infirmitatem explicare persequitur, vt magis Deum, a quo illam durius exerceri videt, ad clementiam inflectat. Et primum docet, vnde hominis infirmitas prouenerit, & tabes, a qua consumitur, sicut lignum a carie, aut vestimentum a tinea; qui videlicet in muliebri vulua conceptus: vnde miser nascitur, & duræ fortunæ, & immunditiæ reus. Quare ab illo mundari se postulat, qui a se solus habet veram naturalemque munditiem, oratque, vt quando incertum definitum est, idque perbreue vitæ tempus, illud tamen pacatius esse permittat: & adducta ab arbore similitudine probat, quam sit arboris conditio melior, quæ excisa viret, quam hominis, qui vbi semel diem suum obierit, ad mortalem statum non reuertitur. Optat denique cum morte & sepulcro vitam & sterquilinium commutare, quamdiu in ipsum diuinus furor inflammatur & sæuit. Non tamen putat carere se culpis, quas Deus scriptas habet & obsignatas: pro illis autem pacem & veniam petit, neque sic concutiatur ab omnipotenti manu, sicut concutiuntur & a suis fundamentis conuelluntur saxa. At extremum ait, ea hominem natum conditione, vt quamdiu vixerit, neque a doloribus caro, neque animus ab angoribus vacet.

CAPVT XIV.

pag. 202.

1. HOmo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis.

2. Qui quasi flos egreditur & conteritur, & fugit veluti vmbra, & numquam in eodem statu permanet.

3. Et dignum ducis super huiuscemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in iudicium?

4. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?

PARAPHRASIS.

pag. 202.

1. Quid mirum, o Domine, si quasi lignum a carie tabeque putrescam, & sicut a tinea vestimentum, consumer; cum a sua stirpe nihil habeat homo præter angores & miserias, quæ pullulent ex tam fragili infelicique radice, qualis est muliebris vterus, vnde tot ærumnis deuotum germen erupit.

2. Nascitur homo sicut flos, qui vix dum ex suo se folliculo prodidit, cum sole exoriente languescit & perit. Neque magis est homo in sua viriditate atque specie constans, quam vmbra, quæ stare nescit, neque in eodem loco aut statu perseuerat.

3. Cumque tam sit hominis natura fragilis, & tot modis vilis & impura, non tamen indignum tua maiestate iudicas illam intueri, & de rebus commodare necessariis. Et multo mirandum magis, quod hominem eiusmodi in iudicium voces, & seuero examine res etiam leuissimas expendendas putes.

4. Quis, Domine, immunditiæ labem effugiat, qui ex patris satu matrisque conceptu originariam contraxit maculam? Quæ vis illum mundabit a tam antiqua & quasi naturali contagione, nisi tu solus, cui rerum paret vniuersa natura?

5. Breues dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est: constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt.

5. Breue homini definitum est viuendi tempus, neque de illo quicquam est homini exploratum & certum, quod in tua, Domine, solius potestate esse voluisti. Quod homo, quantumcumque adhibeat artis atque solertiæ, excedere non potest.

pag. 203. 6. Recede paululum ab eo, vt quiescat, donec optata veniat, sicut mercenarii dies eius.

6. Quando tam angusti fines humanæ vitæ præscripti sunt, fac, obsecro, o Domine, vt tempus illud vitæ mitius sit, neque ærumnarum plenum. Remoue ergo paululum, atque suspende vltricem manum, donec dies adueniat extrema, quam non minore studio desidero, quam peracto diurno penso mercedem laboris mercenarius expectat. pag. 203.

7. Lignum habet spem: si præcisum fuerit, rursum virescit, & rami eius pullulant.

8. Si senuerit in terra radix eius, & in puluere emortuus fuerit truncus illius.

9. Ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam quasi cum primum plantatum est:

10. Homo vero cum mortuus fuerit, & nudatus atque consumptus, vbi quæso est?

7. 8. 9. 10. Minus videtur hominis quam ligni conditio fortunata. Nam ligno, si præcidatur, aliud ex eodem stipite succrescit: & ramus abscissus a trunco, si transplantetur alio, radices agit, pubescit frondibus, & oneratur pomis. Si hyemali tempore deficiente pluuia consenuisse videantur, & vires omnino, & vitam amisisse, quando sub vernum tempus cœlum intepuit, aut si cœlestem rorem, aut aliunde deriuatam aquam imbiberunt, reuiuiscunt statim, & se suæ viriditati ac nitori restituunt. At homo cum semel interierit, ad illud, quod amisit, ornamentum, & ad mortalem statum numquam redibit.

11. Quomodo si recedant aquæ de mari, & fluuius vacuefactus arescat:

12. Sic homo cum dormierit, non resurget, donec atteratur cœlum, non euigilabit, nec consurget de somno suo.

11. 12. Quemadmodum aquæ, quæ a suo capite per decliuia loca defluxere, eodem relabi non possunt siccato alueo, vnde primum decursu prono recesserunt; sic etiam nec homo defunctus vita reuiuiscet, neque, dum cœlum stabit, a suo excitabitur metaphorico somno.

13. Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus, & constituas mihi tempus, in quo recorderis mei?

13. Dolorum, quibus excrucior, tanta est acerbitas, tantus ex aliorum illusione dolor, vt libenter statum, in quo nunc miser viuo, cum morte commutarem; ita vt tamdiu vita carerem, quamdiu furor duraret tuus, quo me tam acerbe cruciari sinis, dummodo cum mitior esset in me animus tuus, mihi ipsi me, & meliori conditioni reduceres.

14. Putasne mortuus homo rursum viuat? cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto, donec veniat immutatio mea.

14. Sed quid meipsum inani & stulta petitione conficio? quasi mihi ad statum & vitam, quam reliqui, remigrandum sit, quod mortalium nemini concessum est, sed quid mirum, si id optem, licet conatu prorsus irrito, cum ea sit dolorum acerbitas, ea vitæ conditio, vt singulis

gulis diebus in votis mihi sit vitæ cum morte commutatio.

15. Vocabis me, & ego respondebo tibi: operi manuum tuarum porriges dexteram.

15. Si manum mihi porrecturus esses, & ab illa morte, quam optare me dixi, rursus euocaturus ad vitam, responderem tibi non inuitus, & sicut oblatam ad tempus definitum mortem lubens admisi, sic etiam reditum ad vitam gratus admitterem.

16. Tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parce peccatis meis.

16. Sed quando omnia opera mea, quantumcumque occulta, optime nosti; quæ numerata habes, & in quasdam quasi ephemeridas relata, obsecro, vt pro tua in homines clementia singulari illis ignoscas.

17. Signasti quasi in sæculo delicta mea, sed curasti iniquitatem meam.

17. Scio meorum scelerum numerum consignatum esse, sicut ea, quæ diligenter seruari volumus, ne pereant aut excidant, obsignamus. Sed illa resignauit apud clementiam tuam vera pœnitentia, efficietque, vt pro eo, quod meruere, supplicio, veniam indulgeas.

pag. 204. 18. Mons cadens defluit, & saxum transfertur de loco suo.

19. Lapides excauant aquæ, & alluvione paulatim terra consumitur: & hominem ergo similiter perdes.

18. 19. Ita me Domine, aut vehementi impulsu, aut vulnerum assiduitate concutis, aut vexas, vt non cum mole carnea & futili, sed cum montibus ac saxis certamen sumpsisse videaris. Mons quidem e suis conuulsus sedibus graui motu concutitur & defluit, & eodem modo saxa a sua sibi sede in aliam transferuntur. Quod si non ita magnus a potenti brachio adhibeatur impetus, leuiorum tamen ictuum assidua verberatione conteruntur. Aqua enim, dum sæpe instillatur, durissima etiam saxa excauat & perforat, & alluuionibus terra exeditur, dum a fluctibus frequenter alluitur. Quare etiamsi vulnera, quæ patitur homo, dura non essent; ipsa tamen assiduitate, etiamsi saxeus esset, omnino labesceret. pag. 204.

20. Roborasti eum paululum, vt in perpetuum transiret: immutabis faciem eius, & emittes eum.

20. Sic hominem exaltas, & ornas diligenter & laute, vt in perpetuum victurus, & ad æternitatem transiturus videretur; sed breui hoc opus tuum ita dissoluis atque prosternis, vt in eo nihil appareat nisi horribile fœdumque cadauer; aut cadaueris in viuo corpore informe simulacrum: ita vt neque vmbra supersit dignitatis antiquæ.

21. Siue nobiles fuerint filii eius, sive ignobiles, non intelliges.

21. Neque si filiis abundet (nam sine filiis magnus dolor) non magnum parentibus potest esse solatium, quia quo futuri sint ingenio, quod studium amplexuri, nobile ne aut indecorum & turpe, exploratum non habent. Quare

re non tantum afferet numerosa soboles voluptatis, quam tum doloris de filiorum viuendi modo sollicitudo.

22. Attamen caro eius, dum viuet, dolebit, & anima illius super semetipso lugebit.

22. Denique homo non potest esse non miser, cum numquam a doloribus caro, neque animus ab angoribus vacet.

Vers. 1. *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis.*]

pag.204.a 1. CAusam reddit, cur homo instar vestimenti ac putridi ligni causas in se habeat, quæ illum, etiamsi nihil adueniat violentum foris, extinguant tamen, atque consumant. *Homo in se habet corruptionis causam.* Quasi si quis quæreret, quomodo laneum vestimentum, quantumuis accurate seruatum, corrosum reperiatur ac perditum, & lignum putrescat, & illam firmitatem amittat, quam videbatur habiturum esse perpetuam; responderet vir prudens, quia laneum indumentum tineas gignit & alit, a quibus perforatur; & lignum teredinem & cariem, a quibus exeditur, redditurque putridum & futile. Sic nunc Iobus rationem reddit, cur ipse, aut generatim homo, quasi putridum lignum consumatur, aut quasi vestimentum comedatur a tinea, dum ait, hominem natum de muliere, de infirmo scilicet stipite, & ab illa traxisse miserias multas, quibus repletus est, & habere in se fœcunda ærumnarum
pag.204.b semina, quæ quotidie pullulant, & hominis vitam breui spatio eoque laborioso definiunt. Quemadmodum si quis roget, cur tam facile defringantur arundinis rami, aut teneræ atque infelices plantæ, & contra diu quercus atque cypressi durent, responderet homo prudens, quia arundo mollis est & vacua, agitque radices non profundas, neque gignere potest, aut sustinere, nisi quod vacuum est & molle; atque ideo facile agitatur a vento, & ictu etiam leuissimo defringitur. At quercus durat diu, & ventos ridet, & naturæ, & temporum iniurias, quia trunco est firmo ac solido, & tam alte demittit radices, quam se sublimem sursum attollit; de qua Virg. *lib. 4. Æneid.*

Ipsa hæret scopulis, & quantum vertice ad auras
Æthereas, tantum radice ad tartara tendit.

De Cyparisso alia ratio est, nam vt docet Vitruuius *lib. 2, cap. 19.* ideo hæc immortalis esse putatur, quia cariem non gignit, a qua, vt pleraque alia ligna, corrumpatur, cuius eam dicit esse causam, quia illi sapor quidam inest amarus, qui a carie defendit, & vermiculos abigit, qui eam gignunt. 2. *Cupressus cur non patitur cariem.* pag.205.a Hæc non habet stirps illa, a qua producitur vilis & fragilis homuncio; *Homo quam vilis.* quid enim in fœmina non molle & futile, quid in ea rigidum & amarum, quod firmet & stabiliat corpus, & extinguat tineas & vermes, & reliqua mortis instrumenta & arma. Quare qui se vocat de muliere natum, aliquid se dicit infirmum & luteum, quod aqua diluit, & quodcumque acciderit vel leuiter aduersum, soluit aut infirmat, vtpote in muliebri coagulatus atque formatus vtero, id est, in illa officina, vnde trahi nihil potest, nisi impurum, olidum, & adeo fragile, vt nihil sit, nisi temporis fortunæque ludibrium: adeo obscœnum & sordidum, vt cœnum exhalet & nauseam moueat.

Vers. 2. *Qui quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet.*] 3. *Humanæ vitæ fragilitas.* Multa antiqui de humanæ vitæ fragilitate & inconstantia, quæ tu vide apud Adagiographum, ad illud: *Homo bulla*: vbi plurima collegit ex humana antiquitate, eaque obseruatione non indigna, quæ si huc congerere vellem, nimis essem longus. Sed nemo Iobo melius hanc vitæ breuitatem & inconstantiam expressit. Hæ porro similitudines in Scriptura sacra occurrunt non raro, in qua homo sæpe dicitur fœnum & flos agri, vt *Isa. XL, 6.* & proxime folium. *Cur vita vmbræ similis.* Neque minus frequenter vmbra dicitur aut vmbræ non dissimilis. *Psalm. CI, 12. Dies mei sicut vmbra declinauerunt*, & aliis sæpe locis. *1. Par. XXIX, 15. Dies nostri quasi vmbra super terram, & nulla est mora. Sap. II, 5. Vmbræ*

enim

enim transitus est tempus nostrum. Qua etiam similitudine vsus est Baldad supra *c. IIX,9. Sicut vmbra dies nostri sunt super terram.* Vmbræ vero similis dicitur homo, quia illa nihil aliud est, quam luminis priuatio, & vsque adeo instabilis, vt sit omnibus temporum momentis sibi ipsi dissimilis, quia a solis splendore pendet, qui nunquam non mouetur. vide *Sap. cap. II.* alia, quibus humanæ vitæ breuitas atque fragilitas comparatur.

4. Vers. 3. *Et dignum ducis super huiuscemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in iudicium.*] Duo hoc loco admiratur Iobus, & quod Deus non dedignetur intueri illum, qui tam sit vilis: & cuius vitam tam breuibus definierit spatiis, cum tantam maiestatem non putet ad tantam vilitatem, & momentaneam atque instabilem vmbram demitti oportere. Et quidem ita existimauere ex antiquis non pauci Philosophi, qui tanta maiestate arbitrabantur indignum, curare ea, quæ in natura rerum exigua existimantur & sordida. Sic sane Aristoteles *8. Metaph. c. 9.* Cicero *lib. 2. de natura Deorum.* Sed multo miratur magis, quod hominem eiusmodi in iudicium vocet, & seuero examine actiones omnes etiam leuissimas expendat. Quid enim mirum, si is, qui est in vtero coagulatus formatusque muliebri, mulierum in modum debilis esset, & muliebria sapiat atque sequatur. Neque enim mirum est, si arundinis ramus aut cicutæ vacuus sit a medulla, & noxium aliquid habeat: aut si Æthiopissæ filius Æthiopicum ab ea colorem trahat, aut quod immundus sit, qui ex immundo concipitur semine. Quis enim petit a spinis vuas, aut a tribulis ficus? Quæ omnia eo spectant, vt si qua Deus in causa atque iudicio Iobi minus probet, illa hac excusatione leuiora reddat.

Deus ab antiquis existimatus non curare, sed falso.

pag. 205. b
5. Vers. 4. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?*] Explicat magis quæ proxime adduxit, & docet, quid ex vtero matris nasciturus contraxerit, quam ex patris satu matrisque conceptu sortem hæreditarit, labem videlicet originariam, quæ ab vno tantum Deo deleri potuit, quod quia a parentibus hausit, antequam nasceretur concepta soboles, existimari quodammodo potuit naturale peccatum. Sanct. Thom. sic exponit: *Sicuti de frigido facere calidum, est eius, quod per se calidum est, ita de immundo facere mundum, est eius, qui per se mundus est. Nonne tu, qui solus es? Scilicet vere & per te ipsum mundus.* Septuaginta paulo aliter vertunt: *Quis enim mundus erit a sorde? & nemo, etsi vnus dies sit vita eius super terram.* Hic locus in quæstione de originali peccato scholasticis Doctoribus familiaris est. Cur ista repetat Iobus, nempe vt Deum ad clementiam inflectat, & peccatum eleuet, si quod adducatur in iudicium, docet ad hunc locum *in catena* Chrysost. *Vides,* inquit, *quemadmodum ad naturam se rursus recipiat, atque ad ærumnæ liberationem adnitatur: non solum quia contempta sit humanæ naturæ conditio, non solum quia perexiguum vitæ spatium, non solum quia sit ægritudinibus angoribusque vita conferta, verum etiam quia fieri non potest, vt homo sit integer a labe.* Eodem quo Iobus argumento multis post sæculis vsus est Dauid *Psal. L, 7.* qui vt Deum auersum ad se conuerteret, & offensum placaret, in peccato se conceptum esse dixit. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*, &c.

Homo in peccato conceptus.

Vers. 5. *Breues dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est.*] Alia causa, quæ Deum commouere possit, vt Iobi misereatur, 6.
quæque etiam ortum habuit ex conceptu in vtero mulieris, vbi originariæ culpæ maculam contraxit. nam cum illa languores etiam hausit, & alia naturæ detrimenta, quæ accersierunt mortem, & vitam ad angustiora spatia contraxerunt. Est autem hoc hominis non leue detrimentum, quod vita sit futura breuis, & quod homini de hac breuitate nihil esse possit exploratum. Definiuit Deus viuendi spatium, & certos sibi & incertos homini vitæ dies, quorum numerum in sua esse voluit potestate, quem homo, quantumcunque adhibeat artis atque solertiæ, præterire non potest. Vt enim ad staturam adiicere nequit cubitum vnum, sic etiam neque ad spatium vitæ definitum temporis momentum. hæc magis videntur germana atque obuia. Neque tamen displicet, quod Cyprianus Cisterciensis putat, a Iobo dici constitutum esse a Deo viuendi tempus, quia illud non in alia esse voluit quam in diuina manu. Quare timeri

Incertum homini vitæ suæ tempus.

ri non potest, ne homo ante tempus excedat, & ideo prærepta puniendi facultate ac tempore, impune abeant hominis peccata, atque ideo mox apte subiicitur.

7. Vers. 6. *Recede paululum ab eo, vt quiescat, donec optata veniat, sicut mercenarii dies eius.*] Si proxima placeat Cypriani sententia, sensus est non ineptus, quia tute scis Domine, quam longa futura sit hominis vita, neque ille declinare vllo potest modo, quod a te definitum est. Da illi paululum otii, vt libere tantisper respiret, & sume ex descripto spatio ad hominis vindictam, quantum voles. Sed est sine dubio expedita magis expositio, quæ sumitur ex breuitate vitæ, quasi dicat Iobus, quando tam angusti fines humanæ vitæ præscripti sunt,
pag. 206. a fac obsecro, Domine, vt pauci illi dies mali non sint & ærumnosi, sed suspende atque amoue vltricem manum, donec dies venerit extrema, quam non aliter expecto, quam peracto diurno penso mercedem expectat mercenarius.

8. Hæc omnia, licet ad vniuersum hominum genus pertineant, ad quod se, quæ ex muliebri conceptu & originali labe promanarunt, late diffundunt, tamen ad Iobum ipsum videntur potissime referri, qui non aliter, transacta vita, mortem optabat, quam qui suam alteri in diem operam locauit, noctem expectat, & cum ea impenso labori debitam mercedem. Quod autem tertia adhibeatur persona, cum dicitur *homo natus*, & modo *recede ab eo*, nouum non est. Est enim in Scriptura frequens, vt aliquis de seipso in tertia loquatur persona. Quomodo sæpe Christus, cum de se loquitur, quasi de tertio aliquo videtur agere; *Quem dicunt homines esse filium hominis*, id est, *me. & videbitis filium hominis*, id est, *me.* Sic Iobus natum se dicit de muliere, & orat, vt a se paululum diuina recedat manus.

9. Vers. 7. *Lignum habet spem, si præcisum fuerit, rursum virescit.*] Alia ratio, quæ Deum commouere debeat, vt in hac vita Iobum mitius amplectatur, quia nisi modo illum clementer accipiat, postea illius benignitatem in mortali statu non sperat. Qua in re infelicius ait actum esse cum homine, quam cum ligno, quod in siluis nascitur; nam lignum si præcidatur, aliud ex eodem stipite succrescit, & ramus abscissus a trunco, alio transplantatus radices agit, & pubescit frondibus, & oneratur pomis: at homo cum semel interierit, ad mortalem statum nunquam redibit. hac eadem ratione vsus est supra *c. VII. v. ult.* Vide quid nos ibi.

Hæc ratio a Gentibus sæpe adducitur, licet in alium dissimillimum sensum, nempe vt effusè suo indulgeant abdomini ac genio, quando vita breuis est, & vbi hæc defecerit, non datur ad lucis vsuram remigratio, vbi etiam similitudo ab arbore ducitur, quæ excisa reuirescit, & ex se ipsa iterato renascitur. Vide Lambinum & expositores alios ad Horatii *lib. 4. Ode 7.* 10. *Ex vitæ breuitate quam male inferant Gentiles.*

Diffugere niues, redeunt iam gramina campis,
Arboribusque comæ.
Damna tamen celeres reparant cœlestia lunæ.
Nos vbi decidimus
Quo pius Æneas, quo Tullus diues, & Ancus,
Puluis, & vmbra sumus.

Et Muretum ad illud Catulli *lib. 1. Epigram. 5.*

Soles occidere ac redire possunt,
Nobis cum semel occidit breuis lux,
Nox est perpetua vna dormienda.

Quia homines ab antiquis putabantur nunquam ad vitam redituri, illas arbores mortis voluerunt esse symbolum, quæ excisæ non resurgunt, & ex quarum radicibus nulla succrescunt germina, quales sunt piceæ & cupressus, quæ aut in sepulcris conseruntur, aut ad mortuorum domus in foribus locantur. De cupresso docuit Seruius ad illud Maronis *lib. 4. Et fronde coronat Funerea. Romani*, inquit, *moris fuit, vt potissimum cupressus, quæ excisa renasci non solet, in vestibulo mortui poneretur.* Idem pene de cupresso Plinius *lib. 16. cap. 32.* & de picea *cap. 10.* *Quæ arbores funereæ & cur.*

Vers. 8. *Si senuerit in terra radix eius, & in puluere emortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ germinabit.*] Arbores illæ, quæ neque ferales sunt, neque ea ratione infelices, quam proxime dicebamus, excisæ pullulant, & omnes plantæ senescentes iam & marcidæ, vbi exacta hyeme sub vernale tempus affulsit candidior dies, & tempestate benigna magis cœlum intepuit, aut si emarcuerunt siti ad 11. pag. 206. b

cœle-

cœlestem rorem reuiuiscunt, & sese suæ viriditati ac nitori restituunt. Non sic homo, qui vbi talia passus fuerit, qualia syluestres hæ plantæ, aut inutiles herbæ, sic euanescit, vt nusquam appareat. hac similitudine explicuit Isaias vitam nouam, quam accipiet suo tempore in extremo sæculo rediuiuus homo; aut qui ex ærumnoso statu, qui similis esse morti existimatur aut aridæ plantæ, ad fortunam meliorem emergit. Sic autem ille *cap. XXVI, 19. Viuent mortui tui, interfecti mei resurgent: Expergiscimini, & laudate, qui habitatis in puluere, quia ros lucis, ros tuus.*

12. *Prouerbium odor pro re leui.* Illud hic obseruandum, *odorem* prouerbiali specie sumi pro re leui aut pro forma admodum remissa. Sic odor ignis pro eo, quod est in igne quam leuissimum, vt *Dan. III, 94.* de tribus pueris, qui nihil ab igne passi sunt aduersi, *quoniam nihil potestatis habuisset ignis in corporibus eorum, & capillus capitis eorum non esset adustus*, &c. *& odor ignis non transisset per eos.* Sic *Iud. XV, 15. & XVI, 9.* Odor iterum dicitur ignis. Odor itaque aquæ modica est aqua, ad cuius humorem emarcidæ plantæ illico virescunt.

13. Vers. 11. *Quomodo si recedant aquæ de mari, & fluuius vacuefactus arescat, sic homo, cum dormierit, non resurget.*] Maria dicuntur congregationes aquarum, quocumque in loco sint. Neque necesse est oceanum hic intelligamus, aut mediterraneum, aut illa, quæ a profanis vulgari sermone maria dicuntur. Satis enim est aquas maiori aliqua mole aut spatio congregari, vt hoc illi nomen tribuant Hebræi, & populi eodem, opinor, modo, qui Hebræorum fines attingunt propius. Sic locus ille, vbi Iordanis se latius spatiat, quique alibi dicitur lacus Genesareth *Ioan. XXI, 1.* mare vocatur Tiberiadis; & qui lacus tantum est, in quam Iordanis influit, in quo situ olim visebatur Pentapolis, mare dicitur mortuum, aut salsissimum. De his maribus, quæ fiunt ex Iordanis aquis late stagnantibus, hæc opinor intelligenda, tum quia magis Idumæis nota, quibuscum Iobus loquebatur, tum quia si de oceano accipias, aut mediterraneo, comparatio decresceret, & incommode mari nomen fluuii succederet, qui infinitis prope spatiis minor est mari. At si de hoc mari intelligas, crescit omnino comparatio; nam difficilius est, exhauriri & vacuefieri fluuium, quam stagna & lacus, quæ ex aqua fluuiali stagnante fiunt. Sed videamus, quid sibi velit hæc comparatio.

Duas hic explicationes præcipuas video. 14.
Altera est Græcorum Patrum, & eorum, qui Septuaginta translationem secuti sunt, *tempore enim rarescit mare, & fluuius desolatus exaruit.* Quæ aliis similitudinibus præcedentem sententiam magis explicuit. dixerat enim succisam arborem ex relicta stirpe fundere germina, in quibus viuat & splendeat, & abscissum ramum, si infodiatur terræ, germinare rursus, & in prægrandes truncos & pag. 207. a
ramos excrescere. Quod item in mari flumineque videmus; in *mari* autem stagnum intelligo, & lacum ex aqua collectitia, in *fluuio* etiam torrentem ex aqua pluuiali & aliena, qui proprium non habet fontem, qui iugem aquam & perennem suppeditet. Auctor catenæ in *fluuio* torrentem intelligit, & id dicit significare vocem Hebraicam. Sane נהר *nahar* non magis fluuium quam torrentem significat. Hi igitur lacus seu stagna, si aquæ deficiant, quia rarus & parcus stillat imber, reparatur statim, & exundat adueniente rursus imbre de cœlo. Ita Chrysostomus: *Mare*, inquit, *nunc minuitur, post autem rursus impletur: modo crescit, tum autem decrescit, & fluuii modo siccantur, tum iterum fluunt; homo autem cum semel est mortuus, ad vitam haud amplius reuertitur.* Eodem ferme modo Augustinus *in suis Annot. in Iob*, nisi quod ibi de mari proprie & fluuio hæc intelligit: *Tempore*, inquit, *minuetur mare, nam post impletur.* Dicit autem de his locis, vbi accessus & recessus fit, vel quod omnia littora latenter minuuntur & augentur horis lunaribus, scilicet cum oritur luna, vel nobis, vel aliis, vsque ad medium mensem crescit, & inde minuitur. Hanc sententiam sequitur Caietanus. Sed hæc explicatio parum est ad textum Hebraicum, & multo minus ad Latinum vulgatum, vbi non dissimilitudo inducitur, sed similitudo potius. Comparatur enim homo cum aquis, non ab illorum natura remouetur.

Quare communior est & magis expedita sententia 15.

sententia, comparationem fieri cum aquis, quæ iam per decliuia loca defluxerunt, reliqueruntque vel maria, seu stagna, vel fluuios aut torrentes arefactos. Hæc autem aqua, quæ iam præteriit, relabi per accliuem locum nullo modo potest, vt spatium illud impleat, ex quo semel defluxit: sic etiam homo, vbi excesserit ex hac vita, ad illam non amplius recurrat. ita S. Thomas, Lyra, Dionysius & recentiores alii, licet inter se in explicationis modo non omnino consentiant.

16. Ego primum hic argumentum sumi arbitror ab impossibili, & hunc esse sensum, nihilo esse facilius hominem ad vitam reuersurum, quam redit aqua ad eum locum, vnde per decliuem locum antea recesserat. Aut quod idem est, tunc hominem ad lucem & vitalem auram, quam deseruit, rediturum, cum aqua sursum versus ad locum se referat, vnde profluxit, puta fluuium ad caput, aut riuum ad fontem, vnde ortus est. Hoc enim modo externi hanc comparationem seu argumentum ab impossibili enunciant, quæ apud profanos frequentissima est. Ouidius *epistola ad Oenonem:*

Cum Paris Oenone poterit spirare relicta,
Ad fontem Xanthi versa recurret aqua.

Horatius *lib. 1. Ode 29.* quasi de re impossibili ac prouerbiali dixit, cum factum audiret, quod non credebatur posse fieri:

---Quis neget arduis
Pronos relabi posse riuos
Montibus, & Tiberim reuerti.

Propertius *lib. 2. eleg. 15.*

Fluminaque ad caput incipient reuocare liquores,
Aridus & sicco gurgite piscis erit.

pag. 207. b

Seneca *in Thebaide:*

---Ipsa se in leges nouas
Natura vertet: Regeret in fontem citas
Reuolutus vndas amnis.

Denique fere nullus est Poëtarum, qui hanc non adhibuerit comparationem, dum rem explicare contendit, quæ vt fieri posit, natura non patitur.

17. Illud porro, *donec atteratur cœlum*, varie explicatur: quidam hic putant mysterium resurrectionis a Iobo spiritu Prophetico prædici; Quasi dicat, non excitandum hominem a puluere, siue a metaphorico somno, qui est mors, donec atteratur cœlum, id est, donec extremi veniant sæculi dies; cum cœli dicuntur magno impetu transituri, & elementa calore soluenda, *2. Petr. III, 10.* Dicit autem atterendum cœlum, quia vt nonnulli putant, deficiet, aut vt alii credunt, eius cessabit motus: hoc autem quodam modo est atteri. quia iuxta vsum Scripturæ, quæ otiosa sunt, esse negantur, sic atteri dici possunt, cum variæ cessant operationes, ita vt otiosi post illum articulum quodammodo esse videantur: sicut nos otiosi dicimur, cum minus habemus occupationis, aut negotii, licet non omnino ab opere cessemus. Hæc mihi difficilia non sunt, sed est non improbabile, illud *donec atteratur cœlum*, idem valere, quod *nunquam:* Est enim in Scriptura frequens, vt talia aliqua dicantur, qualia vulgus hominum putat, vt pluribus ostendimus *in nostris Commentariis in Isaiam* ad illud *cap. XIII, 5. De terra procul a summitate cœli.* vulgus autem hominum ita iudicat, nunquam perituros cœlos, aut cessaturum illorum motum, aut aliquid passura astra, quæ cœlo sunt infixa. Atque ideo, quando aliquid dicitur æternum futurum, duraturum etiam dicitur, quamdiu durabit cœlum, vel donec cœlestis machina dissoluatur, quod quia futurum nunquam existimatur, nunquam etiam futurus dicitur rei illius interitus. Sic *Psalm. LXXI, 7.* regnum Christi permansurum esse canitur, *donec auferatur luna.* Neque obstat, quod adhuc stante atque lucente luna, homo in fine sæculorum excitandus sit, quia vt supra non semel obseruauimus, non excitabitur in statu mortali, & in quo excipere posit aut velit a Deo illa, quæ a Deo nunc Iobus concedi sibi cupit & orat, nempe vt concedat tantisper respirandi locum; vt natum se ex fœminæ conceptu consideret, neque longam sibi datam lucis vsuram. Hæc enim cur speret aut optet Iobus, cum excitatus fuerit a puluere; & ad lucem iterum & spiritum vitalem adductus. Neque improbabile omnino puto, ignorasse hoc tempore mysterium resurrectionis, sed tunc illi a Deo fuisse reuelatum, quando dixit *c. XIX, 23. Quis mihi*

REGVLA. *Scriptura aliquando se ad hominus cogitationem accommodat.*

mihi tribuat, vt ſcribantur ſermones mei? Vide quæ nos ibi pluribus.

18. Verſ. 13. *Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus: & conſtituas mihi tempus, in quo recorderis mei?*] Hic locus difficillimus eſt, & varie ab Interpretibus acceptus. Quidam *infernum* carcerem eſſe putant, in quo damnati a Deo æternos ſubeunt cruciatus, & dupliciter locum interpretantur: vno modo, vtinam a tua manu protegar, ne in infernum compingar in æternum damnandus, etiam ſi abſcondar in ſepulcro, dummodo aliquando inde me extrahas, excitatum nimirum ad vitam; Quaſi dicat, libens in ſepulcrum deſcendam, ſi cum temporali morte & tenebricoſa fouea, æternam mortem & carcerem commuto, vbi illud *in inferno* pro *ab inferno* ſumo; Quaſi dicat Iobus, vtinam ab inferno protegas me. Hanc explicationem tenent aut indicant Gregorius, Beda, & Hugo. Titelmannus hunc locum refert ad extremi temporis vniuerſale iudicium, quod vſque adeo præſentiebat horribile, vt dum furor in illo ſeuero rerum articulo in iudicis ore ſcintillaret, eligeret potius cum damnatis in gehennali incendio cruciari, quam ſpectare fulminantem iudicem, & ſuæ indignationis documenta maxima præbentem. Hæc omnia ad plauſum popularem, & ad animorum motum leuia non ſunt, ad textum autem non ſatis opportuna.

pag.208.a

Chriſti vultus in extremo iudicio terribilis.

19. Alii *in inferno* ſinum intelligunt Abrahami, aut limbum, vbi animæ detinentur iuſtorum, in quo mallet recondi Iobus, quam talia ſubire, qualia tunc a multiplici carnificina & morbo patiebatur, a populari conuitio, & ab amicorum atque domeſticorum iniuriis. Ita videtur Auguſtinus ſentire, tenet Philippus, Lyra, Dionyſius. Plerique alii ſepulcrum eſſe putant, ſicut alibi in Scriptura ſæpe, & meo iudicio vere: tametſi hic quoque varia meditentur & ſentiant; Ego quid in hac quæſtione magis probem, aut quid improbem minus, paucis expediam.

20. Proxime dixerat, non eandem eſſe humanæ vitæ conditionem atque plantarum, quæ ſucciſæ reuireſcunt, & earum rami a trunco ſublati & infoſſi terræ, radices agunt, & arbores fiunt proceræ ac pulcræ. Homo tamen longe aliter, vbi enim ſemel functus eſt vita, virtutem habet nullam naturalem, qua in ſtatum redeat, a quo deiectus eſt, ſed humi putreſcit, neque ſpem habet vllam reſurgendi, niſi in fine ſæculorum, idque ad ſtatum longe diſſimilem, atque habuit prius. Cum autem grauia Iobus pateretur incommoda, & iam pene tantorum dolorum moli ſuccumberet, optabat mortem, quæ huiuſmodi malorum commune leuamentum eſt: quam libenter ſubiret, ſi modo ſperaret, communem cum plantis ſibi futurum eſſe interitum, a quo facilis eſt ad vitam prioremque conditionem remigratio. Ait ergo Iobus, commutarem libenter præſentem vitæ ſtatum cum morte, ſi modo ita me in ſepulcro abſconderes, & ibi protegeres, quemadmodum in terra latet ſtirps ſucciſæ arboris: aut ramus ex arbore ſublatus abſconditus in fouea radices agit, & creſcit in arborem patulis diffuſam ramis, & pubentem comis; ita vt tamdiu vita carerem, qua nihil homini videtur eſſe charius, quamdiu furor duraret tuus, quo me tam acerbe cruciari ſinis, & cum mitior eſſet in me atque benignior animus, mihi ipſi me & meliori conditioni reduceres. Optat, opinor, Iobus, ſibi vt contingat, quod plantis, quæ tunc videntur mortuæ, aut mortuis non abſimiles, cum ingruit hyemalis rigor atque tempeſtas, cum autem cœlum intepuit, & mitior afflauit aura ſub vernale tempus, reuiuiſcunt, cum germinare incipiunt atque frondeſcere. Sane Iudas in ſua Canonica *v. 12.* autumnales arbores mortuas vocat. Hoc ipſum Iobo videtur eſſe in votis, cum tempore furoris Domini, & quaſi hyemalis inclementiæ, mori deſiderat, dummodo deferveſcente furore ad vitam reuertatur. pag.208.b

Iobus mortem optat.

Verſ. 14. *Putasne mortuus homo rurſum viuat?*] Variæ a variis huius loci afferuntur explicationes, ego vnam ad poſtremam expoſitionem attempero, omiſſis aliis, quæ in ſuis auctoribus videri poſſunt. Quaſi Iobus ſciſcitetur a Domino, an conceſſurus ſit, quod orat, nempe vt quamdiu durat furor, & quaſi hyemalis tempeſtas, ipſe mortuus in ſepulcro iaceat, vt ea ſedata rediuiuus illico reſurgat. Aut certe ſui voti ſpem ſibi præcidat, cum futurum non ſit, vt functus homo vita, priuata 21.

& quasi singulari reanimatione ad priorem naturalemque conditionem resurgat. Quasi seipsum reprehendat, quod talia oret, qualia non exorabit, dicatque: Quid me inani studio atque petitione conficio? an mihi ad statum & vitam, quam reliqui, remigrandum est, & concedendum a Domino, quod mortalium nemo consecutus est? Hinc constat, hoc loco de generali resurrectione non esse sermonem, sed de priuata illa, quam modo explicabamus. Quid enim optaret, peteretque a Domino Iobus, & repulsam timeret, cum sciret resurrectionem ad extremum sæculorum articulum negandam esse nemini? aut cur de illa vsque adeo manifeste dubitaret, de qua quid sentiret, non semel, aut obscure prodidisset?

22. *Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto, donec veniat immutatio mea.*] Militiam esse vitam hominis super terram, eorum præsertim, quibus viuendi contingit vilis & ærumnosa conditio, dixit supra Iobus *cap. VII, 1.* Et licet nullum sit tempus, in quo non expectare potuerit immutationem illam, quæ post resurrectionem adueniet, tamen hic de illo videtur articulo loqui, in quo seueram expertus est diuinam manum, & cum mors prudentibus etiam hominibus existimari posset optabilis. Illam Iobus suam vocat militiam, & reuera durissimam, vbi externos & cognatos, amicos, & domesticos, & ipsos etiam dæmones in suum caput conspirasse constat. Ait igitur, ex quo vexari cœpit, non horruisse mortem, imo potius optasse, cum ex illa magna futura esset rerum immutatio. Nam primum cessaret dolor ex multiplici morbo, cessarent sordes & ignominia, cessarent vilissimorum hominum assueta ludibria, amicorum conuitia, fieretque tanta rerum mutatio, vt in Iobo Iobi nihil agnoscas. Quanta futura sit in resurrectione animorum corporumque mutatio, non est huius loci aut mei muneris disputare longius. consule Doctores scholasticos, qui de hac re multa quærunt, accurateque disceptant.

23. Vers. 15. *Vocabis me, & ego respondebo tibi: operi manuum tuarum porriges dexteram.*] Si de immutatione, quæ fiet in resurrectione extrema, cui succedent cum immortalitate tam corporis, quam animæ, gratissimæ dotes, sermo sit, sensus non est difficilis, certum est enim, hominem esse de puluere vocandum, vt habes *1. Cor. XV, 51.* vbi hæc omnia, quæ docuit Iobus, Paulus confirmat, vbi audis re- pag. 209. a
surrectionem, Dei vocem, & qualis sit immutatio futura, quam Iobus expectare se dicit: *Omnes*, inquit, *resurgemus*, *sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba: canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur.* Qualis vero sit illa immutatio, statim declarat: *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Respondere autem nihil est aliud, quam obedire Domino vocanti. Quemadmodum Lazarus, & filia Archisynagogi & Tabitha tunc responderunt, illi Christo, hæc Petro, euocantibus ad vitam, quando spiritum resumpserunt, quem prius efflauerant.

Si vero hæc de priuata ac singulari resurre- 24.
ctione capias, aut contrarius erit sensus, ita vt Dominus vocet ad mortem, quam optat, vt a vitæ liberetur incommodis: quam vocem Iobus libenter audiet, & illi obsequetur non inuitus, id est, morietur non grauate; Vel si, quod se cupere paulo ante dicebat, euocaretur ad vitam, mortalem videlicet, qualem ante duxerat, responsurum se dicit, id est, indictum non recusaturum imperium. Quia vero ad suscitandum mortuum nulla est in natura potestas, sed ab infinita solum sperari potest facultate, ideo dicit admoturum esse Dominum manum, quæ a morte vindicet, quem mors in suam sibi ditionem abstulerat.

Vers. 16. *Tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parce peccatis meis.*] In *vestigiis* seu in 25.
gressibus, vt notauimus supra *c. XIII, 27.* omnia opera intelliguntur: Sane Hispanus, cum aliquem reprehendit, aut laudat ab operibus, quibus studium suum, & laborem impendit, hoc explicat modo: *Anda en buenos o malos passos.* Hunc arbitror versum cum eo, qui *Deus omnia hominum opera obseruat & numerat.*
proxime succedit, interposuit Iobus, vt in Deo iustitiam & seueritatem ita commemoraret, vt tamen etiam prædicaret misericordiam, quam videri poterat desiderare in Deo, dum labores suos, duramque militiam amplificat.

ficat. Ait primum, Deum expendere ac numerare omnia, quæcumque homines operantur, aut cogitant: & timet in his, quæ de Iobo in suas quasi ephemerides retulit, esse non pauca, quæ imposito supplicio, quasi expiatorio igne, purgari debeant. Sed quia clementem esse cognoscit, etiam dum punit, & tribulationis fornace excoquit scoriam, orat, vt ipsius ignoscat peccatis, quod non faceret, nisi plene cognosceret, habere se ad diuinam misericordiam facilem accessum. Hanc posteriorem partem alii aliter vertunt & exponunt. Septuaginta: *non præteribit te vllum peccatorum meorum*, quæ verba superiorum epexegis sunt, nam eandem sententiam continent, magis tamen aperte; nam quod prius *gressuum* nomine obscurius, hic *peccatorum* vocabulo clarius explicatur. Hebr. *non custodias vel obserues peccatum meum.* quod idem videtur ac si diceret; obliuiscere peccatorum meorum, quod fit parcendo. Pagninus vertit: *ne differas punitionem meam?* id est, ne longius protrahas, aut fac, vt hic soluam, quod pro peccatis debeo. Quod optabat Augustinus, quando dicebat: *Hic vre, hic seca, vt in æternum parcas.*

26. Hic breuiter obseruo, hanc fuisse olim apud Gentes opinionem, aut verius superstitiosum metum, illa omnia esse fascinationi maxime subiecta, aut diro alicui infortunio, quæ numerata essent, aut de quorum numero liquido constaret. Quare in nouellis plantis rustici poma numerare non audent, ne quid a fascinante oculo, vel ab alia vi sacra, siue execranda accidat incommodi. Sic obseruauit Muretus ad illud Catulli *lib. 1. epigram. 7.*

pag. 209. b

In ea, quæ numerata sunt, videtur vim habere fascinatio.

Cum millia multa fecerimus,
Conturbabimus illa, ne sciamus,
Aut ne quis malus inuidere possit.

27. Ad quam cogitationem, si modo hæc opinio apud Idumæos increbuit, quæ prouerbium peperisse videtur, respexisse potuit Iobus, dum ait, suos gressus a Deo fuisse numeratos, quasi illos velit infelices vocare, cum assiduis ac grauibus mulctentur infortuniis, quasi semper fuerint doloribus obnoxii; sed aliquid spectasse aliud, satis indicat, quod proxime subiicitur.

28. Vers. 17. *Signasti quasi in sacculo delicta mea: sed curasti iniquitatem meam.*] Quod prius dixerat numeratos esse gressus, idem alia similitudine declarat, quæ maiorem quandam intentionem & studium indicat. Numerat quis pecunias, illas tamen, cum vsus venerit, expendit liberaliter, neque de numero curat; longe tamen aliter cum signat in sacculo, aut in arca, ideo enim signat, quia seruare vult in longum tempus, non in quoslibet vsus, sed in grauiores alios, quos iam antea secum destinarat, impendere. Sic ergo Iobus secum meditatur, Deum omnia delicta, quæ ipse a primis etiam annis admiserat, numerasse diligenter, seruasseque vigilanter in tempus, in quo de illis pœnas exigere decreuerat. Obsignari autem illa, quæ maxime seruari cupimus, ne quid ab illis aliquo modo cuiusquam calliditate decedat, satis est notum. Sic agricolæ certos numeros imprimunt aceruis, vt notauit Maro *Georg. lib. 1.* eo fortasse consilio, vt seruent illos a furacibus seruulorum manibus. Sic lagænæ, sic salina signantur a matresfamilias, & omnia, quæ quoquo modo ad vsus commoditatesque domesticas seruantur, ne quid aut negligentia pereat, aut furto. Plautus *in Casinaria Act. 1. scen. 2.*

Obsignantur quæ in longum tempus seruanda.

29.

Obsignata olim omnia, quæ ad mensam adhiberi solita.

Cur annulus datus matrisfamilias.

Obsignate cellas, referte annulum ad me.
& idem alibi:
Isti parcipromi, qui salinum seruis obsignant cum sale.

Plinius *lib. 32. cap. 1. Quæ fuit illa priscorum vita, qualis innocentia, in qua nihil signabatur? At nunc cibi quoque ac potus annulo vindicant a rapina.* Clemens etiam *in pædagogo lib. 3.* fœminis annulum tribuit, non ad ornatum, sed ad signandum ea, quæ custodienda sunt propter curam domesticam, quæ illarum fidei credita est. sic a Deo peccata dicuntur signata, id est, seruata diligenter in thesauris, quod idem est atque in sacculis, *Deuteron. XXXII, 34. Nonne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis?* nempe vt illa tempore constituto debitis afficiat suppliciis. Atque ideo statim subdit, *mea est vltio, & ego retribuam in tempore.* Sed quantumuis Deus obserat atque consignet peccata: id est, thesaurum iræ, quo demens homo, & futuri nescius aut contemptor, diuinum pectus onerauit (vt ait Paulus *Rom. II, 5. Thesaurizas tibi iram in die* *iræ*

30.

Dei quanta seueritas.

pag. 210. a

iræ & reuelationis iusti iudicii Dei, qui reddet vnicuique secundum opera eius) nihilominus patietur resignari sacculos illos siue thesauros a pœnitentia & lacrymis, & delicta suæ custodiæ eripi, ne ius in illa habeat diuina seueritas. Id enim valet illud: *Sed curasti iniquitatem meam.*

31. *Dei quanta seueritas.* Vers. 18. *Mons cadens defluit, & saxum transfertur de loco suo.*] Hic ego hyperbaton finio, & quæ dixi claudenda parenthesi: & cum *versu 15.* coniungo. Hic Iobus quasi clementiæ immemor, quam modo commendarat, iustitiam & seueritatem notat, quæ mitius agit cum plantis, quibus vim addidit, vt rursus viuerent abscissæ: & cum saxis ac montibus, quibus contigit conditio constantior, neque casu, aut ruina, sic intereunt, quomodo mortalis homo, qui leui vulnere, a quocumque prouenerit, esse homo desinit, corpore omnino in alienam naturam resoluto. Aut certe quod initio dixit, hic quoque alia similitudine confirmat, quasi dicat, non esse mirandum, si homo natus de muliere, & multis repletus miseriis, & de immundo conceptus semine, labascat aliquando atque deficiat, quando illa, quæ natura firmissima sunt, vt saxa, aut latis ac duris innixa fundamentis, vt montes, conuelluntur & defluunt, & de vno loco transferuntur in alium. Quam multæ ciuitates alluuione terræque motu subuersæ fuerint, defluxerint, & terra in vastos discesserit hiatus, docet multis Plinius *lib. 2. cap. 85.* per multa capita. Vtraque sententia satis est probabilis, & ad Iobi præsens institutum non importuna; sed illa mihi videtur opportuna magis, quæ Domini in tundendo verberandoque constantiam explicat, & amplificat. Dixerat supra Iobus *cap. VI, 11.* neque æneam sibi carnem esse, neque saxorum sibi inesse fortitudinem, & *cap. VII, 12.* se a Deo sic esse circumdatum vexatumque crudeliter, sicut a piscatoribus exagitatur cetus, ac tandem vnco ferroque conficitur. Nunc ergo docet, sic se Deum gessisse in Iobum obfirmato animo & studio pertinaci, quasi montes vellet commouere radicitus, & saxa millies repetito verbere conterere. Quæ vis tanta est, quæ possit montes aut in altos diuidere hiatus, aut ab imis conuellere fundamentis; sane vehementissima sit oportet, qualis esse solet, cum terra vasto concutitur motu, aut cum ignem concipit, cuius vi magnæ dissiliunt moles, & ciuitates incredibili fragore corruunt. Neque saxa franguntur, aut excauantur, nisi magnus a potenti brachio adhibeatur impetus, aut si ille segnior fuerit, assiduitate tamen perficiat, quod vi minus firma perficere non potuit. Quod probat, quia cum aqua sit mollis, illa tamen, si sæpe cadat, dura excauat & perforat saxa: & alluuionibus terra exeditur, dum ab illis frequenter alluitur, licet aqua mollis sit, neque appulsus atque impetus habeat vehementes. Eodem modo etiam, si vulnera, quæ Iobus patitur, dura non fuissent, ipsa tamen assiduitate, etiam si saxeam haberet duritiem, fuisset consumptus, & alio translatus, quomodo aut nixu aut machinamento grandia voluuntur & torquentur saxa. Illud porro de saxo ab aqua iugiter stillante perforato, tritum est, & pene prouerbiali forma vulgatum. Sic Ouidius:

Quid magis est durum saxo, quid mollius vnda?
Dura tamen molli saxa cauantur aqua. pag. 210. b

32. *Humanæ felicitati non fidendum.* Vers. 20. *Roborasti eum paululum, vt in perpetuum transiret.*] In varios sensus patent hæc verba, ego duos adduco, qui mihi visi sunt expediti magis: alter est, hominem ideo videri exaltatum, vt grauior esset casus, & quod ad modicum tempus voluptatis hausit, illud spatio longissimo, imo perpetuo lueret: quod de huius sæculi fortunatis hominibus cecinit Lucanus, dum ait:

—Tolluntur in altum,
Vt lapsu grauiore ruant.

Alter est, hominem sic esse ornatum a Deo, sic roboratum, dum ætati teneræ prius & infirmæ accedunt incrementum & vires, vt in perpetuum victurus, aut ad æternitatem transiturus videretur. Quis enim putaret sic Deum ornaturum homines, sit vellet illorum vitam non esse diuturnam, neque enim quisquam prudens multum operæ, artis, & sumptus ponit in domo, quam breui esset euersurus, aut quam non diu credebat esse permansuram; verum hanc domum egregie ædificatam & instructam sic Deus immutabit,

bit, vt agnoſcat nemo, cum horribili ruina proſternat; ita vt quem modo hominem robuſtum & elegantem videras, ſtipatum amplo lautoque ſatellitio, temporis momento intueare informe fœtidumque cadauer; in quo neque vmbra ſuperſit dignitatis antiquæ; id enim valet, quod proxime ſubditur.

33. *Humana felicitas fucata & ruinæ obnoxia.* *Immutabis faciem eius, & emittes eum.*] Quaſi dicas, detrahes laruam, id eſt, faciem exemptilem, & quam ſub mendaci ac ludicra perſona Regem putabam, immutata repente facie, neque mediaſtini atque abiecti ſeruuli perſonæ ſufficiat. Cum nihil ibi appareat niſi vermis, ſanies, puluis, & prioris fortunæ tenuis, aut potius extincta memoria. Quam homo vbi e viuis exceſſerit, alium a ſeipſo quotidie videamus, quam in fortuna varia varios aſſumat vultus, & nouimus ipſi, & diſcimus ab *Eccleſiaſtico cap. XIII, 31. Cor hominis immutat faciem illius, ſiue in bona, ſiue in mala: veſtigium cordis boni, & faciem bonam difficile inuenies & cum labore.* Quæ verba ſatis indicant humanæ vitæ conditionem ærumnis & doloribus obnoxiam. Illud *emittes eum*, idem eſt, atque diſſolues & extingues, emittes enim, vt ad parentes vadat, & vniuerſæ carnis ingrediatur viam.

34. Verſ. 21. *Siue nobiles fuerint filii eius, ſiue ignobiles, non intelliget.*] Perſequitur humanæ vitæ conditionem vndequaque vexatam & miſeram. Si filii deſint, magnus eſt parentibus dolor & ignominia, maxime apud Hebræos, qui in maledictis audiebant nullam ſuſcepiſſe prolem, qui parentum referret effigiem, & memoriam conſeruaret in poſterum. *Eccleſiaſtic. XXX, 4. Mortuus eſt pater, & quaſi non eſt mortuus: ſimilem enim reliquit ſibi poſt ſe.* Si vero filiis abundat, neque hoc parentis mortem conſolabitur, quia neſcit, an ſuſcepti filii, in quorum vita ipſe quoque quodam modo viuet, nobiles futuri ſint vel ignobiles: an propagata ſoboles futura ſit illuſtris virtutis & gloriæ, an execrabile dedecoris monumentum, quæ parenti egregio turpes allinat ignominiæ labes. *Quod parentum a filiis ſolatium.*

Verſ. 22. *Attamen caro eius, dum viuet, dolebit, & anima illius ſuper ſemetipſo lugebit.*] Miſerum eſt homini mori, & talem ſubire mutationem, qualem nuper expreſſimus: ſed ipſa quoque vita tot eſt incommodis, tot difficultatibus impedita, vt neſcias, vtra ſit candidior atque optabilior dies, quæ te naſcentem in lucem accepit, an quæ te animam agentem vidit, & ad parentes redactos iam in cineres aggregauit. Sane multi experti humanæ conditionis incommoda, commutarent vltro ærumnoſam vitam cum morte, quam miſeriarum eſſe portum dicebant, quod dixit ſupra Iobus *cap. X, 18.* & toto ferme *cap. III.* Quam miſeram antiqui vitam exiſtimarent, illamque non tam amarent, quam horrerent, docuit Plinius *in præfatione cap. 7.* vbi optime humanæ vitæ incommoda & inopiam perſequitur. Plurima in hanc ſententiam affert adagiographus *Chiliad. 2. Cent. 3.* ad illud, *optimum non naſci.* Ait igitur Iobus, hominem prorſus eſſe miſerum, cum neque vnquam caro a doloribus, neque animus ab angoribus vacet. pag. 211. a 35. *Humana vita plena miſeriis.*

ARGVMENTVM CAP. XV.

CVm ſtomacho Iobum impietatis ſtolidæ accuſat Eliphaz, quaſi cum Deo diſceptare voluerit, & ſuo ſermone magna ex parte Dei timorem & obſeruantiam in hominum animis infregerit. Deinde ignorantiſſimum illum eſſe dicit, & nullo modo liberum a culpa: cum illam alii, qui meliori, quam ille, conditionem nacti ſunt, non euitauerint. Deinde toto capite in dolore & ſollicitudine, quibus exagitantur impii, & aliis incommodis, quibus illorum extenuantur opes, & familia deformatur, & periit, ſtatum depingit Iobi, quem eo argumento hypocritam eſſe ac ſceleratum oſtendit.

PARA-

CAPVT XV.

pag. 211. 1. RESpondens autem Eliphaz Themanites, dixit:

2. Numquid sapiens respondebit quasi in ventum loquens, & implebit ardore stomachum suum?

3. Arguis verbis eum, qui non est æqualis tibi, & loqueris quod tibi non expedit.

4. Quantum in te est, euacuasti timorem, & tulisti preces coram Deo.

5. Docuit enim iniquitas tua os tuum, & imitaris linguam blasphemantium.

6. Condemnabit te os tuum, & non ego, & labia tua respondebunt tibi.

7. Numquid primus homo tu natus es, & ante colles formatus?

8. Numquid consilium Dei audisti, & inferior te erit eius sapientia?

pag. 212. 9. Quid nosti quod ignoremus? quid intelligis quod nesciamus?

10. Et senes & antiqui sunt in nobis, multo vetustiores quam patres tui.

11. Numquid grande est, vt consoletur te Deus? sed verba tua praua hoc prohibent.

12. Quid te eleuat cor tuum, & quasi magna cogitans, attonitos habes oculos?

PARAPHRASIS.

1.2. Ad hæc Eliphaz animo commotus; Qui sapiens est, vacua a sacro sensu verba non loquitur, quæ ventus rapit ac dissipat, quia sine pondere sunt. Neque aduersus illum indignatur & furorem concipit, quem tandem euomat in illum, a quo salutaria traduntur documenta. pag. 211.

3.4. Vnde tibi venit in mentem, o hominum audacissime, vt cum eo contendas, imo & eum accuses, qui te est longe potentior, & ea temere loquaris, quæ nullo modo tibi futura sunt ex vsu. Quo agendi modo id, si nescis, facis, vt Dei timorem ex hominum animis euellas, & tandem ne ad Deum orationis ac religionis gratia supplices accedant. Quomodo enim homines Deum venerentur, quem esse iniustum ostendis, dum tam acerbas sumit ab innocente pœnas? quomodo orabunt, cum inclementem esse audiunt, & innocentium lacrymis & pœnis oblectari?

5.6. Qualis est animus, talis cuiusuis est oratio; neque enim aliud os loquitur, quam quod interior suggerit & imperat sensus. Quare os tuum docet iniquitatem tuam? Neque necesse est, vt ego te, aut externus aliquis sceleris arguat, aut blasphemiæ, cum tua te voce & testimonio manifeste compungas.

7.8. Insipientes nos esse dicis, quasi tu sapientia Adamum superares, & tantum ætate progressus esses, quæ sapientiam parit, vt ante Adamum & ante colles mundi cum vita pariter sapientiam accepisses. Numquid te Deus in rerum formatione adiutore vsus est, aut consiliario, quasi sapientior esses, & te socio ad vniuersi molitionem indigeret?

9.10. Ecquid tu ingenio aut studio consecutus es, quod ingenium nostrum aut studium effugerit? Neque præterea nobis desunt magistri, & iudicio maturo, & ætate graui, qui parentes tuos sapientia & antiquitate præcedunt. pag. 212.

11. Quereris, o Iobe, quod te Deus inclementer vexarit, & brachium adhuc habeat ad plagam intentum. Non erit, mihi crede, Deo difficile, cohibere manum, saniosa curare vulnera, & temporis momento consolari, & releuare mœrentem. Quo tamen id minus faciat, impedimento est linguæ plus satis libera & blasphema procacitas.

12.13. Cum hoc tempore auertisset oculos Iobus, & eleuasset in cœlum, offensus & grauiter indi-

13. Quid tumet contra Deum spiritus tuus, vt proferas de ore tuo huiuscemodi sermones?

indignans inquit Eliphaz; Quis te, o Iobe, furor inuasit? quæ arripuit amentia? quid hærent immoti oculi in vnum tantum locum coniectu pertinaci conuersi? Quid contra Deum meditatur spiritus tuus, vt talia contra Deum impudenter effutias, qualia, si saperes, contra tuæ conditionis & ordinis hominem non auderes.

14. Quid est homo, vt immaculatus sit, & vt iustus appareat natus de muliere?

15. Ecce inter sanctos eius nemo immutabilis, & cœli non sunt mundi in conspectu eius.

16. Quanto magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem?

14. 15. 16. Quis est homo, vt tuis te verbis iugulem, o Iobe, qui natus de muliere, & ab impuro semine conceptus, se tamen appellare audeat incontaminatum & purum? An tu maior his, quos eximiæ sanctitatis, & olim celebrauit, & nostro etiam æuo commendat opinio; aut his, qui in cœlo aliquando fuerunt egregiis a Deo dotibus exculti? At illi neque steterunt semper immutati, quia aliquando recesserunt a recto, & hi suæ prauitatis supplicium expendunt sempiternum. Quanto minus erit a labe purus homo, quem naturæ pronitas trahit ad malum, qui haustum putat aquæ frigidæ iniquitatem? vsque adeo illam impauide & impudenter haurit.

17. Ostendam tibi, audi me: quod vidi, narrabo tibi.

18. Sapientes confitentur, & non abscondunt patres suos.

19. Quibus solis data est terra, & non transiuit alienus per eos.

17. 18. 19. Audi igitur quid dicam, & tandem discere incipe. Ostendam tibi non aliquid ioculare & anile, aut fabulosum commentum; sed quod ipse oculis vidi meis, contrectaui manu, ac longo tandem experimento cognoui. Sed ne tibi videar, mihi ipsi totam arrogare sapientiam, ostendam a quibus illam doctus acceperim. Est enim sapientium proprium ingenue confiteri quos in arte aliqua vel scientia magistros habuerint. Hi porro sapientes videntur, & optimi magistri, quorum doctrinæ fides haberi debeat, quos Deus terræ gubernandæ præfecit, quam sic administrarunt vigilanter & integre, vt nihil ab alienis detrimenti subierit.

pag. 213. 20. Cunctis diebus suis impius superbit, & numerus annorum incertus est tyrannidis eius.

20. Nunc audi, quid ipse cognouerim, & ab antiquorum doctrina didicerim, nempe impii inflatos esse & fastidiosos spiritus; quod insipientis animi argumentum est. Et eo maius, quod quamdiu duraturus sit status ille sublimis, in quo sibi ipsis immoderate placent, exploratum non habent. pag. 213.

21. Sonitus terroris semper in auribus illius: & cum pax sit, ille semper insidias suspicatur.

22. Non credit, quod reuerti possit

21. 22. Audi aliud intestinum impiorum & familiare supplicium. Nunquam illius animus est a metu ac sollicitudine vacuus; semper audire se putat, quod ipsi repentinum & durum interitum annunciet; & cum a nullo infortunium immineat, ab omnibus tamen & vbiqui instrui sibi suspi-

de tenebris ad lucem, circumspectans vndique gladium.

suspicatur insidias. Quare circumfert quoquo versat vigilantes oculos, & vndecumque putat impendere gladium. Quod si ceciderit, non sperat futurum, vt ad gradum, vnde deiectus est, reduci possit, quare perpetuum fore dedecus & infortunium timet.

23. Cum se mouerit ad quærendum panem, nouit quod paratus sit in manu eius tenebrarum dies.

24. Terrebit eum tribulatio, & angustia vallabit eum, sicut Regem, qui præparatur ad prælium.

23. 24. Cum vrgente fame cogatur miser, quem conscientiæ angor pungit & instimulat, cibum quærere, occursat vndecumque gladii iam intenti iugulo formido; & ex ea paratæ mortis certa suspicio. Neque aliter illum tribulatio circumdat & angustia, quam Regem, cum prælium meditatur, & iamiam certamen pugnaturus ingreditur. Ille enim tunc maxime angustiatur & æstuat, quia non de regni solum & gloriæ, sed etiam de capitis periculo certandum est.

25. Tetendit enim aduersus Deum manum suam, & contra omnipotentem roboratus est.

25. Est autem hoc supplicium illius audaciæ, & impietati debitum, quia contra Deum armavit & alienauit manus, & contra illum aliquid se posse arbitratus est.

26. Cucurrit aduersus eum erecto collo, & pingui ceruice armatus est.

27. Operuit faciem eius crassitudo, & de lateribus eius aruina dependet.

26. 27. Exarsit in Deum, & irruit alacer, & audax erecta ceruice torosa & crassa, & multa toto corpore diffluente pinguedine, sicut taurus, quasi certus de victoria: quia cum abundet omnibus, omnia sibi vel contra Deum ipsum secunda promittit.

28. Habitabit in ciuitatibus desolatis, & in domibus desertis, quæ in tumulos sunt redactæ.

28. Sed illi iidem, qui domos habitarunt materia nobiles, & arte præclaras, & ex aliarum prædis luculenter instructas, eo redigentur inopiæ, vt deserta sibi deligant loca ex hominum cœtu communi odio relegati; vbi non domus habitent, sed domuum ruinas, & saxorum aceruos.

29. Non ditabitur, nec perseuerabit substantia eius, nec mittet in terra radicem suam.

30. Non recedet de tenebris: ramos eius arefaciet flamma, & auferetur spiritus oris sui.

29. 30. Non congregabit opes, quibus fortunatus & locuples videri possit, quod si congesserit aliquando diuitias, non erunt illæ diuturnæ ac stabiles. Et filii, si quos susceperit, quasi ex infelici stirpe inauspicata germina, quæ parum firmis sunt nixa radicibus, diuturnam lucis vsuram non habebunt. Nam nihil germinabunt infaustæ illæ plantæ, & in terra defossæ, ac tenebris sine vlla successione putrescant, vel si germina pullulent & rami, adueniet vel e cœlo flamma, quæ illos exurat, aut ventus vrens, quo vanescant omnino, & inutiles fiant.

pag. 214. 31. Non credet frustra errore deceptus, quod aliquo pretio redimendus sit.

31. 32. 33. Aliquod est solatii genus, si ea se aliquis cogitatione sustentat, quo industria aut pretio malum, quo premitur, declinare possit. Quod impius aut errore deceptus, aut quia reuera pag. 214.

32. Antequam dies eius impleantur, peribit: & manus eius arescent.

33. Lædetur quasi vinea in primo flore botrus eius, & quasi oliua proiiciens florem suum.

ra ita continget, suarum calamitatum solatium non habebit. Non implebit annos, quos qui fortunati existimantur implere solent; sed in medio ætatis suæ curriculo auferentur. Neque longior erit filiorum ætas, quos casus aut mala fortuna ante suum tempus extinguet, quemadmodum rami, qui eruperunt e trunco, aut exusti calore nimio aut iniquo sidere senescunt, & pereunt. Deficient enim filii, antequam ex illis aliquis ad parentis voluptatem & vsum fructus vllus perueniat, quemadmodum e vinea botrus, aut flos ex oliua ante maturitatem exuruntur, & excidunt.

34. Congregatio enim hypocritæ sterilis, & ignis deuorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt.

34. Quicquid ad hypocritæ atque impii familiam comparatum est, & quoquo modo pertinet, quales sunt serui, filii, & quæ domum lautam illustrant & instruunt, perinde erunt, atque si fuissent nunquam, aut domus ab initio fuisset sterilis. Neque enim filii diu vitam producent, & ex seruis nullum, cum maxime necessitas premat, vsum habebit. Nam illorum domum, quam aliorum extorta munera aut erepta præda construxerunt, tanquam ignis de cælo missus, funditus euertet repentina calamitas.

35. Concepit dolorem, & peperit iniquitatem, & vterus eius præparat dolos.

35. Ille dum fraudes meditatur, quibus alios bonis & commoditatibus euertat, in suum ipsius caput dolorem grauem & ignominiam parat; Et fœtus, quem conceperat animo, quo se putabat fore fortunatum, disrumpet viscera, & pro voluptate atque vsu, quem sibi ex illo doloso partu promittebat, angorem capiet & solitudinem.

Vers. 2. *Numquid sapiens respondebit, quasi in ventum loquens: & implebit ardore stomachum suum?*]

pag. 214. a 1. ANtiquos spiritus retinet Eliphaz, neque quicquam, vt apparet, de suo ardore atque studio remittit: disputationem premit, & multo quam antea vehementius. Putabat homo superbus & impatiens, irrogatam sibi iniuriam, cum audiuit a Iobo *cap. VI, 26. Ad increpandum verba concinnatis, & in ventum verba profertis.* Quæ sane grauia fuerunt, vt ad illum locum explicuimus. Hærebat autem alta in mente repostum illud quod ipse interpretatur durum esse conuitium, quare eandem rependit iniuriam, & eadem prope numerat verba. Et primum illum vt insipientem vellicat, quasi sine scopo iaculetur, & verba fundat ventosa & vacua, quæ nihil contineant præter inanes sonitus, hæc autem verba quam longissime absunt a sapientum ore. pag. 214. b Tales scelerati homines, qui grauiter ferebant minaces prophetarum voces, dicebant esse illorum sermones, & occinebant cum irrisione & sanna apud Ieremiam *cap. V, 13. Prophetæ fuerant in ventum locuti, & responsum non fuit in eis nempe a Deo.*

In ventum porro loqui, prouerbialis est forma, quæ significat vanos sine mente & sine vlla vtilitate sonitus, qua frequenter vtuntur Græci, quorum non parum exemplorum adducit Lambinus ad illud Horatii *lib. 1. Ode 6.* 2. *Prouerb.* In ventum loqui.

Tradam proteruis in mare Creticum
Portare ventis.

pag. 215. a Neque minus frequenter Latini. Virgilius *Æneid.* 10. inane gaudium sic explicuit:

Nec ferre videt sua gaudia ventos.

Et *lib.* 9. de mandatis irritis, quæ Ascanius ad parentem dabat:

Multa patri portanda dabat mandata, sed auræ
Omnia discerpunt.

Apud sacros hoc non minus vsitatum. De Ieremia & Iob. *cap. VI.* nuper diximus. *Isai. LVII,* 13. de Gentium diis; *Omnes eos auferet ventus, tollet aura. Eccles. V,* 15. *Quid ergo prodest ei, quod laborauit in ventum?* Paulus 1. *Corinth. XIV,* 9. *Nisi manifestum sermonem dederitis, quomodo sciatur id, quod dicitur? eritis enim in aera loquentes.* His ergo verbis insipientem appellat Iobum, cuius oratio nullum habet vsum, nisi vt aerem verberet, & ab illo in omnem partem dissipatus vanescat. Sane ventosa vulgo dicuntur verba sonantia, atque immoderatius inflata, in quibus nihil est ponderis, nihil sensus, quæ strepitu terrent, non tamen feriunt; & ventosa lingua, quæ grandia prædicat, fallacibus tamen inflata verbis, & manifestis consuta mendaciis. Ventosam Drancis linguam appellauit Turnus, qui cum timido & imbelli animo, grandia tamen de bello resonabat. Sic de illo Maro *lib.* 11.

Ventosa lingua & verba quæ.

---An tibi Mauors
Ventosa in lingua, pedibusque fugacibus istis
Semper erit?

Eadem Augustinus *tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 7. contra Academicos, vbi ait, inania quædam & ventosa verba collegisse Tullium, quæ a Græculorum leuitate non abhorrent; qui sibi prima quæque atque amplissima arrogant.

3. *Et impleuit ardore stomachum suum.*] Aliud Iobo peccatum obiicit, quod in sapientem cadere non putat, quia excandescit, cum arguitur, & altercanti secum, aut admonenti beneuole, cum stomacho & indignatione respondet. Quæ sane sententia verissima est, & Spiritus sancti oraculo confirmata. *Prouerb. IX,* 7. *Qui erudit derisorem, ipse iniuriam sibi facit, & qui arguit impium, sibi maculam generat. Noli arguere derisorem, ne oderit te, argue sapientem, & diliget te.* Verissima, inquam, est hæc sententia, minus tamen ad rem, quia in mores, & orationem Iobi nullo modo cadit. Cæterum *ardore stomachum implere* nihil est aliud, quam furorem animo concipere, & æstuare intus, & id agere ac cupere, vt acerbitatis virus in molestum hominem, aut in monitorem parum opportunum erumpat. Stomachus autem, sicut etiam venter, in Scriptura sacra pro corde aut etiam animo sumitur. Quare dum æstuare, aut ardere dicitur stomachus, nihil dicitur aliud, quam animum furore, aut furorem in animo inflammari. Latini certe per Metonymiam, quæ rem continentem adhibet pro contenta, stomachum pro furore frequenter accipiunt: dicunt enim, mouere alicui stomachum, id est, excitare in aliquo furorem, ferre cum stomacho. Et verbum *stomachus* furorem indicat & fastidium. Neque tantum Latini in stomacho furorem, sed etiam *animum* intelligunt. Sic Cicero stomachum suum dicit ferre non posse superborum hominum fastidium.

Stomachus pro corde.

pag. 215. b

Vbi Vulgatus *ardore*, Hebr. est קדים *cadim*, quod interdum a nostro interprete *ventus vrens* vertitur, & a recentioribus subsolanus, a Septuaginta modo Καύσων, modo, ἀπηλιώτης, qui ab ardore & sole appellationem accepit. Plenum autem esse stomachum vel animum קדים, id est, subsolano, seu vrente vento, duo indicat, quæ in hoc versu diuisim explicantur. Arguitur Iobus ab Eliphaz, quod in ventum verba protulerit, & quod admonenti atque corripienti succenseat, quod insipientis hominis esse significauerat, vtrumque coniunxit in voce קדים quæ ventum significat, in quo arguitur, ventosa verba & vana fuisse locutus, & ardorem, qui furorem indicat, quo insipientis animus in eum, a quo reprehenditur & admonetur, inflammatur. Est autem insipientis hominis optima descriptio, qui stomachum, id est, animum habet ab vrente vento, id est, vehementi & noxio plenum & inflatum. 4.

Vers. 3. *Arguis verbis eum, qui non est æqualis tibi, & loqueris, quod tibi non expedit.*] Audacis est & insipientis animi, inire cum potentiore certamen, & gloriam captare inde, vnde manifesta paratur ignominia, & multo magis, 5.

magis, si otiosum & quiescentem lacessas. Quod si pugnare cum Deo velis, & cum eo iniuriarum agere, quasi minus æquus fuerit, & pœnas ab insontibus exigat indebitas, id vero etiam impietatis est, & violatæ religionis execrandum facinus, quod nullo modo homini esse potest ex vsu. Quis sit iste, quem Iobus incusat, cuique maior inest vis & auctoritas, obscurum est. Quidam Eliphazem putant & duos alios amicos, quos supra Iobus non leuiter pupugerat, & est valde probabile, quia illi Iobum insipientem putabant, sibi vero non vulgarem sapientiam inesse non semel prædicarant, vt constat, & docet hic Eliphaz *v.9.* & *cap.XXXII.* Eliu, cuius ingenium videtur aliorum esse quam simillimum: deinde quia sæpe queruntur hi amici, quod a Iobo fuerint contempti, & sicut iumenta reputati, ita Baldad Suhites *cap.XIIX,3.*

6. Sed est sine dubio certum, illum, quem Iobus dicitur arguisse, esse Deum, vt totum caput non obscure probat, & est communis sententia. Et quidem Eliphazi data videtur nonnulla occasio, vt talia de Iobo suspicari potuerit: nam visus est de Deo queri, quod supra innocentium merita supplicium imponat; neque semel ostendit, se cum Deo ea de re disceptare voluisse. Quod cum Iobi non assequeretur mentem, quæ longe ab impietate atque insolentia aberat, in eam partem accipiebat, vt nihil sanum ac pium in Iobi cogitationibus ac verbis agnosceret. Accedebat præterea dæmonis in Iobum inflammata rabies, qua auidissime in illius exitium ferebatur, quæ persuadebat nimium credulis tribus hisce viris, audacem esse Iobum & impium, dignumque, quem illorum verborum acerbitate compungeret.

7. Vers. 4. *Quantum in te est, euacuasti timo-*
pag. 216. a *rem, & tulisti preces coram Deo.*] Tam longe, ait Eliphaz, est, vt Iobus religiosus & pius haberi debuerit, vt & ipse religionem omnem prodidisse videatur, & in aliis audaciam & impietatem aluisse, vt neque Deum venerentur & timeant; quem iniustum ex hac Iobi querimonia suspicari possunt: neque supplices accedant, orentque, vt ab his liberentur incommodis, quibus vrgentur anguste: cum crudelem esse audiant, quemque non misereat viri, quem audiunt fuisse misericordem & innocentem. Et tamen cum totus extabuerit perforatus a vermibus, & iam pene extremum agat spiritum, illum tamen adhuc hostiliter vexat, neque quicquam remittit de studio torquendi. Quod si ea mortales cogitatio subeat, vt sublatam putent diuinam prouidentiam, quod ex ea a Iobo dictum coniectabat Eliphaz, quia audierat affligi bonos, abundare malos: & omnia illis succedere ex voto; timor videtur omnino non futurus, quia mali ornari videntur magis quam affligi. Neque preces videntur aliquid habituræ momenti, cum Deus neque oratione flectatur, neque vota respiciat, & omnia susque deque fortuna moderetur & casus.

Vers. 5. *Docuit enim iniquitas tua os tuum,* 8.
& imitaris linguam blasphemantium.] Qualis vir, talis oratio; mens mala linguam mouet & voces fingit ad improbos sensus. Neque aliud os loquitur, quam quod interior suggerit atque imperat sensus. Cum autem, vt male cogitabat Eliphaz, Iobus de Deo impie insciteque sentiret, talia loquebatur, qualia sentiebat, non minus videlicet quam viri blasphemi, qui Deo attribuunt, quæ ab illius natura quam longissime absunt, & illa negant, quæ tantam maiestatem atque clementiam maxime decent. Hæc magis ad vulgatam translationem, & est sententia satis expedita & lenis. Neque tamen displicet, cum in sensu sit nulla, aut saltem perexigua diuersitas, translatio alia, quam probant quidam e recentioribus, vt Pagninus & Vatablus, qui per hypallagen verba hoc modo commutant. Os tuum docet iniquitatem tuam, id est, oratio ipsa prodit intimos animi tui sensus: neque necesse est, vt externis vtamur argumentis & signis, cum tua te voce & testimonio compungas. His accommodate subditur.

Vers. 6. *Condemnabit te os tuum, & non* 9.
ego, & labia tua respondebunt tibi.] Idem ferme iterat, quod *proximo versu* in explicatione posteriori, nam, vt coniectabat & interpretabatur Eliphaz, ipsa Iobi verba auctorem suum impietatis & blasphemiæ condemnant, neque necesse est in Iobi causa aliena sciscitari labia, cum Iobi labia contra ipsius caput, vel aliis tacentibus tam aperte clament.

10\. Verſ. 7. *Nunquid primus homo tu natus es, & ante colles formatus?*] Duo dixerat Iobus ſupra, quæ Eliphazis & ſociorum animos graviter affecerant. Primum, quod eſſent rerum ignari, & earum præſertim, de quibus erat ſuſcepta diſputatio; *cap.* enim *XIII, 5.*
pag. 216. b aperte illos inſipientes vocat, & ſuis ſe verbis rerum prorſus ignaros prodidiſſe; *Vtinam,* inquit, *taceretis, vt putaremini eſſe ſapientes.* Vnde vero prouenerit hæc rerum ignorantia, docuerat paulo ante *cap. XII, 12. In antiquis,* inquit, *eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia.* In quibus verbis tria ſibi irrogata conuitia interpretabatur Eliphaz: primum, quod ſuis verbis, ineptis videlicet, ſuam aperuiſſet ignorantiam, quam non cognouiſſent alii, niſi ipſe tam eſſet in loquendo profuſus, quam vt a ſe depelleret, ſeu potius vt vlciſceretur iniuriam, dixit proxime *v. 5. & 6.* ipſum quoque Iobum, dum nimis loquitur intemperanter, ſuam verbis ventoſis atque blaſphemis inſipientiam & impietatem prodidiſſe. Quod putat in annis eſſe prudentiam, quam ideo tres iſti amici non eſſent adepti, quia adhuc in illis erat ætas iuuenili proxima, neque ſatis ad prudentiam matura, non admodum Iobo ipſi fauere, cum ipſe non adeo eſſet ætate progreſſus, vt illam compararet rerum cognitionem, quam anni pariunt. Iobi porro non fuiſſe ſenilem aut grauem, ſiue iam ingraueſcentem ætatem, illa verba ſatis indicant, quæ cum ſtomacho videntur eſſe prolata. Eſt autem vſitatum in omni, vt reor, lingua, vt qui in gradu aliquo ad quandam mediocritatem non peruenerunt, imo qui in infimo conſtitere gradu; cum eo, qui maxime excelluit, comparentur, cum ironia tamen, vt ſi de homine timido atque imbelli dicas, non eſſe cum Achille aut Hercule conferendum: ſi de pumilione & ſeſquipedali homunculo, cum Encelado aut Goliath: ſi de homine ſtupido & ſaxeo, cum Salomone, Ariſtotele, aut Auguſtino, ſic de iuuene non eſſe parem Neſtori, aut Adamo. Neque aliud Eliphazem voluiſſe arbitror, quam eius ætatis eſſe Iobum, in qua non multum ſoleat eſſe ſapientiæ.

11\. Alii alias ob cauſas putant comparatum Iobum cum Adamo, aut certe Adamo vocatum eſſe diſſimilem. Sanctus Thomas ait licere Adamo potuiſſe cum Deo diſceptare, & humani generis cauſam tueri, quia vnus erat in mundo, & cui poſteriorum omnium tutela, ſicuti propagatio credita videbatur. Alii credunt ſignificari, Iobum non eſſe ſapientem, ſicut fuit Adamus, quo ad illud vsque ſæculum nemo ſapientior. Quæ porro fuerit in Adamo ſapientia, explicuit Eccleſiaſtes *c. XVII, 5.* vbi cum ſermo eſſet de primis parentibus, ait: *Diſciplina intellectus repleuit eos, creauit illis ſcientiam ſpiritus: ſenſu impleuit cor eorum: & mala & bona oſtendit illis.*

Ego hic retorqueri ab Eliphaze conuitium arbitror, quod Iobus in Eliphazis & ſociorum eius caput intorſerat, in quo eadem pene numerat verba, quæ ab Iobo prius, vt ipſe interpretatur, in maledictis acceperat. Audi Iobum ſupra *c. XII, 2. Ergo vos eſtis ſoli homines, & vobiſcum morietur ſapientia; Et mihi eſt cor ſicut & vobis, nec inferior veſtri ſum. Quis enim hæc, quæ noſtis, ignorat?* Hæc eadem refert in Iobi caput Eliphaz. Si primus homo fuiſſet Iobus, fuiſſet ſapientiſſimus, ſicut Adam. & quia ſi ſolus eſſet, ipſo ſublato, ipſa quoque omnino in terris ſapientia periiſſet. Illis porro verbis; *Quis enim hæc, quæ noſtis, ignorat?* reſpondent illa Eliphazis *verſ. 9. Quid noſti, quod ignoremus? quid intelligis, quod neſciamus?* hæc mihi ſententia omnium probatur maxime, & quia ſuperiori Iobi ſermoni reſpondet, & quia in Eliphazis ingenium aptiſſime cadit. 12.

pag. 217. a

Et ante colles formatus] Ac ſi dicat, neque tu primus homo es, vt tua tibi antiquitas ſpiritus afferat inſolentes: neque generatio tua collium generationem anteceſſit. Vulgare eſt in Scriptura, vt antiquiſſima ſæcula & mundi primordia, *montium* & *collium* ſignificentur nomine; quæ dicendi uſitata forma aliquid olere videtur prouerbiale. *Prouerb. IIX, 25. Nec dum montes graui mole conſtiterant, ante colles ego parturiebar. Pſalm. LXXXIX, 2. Priusquam montes fierent.* Hi vero montes appellantur *æterni*, aut *montes ſæculi*, aut *mundi.* Cuius nos rationem reddidimus *in noſtris Commentariis in Habacuc*, ad illud *cap. III, 6. Contriti ſunt montes ſæculi, incuruati ſunt colles mundi.* Montes ſæculi aut colles, ad quos ſine dubio reſpexit Eliphaz, ſunt illi, qui in mundi 13.

Montium & collium *nomine mundi primordia ſignificantur.*

mundi principio a Deo facti sunt, quorum præcipue ideo videtur meminisse, cum alia, quæ cum ipsis creata sunt simul, non minus quam illa fuerint antiqua, quia ex his, quæ in terra aut ex terra fiunt, montes omnium apparuerunt primi, cum terras omnes opplerent & operirent aquæ, & excitatis montibus, vbi paulo antea erat sub aquis terræ immensa planities, in profundos sinus, vallesque depressas, aqua recedente, illi primi ex toto illo terrarum tractu montes humanis se oculis obiecissent, si modo tunc essent oculi, in quos montes illi sublimes incurrerent.

14\. *Cur vocati montes, aut colles mundi.* Dicuntur autem colles mundi, quia cum mundo creati, aut certe paulo post cum aquarum facta diuisione apparuit arida, & in ea primum montium fastigia. Nam fuerunt alii montes non a Deo creati in sæculorum exordio, sed ab hominibus postea facti, aut alluvionibus, seu terræ grauibus motibus effecti. Sane vt *in nostris Commentariis super Ieremiam* ad illud *c. XIII, 16. Ad montes caliginosos,* Nabuchodonosor montes excitauit in Babylone eiusmodi, vt peregrinis, qui procul spectarent, nihil distare viderentur ab antiquis & veris. *Montes ab hominibus facti haud casu.* Vide Iosephum *cap. 10. vers. 11.* Plinius *lib. 2. cap. 86.* ait, ex terræ hiatibus, id est, e terra, quam terræ motus aut eluuiones vacuam reliquerunt, nasci terram aliam sublimem, in quam effossa terra translata est. *Repente,* inquit, *in aliquo mari terræ emergunt velut paria secum faciente natura, quæque hauserit hiatus, alio reddente.* & *cap. 87.* multas numerat insulas, quæ natæ sunt in mari, quæ ante nunquam visæ. Insulæ autem in mari idem omnino sunt, quod in terra montes. Ante hos colles mundi, rogat cum stomacho Eliphaz, an formatus Iobus fuerit, id est, ante primum parentem, prius enim diuisæ fuerunt aquæ & formati colles, quam creatus homo.

pag. 217. b
15\. Vers. 8 *Nunquid consilium Dei audiisti, & inferior te erit eius sapientia?*] Hæc eo spectant, vt audaciæ coarguatur Iobus, & arrogantiæ, qui congressum cum Deo & disceptationem non exhorreat; quasi diuina consilia penitus exhauserit, & sapientiam suam superiorem reputet diuina. Hæc simplicissima, &, vt reor, germana sententia, maxime si quod nonnulli volunt, & indicat Septuaginta translatio, a Domino Iobus in consilium adhibitus dicatur. Sic autem LXX. *Constitutionem Domini audiisti, & consiliario te vsus est Deus?* Qui autem ad consilium accersitur, & sententiam rogatur, ille maiori existimatur sapientia præditus, quam is, qui cum ipso ad causam vocato, de re quapiam deliberat.

Vers. 9. *Quid nosti, quod ignoremus?*] Hæc a nobis nuper explicata sunt, quæ respondent his, quæ *cap. XII, 12.* a Iobo dicta sunt contra Eliphazem & illius socios. 16.

Vers. 10. *Et senes, & antiqui sunt in nobis, multo vetustiores, quam patres tui.*] Dixerat Iobus supra *cap. XII, 12.* in antiquis esse sapientiam, & in multo tempore prudentiam, quam ideo videbatur in Eliphaze & sociis desiderare, qui non admodum ætate progressi fuerant. Ad hæc, opinor, verba respectans Eliphaz, ostendit, etiam si seniles in ipso sociisque suis anni non fuerint; non tamen ideo in ætate non adeo graui desiderari prudentiam, cum magistros habuerint iam longæuos, quos anni & multarum rerum longus vsus multa docuerunt, a quibus ipsi didicerunt, quod in ætate iuniore experientia non poterat. Neque referre multum, an ipse, quæ dicis, præsens videris manuque contrectaueris; aut ab illis hauseris accurato studio, qui illa probe & norunt experimento, & acri iudicio explorarunt attente, & quod caput est, docuerunt assidue eos, quibus neque ingenium deerat ad intelligendum, neque industria & labor ad discenda, quæ doctorum sedulitas tradidisset. Cum autem Iobus si quos habuit magistros, minus essent antiqui ætate, ac perinde minus, vel ipso teste Iobo, nacti forent sapientiæ, consequens est, vt ab illorum sapientia Iobus quam longissime distet. Huc reuocare est operæ pretium, magistros in omni ferme idiomate appellari & salutari parentes; Et apud Themanitas scholas esse antiquas, & in tractu, qui est ad mare mortuum, celeberrimas, docet Ieremias *cap. XLIX, 7.* vbi Themanitas sapientiæ laude floruisse dicit: *Nunquid non vltra est sapientia in Theman? periit consilium.* Eadem pene habes apud Abdiam. Fortasse etiam apud Hussitas scholæ fuerunt, non tamen adeo aut antiquæ & celebres, neque tam viris sapientiæ 17. 18.

tiæ studiosis frequentatæ. Atque ideo Eliphaz Themanites dicit, apud se multo antiquiores fuisse senes, seu patres, aut magistros.

19. Vers. 11. *Nunquid grande est, vt consoletur te Deus? sed verba tua praua hæc prohibent.*] Conquestus fuerat, aut certe sibi graue fuisse significauerat Iobus, quod Deus se afflixisset vehementer & diu, & quod adhuc haberet brachium ad plagam intentum. Quod satis ostenderat luculenter & grauiter *cap. VII, 14.*
pag. 218. a *Terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties. Quamobrem elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea. Desperaui, nequaquam vltra iam viuam.* Hanc vocem Eliphaz aut quia non intellexerat, aut quia se intellexisse dissimulabat, reprehendit: & docet, non fuisse Deo difficile, cohibere manum peccatorum vltricem, curare saniosa vulnera, & temporis momento releuare & consolari iacentem. Quo tamen id minus faciat, impedimento esse linguæ plus satis liberam & blasphemam procacitatem; quæ tam est longe, vt sedet iratum animum, vt potius illum acuat, & ad vindictam inflammet vehementius. Hunc locum difficilem explicatú reddunt translationes aliæ; quas cum vulgata componere longum esset opus, & lectori fortasse parum necessarium, & ideo ab hoc labore supersedeo.

20. Vers. 12. *Quid te eleuat oor tuum, & quasi magna cogitans attonitos habes oculos.*] Quo
Stupidi & cogitabundi habitus.
tempore hæc ab Eliphaze dicebantur, abripuit Iobum vehemens aliqua cogitatio, ita vt oculos, aut in cœlo defigeret, aut alio intentos cunctatione conuerteret, quod facere solent cogitabundi, & quibus grauis inest sollicitudo ac mœror. Quem vultus atque oculorum habitum in peiorem partem arripuit Eliphaz; quasi ipsum aspectu non dignaretur Iobus, atque ita oculos alio cum dedignatione despectuque conuerteret. Ferunt autem viri superbi perquam moleste, ab aliis haberi ludibrio, quod facile ex ore toto, & ex vario oculorum habitu coniectant. Eliphaz igitur superbiæ tribuit, quod oculos immobiles habeat Iobus, neque attendere videatur his, quæ ipse non minus superbe & stomachose iacit. Aut certe stupidum esse putat & amentem, cum oculos habeat attonitos, inflexibiles, quasi qui ad horribile aliquod spectrum obstupuisset. vbi Vulgatus *eleuat*, Hebr. est לקח *lacah*, id est, *accepit*, aut *arripuit*, quasi dicat Eliphaz: Quis te, o Iobe, accepit furor, quæ te arripuit amentia? quid hærent immoti oculi, in vnum tantum locum coniectu pertinaci conuersi? Sed idem verbum, sicut & Latinum *accipio* vel *assumo* etiam eleuare & sursum attollere significant. Sic Christus assumptus dicitur in cœlum: & homo acceptus in excelsum locum & sublimem dignitatis gradum. Translatio LXX. oculos Iobi ideo reprehendi putat, quia contra Deum intenti aliquid in illum toruum aspiciunt; *Quid sustinuerunt oculi tui, quod in furorem erupisti ante Dominum?* Quod sic Didymus exponit: *Quid tantum es facinus ausus, vt in Deum adversum torqueres obtutum?*

Vers. 13. *Quid tumet contra Deum spiritus tuus, vt proferas, &c.*] Etsi supra *v. 2.* dixerat, 21.
ventosa verba Iobum esse locutum, & impleuisse stomachum, nunc illud miratur & indignabundus interrogat, ecqua sit tanta vesania, tam præceps furor & amentia, vt contra Deum ipsum spiritus assumpserit audaces & superbos: & talia loquatur, qualia in sui generis & conditionis hominem prudens non auderet. Hæc aperta sunt.

Vers. 14. *Quid est homo, vt immaculatus sit, & vt iustus appareat natus de muliere?*] Iustum 22.
se appellauerat Iobus, & innocentem, quo pag. 218. b
sensu a nobis explicatum est, id quod impudentis cuiusdam insolentiæ accusat Eliphaz, cum id mortalium nemini illatenus acciderit. Quis enim non immundus de immundo conceptus semine, & in mulieris immunda vulva coagulatus, id quod Iobus ipse paulo ante dixerat *cap. XIV.* Quem suis ipsius verbis compungit Eliphaz, & tanquam immemorem & insipientem arguit.

Vers. 15. *Ecce inter sanctos eius nemo immutabilis, & cœli non sunt mundi in conspectu* 23.
eius.] Hoc idem aut paululum immutatum dixerat *c. IV, 4.* quod sibi in nocturna visione reuelatum affirmarat, atque ideo minus nobis hoc loco laborandum, cum inde peti explicatio posfit: qui illic vocati sunt *angeli*, hic appellantur *sancti*, & hoc verisimilius. nam & hoc nomine in Scriptura sacra non semel vocan-

vocantur angeli, vt constat ex Daniele *cap. IV.* & *IIX.* Quod si homines intelligas, qui horum virorum ætate, aut quo etiam superiori iudicati sunt sancti, quales fuerunt ex Hebræis Abraham, Loth, & Isaac, & si qui alii ex Idumæis fuerunt integritate morum & opinione sanctitatis eximii; illi tamen non ita fuere in vitæ puritate constantes & firmi, vt non aliquando in leuia saltem peccata defluxerint. Cœli porro, quantumcumque puri & splendore conspicui, si cum Dei munditia & claritate comparentur, immundi censeri possunt & obscuri. Tanta est diuina claritas, tanta mundities. Sed fortasse per metonymiam cœlum pro cœlitibus, id est, pro his, qui in cœlo habitant, sumendum est, quod sæpe huic accidit nomini non solum in Scriptura sacra, sed etiam in profana. Vnum pro multis accipe Virgilium *libr. 8.*

Cæruleus Tibris cœlo gratissimus amnis.

24. Vers. 16. *Quanto magis abominabilis, & inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem.*] Confert nunc hominem immundum de muliere natum, ac vitiorum omnium naturæ pronitate præcipitem, cum cœlo & angelis, quorum eximia est puritas, sine vlla terrena concretione mundities. Homo autem ita immundus est, vsque adeo externis internisque sordibus delibutus, vt nemo illum, qui internam amet externamque puritatem, spectare possit sine nausea; atque ideo non solum illius conuitium atque congressum refugit, sed etiam aspectum. Hoc enim sonat vox *abominabilis.* dicitur præterea homo *inutilis*, aut quia iners est & tardus, longe angelo dissimilis, de quo proxime, & rebus vtiliter agendis
25. parum idoneus. Hebraica vox *alach*, pro qua Vulgatus transtulit *inutilis*, putridum valet & fœtidum, vt conuerterunt omnes pæne recentiores interpretes. Quod si ita est, qualem existimemus oportet hominem, quem natura & consuetudo praua effinxit, aut potius corrupit. Ad hæc naturæ damna accedit incredibilis quædam ad peccandum siue propensio dira, siue ad resistendum infirmitas, vnde fit, vt ea facilitate peccatum admittat, eoque se ad satietatem vsque inebriet, qua homo, qui diuturnam sitim explere cupit, & dum acer feruet æstus, aquam haurit gelidam, qua

Homo abominabilis & inutilis.

rabiem vrentem & æstiuum ardorem refrigerare vult. posuit autem aquam potius, quam *pag. 219. a* vinum, aut liquorem alium, quo sedari solet & expleri sitis, quia in vehementi ardore ac siti expeti magis assolet aqua frigida, quam vinum: deinde quia sine vllo impendio paratur aqua, quam vltro fons & largiter offert, cum ab illius potu pretium non retardat, & præceps rapitur ad aquam, quæ sitientem inuitat, neque exhauritur quantumcunque haurias: neque præterea in bibendo illa sentitur molestia aut mora, sicut alia, quæ natura appetit, vitæ subsidia, quæ atteruntur dentibus, aut non sine aliquo labore in ventrem illabuntur.

Vers. 17. *Ostendam tibi, audi me; quod vidi, narrabo tibi.*] Attentionem captat, & 26. oculos a se auersos, & quasi attonitos, ad seipsum conuertere studet Eliphaz, vbi sibi ipsi aliquid attribuit certum, siue acceptum diuinitus, quod accidit Prophetis, & ipse de se iterum docuit *cap. IV, 12.* siue ita traditum a maioribus perspicue & vere, vt de illorum veritate non dubitet: ad hoc igitur audiendum attentum sibi parat auditorem.

Vers. 18. *Sapientes confitentur & non abscondunt patres suos.*] Ostendit, vnde hauserit 27. doctrinam illam, quam in Iobi aures largiter instillat, ne temere existimetur attulisse, & Iobus eadem libentius audiat, neque loquentis sermonem interrumpat & turbet. Ait primum, illa omnia se vidisse, & experientia edoctum in sermonem inducere. Ad quam cognitionem siue diuinitus inspiratam, siue experimento quæsitam, accedebat quoque patrum, id est, magistrorum auctoritas, quibus adhiberi fides a iunioribus & solet, & debet. Est animi sapientis & ingenui, fateri, a quibus aliquid didiceris, vt si quam habeas sapientiæ laudem, illam cum maioribus magistrisque communices, a qua confessione non illiberali suam commendat modestiam, & interim beneuolum sibi facit Iobum, quem prius expertus fuerat non leuiter offensum. Qui autem hic dicuntur patres, illi, vt paulo ante diximus, magistri sunt.

Vers. 19. *Quibus solis data est terra, & non transibit alienus per eos.*] Hic virorum sapien- 28. tium, quibusque fides haberi debeat, forma

proponitur, & quæ illorum prudentiam & integritatem consequatur publica commoditas. Quibus verbis seipsum depingere & commendare videtur Eliphaz, quasi ipse sapiens sit & probus, & cuius fides non leuis esse debeat apud omnes momenti. Erat autem ipse & illius socii in regia dignitate, neque in ditionem sibi creditam irruperant alieni, nempe vicini hostes, qui subditorum conculcarent agros, & bona disperderent, neque pacem turbarent publicam, & regionem redderent sterilem & inuisam. Quod non habuit Hussitarum regio, quo tempore illi præfuit Iobus: nam illam Sabæi atque Chaldæi populati sunt, & in familia Iobi maximam ediderunt stragem. Et quasi non satis habuisset virium humana manus ad Iobi Hussitarumque sternendas atque perdendas opes; accessit diuina, quæ durum cœlitus demisit incendium, quo absumpsit numerosos greges, & vehementi turbine subuertit domum, & securos & epulantes filios graui oppressit ruina. Hæc credo secum meditabatur Eliphaz, & suam integram florentemque
pag. 219. b fortunam cum afflicta atque ærumnosa Iobi componebat, vt inde ipse appareret sapientior & iustior, cum eorum nihil passus esset ab hoste vicino; neque duram in se diuinam manum esset expertus. Hinc constat, opinor, huius loci non difficilis sensus; illi enim dicuntur patres seu magistri, a quibus alii veram & solidam hauriunt disciplinam. Quos Dominus terræ gubernandæ præfecit; quam sic administrarunt vigilanter & integre, vt nihil ab alienis detrimenti subierit.

29. *Alienus, & hospes, idem interdum, qui hostis.*

Alienus hoc loco idem est, qui *hostis*, fieri enim solet, vt qui alieni sunt, non solum religione & legibus, sed etiam loco, hostiles inter se gerant inimicitias, & in alienis finibus populabundi grassentur. Sane qui nunc hospites, quorum nomen nihil hostile sonat, olim vocati fuerunt hostes, id est, alieni, qui aliunde profecti hospitium sibi in aliena ciuitate quæsierunt; quod faciunt quotidie peregrini, quique regiones varias obeunt, siue religionis, seu negotiandi causa. Cum autem hospites, beneficii & oblatæ humanitatis immemores, pro gratia, quam ab hospitante acceperant, referrent iniuriam, & domum spoliarent ornamentis, quam ingressi fuerant, factum est, vt illud nomen, quondam amicum & honestum, haberi cœperit odiosum & infidum; & hostes posterioribus sæculis idem omnino sonent, quod inimici: Ita sane Cicero *lib. 1. Offic.* non longe a principio: *Hostis*, inquit, *apud maiores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. Indicant enim duodecim Tabulæ. Aut status dies cum hoste.* (verba sunt legis) *Itemque, adversus hostem æterna auctoritas. Quid ad hanc mansuetudinem addi potest, cum quicum bella geras, tam molli nomine appellari? Quamquam id nomen durius iam effecit vetustas: a peregrino enim iam recessit, & proprie in eo, qui arma contra ferret, remansit.* Hæc Cicero.

Vers. 20. *Cunctis diebus suis impius superbit, & numerus annorum incertus est tyrannidis eius.*] Hæc sunt verba, quibus supra significarat Eliphaz multum inesse ponderis: quæque vidisse se dixerat, & a sapientibus, iisdemque reipublicæ moderatoribus accepisse. Nempe impiis inflatos esse & fastidiosos spiritus, quod insipientis animi argumentum est, & eo maius, quod quamdiu duraturum sit imperium, & dignitas, in qua sibi tantopere blandiuntur & placent, exploratum non habent. An hæc spiritu afflante diuino acceperit Eliphaz, audieritue a senibus, siue ipse experimento compererit, incertum est. Mihi non videtur improbabile, aut accepisse delusum a diabolo, a quo alia quoque acceperat plurima, vt maiorem Iobo molestiam afferret, quod diabolus cupiebat maxime, vt ad impatientiam Iobum vel desperationem adigeret: vel ipsum somnium aliquod, aut inspirationem commentum esse, vt sibi conciliaret auctoritatem & fidem, & Iobum affligeret & premeret magis, quem superbum cogitabat & impium, & eius tyrannidem & dominatum repente concidisse intuebatur. 30.
De tyranno ac tyrannide alio loco a nobis actum est pluribus. Vide *Commentarios in Danielem* ad illud *cap. I, 3. de semine regio, & tyrannorum.* Vbi diximus, hoc nomen olim honestum esse, & plenum dignitatis, & regium, aut regio proximum, successu vero temporis ex tyrannorum, id est, Regum ac Principum sæuitia male cœpit audire *Tyranni* nomen: 31. *Tyranni nomen olim honestum.* pag. 220. a

nomen: ſicut *Regis* poſt Tarquinii dirum atque ſuperbum dominatum, & *hoſtis*, vt nuper dicebamus. Sane Seneca *lib. 1. de clementia cap. 12.* tyrannum dicit a Rege diſtare factis, non nomine. Eſt enim tyrannus, ſicut poſteriora acceperunt ſæcula, qui ita ſuum obit & moderatur imperium, vt ſuæ potius libidini ſeruiat, quam ſubditorum commodis, qui neque legibus ſe vllis teneri putet: qui ita contra æquitatem & pudorem obduruit, vt nihil non audeat, quantumuis a ratione vel pudore alienum, qui quidquid lubet, licere putat, neque abeſſe a religione, quod ipſi futurum ſit ex vſu. Talem autem fuiſſe Iobum, videtur his verbis ſignificaſſe Eliphaz, cui alia non diſſimilia in longa hac diſceptatione obiiciuntur ab amicis, quibus, vt dixi, ſæpius diabolus huiusmodi cogitationes iniecerat. Sane *cap. IV.* tyrannus videtur vocari ab Eliphaze *v. 10. & 11.* cum tygris appellatur & leo.

32. *Formido & angor perpetui improborum comites.*

Vbi Vulgatus *ſuperbit*, Hebr. eſt מתחלל *mitcholel*, quod multa ſignificat, quæ tamen omnia dolorem, metum, angorem, & turbationem indicant, quæ abeſſe non ſolent ab his, qui tyrannorum in morem ſuperbe viuunt, & cum aliis inclementer agunt: quibus deeſſe non poſſunt, niſi cum pudore humanitatem etiam exuerunt, angores, ſollicitudines, quas affert ſecum de aliorum offenſione perpetua formido, & conſcientia ipſa, quæ ab auctore ſcelerum perpetuas exigit & intolerabiles pœnas. Quas antiqui in furiarum ſeu Eumenidum fabulis intellexerunt, quarum vindices manus & horribiles plagas variis explicant & amplificant modis. De his Cicero *in Piſonem: Furiæ agitant, & inſectantur impios, non ardentibus tædis, ſicut in fabulis, ſed angore conſcientiæ.* & multo melius *Sap. XVII, 11. Cum ſit timida nequitia, dat teſtimonium condemnationis: ſemper enim præſumit ſæua perturbata conſcientia.* Hanc porro explicationem non parum iuuant ea, quæ proxime ſuccedunt.

33. Verſ. 21. *Sonitus terroris ſemper in auribus illius: & cum pax ſit, ſemper ille inſidias ſuſpicatur.*] Hæc vera ſunt, & ſatis probat teſtimonium, quod ex libro Sapientiæ nuper adduximus, quæ ſatis explicant, quam ſeuerum, quamque perpetuum exigat conſcientia a ſcelerum auctore ſupplicium. Quæ ſententia grauis eſt, & ab auctoribus tam ſacris quam profanis, variis modis expreſſa, quorum ſi proferre velim teſtimonia, longus ſim. Adducam tamen aliqua, ne rei tam grauis tamque frequenter a bonis Scriptoribus iteratæ, ieiuna ſit & ſterilis commentatio. Ex Scriptura Sacra eſt illud *Sap XVII, 11.* teſtimonium, de quo nuper; & infra a *verſu 14.* elegantiſſime Ægyptiorum deſcribitur metus atque turbatio, quæ ex mala proueniebant & inſtimulante conſcientia: *Siue ſpiritus ſibilans, aut inter ſpiſſos arborum ramos auium ſonus ſuauis, aut vis aquæ decurrentis nimium, aut ſonus validus præcipitatarum petrarum, aut ludentium animalium curſus inuiſus*, &c. *deficientes illos faciebant præ timore*, quæ ex mala conſcientia orta ſupra *v. 10.* ſignificarat. Ex profanis Cicero ſæpe & grauiter. Teſtimonium bonum nuper adduximus ex oratione *in Piſonem*, & *in lib. 2. de Finibus*, ait, animi conſcientia improbos excruciari, tum etiam pœnæ timore, qua aut afficiuntur, aut ſemper ſunt in metu, ne afficiantur aliquando. Quod optime ipſo Cicerone teſte *lib. 5. Tuſcul.* probauit Dionyſius tyrannus in Damocle, qui impendente ex equina ſeta gladio, nullam ex regiis deliciis capere voluptatem poterat. Iuuenalis *Satyr. 13.* ait, non poſſe euadere cruciatus & ſtimulos illos,

Conſcientia impiorum carnifex. 34. pag. 220. b

Quos diri conſcia facti
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit
Occultum quatiente animum tortore flagellum.
Pœna autem vehemens, ac multo ſæuior illis
Quas & Cæditius grauis inuenit, & Rhadamanthus;
Nocte dieque ſuum geſtare in pectore teſtem.

Multa hac de re Patres; pro omnibus vnum accipe Chryſoſtomum *Tom. 2. hom. 1. de Lazaro*, vbi cum alia plurima dixiſſet eleganter & grauiter, de peccatorum æterno ſupplicio dicit: *Quin & alioqui antequam illic (id eſt, in inferno) puniantur, iam nunc, qui improbe agunt atque in peccatis viuunt, puniuntur. Neque enim mihi dixeris illum menſa ſumptuoſa frui, veſtibus circumdari ſericis, mancipiorum*

rum greges circumferre, alios summouere in foro: Sed explica mihi istius conscientiam, & videbis intus grauem peccatorum tumultum, ingem metum, tempestatem, turbationem: videbis velut in curia mentem ad thronum conscientiæ conscendisse regalem. & tanquam iudicem quempiam sedentem; & cogitationes loco carnificum adhibentem, in equuleo suspendentem lateraque conscientiæ rodentem vngulis, pro commissis vehementer inclamantem, cum nemo sciat, nisi quod solus Deus hæc videre nouerit.

35. *Impius nunquam sine metu.* Vers. 23. *Et cum pax sit, semper insidias suspicatur.*] Quemadmodum qui a iudice damnatus est, & nouit se a ministerio forensi ad crucem, seu ad grauem aliquam ignominiam requiri, vbique timet, quia multas scit esse latebras, vbi abscondi possint, qui capiti suo moliuntur insidias, & illos scit vigiles agere & continentes excubias. Et licet ab hoc vel illo loco timere nihil possit, quia quam longissime absunt vigiles illi & insidiatores emissarii; timet tamen, quia faces admouet, & rem vrget iudex, cui nunquam in eo negotio aut languet studium, aut obrepit somnus. Talis omnino conscientia est, quæ cruciat nocentes, & grauia in singulas horas minatur infortunia. *In potentiorum domibus magnum a conscientia tormentum.* Sane Seneca, licet in aliam sententiam, dicit *l. 5. ep. 43.* in potentiorum domibus, qui tueri volunt & augere dignitatem, & superbum numen; plures a conscientia, quam a superbia ianitores atque custodes adhiberi, quia plus timoris affert conscius peccati animus, quam voluptatis & honoris possessio, & magni nominis ambitio.

36. Hæc omnia instructa esse arbitror contra Iobum, quem tyrannum esse supra docuerat Eliphaz *cap. IV. 10.* & id ipsum multo magis libere & impudenter ostendit *c. XXII, a v. 15.* vbi talia obiicit Iobo, qualia de se nemo tyrannorum audiuit: *Propter malitiam*, inquit, *tuam plurimam, & infinitas iniquitates tuas. Abstulisti enim pignus fratrum tuorum sine causa, & nudos spoliasti vestibus. Aquam lasso non dedisti, & esurienti non dedisti panem.* Lege reliqua.

37. *Tyrannus semper in metu.* Vers. 22. *Non credit, quod reuerti possit de tenebris ad lucem, &c.*] Dum splendet domus plena diuitiis, & omnibus præterea ornamentis, quæ ad dignitatem atque delicias congessit aut benignior fortuna, aut improba sedulitas, timet ruinam, & ex illa paratur a populo ludibrium. Quod si ceciderit, non sperat futurum, vt ad gradum, vnde deiectus est, redire queat. quare perpetuum fore dedecus & infortunium credit. Neque id mirum, vt dixit hoc loco S. Thom. quia tyrannus commune est populorum odium, neque cum ab externis premitur, sperare potest auxilium a domesticis, quorum animos non tam sibi beneficiis demeruit, quam auertit iniuriis. Quod *tenebræ* pro ærumnosa ac sordida vitæ conditione, *lux* autem pro meliori fortuna sumatur, res est nota. Hæc porro ad Iobum referri ab Eliphaze putat S. Thomas, cuius animum desperatio subiit non modo fortunæ melioris, sed etiam vitæ. Sic enim interpretatur illud *cap. XIII, 28. Quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimentum, quod comeditur a tinea.* & clarius *cap. VII, 16. Desperaui, nequaquam vltra iam viuam.* Quod autem vir impius, & quem scelerum conscientia vrget & vexat, spem omnem salutis abiiciat, ea causa est: quia quocumque conuertit oculos, intentum in se gladium aut videt, aut metuit.

Vers. 23. *Cum se mouerit ad quærendum panem, nouit, quod paratus sit in manu eius tenebrarum dies.*] Quia vndecumque capiti suo impendentem circumspectat gladium, latebras quærit impius, in quas illum adigit peccatorum stimulis agitata conscientia: sed quia ibi fame & siti contabescat necesse est, nisi cibum quærat, quem teter ille atque obscurus locus non suppeditat, foras exire, ipsa necessitate instimulante, compellitur. Sed tunc grauior occursat metus, moriendi necessitate proposita, quam vndecumque imminere sibi suspicatur. Quare in ea de suæ vitæ familiari formidine dicere potuit famelicus ille, strictum gladium, aut spectans, aut metuens, quod *Thren. V, 9.* cum singultu ac lacrymis dicebant captiui Babylonii: *In animabus nostris afferebamus panem nobis, a facie gladii in deserto.* 38.

Vers. 24. *Terrebit eum tribulatio, & angustia vallabit eum, sicut Regem, qui præparatur ad prælium.*] Hunc locum varie reddunt & explicant Interpretes. Quidam in primo casu legunt 39.

pag. 221. a.

legunt non *Regem*, sed *Rex*, & hanc opinantur esse sententiam: Sicut Rex strenuis vndecumque militibus stipatus, quocum est totum belli robur, quemq; quocumque incumbat, si minus fortuna sequitur, quia hæc non semper regio nomini fauet, sequitur tamen illum id, quod est in acie maxime delectum atque robustum: quare nunquam est de Rege sine cæde & sanguine victoria, inuadet itaque & circumdabit impium tribulatio & angor, non aliter quam Rex inuadit aduersarium, in quem cum Rege totum belli pariter pondus incumbit. Sic Eugubinus & Hebræorum aliqui cum Hebraizantibus.

40. Alii *Regem* legunt cum Vulgato, sed non omnes eodem interpretantur modo. Caietanus sic exponit: sicut Regem cum se ad conserendas cum hoste manus præparat, multi illum comitantur, qui regios confirment spiritus, & illius corpus ab omni plaga atque iniuria custodiant, quo ille in hostiles acies audacius irrumpit: sic etiam Iobus ex tribulationibus & angustiis vires assumit, & audaciam

pag. 221. b contra Deum. quem non lacesseret, aut iniuriarum cum illo ageret, nisi se putaret innocentem, & nullo suo merito his affici plagis, quas Dominus plus satis infensus intulisset. Et fauet huic cogitationi, quod statim subiicitur: *Tetendit enim aduersus Deum manum suam, & contra omnipotentem roboratus est.* In hunc ferme modum Caietanus.

41. Septuaginta *Regem* etiam ponunt in primo casu, alio tamen sensu; accipiunt enim illum iam prostratum ab hoste, & circumdatum ab inimicorum agmine, non a suis stipatum, erectum & alacrem. Sed est sensus, aut nihil aut non nisi parum diuersus ab eo, quem affert Vulgata translatio. Sic autem Septuaginta: *Angustia autem, & tribulatio ipsum comprimet: sicut dux in prima acie decidens.* Quem locum sic ex Græcis Olympiodorus exponit: *Sicut dux, qui suis fretus viribus & potestate, primus in hostes irruens luculenta plaga accepta, nihil reliqui habet ad salutem: sic impius, qui manus aduersus Deum tollit.* Comparatur autem impius, maxime tyrannus, & qui non horret inire cum Domino congressum, cum Rege, aut Duce, qui in aciem pugnaturus ingreditur: in illum enim totum belli pondus incumbit, quod expertus est Saul *1. Reg. XXXI, 23.* & *3. Reg. XXII, 31.* Rex Syriæ præcepit, vt omnes omissis aliis in vnum tantum Israelis Regem arma conuerterent. Quod si Regem aut Ducem cadere contingit, omnes eo certatim conuolant, & dedecori sibi esse ducunt, si non manus aut telum in regio corpore cruentent. Quod in Hectore ab Achille interfecto significauit Homerus *libr. Iliad. 22.* Circumsistunt etenim Græci Hectorem exanimem, insultantque mortuo, neque quisquam fuit ex eo numero, qui non illum appeteret stricto ferro, & stratum cadauer nouo fœdaret vulnere.

Hæc non improbabiliter alii. Sed est magis obuia & facilis expositio, quam affert statim Vulgata translatio; non aliter videlicet stipari ac circumfundi tyrannum atque impium tribulationibus & angustiis, quam circumdatur Rex prætoriano milite & delecta ex toto agmine custodia; cum præparatur ad prælium, quem vt tantam personam decet, numerosa circumdat militum multitudo. Est tamen in eo discrimen non exiguum, quia milites circumstant Regem, vt illum defendant, & regiæ dignitati & maiestati seruiant; tribulationes tamen & angustiæ, quæ sceleratos obsident, illos diuexant, vrunt atque conficiunt. ita tenet Lyra, Cyprianus Cisterciensis, Titelmannus, Stunica, Mariana, & in manuscriptis Legionensis. 42.

S. Thomas aliter accipit, & putat, impium, & maxime tyrannum, in eo cum Rege posse componi, quia Rex, cum præparatur ad prælium, timet, angustiatur, & æstuat, quia non de regno solum & existimatione, sed etiam de vita & sanguine certat. Quare cum omnes prælium inituri timere debeant, multo tamen Reges vehementius, qui maiore quam alii periculo certant. Hæc item expositio optima, quam tenent Dionysius, & Hugo, & indicat maxime Hieronymus, tenet aperte Gregorius, & Odon Cluniacensis, quorum auctoritas facit, vt in hanc sententiam magis inclinem. 43.

Addo ad extremum aliam, quam probarunt pag. 222. a
aliqui, neque respuit omnino textus Hebraicus, vbi Vulgatus *ad prælium*, Heb. est לכידור *lakidor*, quod Hebr. aut Hebraizantes reddunt *ad globum* seu *ad pilam*. Quid porro sit *pila*, ex- 44.

explicuimus pluribus *in nostris Commentariis super Isaiam* ad illud *cap. XXII, 18. Quasi pilam mittet te in terram latam.* vbi miseri hominis conditio describitur. Si pila aut globus (vtrumque existimatur significare כדור) sumatur pro exercitu, quod accidit sæpe, non multum editio Vulgata differt ab Hebraico textu, quem nunc habemus: quia Iobus pro conglobata militum multitudine, & ad militarem impetum instructa frequenter vsurpatur. Sic Maro *lib. 9.* de militum agmine:

Globus *pro agmine.*

Quis globus, o ciues, caligine voluitur atra? Hostis adest.

Et iterum *eodem libro* sic orat Nisus:

Hunc sine me turbare globum, & rege tela per auras.

Et sæpe, qui hic vocatur *globus*, aliis locis *orbis* appellatur; & milites, cum in orbem ordinantur, glomerari dicuntur, quod verbum ad globum pertinet. Tunc vero milites circum aliquem glomerari dicuntur, cum illum circumsistunt, vel vt oppugnent, vel vt quasi opposita moles tueantur. Sic sane *eodem libro* Regem suum Volscentem circumdant glomerati milites, vt illum ab hostili ferro incolumem præstent, in quem Nisus gladium vibrabat:

Quem (Regem) *circum glomerati hostes hinc cominus atque hinc*
Proturbant.

45. Si ita capias, non multum differt Vulgatus sensus ab Hebræorum textu. Est enim idem *globus* quod *prælium:* sicut etiam idem *agmen* & *acies*. Minus placet explicatio Vatabli, tametsi supplicium importet ad dolorem acerbum, ad ignominiam turpe. Sic autem ille de impio: *Tribulatio & angustia præualebit illi, sicut rex futuro in globum: id est, homini redigendo in globum, vt demergatur. Quasi dicat vt Rex præualet illi, cui, vt demergatur, caput cum pedibus ligatur in formam sphæræ, ita ab angustia vincetur, eritque intolerabilis.*

46. Vers. 25. *Tetendit enim aduersus Deum manum suam, & contra omnipotentem roboratus est.*] Quod impium vndique obsideat & vrgeat tribulatio, supplicium est, illius audaciæ atque impietati debitum, qui Deo subiicere collum detrectat, imo qui contra Deum manus eleuat armatas; neque aliud puto sibi velle locum istum. Beda tam huic loco, quam præcedenti aliam adhibuit expositionem: ait enim, impium armatum esse contra Deum blasphemiis, & omnium vitiorum genere: quibus armis instructus Deum quotidie lacessit, sicut Rex militari se instructu caute communit, cum bellum meditatur, & aduersarium habet strenuum & potentem. Sed hæc expositio multa conturbat, neque facile se ad Vulgatam translationem attemperat.

Vers. 26. *Cucurrit aduersus eum erecto collo, & pingui ceruice armatus est.*] In *erecto collo* impudens significatur audacia, & fatua omnino confidentia; qui enim erecto collo certamen aggreditur, strenuum se & acrem vendicat, quique nihili faciat antagonistam suum. Longe tamen aliter, qui timide cum hoste congreditur potentiori; ille enim precibus rem agit magis quam minis, & arrogantia abiecta, demisso collo supplex orat, non ventosis verbis aduersarium prouocat & instigat. Talem in suo Darete glorioso & vano descripsit Maro *lib. 5. Æneid.* pag. 222. b

Talis prima Dares caput altum in prælia tollit,
Ostenditque humeros latos, alternaque iactat
Brachia protendens, & verberat ictibus auras.

In *erecto collo* superbus exprimitur & indomitus spiritus, qualis est taurorum, qui nunquam subierunt iugum, sed liberi a labore & loro, nitenti & bene curato corpore in alios truculenti & torui, ipsi in prato vbere ac pingui nimio luxu immoderate lasciuiunt. At qui aratrum traxerunt, aut plaustrum, & aliorum potius loro atque imperio condocefacti sunt, ceruicem habent demissam, & incuruant, neque lasciuire iuuat, cum satis sibi habeant, si tantisper liceat a rustico labore ac pondere laxare ceruices, & recreare vires. Sane ceruicem erectam superbi spiritus, & eius, qui in suis sibi dotibus maxime placet, argumentum est, quod in Scriptura sacra de se non semel homines audiunt insolentes & vani. *Isai. III, 16.* de filiabus Sion; quæ nimium videri voluerunt elegantes & lautæ, dicitur: *Eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & cap. XXXVII, 23.* de Senacherib: *Super quem exaltasti vocem, & eleuasti altitudinem oculorum tuorum.* 47.

Et

48. *Pinguedo & crassitudo pro potentia.* *Et pingui ceruice armatus est.*] In *pinguedine*, *aruina*, *crassitudine*, & in illis, quæ corpus reddunt robustum & crassum, illa omnia intelliguntur satis apta metaphora, quæ homines reddunt potentes, quæque vires alunt & audaciam, quales sunt opes, amicitiæ, gratia, dignitas, & vndecumque prouenerit laus & auctoritas. Quæ metaphora in Scriptura frequens est, &, vt opinor, a tauris crassis sumitur, qui quo magis pingues, magis ferociunt. *Deut. XXXII, 15. Incrassatus est dilectus meus, & recalcitrauit: incrassatus, impinguatus, dilatatus: dereliquit Deum.* Illud *recalcitrauit*, satis indicat a tauro ductam esse metaphoram, *Psalm. XXI, 13. Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me.* & *Amos. IV, 1. Audite verbum hoc vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ: quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes.*

49. Vers. 27. *Operuit faciem eius crassitudo, & de lateribus eius aruina dependet.*] Huius versus ex proxime dictis patet explicatio, neque est, cur aliquid præterea addamus. Recentiores quidam ex Hebræo aliter conuertunt, neque omnes tamen eodem modo. Hoc admonuisse in præsentia sat fuerit. Neque enim satis est otii, vt scrutemur & confutemus omnia.

50. Vers. 28. *Habitauit in ciuitatibus desolatis, & in domibus desertis, quæ in tumulos sunt redactæ.*] Tyrannus & impius, qui domos sibi pararat, & materia nobiles, & arte præclaras, ex aliorum præda, quos spoliarat bonis, & ad inopiam solitudinemque redegerat; eo ipse ab vltore Deo redigetur angustiæ, vt eiectus a suis ædibus, declinandæ mortis causa, ad solitudinem se recipiat & latebras, quæ ex euersis vrbibus relinqui solent, vbi dracones habitant & leones, aliæque syluestres & squalentes feræ: quas horrent illi etiam, qui audaci sunt animo, & viribus præstant, quia tutius esse putant inter feras agere, & in speluncis & tenebris habitare, quam inter homines, in quorum fortunas inuaserunt, & quos pag. 223. a variis vexauerunt iniuriis, a quibus expetuntur ad mortem. Hic germanus est sensus & obuius. Varie alii interpretantur. Sed non video, quomodo illorum expositiones apte cum toto sermonis textu cohæreant. Hoc vero contigisse quam plurimis, qui dum suis student commodis & voluptati, ac luxui nimium intemperanter indulgent, aliorum animos sic in sui ipsius inuidiam inflammarunt vehementer, vt illarum oculos subire non audeant, malintque quamcumque temporum atque locorum iniuriam sustinere, quam commune odium, quod morum intemperies a tyrannica licentia conflauerat. Talia subierunt aliqui Hebræorum Reges, qui e solio deiecti, in alienum solum ablegati, priuatam egerunt vitam, laboris & sollicitudinis plenam. Pro omnibus, qui huiusmodi supplicium experti sunt, vnum commemorare sufficiat Nabuchodonosorem, qui eiectus e regno, in solitudine vixit inter feras, cum quibus habuit commune pabulum, & vitam non dissimilem.

Porro quod desertæ ciuitates in suis ruinis 51.
latebras habuerint, vbi syluestres feræ sua sibi cubilia posuerunt, indicat Isai. *cap. XXXIV, 11.* de Idumæorum ciuitatibus, vbi ait, habitandas esse ab onocrotalis, ericiis, onocentauris, lamiis, & vbi domus fuerunt opulentæ & lautæ, nascituras esse spinas, paliuros, vrticas, & similia. His affinia dixit Isaias de Babylonia *cap. XIII, 21.* Sophonias *cap. II, 14.* & Ioannes *Apocal. XIIX, 2.* & de Ierusalem Isai. *cap. VII, 24.* Quod item experti sunt profani, qui de ciuitatibus olim amplissimis, iam vero vel a tempore, vel ab hominum iniuria subuersis, similia prodiderunt. de Troia dixere multi, & cecinit Horatius *lib. 3. Ode 3.* sub Iunonis persona quasi futura præsagientis:

Priami; Paridisque busto
Insultet armentum, & catulos feræ
Celent inultæ.

Et de Phocensibus idem *in epodo Ode 16.*

Habitandaque fana
Apris relinquat, & rapacibus lupis.

Qua de re egit optime Sannazarus *lib. 2. eleg. penultima*, quæ est de Cumarum ruinis. *Redactæ* vero *in tumulos* dicuntur vrbes, quia lapides, qui cæmentariorum arte dispositi domum construxerant, iidem euersa domo sine vllo ordine dissipati tumulos efficiant & aceruos, quos non ars & industria, sed casus & fortuna confundit.

Vers.

52. Verſ. 29. *Nec mittet in terram radicem ſuam.*] Plantantur in terra infelices quædam arbores, quæ quia radices non agunt, per quas e terra trahant alimenta, ſtatim areſcunt. His ſimiles dicuntur, qui filios nullos ſuſceperunt, aut ſi illos vitalem ſpiritum haurire contigit, non tamen datum eſt, vt diuturnam habeant lucis vſuram. Quod ſignificare videtur Septuaginta translatio, quæ ita habet, *non immittat ſuper terram vmbram:* id eſt, non ita creſcat, vt producat ex ſe atque diffundat ramos, & efficiat vmbram. Quod optime, quæ proxime ſuccedunt, explicant & amplificant.

53. Verſ. 30. *Non recedit de tenebris, ramos eius areſaciet flamma, & auferetur ſpiritu oris ſui.*] In *tenebris* ærumnoſam & ſordidam conditionem ſignificari, non ſemel a nobis obſeruatum eſt. Quod etiam ſuo modo conuenire infelicibus plantis non eſt durum, cum ipſæ

pag. 223. b quoque ſuo modo tenebras ſubeant, & infelicem ſortem. qualia ſunt non naſci, ſed infoſſas & conditas humi putreſcere. Hæ proprie vocari poſſunt *tenebræ*. Quod ſi exilibus innixæ fibris foras eruperint, accedet vel e cœlo flamma, aut fulmen, quod diffringat & exurat, aut ventus vrens, quo vaneſcant omnino & inutiles fiant.

54. *Non recedet de tenebris.*] Vſitatum eſt in Scriptura, vt relicta metaphora ad proprietatem reducatur oratio, & inde ſe rurſus ad metaphoram referat. Verum metaphoram continuari arbitror, quæ, vt dixi, ad plantarum naturam trahitur non inuita. Ramos areſieri, aut marceſcere flamma, vſitata eſt in Scriptura ſacra dicendi forma, quæ ſignificat alicuius rei inſperatum ac ſubitum periiſſe decorem: & ſpecie mutata apparere ſqualidum & horridum, quod prius ſplendoris videbatur eximii. *Ioel. I, 19. Ignis comedit ſpecioſa deſerti: & flamma ſuccendit omnia ligna regionis. Zachar. XI, 1. Aperi Libane portas tuas, & comedat ignis cedros tuas. Ezechiel. XIX, 14.* de Ieruſalem, ſub metaphora vineæ: *Egreſſus eſt ignis de virga ramorum eius, qui fructum eius comedit, & non fuit in ea virga fortis. Ierem. XI, 16, Oliuam vberem, pulcram, fructiferam, ſpecioſam vocauit Dominus nomen tuum: ad vocem loquelæ grandis exarſit ignis in ea, & combuſta ſunt omnia fruteta eius.* Porro in hac metaphorica locutione ſubaudienda eſt, ſicut aliis ſæpe locis, ſimilitudinis nota; ac ſi dicas: ſic areſcent ac fœdabuntur omnia hæc, quaſi peruaſiſſet omnia atque abſumpſiſſet ignis.

Et auferetur ſpiritu oris ſui.] Quidam hic legendum eſſe contendunt oris eius, ita vt ſpiritus ſit Dei, qui omnia opera tyranni atque impii, imo & ipſum tyrannum ſubito diſperdet. 55.

Quomodo *2. Theſſal. II, 8.* de antichriſto dicitur: *Tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui.* Idem de impiis Iſaias *c. XI, 4. Percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium.* Ego probo atque amplector Vulgatam translationem, neque tamen pronomen illud *ſui* incommodare arbitror, quominus illud ad Deum referri poſſit. Satis eſt enim compertum iis, qui mediocriter Hebraice ſciunt, pronomen ו *vau* interdum eſſe reciprocum, interdum vulgare, & non reciprocum, neque enim ſunt tertiæ perſonæ voces aliquæ certæ, quæ vnum pronomen ab altero ſecernant. Deinde illud quoque notum, noſtrum Interpretem aliquando adhibere ſolitum reciprocum pronomen, vbi Latinus poneret non reciprocum; & contra non reciprocum, cum reciproco proprius videbatur & legitimus locus. Seruat enim nonnumquam Hebraicæ linguæ idiotiſmos, quæ vtrumque pronomen non diſtinguit. Duo ex multis accipe exempla. *Gen. II, 18. Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi*, id eſt, ei; nam ad Adamum refertur. De non reciproco pro reciproco, eſt illud *Zach. XII, 10. Et plangent eum planctu quaſi ſuper vnigenitum.* Illud, *eum* poſitum eſt pro *ſe*, vt nos ad illum Zachariæ locum late probauimus. Et patet, quia cum Ioannes *Apocalyp. I, 7.* hoc Zachariæ teſtimonium adduceret, *ſe* poſuit pro *eum*. *Et plangent ſe.* Itaque licet legas *eius*, non ideo non quadrabit in Deum, qui tam impium, quam impii bona funditus euertit. pag. 224. a

REGVLA. *Pronomen reciprocum ſæpe pro non reciproco, & contra.*

Sed credo potius referendum eſſe ad tyrannum & impium, quaſi ille ſibi ipſi fuerit mortis cauſa, dum contra Deum nimis loquitur impu- 56.

impudenter & libere. *Spiritu* itaque *oris sui*, id est, suis verbis, quæ spiritu & halitu in ore formantur, prouocauit Deum, vt ignem illum metaphoricum mitteret, qui ramos arefaceret, & spem omnem, aut rei augendæ, aut propagandæ sobolis abscinderet. Est autem in omni literatura frequens, vt causa moralis adhibeatur pro physica, & ille dicatur aliquid fecisse, qui vt alter faceret, occasionem dedit. Quomodo si aliquem diuitiarum cupiditas, aut honoris ambitio in locum adduxit, vbi mortem inuenit, vel ab hoste vel a naufragio; dici optime posset a sua cupiditate, vel ambitione extinctus. Si pater, quo filio diuitias paret, mortem oppetiit, vel a latronibus in via, vel a temporum locorumque periculis, dici posset vere interfectus a filio, cuius dum commoditati seruit, neque labori suo, neque vitæ pepercit. Eodem modo, qui verbum in alium iecit contumeliosum, cuius pœnas postea capitales dedit, ille non immerito diceret; lingua mihi vitam eripuit, quia illum commouit, quem conuitio læserat, vt suo alterius morte dolori satisfaceret. Sic ergo nunc ille spiritu oris sui, id est, verbis suis seipsum interemit & abstulit, qui Deum oratione arroganti & impia ad illud supplicii genus lacessiuit. Hoc loquendi genere vsus est Isaias *cap. LXIV, 6.* vbi quod populos male iactetur, peccatis tribuit, non hostili potentiæ; *Cecidimus quasi folium vniuersi; & iniquitates nostræ, quasi ventus abstulerunt nos.*

REGVLA. *Causa moralis pro physica.*

57. Vers. 31. *Non credet frustra errore deceptus, quod aliquo pretio redimendus sit.*] Variæ huius loci translationes sunt, & variæ sententiæ. Ego alias omitto, vna tantum explicatione contentus, quam indicat S. Thomas, tenent Lyra, Dionysius, Titelmannus. Satis est miser, qui talia patitur, qualia proxime audiuimus; sed aliquo modo suam paupertatem & vexationem consolatur, qui sperat fore, vt aliquando ex talibus emergat incommodis, & vitam redimat impenso quantouis siue labore siue sumptu. Quod si occlusum videat omnem ad vitam seu libertatem aditum, tum demum se miserum appellat: quia ad reliqua mala accedit, quod extremum est malum, desperatio. Cur hanc ex omnibus vnam maxime probem, facit & textus ipse, qui id proxime sonat, & quod, vt statim pluribus ostendemus, in hoc viri impii atque tyranni ærumnoso statu, ad vnum omnes Iobi dolores & calamitates exprimuntur, quæ vel præsens vidit, vel ab alus cognouit Eliphaz, vel certe a Iobo ipso coram audiuit. In his autem numerari etiam desperatio debuit, quam ex Iobi oratione querula coniectare potuit, nam aperte se dicit desperasse, & propediem expectare mortem, cuius non existimabat abesse procul iam maturum aduentum.

Vers. 32. *Antequam dies eius impleantur, peribit.*] Dies hominis illi dicuntur, quos implere solet ætas, quæ censeri solet non immatura, qualis esset annorum 70. Sane in dimidio annorum suorum dicebat moribundus Ezechias, se esse sublatum, qui tamen tunc annum agebat trigesimum nonum, vt probauimus *in nostris commentariis in Isaiam* ad illa Ezechiæ Regis verba *cap. XXXIIX, 10. Ego dixi, in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.* hoc quod de impio dicit Eliphaz, dixit multis post sæculis Dauid *Psalm. LIV, 24. Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos.* & *Eccl. VII, 18. Ne impie agas multum, & noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo.* Sane cum hæc dicebantur, Iobus, qui non procul abesse credebatur a morte, non multum fuerat ætate progressus, cum a morbo liber, & pristinæ fortunæ restitutus, decem susceperit filios, & annos vixerit centum & quadraginta. 58.

Peccator ante suum tempus moritur.

pag. 224. b

Iobus non multum ætate progressus, cum percussus est.

Et manus eius arescent.] Septuaginta legunt: *Ramus eius non condensabitur;* quæ translatio pertexit sumptam ab arbore metaphoram. A qua sicut stirps pro parentis sumitur aut generis origine, sic etiam rami aut germina, quæ ex trunco seu stirpe pullulant, pro filiis aut posteris vsurpantur. Vt ergo proxime dicebatur impius pater, qui radix est, ante suum tempus periturus: sic etiam eædem filiis intenduntur minæ, quibus etiam breuis aut immaturus exitus denunciatur, quod proxime dixerat *vers. 30. Ramos eius arefaciet flamma.* Hæc iuxta septuaginta translationem. Sed licet aliter Vulgatus legat, non tamen est sensus a priori diuersus. Notum est enim, *brachium* & *manus* pro *ramis* sumi; quare sicut rami dicuntur brachia, aut etiam manus, 59.

Brachium *&* manus *pro ramo.*

manus, quia non aliter erumpunt a trunco, quam brachia, & manus a corpore, quod etiam eadem metaphora truncus appellatur; sic etiam brachia & manus vocantur *filii*, sicut & rami. Sane S. Thomas in *manibus* filios intelligit & propinquos. Et Virgil. *lib. 12.* radicem arboris appellat matrem, & ramos, brachia. Vbi Rex Latinus de suo sceptro e ligno dolato ait:

Nunquam fronde leui fundet virgulta nec vmbras,
Cum semel in syluis imo de stirpe recisum
Matre caret, posuitque comas, & brachia ferro
Olim arbor.

60. Sed licet hæc aut vera sint, aut certe non procul abesse videantur a vero: placet tamen magis, si *manus*, quæ multorum operum administræ sunt, pro *operibus* ipsis vsurpentur; quasi dicat Eliphaz, non solum breues futuros esse dies hominis impii, qui communem hominum ætatem non implebit, sed etiam inutiles: cum aridas habeat manus, & rebus vtiliter gerendis, aut nullo modo, aut non nisi parum idoneas. Huc inclinant Hieronymus, & Beda, & e recentioribus plurimi, Lyra, Dionysius, Hugo, Titelmanus.

61. *Serui Dominorum suorum manus dicuntur.* S. Thomas, vt nuper dicebamus, in *manibus* filios & propinquos intelligit, quod mihi videtur non difficile. Addo ego seruos atque domesticos, qui Dominis, maxime si ægro sint corpore, & digitorum articulis dissolutis, pro manibus esse solent: quia per illos præstant, quod ipsi per se cum vellent & deberent, exercere non possunt. Cum autem Reges multis abundent famulis, quos ad regni negotia procuranda varie longeque dimittunt, manus habere dicuntur multas & longas. Sic Regis absentis coniunx ab adultero prouocata respondit:

Sic meus hic vir abest, vt me custodiat absens:
An nescis longas Regibus esse manus?

pag. 225. a 62. Quod serui præstant, id etiam præstare solent & debent filii atque propinqui, qui etiam parentis atque cognati manus vocari possunt. Quorum manus tunc aruerunt, quando a Iobi obsequio defecerunt & fide. de quibus Iobus *cap. XIX, 13. Fratres meos longe fecit a me, & noti mei, quasi alieni, recesserunt a me:* Quod de filiis suis etiam conquestus est *ibid. v. 17. Et orabam filios vteri mei.* Hi autem filii alii erant ab illis, quos oppressit ruina, & e concubinis suscepti, vt suo postea loco dicemus. Hæc explicatio non displicet, placet tamen magis illa, quæ opera in manibus agnoscit.

Vers. 33. *Lædetur quasi in vinea in primo flore botrus eius, & quasi oliua proiiciens florem suum.*] Sententia facilis est, quæ variis iteratur & explicatur modis; quæ immaturam significat filiorum mortem antequam parenti vsui esse possint illorum ætas & industria; ostendit enim terris hos tantum fata, nec vltra esse sinunt. Quemadmodum flos in vineis aut oliueris, cum multa promittat, si excussus a turbine, aut exustus a glacie ante tempus defluat, spem eludit agricolæ, & mœrorem affert. 63.

Vers. 34. *Congregatio enim hypocritæ sterilis.*] Hypocrita ille dicitur, qui alienam simulat personam, qualis est histrio; & qui cum sit tyrannus, pater videri vult patriæ, & legum custos, cum tamen euertat patriam & leges prodat, aut qui cum speciem præferat sanctitatis, nihil minus quam sanctitatem colat. Quicquid ergo ad istum, in quo impium etiam hominem accipio, pertinet, erit sterile, id est, fructum non faciet, quod futurum sit vsui seminanti. Nam quæ fructum ad tempestiuam maturitatem non adducunt, steriles dicuntur plantæ; sicut illa negantur fuisse, quæ nullum commodum vsum habuerunt. Quam regulam adduximus *in nostris Commentariis super Isaiam* ad illud *cap. III, 2. Iudicem & Prophetam.* Hoc modo dicitur non audiisse, qui non obedit. Si ergo corpori nullam sanitatem attulit medicina, nullam medicinam fuisse dicimus: si nullum consilium vtile, consiliarium defuisse. Et in iure *l. Quoties ff. Qui satisd. cogant. Nihil & inutile* paria esse dicuntur. Quare vineæ illæ atque olieueta, quorum exustus flos spem ademit vbertatis, vocari possunt infœcunda, quia protulerunt nihil, quod studium & curam compensaret agricolæ. Congregatio hoc loco multa significat, illa videlicet omnia, quæ sollicita hypocritarum sedulitas acquisiuit, quales sunt opes, agri, domus splendida, numerosaque familia. Ex qui- 64. *Hypocrita quis.* REGVLA. *Inutilia censentur ac si non fuissent.*

quibus in hoc rerum articulo Iobus fructum cepit nullum, quia alia incendio deformata sunt, alia a prædonibus erepta, alia a turbine vehementi subruta, & qui ex hoc tanto naufragio reliqui fuerunt, vt serui atque cognati, quia fidem deseruerunt atque officium, perinde fuerunt ac si nunquam domum agnouissent Iobi, aut illum generis communione contingerent.

65. *Ignis deuorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt.*] In *igne*, qui vehementissimus est, & quicquid habet obuium, quam breuissimo tempore sic consumit ac perdit, vt nihil relinquat nisi bustum & cineres, explicatur subita strages & omnimoda, quæ omnia populatur & dissipat. In *tabernaculis* porro illa continentur, quæ domi seruantur vel ad di-
pag. 225.b gnitatem & delicias honestæ familiæ, siue ad necessarios & domesticos vsus. Vocauit autem potius tabernacula, quam domus: quia illa regio pecore abundat, atque ideo multus apud illos, qui vitam plurimum agunt pastoritiam, tabernaculorum vsus. Illi, qui non grauate munera accipiunt, aut iudices sunt, & magistratus, qui venales leges habent & corrupta iudicia: aut tyranni quorum conciliantur animi, aut iniuria redimitur munerum largitione: vulgo dicitur ad redimendam vexationem.

66. Vers. 35. *Concepit dolorem & peperit iniquitatem, & vterus eius præparat dolos.*] Impius ille seu tyrannus, cuius hic Eliphaz insectatur duritiem, & exagitat mores, dolorem concipit, id est, meditatur: & statuit omnino apud animum suum, quo ex aliorum præda sibi compendium captet, alienis opibus insidias moliri, dolorem concipit, id est, versat animo, fouet, & facit, vt adolescant fraudes, quas, cum primum se dederit occasio, tempestiue parturiat. Quas hic appellat dolorem, siue actiuum, quia hinc miser habet spoliatus bonis, quid tacite doleat, nam aperte non audet; aut certe passiuum, quia tyrannus ipse, dum miserum spoliat, vberem sibi sementem facit dolorum, sollicitudinum, & eorum omnium, quæ sæua conscientia secum apportat mala, de quibus actum est hoc ipso capite pluribus, & hoc mihi verisimilius, quod vt magis amplectar facit, quod hæc verba totius capitis sunt extrema complexio. In quo de

Peccator sibi malum parat,

tyranni atque impii suppliciis longa est disceptatio: deinde quia ex hoc loco sumpsit David *Psalm. VII, 15.* hæc eadem verba, & de dolore interpretatur passiuo, id est, de illo, qui cum instruatur in alterum, in auctoris tandem sui caput & exitium conuertitur: *Ecce parturiit iniustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Lacum aperuit & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit. Conuertetur dolor eius in caput eius: & in verticem ipsius iniquitas eius descendet.* Nulla, meo iudicio, adduci potuit melior præsentis loci commentatio. Neque minus in hanc explicationem consentit Isaias *c. LIX, 4.* vbi de improbis eadem prope verba profert: *Conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem, oua aspidum ruperunt, & telas aranearum texerunt.* Sane qui iniuriam alteri inferre meditatur, dolorem concipit, neque tam in illum, cui molitur insidias, quam in seipsum, perinde atque echinus, qui fœtum concipit spinosum, quem cum dolore postea, & nixu crudeli parturit. vide quid nos pluribus *in nostris Commentariis* ad hunc Isaiæ locum.

Hæc porro verba prouerbiale aliquid olent 67.
in eum, qui cum aliis aliquid moliatur aduersi, in seipsum ignarus fraudem, & infortunium accersit. Qualia multa sunt apud Latinos, vt, *faber quas facit compedes, ipse portat.* Cum vero statim impius iniquitatem peperisse dicitur, iniquitatem pro supplicio sumo iniquitati debito, quod Scripturæ sacræ non infrequens est. Et cum ad extremum additur: *Et vterus eius præparat dolos.* sic accipio, vt fœtus ille futurus sit dolori illi, qui ex conceptu sibi voluptatem captabat, qualis accidit echino, qui cum dolore parit, quod cum voluptate conceperat. Illum autem appellamus dolum & fraudem, qui cum nobis felicem exitum promittat, exitium affert: sicut illa medicina nobis dicitur fuisse fraudi, quæ cum esset ad sanitatem, siue pag. 226.a
quærendam, siue confirmandam adhibita, illam vel debilitauit, vel eripuit. Honorem sibi & commoditates alias quærebat tyrannus ex alienarum opum direptione: illæ tamen opes dolo fuerunt, quia vindice Deo talia tyranno pepererunt incommoda, qualia supra fuerunt descripta luculenter. Quæ iterum, aut illis similia, repetit Sophar *c. XX, 14. Panis eius in*

 vtero

vtero illius, vertetur in fel aspidum intrinsecus: diuitias quas deuorauit euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus. Quis non videt, panem illum esse dolosum, & dum illum & alienas diuitias deuorat impius, in illius vtero præparari dolos.

68. Si recte, quæ in hoc capite commemorantur, impiorum supplicia consideres, inuenies eo esse ab Eliphaze comparata, vt Iobum esse
pag. 226. b probet tyrannum & impium, nihil enim proponit, quod non subierit in illa dura vexatione inuictus athleta; *v. 22.* & *31.* desperationis meminit quam in animo Iobi videre se putaverat: viderat illum spoliatum esse bonis, & eiectum domo in locis habitasse desertis; illud commemorauit *v. 28.* & *29.* Sciebat obtritos fuisse filios ruina domus, neque vllum esse reliquum, qui parentis nomen conseruaret, & illud in arboris metaphora significauit *v. 30.* Mori illum videbat ante suum tempus, & hoc *v. 32.* tyranni atque impii dixit esse supplicium. In Iobo itaque si attente rem expendas, videtur Eliphaz impii hominis descripsisse mores & ingenium, & veram tyranni & barbari Principis effigiem. Quam vere atque prudenter, ipse viderit.

ARGVMENTVM CAP. XVI.

Reprehendit Iobus tres amicos, quod nimis multa effutiant, & non satis rerum articulo accommodata verba: cum potius augeant, quam leniant dolorem, cui se medicinam afferre velle profitentur. Negatque sibi illum agendi modum probari potuisse, & longe alium se adhibiturum fuisse, si eos in eodem stadio cum tot infortuniis & doloribus colluctari cerneret, deinde multis iisdemque grauissimis verbis suam ærumnosam conditionem amplificat; quæ adeo non est occulta, vt ipsa apud intelligentes clamet, & doloris acerbitatem manifeste prodat. Sed quando homines aut non vident, aut certe non credunt, quid ipse patiatur, Deum aduocat testem, & iudicem appellat, qui nouit omnia, oratque sibi vt ostendat, in quo peccatum sit, vt illud in exiguo, quod superest, vitæ spatio, quod transacta vita reuocari non potest, lacrymando deleat, & Deo opportune dolendo satisfaciat.

CAPVT XVI.

pag. 226. 1. Respondens autem Iob, dixit:

2. Audiui frequenter talia, consolatores onerosi omnes vos estis.

3. Nunquid habebunt finem verba ventosa? aut aliquid tibi molestum est, si loquaris?

4. Poteram & ego similia vestri loqui: atque vtinam esset anima vestra pro anima mea.

PARAPHRASIS.

1. 2. Ad hæc rursus Iobus; Millies hæc a vobis audiui, sane ex vestra consolatione seu potius inani consolationis specie plus doloris atque molestiæ capio, quam mœroris solatii, aut dolorum leuamenti. pag. 216.

3. Expecto iam dudum, donec hæc inflata & inania prorsus verba finem habeant, quæ non tam sedant, quam augent, & acuunt dolorem. Mihi graue est hæc toties audire, qui animo sum contracto & tristi; at tibi, si loquaris, molestiæ nihil accidit, cum abundes verbis, & illa silentio premere molestum putes.

4 Quæ vos quasi magnum aliquid superbe iactatis, mihi ipsi tacite dicere potuissem: neque enim ignoro. Quod si commutata fortuna mea vos indigeretis consolatione, ostenderem vobis, qualis esse deberet in hac dolorum acerbitate consolatio.

5. 6. Si

5. Consolarer & ego vos sermonibus, & mouerem caput meum super vos:

6. Roborarem vos ore meo: & moverem labia mea, quasi parcens vobis.

5. 6. Si itaque vos eodem essetis loco, in quo ego nunc iaceo, vestrum conarer dolorem detergere consolando, mouerem que caput non subsannando & irridendo procaciter, sed admonendo officiose & pie, & dolorem, quem ex vestra calamitate caperem, significando beneuole: Erigerem enim mœrentem animum, & ad perferendam inflictam a Domino plagam confirmarem. Quod ea moderatione facerem ad rerum articulum attemperato sermone, vt potius lenirem, quam acuerem animi dolorem.

pag. 227. 7. Sed quid agam? Si locutus fuero, non quiescet dolor meus: & si tacuero, non recedet a me.

7. Quod si moneas, vt in meo mihi dolore illa adhibeam medicamenta, quæ adhiberem aliis, qui simili laborarent animi languore, in promptu mihi responsio est. Nam siue taceam, neque apud animum meum tacite loquar; siue loquar mecum, quasi cum alio nihilo plus agam; quia nihil dolor de sua acerbitate, neque angor de sua contentione remittet, neque leuandi doloris vllum modum inuenio. pag. 227.

8. Nunc autem repressit me dolor meus, & in nihilum redacti sunt omnes artus mei.

9. Rugæ meæ testimonium dicunt contra me, & suscitatur falsiloquus aduersus faciem meam contradicens mihi.

8. 9. Quid faciam, cum omnes corporis vires dirus languor exhauserit, & sic me pondere oppresserit, vt omnes artus extabuisse videantur. Quantus porro sit dolor, morbique magnitudo, vel me tacente ipsa corporis species manifeste clamat. Id enim testantur rugæ, quas impresserunt iuuenili cuti, non seniles anni, sed morbus, qui fecit, vt non solum colorem & sanguinem, sed carnem amiserim, & pellis ante distenta & plena contraheretur in rugas. Et tamen infideles quidam atque falsiloqui, qui omnia mihi prolixe promittebant, quosque meæ fortunæ misereri debuit, faciei meæ, quæ pro me tam aperte clamat, aduersantur.

10. Collegit furorem suum in me & comminans mihi, infremuit contra me dentibus suis: hostis meus terribilibus oculis me intuitus est.

10. Falsiloquus iste, quicquid furoris habuit & virium, in me totum effudit, & sicut fera a venatore lacessita dentibus infrendens, & scintillantibus oculis omnia minatur; sic ille totus in me inflammatus ineffrænata bacchatur insania.

11. Aperuerunt super me ora sua, & exprobrantes percusserunt maxillam meam, satiati sunt pœnis meis.

11. Infideles illi, qui amicitiam & fidem prodiderunt, oratione petulante ac libera conuitia in me iactauerunt innumera, neque minore me pudore suffuderunt, quam si maxillam meam impacto mihi colapho fœdassem. Neque cessaverunt ab iniuriis, donec opprobriis meis ardentem suam sitim expleuerunt.

12. Conclusit me Deus apud iniquum, & manibus impiorum me tradidit.

12. Sed quid mirer, aut querar, cum Deus ipse me iniquorum manibus quasi constrictum tradiderit, in quem, quicquid haberent offen-

sionis & acerbitatis, euomerent, & pro sua me libidine vexarent.

13. Ego ille quondam opulentus, repente contritus sum: tenuit ceruicem meam, confregit me, & posuit me sibi, quasi in signum.

13. Ille ego, qui quondam rebus abundabam, & omnibus naturæ fortunæque bonis omnium fortunatissimus habebar, momento temporis ita contritus sum, vt tot ornamentorum superesset nihil. Et sicut hostis, qui antagonistam suum a ceruicibus apprehensum deiecit, de quo suo tandem statuit arbitratu; sic abiecit me Deus debilitatum & fractum, vt repugnare non audeam. Ac tandem quasi scopum me sibi proposuit, in quem suæ indignationis spicula vibraret.

pag. 228.

14. Circumdedit me lanceis suis, conuulnerauit lumbos meos, non pepercit, & effudit in terra viscera mea.

15. Concidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi gigas.

14. 15. Horrebat corpus meum, totumque vlceribus terebratum hiabat, ita vt telis innumeris videretur esse confixum. Neque parce percussit aut molli brachio Deus, quando ipsos quoque lumbos confodit vehementer, & corporis vires penitus exhausit, ac tandem effecit, vt carnes & viscera in saniem resoluta in terram effluerent. Aliis me atque aliis vulneribus continenter afflixit: neque alio me aut mitiori impetu aggressus est, quam vasto corpore & præferoci ingenio gigas in minorem hostem, quique repugnare non audet, violentus inuehitur.

pag. 228.

16. Saccum consui super cutem meam, & operui cinere carnem meam.

17. Facies mea intumuit a fletu, & palpebræ meæ caligauerunt.

16. 17. Cum nulla pars corporis esset non vlcerosa & saucia; non tamen ea adhibui, quæ lenire possent dolorem, & fouere vulnera, indumenta mollia; sed sumpsi asperum & cilicinum saccum: & ne quicquam ad veri pœnitentis deesset effigiem, aspersi me cinere, qui a pœnitentiæ sacco dissociari non solet. Neque lacrymæ defuerunt & gemitus assidui: illæ oculis tenebras, hic genis tumorem induxit.

18. Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces.

18. Hæc autem passus sum, cum nihil tunc admisissem iniquum; cum orationi impenderem, neque exiguum otium, neque inertem operam & manus supplices eleuarem ad Deum, quas neque rapina, aut luxuria, aut denique sanguis & cædes inquinassent.

19. Terra ne operias sanguinem meum, neque inueniat in te locum latendi clamor meus.

20. Ecce enim in cœlo testis meus, & conscius meus in excelsis.

21. Verbosi amici mei, ad Deum stillat oculus meus.

19. 20. 21. Quare o terra, quando nemo est, qui mei misereatur, neque me liberum esse a culpa sibi persuadeat; quando mihi ab hominibus non habetur fides, quantumcunque clamem, tu sanguinem meum, & carnes defluentes & tabidas non operias, vt illa pro me ad Deum perpetuo clament; vt quod homines damnant, ipse iudicet & prodat manifeste. Hoc enim mihi solum superest solatium, quod in cœlo est Deus, quem studiorum meorum pars nulla latet, qui penitus

nouit mentis meæ abditissimos sensus. Hunc testem voco, & iudicem appello, & causam meam commendo: quam hominum siue error, siue inuidia condemnat & exagitat. Quare cum amici verbis diffluant, magis ad reficienda vulnera & augendum dolorem, quam ad leuandum mœrorem opportunis, neque vllam mihi spem afferat hominum officium, ad Deum leuo supplices manus, & lacrymantes oculos, quem solum in tanto naufragio perfugium & anchoram intueor.

22. Atque vtinam sic iudicaretur vir cum Deo, quomodo iudicatur filius hominis cum collega suo.

22. Atque vtinam Deus in hac causa disceptanda illum sequeretur ordinem, quem homines in suis de more iudiciis exercendis obseruant; qui rationes hinc inde conferunt, easque iudicibus expendendas proponunt, qui siue ad constituenda præmia, siue ad imponenda supplicia aliquam habent mensuram a lege constitutam. Non sic apud Deum, qui supra leges est, neque semper punit, vt iudex, sed interdum exercet, & probat, vt pater, quique quos amat magis, seuerius affligit.

pag. 229. 23. Ecce enim breues anni transeunt, & semitam, per quam non reuertar, ambulo.

23. Cum iam dies immineant extremi vitæ meæ, neque reuocari possit tempus, quod præteriit, iudicari nunc a Deo cupio, & ab illo discere, quid in meæ vitæ curriculo condemnet, vt dum vita durat, illud lacrymis deleam, & quoad potero maxime dolendo satisfaciam. pag. 229.

Vers. 2. *Audiui frequenter talia, consolatores onerosi omnes vos estis.*]

pag. 229. a
1. Conspirasse videbantur tres hi viri, non tam vt amici leuarent, quam vt exulcerarent animum, & dolorem acuerent, quorum idem est animus, idem sermo. Quos audiebat Iobus non sine molestia, quia ex suspicione peccati, quod amicis multum erat in ore, plus capiebat doloris, quam ex plaga multiplici & verminante corpore. Quare molestum sibi esse dicit, illa eadem inculcari toties, cum nihil dicerent, quod ipsi esset occultum, & eos, qui consolationis sibi assumpserunt speciem, officii & humanitatis immemores refricuisse vulnera, & addidisse nouas dolendi causas.

2. Vers. 3. *Nunquid habebunt finem verba ventosa? aut aliquid tibi molestum est, si loquaris?*] Ventosa appellat verba, quæ inania sunt, & instituto parum consentanea, qualia videntur ea, quæ Iobus audiuit, quo tempore graues patiebatur vexationes in corpore, & longe grauiores in animo. Cui in eo rerum articulo adhiberi debuerunt leuia fomenta, quæ sedarent, non aspera, quæ augerent doloris acerbitatem. Hæc itaque hanc ob causam verba appellari potuere ventosa, vel etiam, quia ab illo proposita inflato spiritu & ambitioso sonitu, qui in sua sibi sapientia vehementer placebat, & tamquam sapientissimus doctor rudem & ignarum discipulum docere videbatur. Orat igitur Iobus non sine stomacho, vt ab illis verbis, quæ plane nullum habent vsum, abstineat Eliphaz, atque consideret, non eodem sensu aliqua dici ab eo, qui sano est corpore, & animo læto, & audiri ab illo, quem dolor excruciat in affecto corpore, & mœror sollicitat, & angit in animo contracto & tristi. Mihi, inquit, graue est, a te & ab aliis hæc audire toties, quem anguste premit & exagitat dolor; at tibi, si loquaris, nihil moleste accidit; imo voluptatis affert plurimum, cum abundes verbis, neque quemquam posse dixeris conceptum cohibere sermonem.

monem. Hæc facilia sunt, neque puto in his aliquid latere mysterii.

3. Vers. 4. *Poteram & ego similia vestri loqui.*] Ostendit Iobus quæ dicta fuerunt, & modo iterum *cap. IV.* ab Eliphaze, & prius amicis potuisse silentio præteriri, cum necessarium non fuerit, cum ipse probe cognouisset omnia, neque essent opportuna dolentibus. Quare dicit, vsque adeo illa, quæ ab Eliphaze audiuit, sibi esse comperta, vt si vsus, aut necessitas exigeret, eodem prorsus modo edisserere potuerit. Ac si dicat, non esse, cur ex illarum rerum cognitione spiritus alant insolentes, cum res sit eiusmodi, vt a mediocribus ingeniis ignorari non possit.

4. *Atque vtinam esset anima vestra pro anima mea.*] Non desiderat Iobus his malis affici molestos illos consolatores, quorum tunc acutos sentiebat aculeos: neque enim homo sanctus talia imprecaretur aliis, licet illos expertus esset aduersarios, qualia ipse, & horrebat vt fastidiosa & aspera, & illis sustinendis humanas vires impares putabat: sed vt discerent, qualia ipse tunc pateretur, & quemadmodum consolatione potius indigeret beneuola, quam reprehensione, quæ tantum haberet acerbitatis, & consentanea ad hoc desiderium & spiritum addit.

pag. 229. b

5. Vers. 5. *Consolarer & ego vos sermonibus, & mouerem caput meum super vos.*] Si Deus in vos plagas hasce meas & animi angores, & interna alia vulnera transcriberet, cognosceretis, sat scio, quid dolor meus ab aliorum misericordia requireret. Et tunc ego neque amici deessem officio ac pietati, cum fomenta adhiberem dolori vestro, atque necessitati consentanea, & meo exemplo doceremini, & quid esset in illis rerum angustiis largiendum amicitiæ & fidei: & quam esset ab omni humanitate alienum, illum oratione graui atque contumeliosa compungere, quem dolores alii vexant acerbissimi, & suo iure vel ab immanibus belluis clementiam extorqueret. Hic sensus facilis est, & ingenio atque humanitati Iobi consentaneus; nam quod nonnulli putant, has esse Iobi minas, quasi dicat, se sociis, si talia paterentur, parem esse gratiam relaturum, & habiturum orationem, cum illi gemerent, aculeatam felleque conspersam, incredibile est, cum maxime Iobus laudetur a patientia, hæc autem verba illius sunt, qui barbaris est & ferinis moribus, qui neque ferre potest iniuriam, & aliorum infortunio delectatur.

Et mouerem caput super vos.] *Commouere caput* vox est ambigua, qua varias animi affectiones significamus. Quod ex vario capitis motu, qui variis etiam seruit animi motibus, profectum est. Aliud enim significat, si antrorsum inclinetur, aliud si oculi sursum eleventur supini, aliud si modo in dextram, modo in sinistram partem inflectatur. Alio motu annuimus, alio negamus. Sic etiam alio motu despicimus, subsannamusque, in quos durius sumus animati, alio consolamur, & dolorem alterius significamus nobis esse dolori: despiciebant, subsannabantque illi, de quibus *Psalm. XLIII, 15. Posuisti nos in similitudinem Gentium, commotionem caput in populis. Thren. II, 15. Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam, sibilauerunt, & mouerunt caput.* Quod iisdem verbis prædixerat Ierem. *c. XIIX, 16.* & *Matth. XXVII, 39.* de Christo: *Prætereuntes autem blasphemabant eum, mouentes capita sua.* Consolationem vero indicat aperte hic loquendi modus, Nahum *c. III, 7.* de Niniue: *Qui viderit te resiliet a te, & dicet, vastata est Niniue. Quis commouebit super te caput?* Et clarius hoc ipso libro *cap. XLII, 11.* vbi iam Iobus priori, imo meliori fortunæ restitutus est, cum amici ad illum læti, & gratulabundi conuenissent: *Mouerunt super eum caput, & consolati sunt eum super omni malo, quod intulerat Dominus super eum.* In hunc sensum procul dubio accipitur hoc loco *mouere caput*, quod explicatio est eius vocis, quæ proprie & non ironice proxime antecesserat, *consolarer & ego vos.* 6. *Motus capitis varia significat.*

pag. 230. a

Vers. 6. *Roborarem vos ore meo, & mouerem labia mea quasi parcens vobis.*] Ostendit Iobus, quid faceret in amicorum causa, si eo essent affecti modo, quo vexabatur ipse, & quem teneret in illorum consolatione modum. Roboraret primum iacentem animum, & ad perferendam constanter inflictam a Domino multiplicem plagam confirmaret. Quod ea moderatione faceret, vt leniret & frangeret, non augeret, acueretue animi dolorem, 7. *Optima consolationis forma.*

lorem, id enim valet illud: *Quasi parcens vobis.* In quo prudens proponitur & opportuna consolandi ratio. Sæpe enim languentis aut mœrentis animus doloris impatiens, in verba prorumpit interdum indecora, nonnumquam indigna constanti ac generoso pectore. Quæ non potest non improbare prudens consolator: imo cum debeat ad æquitatem melioremque mentem traducere, necesse est illa reprehendat. Quod tamen ita fieri debet beneuole ac molliter, vt gratiam se languidus & mœrens accepisse putet, non iniuriam. Quo id modo fieri commode atque vtiliter possit, docet Iobus. Si id nimirum facias, quasi parcas ægroto, aut aliquo incommodo durius affecto: id est, vt erratum ostendas, & a culpa, quoad fieri potest, liberes errantem. Id enim est parcere alicui, cum ab eo ad aliquid aliud petitionem auertis, vt si adolescentem corripias, quod aliquod ediderit leuitatis signum: vitium esse dices ætatis, quod tamen possit, si modo adhibeatur diligentia, corrigi. Si nimium est querulus, quasi nullo suo merito aliquid patiatur, commune esse dices naturæ, non personæ vitium, quæ execratur & respuit, quod amarum est. Hoc est quasi parcere personæ, quia sic parce atque vrbane reprehendis, vt videaris, quia a conuitiis abstines & sermone aspero, a reprehensione prorsus abstinuisse. Quod sane non fecerunt onerosi isti consolatores, qui dum indulgere, & quasi parcere debuissent mœrenti & saucio, illum magis affligunt, & grauiori vulnere consauciant. Sic itaque mouenda dicit labia ab eo, qui leuare aut detergere dolorem vult, vt indulgere videatur, & parcere, id est, a peccato excusare peccantem.

8. Vers. 7. *Sed quid agam? si locutus fuero, non quiescet dolor meus; & si tacuero, non recedet a me.*] Posset aliquis admonitus ab his, quæ Iobus a prudente ac beneuolo consolatore requirit, obiicere eidem, vt illa sibi medicamenta admoueat, quæ aliis præscribit, & eo se modo consoletur, quo solaretur alios, si in eandem calamitatem incidissent. Quod perinde est, ac si dicerent: *Medice, cura te ipsum.* Horum tacitæ cogitationi respondet Iobus, quamcumque se in partem vertat, quodcumque capiat in ea tam dura iactatione consilium, nihilominus tamen sibi remittendum nihil esse de dolore: siue taceat, id est, nihil sibi loquatur ad leniendum dolorem, sive loquatur, & omnia adhibeat medicamen- pag.230. b
ta, quæ contra aduersam fortunam meditantur Philosophi. Hæc mihi expositio expedita videtur, & maxime ad textum. Si quis tamen sic accipiat, vt secum Iobus ipse deliberet, quid in hoc cum amicis familiari congressu factum oporteat, ac tandem concludat, quocunque vtatur consilio, nullum tanti doloris futurum esse leuamentum, non me ad hanc cogitationem difficilem habebit. Quasi dicat Iobus: si respondero his, quæ mihi obiiciuntur, & depellere studeam culpæ suspicionem, neque assequar, quod aueo, neque ideo vehemens languescet dolor. Nihilo plus agam, si tacitus audiam maledicta, & silentio potius humili, quam sermone contentioso meam causam defendam.

Vers. 8. *Nunc autem oppressit me dolor meus, & in nihilum redacti sunt omnes artus mei.*] 9.
Tandem statuit Iobus, non esse contra loquaces homines vtendum silentio, licet a sermone nihil putauerit futurum esse subsidii. Quare ostendit, cur sibi in tanto calamitatum concursu concedi debeat lugendi facultas, cum tantum fuerit doloris pondus, vt illi ferendo impares omnino videantur humanæ vires, & corpus sic macie confectum & exhaustum, vt non colorem tantum & sanguinem, sed etiam carnes amisisse videatur.

Vers. 9. *Rugæ meæ testimonium dicunt con-* 10.
tra me.] Rugæ non solum ex senectute proueniunt, quamquam id frequentius, & ætati grandæuæ familiare, sed etiam ex morbo, maxime cum eiusmodi est, vt succum exhauriat, & humorem consumat, quibus homo succi plenus nitidam habet atque distentam cutem. Ait ergo Iobus, etiam si ipse taceat, habere tamen se coram suæ ægritudinis atque doloris testem, cui non possit non habere fidem, qui oculos habuerit. id enim testantur in ætate non admodum prouecta frequentes rugæ, quas impressere non seniles anni, sed morbus, quo totum extabuit corpus, fecitque, vt pellis antea distenta & plena, e naturalibus euacuata succis, contraheretur in rugas. Illud *contra me*, idem valet, quod *co-*

ram me; sicut illud *Psalm. L, 5. Peccatum meum contra me est semper.* quasi dicat Iobus, præ se ferre in rugosa facie ægritudinis suæ illustre testimonium, quod ignorare posset nemo, cum omnium facile occursaret oculis.

11. *Et suscitatur falsiloquus aduersus faciem meam contradicens mihi.*] Rugosa Iobi ante suum tempus (& lurida facies persuadere possent cuilibet, si modo haberet oculos, non esse leuem causam, quæ tantam in florentem illam ætatem deformitatem & senilem speciem induxisset; vt ad misericordiam potius, etiam eos, qui alieno prius animo fuissent, quam ad offensionem & iram excitarent. At illi, qui familiariter cum illo conuixissent antea, quique maledicis verbis honestum amicitiæ & consolationis nomen prætexuissent, contra faciem illam senilibus sulcatam rugis consurrexere, & coram talia iactauere conuitia, qualia iam vidimus: neque illum postea minore libertate concident. Dicuntur autem onerosi isti consolatores falsiloqui, quia licet vere multa dixerint, illa nimirum, quæ in maioribus, vt dicunt Logici, syllogismi propositionibus continentur: at quæ in minoribus assumuntur, & Iobi meritis accommodant,
12. vehementer errant a vero & scopo. Hæc porro non solum in hosce tres amicos, sed in omnes etiam propinquos & domesticos conferri possunt, qui, vt videbimus *cap. XIX.*
pag. 231. a non minus, quam externi insultarunt hostiliter. In quos optime cadit falsiloqui nomen, nam cum Iobo, dum felix videbatur, omnia promitterent, illum in aduersa fortuna deseruerunt.

Vers. 10. *Collegit furorem suum in me, & comminans mihi, infremuit contra me.*] Hic falsiloquus, qui longe aliter loquitur, quam res habet, quicquid habet furoris & virium, in me totum effudit: intendit minas, nempe a Deo scelerum vindice, qui tyrannis & impiis, qualem me esse existimat, tale imponit supplicium, quale *præcedenti capite* late describitur. Et sicut fera a venatore lacessita atque exagitata vehementer dentibus infrendens, scintillantibus oculis omnia minatur: sic ille totus in me inflammatus, belluina rabie ineffrænata bacchatur insania.

13. Vers. 11. *Exprobrantes percusserunt maxillam meam.*] Hucusque per synecdochen singularis positus est pro plurali numero; nunc iam aperte numerus adhibetur pluralis, & multi fuisse significantur, qui insultarunt Iobo, & variis illum conuiciis lacerarunt. *Percutere maxillam* prouerbialis est apud Hebræos dicendi modus, licet enim proprie sit colaphos impingere, aut faciem percutere, ac deformare palmarum inflictu, tamen hac metaphorica locutione contumelia significatur grauissima, quæcunque lædatur corporis pars, aut quocumque modo ingenuam faciem verecundia suffundat. Qua de re nos pluribus *in nostris Commentariis in Isaiam*, ad illud *cap. III, 15. Et faciem pauperum commolitis.* Neque aliud hoc loco arbitror Isaiam voluisse, aut Paulum, cum dixit colaphizari se a Spiritu Satanæ, quam ea pati, propter quæ vir castissimus erubesceret: & *1. Cor. IV, 11.* cum dixit, *colaphis cædimur*, quasi diceret, male audimus, & contumeliam patimur. & cum ait *2. Cor. XI, 20.* Corinthios ferre patienter, si quis eos in faciem cæderet, de quacumque loquitur contumelia. Sic hoc loco Iobus non est proprie in maxilla percussus; quis enim auderet rugosam illam & luridam faciem, adde etiam regiam, eo modo fœdare? quomodo vero maxilla percussa fuerit, ipse Iobus explicuit, cum dixit: *exprobrantes percusserunt maxillam*, id est, opprobriis & contumeliis.

Prouerbium percutere maxillam pro contumelia.

Satiati sunt pœnis meis.] Sumpserunt de me quas voluerunt pœnas, donec tandem sanguine meo, quem magnopere haurire studebant, ardentem sitim expleuerunt.

Vers. 12. *Conclusit me Deus apud iniquum, & manibus impiorum me tradidit.*] Hucusque 14.
de his, quos expertus est Iobus infideles, de quorum queritur inclementia & temerata fide. Hæc quæ deinde ad finem vsque capitis prosequitur, ad Deum pertinent, cuius in suis doloribus & bonorum omnium diro naufragio manum agnoscit: primum dicit, conclusum se fuisse a Deo, aut quasi feram, quæ eo adducta est a venatico cane, vt a venatore capi possit, aut confici venabulo, aut quasi in carcere omnium ludibriis ac vexationibus propositum, vbi cum omnes insultare tuto possint concluso, ipsi tamen, vt maxime cupiat, neque vicem referre, imo neque seipsum tutari au-

Iobus a Deo quo modo traditus inimicis.

audeat, aut si audeat, possit, perinde atque si vir fortis hominem tradat alteri constrictum, ita vt neque pedes habeat expeditos ad fugam, neque solutas manus, vt arcere possit, aut referire hostem. In eo autem statu vel a puero confici, si modo gladium habet, vel ab imbelli fœmina, non est difficile. Sic itaque fecisse videtur Deus, qui corpus totum multi-
pag. 231. b plici plaga, & extrema macie, & articulorum omnium paralysi constrinxit, & iniquis tradidit irridendum & vexandum, vsque adeo inverecunde & impie, vt ab illis maxillas suas dicat esse percussas.

15. Vers. 13. *Ille ego quondam opulentus repente contritus sum.*] Hæc Deo Iobus, non amicis atque domesticis attribuit, quæ ipsi vires, auctoritatem, & opes, imo & sanguinem ac corpus ademerunt; idque repente, id est, breuissimo spatio: vno etenim die ab opibus omnibus, externoque paratu, & filiorum numerosa sobole spoliatus est. Non multo vero postea fœdo percussus ulcere, tabefacto ac verminante corpore, odiosus omnibus eiectus est domo, & ad sterquilinii sordes tandem adactus. Hæc omnia indicat vox illa *contritus*, quæ nihil relinquit intactum, nihil immune a communi naufragio. Pro *opulento* Hebr est שלו *saleu*, quæ vox etiam pacificum & quietum significat, & satis statum Iobi priorem ostendit.

16. *Tenuit ceruicem meam, confregit me: & posuit me sibi quasi in signum.*] Statum describit eius, qui sic alterius virtuti succubuit, vt repugnare non audeat, sed id patiatur necessario, quod hosti potentiori collibuerit. Cum enim eo ventum est, vt hostis antagonistæ sui comam apprehendat, aut ceruicem teneat & collum obtorqueat, actum esse putatur de vita. Quod audimus non infrequenter a profanis, & in sacris exempla non desunt. Hoc Virgilius docuit de Priamo *l. 2. Æneidos*, quem Pyrrhus occidit:

A coma victus hostis apprehendi solitus.

Implicuitque comam, læua dextraque corruscum
Extulit, & lateri capulo tenus abdidit ensem.

Sic Appianus *lib. 4. de bello ciuili*, dicit occisum esse Saluium. Quo modo noxios solere occidi tradit Suetonius in Vitellii morte *c. 17.* Accommodate ad hanc sententiam reddidere LXX. *tenens me coma deuulsit.* Sed de ceruice ac capite apprehenso non minus est exemplorum. Virg. *lib. 10.*

Sic fatus galeam læua tenet, atque reflexa
Ceruice orantis capulo tenus abdidit ensem.

Exemplum habemus illustre *2. Reg. II, 16.* vbi virorum quorundam robustorum pugna describitur, & eorum, qui in eo congressu superati sunt & occisi, apprehensum dicitur esse caput: *Apprehensoque vnusquisque capite comparis sui: defixit gladium in latus contrarii.* vide quæ nos pluribus *in nostris Commentariis ad illum locum.* Auctor catenæ Græcæ eandem existimat esse metaphoram, sumptam nempe ab illis, qui contentione aut iracundia inflammati luctantur, qui ceruicibus iniiciunt & implicant manus: & deiectum aduersarium ad terram allidunt, & illum aut raptant, aut conculcant, aut denique ignominiosis acceptum modis pugione conficiunt. 17.

Hæc mihi non improbabilia sunt, in quibus Deus cum antagonista Iobo videtur iniisse certamen, & illas inflixisse plagas, quas illi solent, qui aduersarios strauerunt, & in illorum ceruices inuolantes, pro suo siue arbitratu, siue libidine, libere confodiunt. Sed est, meo iudicio, alia explicatio expedita magis, quæ putat, non ab athletis aut gladiatoribus similitudinem sumi; sed ab his, qui iure certant, quique non ferro rem, sed iudicio repetunt. Qui autem in causis disceptandis meliori conditione sunt, aut quia ab illis stant leges; aut quia aliis modis gratiam sibi commeruerunt iudicum, in aduersarii ceruices inuolant, & obtorquent ignominiosa & crudeli violentia; ac tandem in vincula coniiciunt; vbi donec sibi omnino satisfaciant, illos arcte conclusos multiplici vexatione distorquent. Hoc sane vsitatum apud Romanos docet hic dicendi modus, non rarus in re iudiciali: *rapere damnatum obtorto collo*, aut *obtorta gula.* Quod apud Hebræos fuisse etiam olim vsitatum, indicat illa parabola, de qua *Matth. XIIX, 8.* vbi creditor debitorem suum, apprehensis sine dubio ceruicibus, suffocasse dicitur, & in carcerem coniecisse: *Tenens*, inquit. *suffocabat eum, dicens; Redde quod debes.* & statim: *Misit eum in carcerem, donec redderet debitum.* Illa vero, vnde parabola sumitur, vulgaria esse solent, & vsitata plurimum. Iuxta hæc 18.

Victi in iudicio ignominiose in carcerem adducti.

pag. 232. a

dixisse videtur Iobus, iniectas sibi a Deo tanquam a creditore manus, & obtorto collo missum in vincula, & ibi constrictum, nimirum a morbo, qui pro vinculis est, pœnas creditori suo Deo peracerbas dedisse.

19. *Et posuit me sibi quasi signum.*] Prouerbialis forma, qua significamus, aliquem esse omnibus telis atque iniuriis propositum, & cuius dolor atque infortunium adeo non commouet iaculantem, vt laudi sibi esset, & voluptati ducat scopum attigisse: Quare inter alia iuuentutis oblectamenta, illud erat non vltimo in loco, exercere se ad scopum iaculando. Eodem prope modo suum dolorem expresſit Ierem *Thren. III, 12. Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam: misit in renibus meis filias pharetræ suæ.* Quod item Simeon de Christo cecinit *Luc.II, 34. Positus est in signum, cui contradicetur.* Ait ergo Iobus, id sibi Deum habuisse voluptati & ioco, si se quasi scopum ex aduerso quasi constitutum iaculis suis destinato configeret.

Prouerbium positus quasi signum.

20. Vers. 14. *Circumdedit me lanceis suis, conuulnerauit lumbos meos.*] Quidam in *lanceis* homines intelligunt lanceis, seu iaculis aut sagittis instructos, atque ideo vertunt *iaculatores*, seu *sagittarios*, qui videlicet scopum seu signum appetunt, quod Deus omnium talis voluit esse propositum. Neque sensus erit longe diuersus, etiam si lanceas legas, siue sagittas: nam interdum hastæ pro hastatis, sagittæ aut arcus, pro sagittariis vsurpantur. & ita putant Hebræorum aliqui, quos Eugubinus sequitur, & Caietanus. Sed placet translatio communis, quæ lanceas habet, sicut etiam reddidere Septuaginta: neque dispiicet, si in *lanceis* etiam sagittas intelligas. nam vox Hebraica aliquid indicat commune magis, quale est iaculum, vel spiculum, quod ad hastam & sagittam extenditur. Sane sagittas legunt e recentioribus aliqui cum Chaldæo paraphraste, vt etiam habet Hispanica translatio. Siue autem hastam hic, siue sagittam intelligas, neque enim magni interest, hocne an illo modo capias, placet quod Pineda, & in manuscriptis Legionensis existimant, horrere totum Iobi corpus infinitis vlceribus sanie manantibus, perinde atque si totidem lanceis aut sagittis foret confixum, aut sicut echinus aut histrix spinis hispidus riget. Sane histrici Mantuanus in fastis similem dixit fuisse Sebastianum, quem plurimæ in toto corpore sagittæ confixerant:

Totque tulit plagas, quot septem tela pharetræ,
Quot potuere arcus emittere spicula septem.
Quæ stipata meat spinis bicoloribus histrix,
Non super armato tot fert hostilia tergo.

Aliquem præterea ita frequentibus confixum esse hastis, vt syluam quandam secum portare videatur, dicunt aliquando profani. Sic Maro *lib. 10.* de Ænea, cuius in clypeo Mezentii hastæ plurimæ hæserant: pag. 232. b

Ter secum Troïus heros
Immanem ærato circumfert tegmine syluam.

Et Statius *lib. 8. Thebaid.* de Tydeo:

Densis iam consitus hostis
Ferratum quatit vmbra nemus.

Conuulnerauit lumbos meos, non pepercit.] 21.
His verbis nihil aliud indicari arbitror, quam debilitatas esse vires, & ita fractas inexhausto corpore, vt efficere potuerit aut conari nihil, quamtumcumque leue, sed ad omnia egere ministerio & commodata opera. In *lumbis* porro fortitudinem esse, Scriptura sacra docet. Cum enim Roboam *3. Reg. XII, 10.* iuuenes consuluisset, an aliquid remitti deberet, de impositis a parente Salomone tributis, hoc illi imperiti iuuenes stulto Regi tribuere consilium; *Sic loqueris*, inquiunt, *ad eos, minimus digitus meus grossior est dorso patris mei.* Hebr. est pro dorso מתנים *mothnaim*, quod frequenter etiam a Vulgato conuertitur *lumbus.* & ita hunc locum reddidere alii; Quasi dicat Roboam, quod in me maxime iudicari debuit infirmum & debile, id fortius est eo, quod in parente potuit iudicari fortissimum, nempe lumbis paternis fortior est digitorum minimus. Hoc expresserunt LXX. dum ita reddunt: *Paruitas mea crassior lumbo patris mei.* Clarius Chaldæus: *debilitas mea fortior est robore patris mei.* Hinc hominem debilem, cuius ex morbo, aut senio, aut certe lassitudine exhaustæ sunt vires, elumbem vocamus, aut certe delumbatum. Porro Deus dicitur non pepercisse sauciare lumbos, quia non parce, & molli, vt aiunt, brachio percus-

Lumbi *pro robore.*

cussit, sed valide, & eo vulnere, quod robustum potuit brachium inferre.

22. *In lumbis sedes libidinis.* Quidam, quia in *lumbis* est libidinis sedes, vt communiter tradidere Philosophi, ad quorum sententiam accommodate multa dicuntur in Scriptura, quæ hic commemorare longum esset negotium; in lumbis conuulneratis extinctas esse dicunt voluptates & desideria, quæ nasci poterant ab ea intemperantia, quæ est a Venere: quæ *Eccl. XII, 5.* languere dicuntur, & emori in senibus. Id enim significari existimatur in illis verbis, *dissipabitur capparis.* Sed sane hæc leuia sunt incommoda, si cum aliis comparentur, quæ numerat Iobus, neque eiusmodi sunt, vt a tanto viro connumerari debuerint.

23. *Et effudit in terram viscera mea.*] Hebr. vbi Latine viscera, est מררתי *mererathi*, quam vocem Septuaginta *bilem meam*, alii *fel meum* conuerterunt. Hæc autem, quia interiora sunt, in visceribus numerantur. Fortasse hic dicendi modus prouerbialis apud Hebræos, seu Idumæos, quo magnus dolor significatur, aut vulnus. Sane Hispanus, cum eiusmodi affectum significare vult, sic fere loquitur, *ha echado la hiel.* Nisi dicamus, hoc loco aliquod indicari morborum genus, quo per secessum egeruntur viscera, qualis est, qui a viscerum κακοπαθεία dysenteria vocatur; Quod accidit Ioram *2. Paralip. XXI, 19.* vbi dicitur longa consumptos tabe egessisse viscera sua. Vide Vallesium *in sacra Philosophia c. 40.* vbi docet, partes corporis destitutas ab alimento tabescere, & in saniem solutas per secessum excerni.

24. Viscera *pro carne, & pro filiis.* Aut certe effundi dicuntur viscera, quia carnes in saniem dissolutæ per vlcera, quasi per corpus perforatum effluunt. Et hoc fortasse potius. nam viscera non solum sunt intestina & exta, licet hoc plerumque, sed etiam quicquid est carnis intra cutem, & quod ap-
pag. 233. a paret statim detracta cute. Ita putat Seruius *ad illud Virg. lib. 1. Æneidos:*

Tergora diripiunt costis, & viscera nudant.

Et *lib. 6.* idem in eundem sensum:

Et solida imponit taurorum viscera flammis.

Et a Romanis *visceratio* dicebatur distributio crudæ carnis, quæ fiebat in feriis Latinis, & in virorum illustrium parentalibus. S. Thom. viscera pro liberis sumit, qui vno die erepti sunt Iobo, ruente triclinio; quod perinde fuit, atque si disruptis ilibus Iobi in terra viscera diffluerent. Neque inusitatum est, vt *viscera* pro *liberis* sumantur. sic Latini sæpe. Vnum accipe exemplum Canaces, cuius filius recens natus, expositus est feris lacerandus, de quo illa ad Macareum fratrem:

Cum mea me coram montes inimicus in altos
Viscera montanis ferret edenda lupis.

Et Paulus *ad Philemonem v. 12.* Onesimum, quem a se genitum dicit in vinculis, viscera sua vocat, id est, filium suum. cum S. Thoma sentit Dionysius.

Vers. 15. *Concidit me vulnere super vulnus.*] 25. *Vulnus super vulnus doloris amplificatio.*
Vulnus proprie sumi ac figurate potest. dicitur vulnus figurate, quodcumque hominibus aduenerit incommodum, siue a fortuna, siue ab hominum iniuria, quo aut opibus, aut familiæ damnum infertur, aut quo nostra apud homines existimatio laborat infamia; aut denique quodcunque populari sensu numeratur in malis. Hoc sensu concisus est Iobus vulnere super vulnus, nondum de sublatis gregibus duro perculsus est nuncio, quando aliud continenter aduenit de cœlesti igne, qui magnam laborem suorum partem absumpsit. quod aliud statim durius excepit de ruina domus, & de liberis momento temporis obtritis.

Sed credo hic de vulneribus sermonem esse 26.
præcipuum in propria significatione, licet aliquis fuerit ad superiora vulnera respectus; primum, vt apparet mediocriter attento, de vulnerato corpore tantum hic agitur. neque vbi nihil est impedimenti aut absurdi, a propria significatione recedendum est. Erat Iobus sic a Domino sauciatus, vt nihil appareret in toto corpore a vulnere atque dolore vacuum; ita vt dicere potuerit vere, quod alius aut falso, aut hyperbolice:

Non habet in nobis iam noua plaga locum.

Quare necesse erat, vt vulnus vulneri adderetur, & locus idem bis esset vulneratus; quæ 27.
summa infortunati hominis amplificatio. Crudelitatis esse dicimus barbaræ, refricare vulnera, quæ iam cicatrice tegebantur; sed vulneri adhuc crudo, & stillanti saniem, nouum vulnus inducere, illud plane videtur es-

 se,

se, in quo aut nulla est humanitas, aut vehemens offensio. Sed in hoc Deus, vt diximus, magnum aliquid expectauit. Fecit enim quod sedulus facit agricola, cum vineam, quam studet esse fructuosam & vberem, assidue colit, nec vnquam cessat a labore, & quo magis amat generosam plantam, eo in illam sæuire videtur vehementius. Cum de vitium cultu agit Theophrastus, ait πόνος ἐπίπονος, id est, labor labori semper additur, aut cura & labor labori & curæ perpetuo succedit. Id quod Maro docuit *lib. 2. Georg.* vbi in vite curanda Dei curam in colendis & exercendis iustis satis expressit:

In vinea perpetuus labor.

Est etiam ille labor curandis vitibus alter,
Cui nunquam exhausti satis est: namque omne quotannis
pag. 233. b *Terque quaterque solum scindendum, glebaque versans*
Æternum frangenda bidentibus: omne levandum
Fronde nemus: redit agricolis labor actus in orbem.

Vt ergo labor labori additur, & vinitori, & viti, quia hæc acuta falce spoliatur ramis, qui filii vitis sunt, vt supra pluribus obseruauimus; & foliorum ambitiosa luxurie, & inutili palmitum propagine; denique ea relinquitur species sub hyemale tempus, vt mortuam credas. Sic addidit Iobo vulnus Deus super vulnus, orbauit filiis, nudauit ornamentis, & eam in illo speciem reliquit, vt mortuum crederes, aut spirantis mortui viuum simulacrum. Ille porro dicendi modus, *vulnus super vulnus*, & similia, epitasim habet & prouerbialem speciem, qua vsus est Ieremias *cap. IV, 20. Contritio super contritionem vocata est.* & *cap. IIX 18. Dolor meus super dolorem. Ezech. VII, 26 Conturbatio super conturbationem. LXX. væ super væ.*

Gigas quis.

28. *Irruit in me quasi gigas.*] Gigas communiter pro eo sumitur, cui vasta contigit corporis moles, quique ideo vocatur gigas, id est, homo terra natus parente, quia nulla fœmina videtur tantam molem concipere, & in vtero gestare potuisse. De quo nos pluribus *in nostris Commentariis* ad *1. Reg. XVII* vbi actum est de Goliath. Sed vox Hebr. גבור *ghibor* virum significat robustum & strenuum, qui nihil non audeat, quique aliis de vulgo hominibus terrori sit. Hispanica translatio fere semper conuertit *barragan*, quæ vox apud Hispanos idem valet, quod vir ætate iuuenili ac forma, quique viribus præstat & audacia.

Vers. 16. *Saccum consui super cutem meam, & operui cinere carnem meam.*] Duas hic ego explicationes inuenio, neque omnino statuo, vtra illarum præferenda sit. Altera est, subaudiri hic similitudinis formam, quod Hebræis est perquam familiare, & in sacco crustas intelligo, quæ concrescunt ex tabo ac sanie, quibus non aliter operitur cutis, quam arbor cortice. In hunc sensum opertus sum crustis, quæ ex sanie & carne corrupta & putri inoleuerunt cuti, non aliter atque si me ipsum aspero induissem sacco. hoc ideo mihi difficile non est, quia quosdam videmus saniosis crustis ita obtectos & inclusos, sicut arbores includuntur cortice, aut indumento corpora. Et idem etiam intelligo de cinere, qui puluis quidam est, in quem putres illæ crustæ redactæ sunt; Quasi dicat Iobus, totus operior & includor vel crustis ex sanie aut corrupta carne concretis, aut ex puluere in quem redactæ crustæ. Hoc non obscure Iobus ipse explicuit *cap. XXX, 18.* vbi indutum se esse dicit vermibus, quasi indumento, & ea esse specie, vt videatur esse fauillæ & cineri quam simillimus: *Nocte*, inquit, *os meum perforatur doloribus. & qui me comedunt* (nempe vermes) *non dormiunt; in multitudine eorum consumitur vestimentum meum, & quasi capitio tunicæ succinxerunt me, comparatus sum luto, & assimilatus sum fauillæ & cineri.* Hanc sententiam tenet auctor catenæ: *Nigrorem*, inquit, *nacta est cutis mea propter cruciatuum acerbitatem quasi saccus quidam ex villis contextis effectus.* 29.

Quo tegumento opertus Iobus.

Altera explicatio communis ferme omnium, & eo nomine non contemnenda, quæ docet, reuera Iobum pro regiis ornamentis & leniori amictu, sumpsisse cilicinum saccum, quod lugentis est, & eius, qui Deum placare studet, quique peccatum suum fatetur documento publico: & ne quidquam ad veri pœnitentis effigiem deesset, aspersit se cinere, qui plerumque cum sacco coniungi assolet. 30.

pag. 234. a

solet. Auctorem huius sententiæ nullum adduco, ne numerem omnes. Et facit hanc explicationem verisimilem, quia vt lugentis assumeret habitum, vestimenta discidit, & in puluere iacuit. Quo signo, vti eo loco docuimus, ostendit Iobus, se inflictam a Domino plagam ferre non grauate. Posuit itaque super cutem non interposita leniori tunica saccum cilicinum, vt eo afflicta recrudescerent vulnera; sicut in eundem vsum *cap. II, 8.* testam arripuit, qua roderet saniem. Hæc mihi sententia ideo placet magis, quia pluribus placet.

31. Vers. 17. *Facies mea intumuit a fletu, & palpebræ meæ caligauerunt.*] Varie locus iste redditur, & ideo necesse est, vt explicetur varie. Septuaginta sic vertunt: *Venter meus combustus est a planctu.* Auctor catenæ in *ventre* animam intelligit: quæ etiam sæpius cor significat, & ita explicat: *Anima mea ardet, nec lacrymæ quicquam remittunt.* fortasse in *ventre combusto*, id est, siccato atque exhausto corde; significat Iobus, exsiccato lacrymarum fonte defecisse lacrymas: quas exsiccat vis illarum nimium profusa, aut comprimit stupor & immoderatus dolor. Qua de re nos plura *in Commentariis nostris* ad illud *1. Reg. XXX, 4. Et planxerunt, donec deficerent lacrymæ.*

32. Aliter Hebræi & Hebraizantes: *Facies mea fœdata est ceu luto præ fletu.* Explicatio facilis, nam ex lacrymis & cinere, in quem exsiccatæ crustæ resolutæ sunt, confectum est & quasi subactum lutum: quo facies deturpata est, & ita cooperta illo tectorii genere, vt laruam sibi imposuisse videri potuerit. Quod Hispanica translatio indicat non obscure, sic enim conuertit: *Mis faces se enlodaron con el lloro.* Quæ lectio nonnihil fauet cogitationi nostræ, quæ suspicabatur, in sacco supra Iobi cutim consuto, intelligendum esse corticem illum, qui ex carne putri atque saniosa concrescit. Nam si luto fœdata est & quasi laruata facies, quid mirum, si totum corpus, quasi inducto tectorio ex virulenta crusta quasi in tegumento quodam obuoluatur?

33. Sed noster Interpres intumuisse dicit faciem assiduitate plorandi & lacrymarum abundantia. Quod quomodo id Physice contingat, non facile dictu est, nisi per synecdochen oculos pro facie, id est, totum pro parte sumi putes. Oculos autem fletu tumescere, quotidie videmus, & faciem totam in ipso fletus conatu ac tempore turgescere, ipsa docet experientia, maxime in pueris, qui ideo ab Hispanis dicuntur *embotizados.* Sanctus Thomas intumescere plorantium faciem ideo putat, quia multa lacrymarum materia ad caput ascendit. Eugubinus putat, ex lacrymis, & ex aliquo alio humore accreuisse aliquid in facie. Et quidem hoc ex illuuie interdum membris inolescit, quod tegit faciem, quemadmodum fucus quidam, & quasi naturalis larua.

Et palpebræ meæ caligauerunt.] Amisisse plurimos, aut obscurasse oculorum lumen, dum nimium se lacrymis ac mœrori tradunt, res est nota. Et de seipso fatetur Dauid *Psalm. XXXVII, 11. Et gemitus meus a te non est absconditus: cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.* Et clarius Ieremias *Thren. II, 11. Defecerunt præ lacrymis oculi mei.* Patri nostro Sancto Ignatio sic erant assiduæ & familiares lacrymæ, vt pene plorando perdiderit oculos. Quare edictum est a medicis, vt abstineret a lacrymis, in quas ipsi tantum datum est imperii, vt pene habuerit in potestate. Vbi Vulgatus, *caligauerunt*, Septuaginta legunt, *super palpebras meas vmbra.* Addit August. *mortis.* Est autem *vmbra mortis* caligo illa, quæ moribundis oculis oberrat, quæ facit, vt omnia confusa appareant & incerta: vnde fit, vt *caligo* & *tenebræ* pro morte sumantur iam vicina. Exempla etiam non quæsita occurrent; vnum accipe ex Marone *lib. 11.* de Camilla:

34. *Oculi a lacrymis excæcati.*

pag. 234. b

Moribundis oculi caligant.

Hactenus Acca soror potius; nunc vulnus acerbum
Conficit, & tenebris nigrescunt omnia circum.

35. Vers. 18. *Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces.*] Quo sensu Iobus ab iniquitate se mundum appellet, cum tamen se aliquando obnoxium fuisse peccato fateatur, diximus supra, nempe hominum iudicio, qui externa tantum opera considerant, aut comparatione pœna-

pœnarum, quibus Dominus non nisi grauissima peccata punire solet, qualia in se non inueniebat Iobus. In *manibus* opera intelliguntur externa, quorum manus artifices sunt, aut certe instrumenta præcipua; *mundæ* autem *preces* illæ sunt, quas non inficiunt manus iniquæ, aut actiones impuræ, quæ faciunt, ne ad diuinas aures grata accedat oratio. Quas Paulus *1. Timoth. II, 8.* puras esse commendat his, qui a Deo, quæ orauerint, exorare voluerint: *Volo*, inquit, *viros orare in omni loco, leuantes puras manus sine ira & disceptatione.* *Puræ* autem dicuntur *manus*, non quæ aqua sunt lotæ, sed quæ mundæ sunt a rapina, cæde, luxuria, sanguine. Tales enim manus cum eleuantur in oratione, non aspicit Deus, nisi infensis oculis, vt minatur per Isaiam *cap. I, 15.* *Cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos a vobis: & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Hæc autem verba ideo a Iobo proposita videntur, vt responderet Sophar, qui *cap. XI, 14.* dixerat: *Si iniquitatem, quæ est in manu tua, abstuleris a te, & non manserit in tabernaculo tuo iniustitia, tunc leuare poteris faciem tuam.*

Manus pro operibus.

36\. Hæc mihi potiora sunt, & certa; sed neque puto improbabile, imo eo magis inclino, vt credam, etiam aqua Iobum lauisse manus suas: quia id ferebat Idumæorum religiosa consuetudo, quæ in oratione & religioso cultu non solum animorum internam, sed etiam corporum æternam munditiam commendat & requirit. Sane id Hebræorum quondam, & primis Ecclesiæ temporibus ferebat Christianorum consuetudo: quod item in suis precationibus ipsi quoque adhibuere gentiles. De his multa apud profanos scriptores, qui eam munditiam, quæ est ab aqua, inituris templa, aut sacrificale ministerium obituris, magnopere commendabant. De Ægyptiis & Græcis prodit Herodotus *in Euterpe:* de Romanis Persius *Sat. 2.*

Manus a gentilibus ante sacrificium & preces lauari solitæ.

Hæc sancte vt poscas, Tiberino in gurgite mergis
Mane caput bis terque, & noctem flumine purgas.

Quod ex vulgari consuetudine dixit Tibullus *lib. 1. eleg. 2.*

Casta placent superis, pura cum veste venite, pag. 235. a
Et manibus puris sumite fontis aquas.

De Hebræis res est magis nota, quibus ideo labrum æneum statuebatur prius in tabernaculo, deinde in templo, vt accessuri sacerdotes ad altare, manus abluerent & pedes, *Exod. XXX, 18.* qua de re habes apud Aristeam *lib. de LXX. interpretibus* illustre testimonium: *Rege*, inquit, *salutato ad consueta loca diuertunt* (nempe illi LXX. seniores) *atque, vt mos est Iudæis omnibus, manibus prius in mari lotis, Deo preces effundunt.*

Item ab Hebræis.

Quod olim quoque fecere Christiani, eo, opinor, consilio, vt externa illa cæremonia admonerentur, quam deberent esse puræ manus, quibus pleraque exercentur opera, a sanguine & rapina, iuxta illud, quod nuper adduximus ex Paulo. Quare ante templorum fores alicubi propositam legimus aquam, vt oraturi manus ante preces abluerent. Vide Eusebium *lib. 10. Hist. cap. 4.* de hac consuetudine, Clementem *lib. 8. Constit. cap. 8.* vbi iubetur Christianus, vt lotus oret. Cuius consuetudinis meminit Tertullianus *de oratione cap. 11.* & Chrysost. *hom. 72. in Ioannem ad finem, & alibi sæpe.* Quare non est improbabile, id fecisse Iobum precaturum, quod aliis hominum nationibus pium & familiare fuit.

Et a Christianis olim.

Vers. 19. *Terra, ne operias sanguinem meum, neque inueniet in te locum latendi clamor meus.*] Varia hic meditantur Hebræi atque Hebraizantes. Quidam iuramentum esse putant, aut execrationem, qua a se omnem iniquitatem abesse confirmat: & nisi hoc verum sit, orat, vt sibi post mortem illud contingat, quod viui maxime in illo statu horrere solent; nempe insepulti putrescant, & coruos pascant, aut canes. Ita, vt refert Eugubinus, putabat Abenezra; & e nostris sequitur Caietanus, & addit execrationem aliam, ne scilicet ipsius audiatur clamor, cum ad Deum oret. Quæ explicatio durior, neque apte duo hæc hemistichia coniungit. 37.

Communior est & sine dubio verior sententia, orare hoc loco Iobum, vt suus dolor & clamor vbicumque gentium cognoscantur, norintque futura sæcula, quænam ipse, & quo suo merito incommoda pertulerit. Atque

que ideo cum terra, quasi cum animata rationalique natura loquitur (quod faciunt sæpe, qui graui aliquo instimulantur affectu) & iubet, ne corpus tegat, & sanguinem, aut saniem ex illo stillantem, vt illa clamet & loquatur cum Deo, vt quod homines damnant, ipse iudicet, & sua auctoritate, quod æquum est & verum, manifestet; & hoc præcipue arbitror in votis fuisse Iobo. Nam licet Iobus suum sanguinem abscondi, & innocentiam suam latere nolit quemquam; at id videtur optare maxime, vt Deus, cuius intelligentiam latere nihil potest, suam tueatur causam, & innocentiam tam acri detractorum calumnia violatam ostendat, non vt suam
38. mundus totus innocentiam agnoscat. Quod
Sanguis Abelis *prouerbialis.* vt expediam, obseruo, notissimam omnibus gentibus, qui ad Iobi vsque ætatem vitam propagarunt, esse historiam Abelis, cuius effudit sanguinem sceleratus frater. Qui tamen clamauit de terra, & tanti sceleris vltor Deus vocem illam audiuit; dixitque ad fratricidam *Genes. IV, 10. Vox sanguinis fratris tui*
pag. 235. b *clamat ad me de terra.* Hæc historia, quia omnium ferme prima, & successu ipso nobilis, explorata omnibus fuisse videtur, & maxime accommodata prouerbio, vt diximus ad illud Ieremiæ *cap. XXVI, 15. Sanguinem innocentis tradetis contra vosmetipsos.* Cum igitur Iobus suam vellet causam esse iudicatam, & ab omni culpa immunem videri, optat sibi contingere, quod Abeli, cuius terra excepit, non tamen abscondit sanguinem, qui clamauit, & illius clamor auditus est a Deo, qui innocentem probauit illum, cuius sanguinem exceperat terra: & ad hanc explicationem accommodate subiicit.

39. Vers. 20. *Ecce enim in cœlo testis meus: & conscius meus in excelsis.*] Quasi dicat, in terra minus æquos habeo iudices, qui de mea causa incorrupte deliberant; quia quid ego patior ignorant, & vt aliena iudicant, aut errore, aut quouis alio affectu immoderatius abducuntur. At est in cœlis conscius & te-
Deus testis solatur innocentes. stis Deus, quem nullus ab æquo & vero transuertit immoderatus affectus, qui vocem audiuit effusi sanguinis Abelis, & illius omnibus sæculis prodidit sanctitatem, qui mei quoque sanguinis clamorem accipiat, a cuius oculis terra quantacumque opposita mole, sanguinem meum & tabefactum corpus non eripiet, neque efficiet, vt eorum tacitum clamorem non exaudiat. Deum itaque iudicem appellat, qui cordis arcana probe nouit, & causam commendat suam, quam hominum siue errore siue inuidia exagitari videt.

Vers. 21. *Verbosi amici mei, ad Deum stil-* 40.
lat oculus meus.] Consolatores isti onerosi abundabant verbis, & videri, vt apparet, voluere sapientes & rhetores. Sed verba fuerunt eiusmodi, vtpote a dæmone suggesta, vt illis recrudesceret magis quam sedaretur dolor. Quare cum non haberet ex omnibus, a quibus sperare poterat aut subsidium exhausti corporis, & afflictæ valetudinis, aut ægri animi leuamentum, ad quem spiritum laborantem & anxium, & lacrymosos oculos conuerteret: ait vnum superesse Deum, ad quem confugiat, & quem obortis lacrymis patronum imploret, & iudicem appellet. *Stillare* dicuntur *oculi*, & *rorare*, ducta a nubibus similitudine, a quibus stillæ cadunt & rores; qui dicendi modus abundantes indicat lacrymas & iugiter manantes.

Vers. 22. *Atque vtinam sic iudicaretur vir* 41.
cum Deo, quomodo iudicatur filius hominis *Dei iudicium longe diuersum ab humano.*
cum collega suo.] Iudicamur cum Deo, aut nostram cum illo causam disceptamus, cum precibus & lacrymis, non ad morem forensis strepitus cum præmeditatis rationum aut cauillorum argutiis: sic autem vir cum collega suo & compare argumentari solet, vt ratio rationem, & vim vis opposita depellat, & veritas tandem ex argumentorum congressione se prodat. At cum Deo longe aliter. Neque Deus eodem semper modo veritatem pronunciat, quo homo absoluto iudicio, ita vt omnes intelligant, quid Deus maxime aut velit aut probet externo aliquo signo. Et hoc videtur voluisse Iobus, dum ea ratione iudicari cupit cum Deo, id est, iudicium subire Dei, quo homo mortali iudici causam suam disceptandam permittit, qui per præconem, aut publica aliqua atque legitima forma, quid æquum sit, aut secus, pronunciare solet. Sperabat enim fore, vt Deus longe aliter, quam amici illi verbosi atque onerosi consolatores, de causa statueret, & osten- pag. 236. a

 deret,

deret, longam illam vexationem non esse scelerum supplicium, sed fidei atque patientiæ probationem; cum nullius sibi culpæ conscius esset. Vt enim scelerum conscientia languidos reddit robustorum animos, sic vbi hæc abest, audaces reddit innocentes, & ita constantes, vt cum Deo ipso congredi non recusent. Quod hic Iobus optare se dicit. Sane verum est, quod Horatius cecinit *lib. 1. epist. 1.* bonam conscientiam instar muri ærei esse, qui homines securos esse iubet, quantumcumque hostis obstinato premat:

Hic murus aheneus esto,
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

42. Hæc explicatio expedita est, & mihi omnium placet maxime. Neque tamen illorum expositio displicet, qui Iobo id in votis esse putant, vt causa hæc a Domino iudicetur eo tempore, quo adhuc superest halitus, & potest vtilis esse disceptatio; neque ad illud differat tempus, in quo non licet viam illam repetere, quam semel confecit, neque gressus corrigere, quos extra legem & orbitam instituit. Cui explicationi belle assonant, quæ proxime sequuntur. Sed est fortasse magis expedita sententia, si dicas, Deum in vexando Iobo non egisse iudicem, qui pro hominum meritis mercedem aut supplicia decernit. Hæc autem siue supplicia, siue præmia, aliquam apud humanum iudicem habent constitutam mensuram. Non sic apud Deum qui supra leges est. Neque semper
pag. 236. b punit vt iudex, sed interdum exercet vt pater, & quos magis diligit, seuerius affligit, vt deinceps amplioribus cumulet bonis. vide quæ diximus ad illud *cap. XIX, 7. Ecce clamabo vim patiens.*

Ecce enim breues anni transeunt, & semitam, per quam non reuertar, ambulo.] Si posteriorem explicationem amplectare præcedentis versus, non est istius explicatio difficilis. 43. *Optanda est in hac vita scelerum punitio.* Cupit enim Iobus iudicari nunc a Deo, & ab illo discere, in quo peccatum ab ipso fuerit, vt dum vita durat, lacrymis deleat, quas peccando contraxit scelerum labes. Nam si definitum sibi a Deo curriculum absoluerit, ad vitam mortalem nullus datur reditus, atque adeo neque satisfaciendi facultas, vbi peracta est via. Sed neque displicet, si iuxta priorem sententiam dicas, accusari hic amicos hosce verbosos & molestos, quorum oratio plus aloës, quam mellis habet, cum tamen plurimum deberet habere mellis, quia fellis habebat plurimum mœrentis animus, cui instillari debuit suauitatis aliquid. hoc autem magis amplificat amicorum illiberale ingenium, quia dum diris excruciatur modis, in eo est rerum articulo, vt nihil sit propius, quam vt animam agat. Quæ consideratio comprimere debuit aculeatas linguas, ne vulnerato vulnus adderent, & flagello linguæ percuterent, cuius ictus multum est interdum inclementior, quam ille, qui est a flagello & gladio, iuxta illud *Eccl. XXIIX, 21. Flagelli plaga liuorem facit; plaga autem linguæ comminuet ossa.*

ARGVMENTVM CAP. XVII.

Cum instare sibi supremum diem suspicaretur Iobus, & eius rei non dubiam coniecturam adduxisset, per hyperbaton a versu 3. ad versum 11. interponit quandam de amicis querimoniam, qui suam in tot ærumnis verborum aculeis innocentiam exagitant. Deinde ad interrupta reuertitur, & sibi apertam iam videri foueam docet, qui cum vermibus & tabe communem fore affirmat, quorum secum eandem esse dicit cognitionem & genus.

CAPVT XVII.

pag. 236. 1. Spiritus meus attenuabitur, dies mei breuiabuntur, & solum mihi superest sepulchrum.

PARAPHRASIS.

1. Instare iam mihi video extremum vitæ tempus, & nihil iam esse reliquum, nisi sepulcrum commune mortuorum domicilium; idque ex eo mihi persuadeo, quia iam laborat anguste pag. 236.

nute-

attenuatus spiritus, & deficit libere respirandi facultas.

2. Non peccaui, & in amaritudinibus moratur oculus meus.

2. Nihil a me admissum, propter quod vsque adeo vehementer cruciari debeam: & tamen oculi mei nihil experiuntur non amarum, qui iam lacrymarum assiduitate tabescunt, & nihil vident, quod exhilaret animum; imo quod non augeat dolorem.

3. Libera me Domine, & pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me.

3. Sed de hoc meo dolore atque ærumnoso statu pluribus: nunc paulisper querar de his, qui prodito officio & fide me hostilem in modum insectantur. A quibus vt liberer, obsecro, mihi vt semper assideas. Neque enim te adiutore ac præside quemquam timebo.

pag. 237. 4. Cor eorum longe fecisti a disciplina, propterea non exaltabuntur.

4. Congressi sunt mecum diuque colluctati, neque tamen victoriam, quam spe & cogitatione deuorauerant, reipsa consequentur; neque illam apud homines consequentur gloriam, quam disputationi suæ proposuerunt, quia tu illos a vera disciplinæ atque intelligentiæ luce repulisti. pag. 237.

5. Prædam pollicetur sociis, & oculi filiorum eius deficient.

6. Posuit me quasi in prouerbium vulgi, & exemplum sum coram eis.

5. 6. Insectantur me omnes simulato pietatis officio; sed præcipue eorum magister, & quasi pater Eliphaz, qui gloriam, & quasi prædam ex hoc stadio sibi pollicetur & filiis. Sed neque huic, neque illis quicquam ex hoc certamine succedet ex voto. Ille multa dixit de me audacter & falso, quæ propter sapientiæ opinionem, quam apud vulgus ignobile nactus est, pro oraculis habentur, prouerbii apud omnes locum obtineo, & in exemplum fucatæ religionis & hypocrisis a Domino punitæ proponor.

7. Caligauit ab indignatione oculus meus, & membra mea quasi in nihilum redacta sunt.

7. Mirum sane est, quemquam vsqueadeo progressum feritate aut animi stupore, vt persequatur & exagitet illum, cuius oculi iam pene morte præsente deficiunt & caligant, & membra omnia lenta tabe in saniem, aut verius in nihilum, resoluta liquescunt.

8. Stupebunt iusti super hoc, & innocens contra hypocritam suscitabitur.

9. Et tenebit iustus viam suam, & mundis manibus addet fortitudinem.

8. 9. Sed longe alius erit animus sapientis & iusti, qui admirabitur magis stuporem & feritatem hypocritæ & simulatoris, qui innocenti crimen simulatoris obiicit & hypocritæ, quod in se, cum maxime deberet, non agnoscit. Qui innocentis vicem & vexationem dolens, in accusatorem inclementem & fatuum exardescit: & ex innocenti vexato patientiam discet & fortitudinem, cum eiusmodi se occasio obtulerit, & nouos ex illius exemplo spiritus accipiet, & viam scopu-

scopulosam & arduam, quam aggressus est, animosus absoluat.

10. Igitur omnes vos conuertimini, & venite, & non inueniam in vobis vllum sapientem.

10. Venite igitur ad me, & vestræ sapientiæ in hac disputatione specimen præbete; certo autem scio, neminem vestrum, vt maxime contendat, apud eos, qui recte iudicant, visum iri sapientem.

11. Dies mei transierunt, cogitationes meæ dissipatæ sunt torquentes cor meum.

12. Noctem verterunt in diem, & rursum post tenebras spero lucem.

11. 12. Iam post longum hyperbaton redeo ad illas amaritudines, in quibus versari me antea significaram. Hæ vero eiusmodi sunt, vt meas in me cogitationes varie distraxerint, quæ sic distorquent & excruciant animum, vt ad extremum vsque halitum adduxerint. Illæ porro cogitationes dissipatæ & tristes adimebant mihi somnum commune naturæ leuamentum. Atque ideo cum insomnes ducerem noctes, dierum mihi instar esse videbantur, & ideo optabam rursus lucem, a qua nihilo plus habebam laxamenti. Quare nulla pars temporis quietem aut otium afferebat.

13. Si sustinuero, infernus domus mea est, & in tenebris straui lectulum meum.

13. Si sustinuero spe contra spem confirmatus & alacer, ac tandem obtinuero, quicquid in hoc sæculo putatur esse maximum, quid tantum hoc est, vt me in meo dolore consolari & recreare possit? Non enim effugiam, quominus pro luculenta domo sepulcrum inueniam, vbi quiescat diu, & tandem dissolutum corpus redigatur in puluerem.

pag. 238. 14. Putredini dixi: Pater meus es; mater mea, & soror mea, vermibus.

15. Vbi est ergo nunc præstolatio mea, & patientiam meam quis considerat?

14. 15. Quare cum in eadem habitent domo, & in eodem dormiant cubili, qui ex eadem cognatione sunt; cum ego cum putredine & vermibus in eodem tumulo concludar, quid obstat, quominus putredinem & vermes, patrem, & matrem, sororem appellem. En quid præstolatur tandem homo, qui postquam multas opes cogitatione complexus est, eisque congerendis studuit, tandem nihil nisi vermes & putredinem capiat? pag. 238.

16. In profundissimum infernum descendent omnia mea: putasne saltem ibi erit requies mihi?

16. Quæ habui prius ornamenta, siue subsidia naturæ in eo sterquilinio, quasi in quadam fouea siue sepulcro extabuisse videntur. Sed eadem breui mecum in profundiorem aliam sepulturam descendent; & qualis erit mihi illa, quam iampridem opto, miseriarum requies?

Vers.

Verſ. 1. *Spiritus meus attenuabitur: dies mei breuiabuntur: & ſolum mihi ſupereſt ſepulcrum.*]

pag. 238. a
1. HÆc expoſitio ſunt eorum, quæ proxime præceſſerunt, nempe breuem eam eſſe vitæ moram, & a morte delibari corpus, & inſtare iam extremam metam, a qua ad carceres reuocari non datur, cum laboret anguſte attenuatus ſpiritus, & deficiat libere reſpirandi facultas. Quod ſignum familiare ac certum eſt illorum, quibus ſolum ſupereſt ſepulcrum, quod de illis dici ſolet, de quorum ſalute & vita deſperatur. Niſi in *tenui*, ſiue *attenuato ſpiritu* vocem intelligamus exilem & emortuam, quam Latini vocant exanimatam, quæ plerumque ſolet eſſe aut informis, aut male formata: quia eo tempore inſtrumenta ſermonis maxime laborant. Talis vox eſſe exiſtimatur in Manibus, id eſt, in mortuorum animabus, qualem in ſomnis audire videmur. qua de re diximus *cap. IV.* ad illud: *Et vocem quaſi auræ lenis audiui.* Vſus eſt autem Iobus futuro pro præterito, vt oſtendat, attenuatum & anguſtum ſpiritum attenuari quotidie magis: ac nihil ſupereſſe, niſi vt, deficiente ſpiritu ac voce, ſuccedat mortuorum commune domicilium.

Vox ſignum mortis imminentis.

2. Verſ. 2. *Non peccaui, & in amaritudinibus moratur oculus meus.*] Quo modo aut quo ſenſu vocet Iobus ſceleris expertem, explicuimus proxime *præcedenti capite.* Oculi morari in amaritudinibus ideo dicuntur, quia numquam non lugent, & lacrymarum aſſiduitate tabeſcunt: & quia nihil vident, quod exhilaret animum, imo quod non augeat dolorem. Quocunque enim ſeſe conuertant, occurſant grauiſſimæ dolendi cauſæ. Hinc domeſticorum impudens perfidia, alienorum conuitia, amicorum acerba & indebita reprehenſio; ſterquilinium, ſordes, vermes, &
pag. 238. b ſui ipſius neceſſarius & horribilis aſpectus. Lectio Hebraica plurimum videtur a Vulgata diſtare. Sed ſi recte expendas, aut eadem eſt, aut certe non admodum diuerſa ſententia. Sic autem Hebraice: *Profecto irriſores aut mendaces mecum.* Hi porro mendaces appellantur, quia ſceleratum dicunt eſſe Iobum, & propter ſua peccata tam acerbe puniri. Quos dum mendaces dicit atque illuſores, non obſcure docet, in ſe nullum eſſe peccatum: quod idem eſt, atque non peccaui. Neque alius eſt ſenſus, ſi in abſtracto legas, *illuſiones* aut *mendacia*, quod non reſpuit vox Hebraica. & ita conuerterunt recentiores nonnulli, vt Hebræus apud Caietanum, & Hiſpanica translatio, quæ ita conuertit: *Burlerias conmigo.* viri autem prudentes & pii peccata, quia in illis boni nihil agnoſcunt, niſi fucatum, quod ſtultorum mentibus illudat, mendacium & illuſionem vocant.

Verſ. 3. *Libera me Domine, & pone me iuxta te; & cuiusuis manus pugnet contra me.*] 3.
Hinc credo longum interponitur hyperbaton vsque *ad verſum 1.* excluſiue. in quo Iobus in ſuos amicos inuehitur & illis in hac controuerſia ignominiam denunciat; deinde intercepta contexit, & ſui animi, & corporis anguſtias, quarum interciderat narrationem, decurſo iam hyperbato continuat. Quod ſatis conſiderauit & præſcripſit Eccleſia, cum in lectione vltima 3. nocturni in officio defunctorum totum illud hyperbaton prætermiſit. Hoc excepto verſu, & poſt illud, *cuiusuis manus pugnet contra me*, ſubtexuit, *dies mei tranſierunt*, &c.

Hæc verba, quæ videntur concludenda parentheſi, exiſtimari poſſunt dicta amicis abſentibus, & non audientibus. Nam cum audiiſſent illud, *cuiusuis manus pugnet contra me*,
verterunt terga ſubirati. Quos deinde Iobus videtur ad inſtitutam diſceptationem reuocare, dum dicit *verſ. 10.* finitur hyperbaton. *Igitur omnes vos conuertimini & venite.* pag. 239. a

Hæc porro verba a iudicio & foro videntur ſumpta accommodate ad ſtatum illum, in quo tunc Iobus ab amicis iniqua calumnia & oratione dura vexabatur, quaſi conuictus foret magni ſceleris reus. Et quidem ſupra *cap. XVI. ad finem* non pauca adduxit, quæ accuſationem ſonant, & iudiciale forum. Illud *libera me*, non eſt in Hebræo codice, quem nunc habemus: an vero tunc fuerit, cum hæc a Hieronymo translata fuerunt, incertum eſt. Quod autem ſtatim ſubiicitur *pone me iuxta te*, Hebr. eſt 4.

 עָרְבֵנִי

ערבני *orbeni.* cum autem verbum ערב multa significet, hic meo iudicio est fideiubere pro aliquo, seu aliquem in suam fidem recipere. Qui hoc nexu coniuncti sunt in forensi negotio, vnum atque idem esse censentur, quia eidem est obnoxius periculo, qui æs exempli gratia contraxit alienum, atque is, qui se pro illo vadem aut fideiussorem obtulit. Qui ideo dicitur esse cum illo, aut illi alligatus, quia etiam si velit, quamdiu debitum dissolutum non est, ab illo distrahi aut dissociari non potest. Habes hoc expressum perquam optime *Prouerb. VI, 1. Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, desixisti apud extraneum manum tuam, & illaqueatus es verbis oris tui.* Et clarius *Prouerb. XXII, 26. Noli esse cum eis, qui desigunt manus suas, & vades se offerunt pro debitis. Si enim non habes, vnde restituas, quid causæ est, vt tollat operimentum de cubili tuo?*

Debitor & fideiussor eadem existimantur esse persona.

Fideiussoris periculum.

Ait igitur Iobus, si cum Deo coniungatur, ita vt causa sibi cum Deo communis sit, vt sibi quasi fideiussorem alligatum habeat, non recusaturum quodcunque certamen ac periculum. Nam quemadmodum fideiussor causam alterius suam esse ducit, & ideo pro illo quanto potest studio & contentione pugnat: sic Deus pro illo, cui se legitimo illo nexu colligauit, pugnat acri atque fideli studio; & se patronum præstat, cui se prius fideiussorem obtulerat. Pro re morali. Ille Deum fideiussorem habet, qui incolumem præstet, & effectum expediat, quem optat, qui ad illud se negotium serio atque constanter accinxerit, quod Dominus imposuerit. Quare verus obediens adiutorem habet & patronum Deum, quo auspice nihil tam est aduersum, vt timere debeat, nihil tam arduum, quod exitu felici non absoluat.

Vir obediens Deum fideiussorem habet.

5.

Verf. 4. *Cor eorum longe fecisti a disciplina: propterea non exaltabuntur.*] Adhuc versatur in disceptatione, in qua ab amicis simulatæ religionis arguitur, & pœnas dicitur luere vitæ contaminatæ. In qua controuersia Iobus quid Deus, siue arbiter fuerit, siue fideiussor, dummodo sibi astet, facturus sit ostendit. Primum illos dicit longe in hoc congressu futuros esse inferiores; qui tamen iam de conuicto atque prostrato colluctatore victoriam aut cecinerant, aut certe, qua erant arrogantia, cantaturi videbantur. Longe tamen errant, vt quam spe victoriam & cogitatione deuorarant, re ipsa consequantur. Cum enim Deus illorum obscurauerit intelligentiam, nihil illorum obtinebunt, quæ sibi in ea disceptatione proposuerant. Quam autem longe fuerint a vera & solida disciplina, & quam a dæmone delusi potius quam a bono spiritu illuminati, ipsi docet disputationis cursus, in qua multa peccant viri isti ventosi, tametsi sua opinione doctissimi, & Deus ipse huius controuersiæ iudex *extremo capite* demonstrat, vbi laudato Iobo, amicorum illius alienos a recta mente sermones seuera censura reprehendit. Sic autem ibi *verf. 7. Dixit* (Deus) *ad Eliphaz Themanitem: iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos: quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut seruus meus Iob.*

Deus Iobi patronus.

pag. 239. b

6. Verf. 5. *Prædam pollicetur sociis, & oculi filiorum eius deficient.*] Docet Iobus, quomodo suis amicis disputatio ista non sit ex voto successura, & agit præcipue cum Eliphaze, quia hic princeps erat & magister, atque ideo dictus aliorum pater. Quod item facit Deus *cap. XLII, 7.* vbi hunc præ cæteris sociis tanquam illorum ducem atque magistrum reprehendit: Hic autem quasi strenuus robustissimi exercitus imperator, victoriam sibi & aliis prædam pollicebatur, id est, victoriam gloriosam, quam de hoste prostrato expectatione deuorarat, ex qua ad alios, qui tanquam filii censebantur, non exiguam laudem deriuatum iri putabatur: quemadmodum ex parentis victoria, manubiæ & commoditates aliæ non exiguæ ad filios peruenire solent. At eueniet longe aliter: nam filii, qui expectant prædam, & in eam intentos habent oculos, deficient, a sua expectatione depulsi. Quod ita accidit. nam *cap. XXXII, 2.* homo alienus, quique non numerabatur in illis amicis, qui consolationis gratia ad Iobum accesserant, vocatus Eliu, cum vidisset ambitiosos hosce viros rationabilem responsionem non inuenisse, graui in illos indignatione succensuit. Hi porro qui socii dicuntur Eliphazis, iidem vocantur eiusdem filii, aut quia discipuli doctorem suum parentem salutant, aut quia principes ab inferiori & subdita turba honoris & obsequii ergo patres compellantur.

Discipuli ac subditi principis & magistri filii vocati.

Verf.

7. Vers. 6. *Posuit me quasi in prouerbium vulgi, & exemplum sum coram eis.*] Erat hic Themanites Eliphaz vir omnium opinione doctissimus, atque ideo pater ab omnibus communi, vt opinor, nomine vocabatur, atque ideo quodcunque illius verbum diuini cuiusdam oraculi apud vulgares homines pondus obtinebat. Hinc factum, vt quia grauibus verbis insectabatur Iobum: dum illum appellat hypocritam, & in eo laruam esse religionis, non veram sanctitatem; deinde propter sua ingentia crimina grauissimis a Domino puniri suppliciis, hæc duo vulgari sermone sic contrita sunt, vt pondus iam & vsum habuerint prouerbii. Ita vt, si quis significare sanctitatis inanem vmbram vellet, non solidum corpus, sanctitatem Iobi, aut pietatem esse diceret. Si quis a vindice Deo punienda peccata, exemplum adduceret Iobi, quem ex Eliphazis sermone a Deo percussum arbitrabantur, & hoc exemplo a peccando dererreret. Sic Sodoma & Ægyptus posterioribus
pag.240.a sæculis prouerbio fuerunt, quia variis peccatis corruptæ, & suppliciis diuinitus inflictis punitæ sunt. Et Iudæi non semel in maledictionem & prouerbium futuri dicuntur. *Ierem. XXIV, 9. Et dabo eos in vexationem afflictionemque omnibus regnis terræ: in parabolam, in prouerbium & maledictionem. & Ezechiel. XIV, 8. Faciam eum in exemplum, & in prouerbium.*

8. *Iobus aliis in prouerbium.* Erat igitur Iobus in prouerbium, quia in amplificanda alicuius hypocrysi, aut tyrannide, vulgo dicebatur aliquis magis quam Iobus hypocrita, aut tyrannus, aut illi in tyrannide, aut simulatione quam simillimus, aut certe illius non impune abitura peccata, sicut neque Iobi, quem Deus deiectum e solio, ad sterquilinium abiecit. In maledictionem item datus est, nam hoc etiam ad prouerbium spectat; quomodo si quis dicat, contingat tibi quod Iobo: aut, si sciens fallo, talia mihi adveniant infortunia, qualia Iobo, &c. Hæc vulgi de Iobo, propter Eliphazis & sociorum verba, quæ vulgus excepit vt oracula. At longe aliam de illo opinionem indidit maior Dei auctoritas, qui facta probauit Iobi, & illius mores & vitæ genus maiorem in modum commendauit. Quare alia fuerunt posteris nata de Iobi sanctitate prouerbia. Sane Iobi patientia iampridem vulgo prouerbialis est, quam adduxit Iacobus *cap. V, 11.* indicans, illius laudem esse vulgarem. *Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt.* (hoc vulgare aliquid insinuat) *Sufferentiam Iob audiistis.* Et illud, *Dominus dedit, Dominus abstulit*, prouerbii pondus obtinet, & Iobi sanctitas, vel Deo ipso docente, prouerbiale aliquid olet; qui sic *Ezechiel. XIV, 14. Si fuerint tres viri isti in medio eius, Noë, Daniel, & Iob, ipsi iustitia sua liberabunt animas suas.*

Vers. 7. *Caligauit ab indignatione oculus meus: & membra mea quasi in nihilum redacta sunt.*] Hæc fortasse fuerunt verba, quæ sæpius & acrius iterauit Eliphaz, quæque in circulis & compitis prouerbialem in modum vsurpauit vulgus; quod scilicet præ indignatione, aut dolore; aut alienæ felicitatis inuidentia oculi Iobi caligauerint. in oculis enim, qui animorum sunt indices, varii se produnt animorum morbi & affectus interni. Dolere dicuntur oculi, cum aliquid vident, quod minus placet, vt si quispiam suum videat infortunium, aut si inuidus aliorum intueatur abundantiam & felicitatem. Quo dicendi modo vsus est Terentianus Phormio, dum rem alteri molestam meditatur; *Vin' hodie facere, quod tuo viro oculi doleant.* Hispani certe indignationem & inuidiam hoc explicant modo; *Saltan se le los oios.* Et fortasse ideo dixit proxime de Eliphaze: *Oculi filiorum eius deficient;* quia hoc de Iobo prouerbium in vulgus iactauerat. Quasi talia esset in filiorum oculis incommoda visurus, qualia de oculorum Iobi caligine vulgauerat. Idem dico de posteriori hemistichio, in quo ait omnia membra sic in saniem dissoluta, vt in nihilum abiisse videantur. 9.

Oculi animorum indices.

Hæc explicatio censeri potest non difficilis, sed minus videtur impedita, si proposito eo statu ærumnoso & tristi, qui in caligantibus oculis, & resoluto corpore significatur, maior ostendatur amicorum inclementia, qui vrgent tamen magis, & illius nomen antea bonum, aliorum conuitiis atque ludibriis exagitandum proponunt. Quomodo inexhausto ac moribundo corpore oculi obscurentur atque deficiant, diximus proxime *cap. XVI, 17.*

Vers. 8. *Stupebunt iusti super hoc, & innocens* 10.

cens contra hypocritam suscitabitur.] Vulgares homines, quique iustitiæ multo student minus quam oporteret, admittunt facile, quæ ab aliis accepere, præcipue si ab ingenio iudicioque prudenti commendentur: & illis maxime rebus minus sunt difficiles & increduli, quæ aliorum notant & obscurant mores & ingenium. At iusti, qui in meliorem partem res interpretantur, quoad fieri potest, quæ de aliis audiunt, a culpa potius liberant, quam cum populari atque imperita multitudine condemnant; & ægre ferunt, quemquam, maxime si illius vitam probam & integram esse nouerant, ab aliis superbe & contumeliose iactari. Quare iusti viri in causa Iobi admirantur, quemquam tam esse audacem & iniquum, qui innocentem hominem in inuidiam trahat, & vulgi sermonibus irridendum & lacerandum committat. Et ideo armabit zelum suum contra contumeliosum hominem, quem vere hypocritam existimabit: & innocens videri volet magis defendendo, quam noxius, accusando cum imperito vulgo hominem innocentem.

12. Hæc explicatio non videtur aliena, quæ, vt multi sunt, qui innocentiam & sanctitatem oppugnant; ita etiam multos esse vult, qui eadem impie ab aliis oppugnata defendant. Verum fortasse aptior est expositio illa, quæ docet, ab hac historia habituros esse iustos, quod admirentur & obstupescant, cum videant hominem iustum tam acerbe vexari, cum admiserit nihil, quod tam dura fornace expiari debeat; & tam fortis athletæ incitatus exemplo, contra hypocritam, obtrectatorem, & aduersarium obfirmabit animum, & contra omnes aut fortunæ casus, aut hominum iniurias obdurescet. Hæc porro ideo dicta videntur a Iobo, vt opponat verbis, quæ in vulgus extulerat Eliphaz, dum dixit, exemplo Iobi abstinendum a tyrannide & hypocrisi, quando hæc in illo Deus tam aperte damnavit, & puniuit seuere. Id enim valet illud, quod proxime legebamus: *Posuit me quasi in prouerbium vulgi, & exemplum sum coram eis.* Contra hoc exemplum aut prouerbium, quod a peccando deterreat, adducit Iobus exemplum aliud, quod ad virtutem & malorum tolerantiam inuitet, & languentes confirmet animos, & alacres reddat, cum acrius incubuit dira necessitas. Quare statim additur ad hanc explicationem consentanee.

Vers. 9. *Et tenebit iustus viam suam; & mundis manibus addet fortitudinem.*] Hoc Iobi confirmatus exemplo vir iustus, quantumcumque vrgeat aduersaria vis, perstabit tamen, neque viam deseret scopulosam & arduam, quam ingressus est: sed nouos quotidie assumet spiritus, qui ex tanti viri exemplo atque memoria incrementum accipient singulare. Id autem Deum voluisse, dum Iobum in hanc tribulationis fornacem inclusit, discimus ex libro Tobiæ *cap. II, 12.* vbi cum oculorum lucem amisisset, & non leuia a cognatis & amicis audiret opprobria, non tamen est contristatus contra Deum, sed in Dei timore semper mansit immobilis; *Hanc ideo*, inquit, *tentationem ideo permisit Dominus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius, sicut & sancti Iob. Nam sicut beato Iob insultabant Reges, ita isti parentes & cognati eius irridebant vitam eius, dicentes, vbi est spes tua,* &c. 13. *Iobus propositus a Deo tanquam patientiæ exemplar.* pag. 241. a

Vers. 10. *Igitur omnes vos conuertimini, & venite, & non inueniam in vobis vllum sapientem.*] Hæc est conclusio hyperbati, quod cœpit, vt diximus, a *v. 3.* in quo illusores, & ii, qui Iobi causam tam constanter oppugnant, longe dicuntur abesse a disciplina, qui Iobo insultant, & irrident, & illum aliis irridendum proponunt. Huius hominum illorum insipientiæ facere vult periculum Iobus, & collatis manibus experimentum capere, quo alii omnes intelligant perspicue, quemadmodum qui sapientes existimari student, ab omni disciplina vacui sint, & quam laborent causa, qui se partes tueri sanctitatis & religionis profitentur. Atque ideo illos ad disputationem prouocat: dum dicit, *conuertimini, & venite*, nempe ad me, & vestræ sapientiæ in hac disceptatione specimen præbete; certo autem scio, neminem vestrum, vt maxime contendat, apud eos, qui recte iudicant, visum iri sapientem. Illud porro, *conuertimini, & venite*, iuxta Hebraici sermonis idioma, idem est, quod iterum venite, & disputationem instaurate. 14.

Vers. 11. *Dies mei transierunt, cogitationes meæ dissipatæ sunt torquentes cor meum.*] Absoluto 15.

luto hyperbato, quod nisi tam esset longum, parentheſi includi debuiſſet, ſuam calamitatem Iobus continuat & deplorat. Quare hæc, quæ ſequuntur, cum *v. 2.* coniungenda ſunt, vbi commorari ſe dixerat in amaritudinibus, & quænam ſint amaritudines illæ, explicatius oſtendit, & primum ait, in eas anguſtias ſe eſſe redactum, vt iam exiſtimare poſſit actum eſſe de vita; quod prius *verſ. 1.* dixerat.

16. *Cogitationes meæ diſſipatæ ſunt.*] Diximus pluribus *cap. III, 4.* non minus moleſtas eſſe cogitationes, quas ſuggerebat diabolus animo, quam vermes & vlcera corpori Iobi, quæ variæ cum eſſent, varie animam diſcruciabant: quæ modo in vnam, modo in alteram partem ſubinde diſtrahebant. Quare non ſinebant multiplices illæ cogitationes diſſipatum animum vni certæ atque vtili conſiderationi vacare, quæ confortaret languentem & deſperantem animum, vbi enim externa ſubſidia & leuamenta deſunt, illorum vices facile obeunt, & cumulate ſupplent conſiderationes de Deo, de laborum mercede, de illorum breuitate, & quomodo hominem ab his liberant vitiis, quæ circumfert ſecum aut ætatis viriditas, aut inſidioſa naturæ blandimenta. Sane orationem dolorum omnium eſſe medicinam & ſolatium, docuit Chryſoſtomus *tomo 1. homil. 29. in caput IX. Geneſ. Eſt*, inquit, *qui inſidias & calumnias ſuſtinens dolet, & inſuauem putat vitam, nuſquam humanum inuenire valens auxilium. Docetur a Dauide Pſalm. 108. v. 2. In talibus anguſtiis non ad humanum præſidium confugiendum. Audi quid ipſe dicat. Ipſi detrahebant mihi, ego autem orabam, vidiſti vnde quærat auxilium? Alii, inquit, dolos plectebant & calumnias, & inſidias; ego autem ad inexpugnabilem murum confugio, ad tutam anchoram, ad portum fluctuum expertem, preces, inquam, per quas omnia difficilia leuia, & facilia mihi fiunt.*

Oratio malorum omnium medicina.

pag. 241. b

17. Verſ. 12. *Noctem verterunt in diem, & rurſus poſt tenebras ſpero lucem.*] Triſtes illæ & diſſipatæ cogitationes non ſolum torquebant mœrentem animum, ſed etiam adimebant naturæ commune leuamentum, nempe ſomnum, qui ideo a Latinis appellatur quies, quia obliuionem inducit eorum, quæ ægre afficiunt hominem, & laxat curas, quæ oneratum animum reſpirare non ſinunt. Hoc extremum patiebatur Iobus, qui noctes ita ducebat inſomnes, vt nihil differrent a die, a qua plerumque abeſſe ſolet ſomnus & quies. Cum autem nocturnæ exceſſiſſent tenebræ, quæ ad ſomnum inuitare ſolent & allicere, & ſomnum oculis non vidiſſet ſuis, expectabat lucem, quæ ſomnos abigit, & nouas ſolet curas ſecum inuehere. Quare neque die, neque nocte emergebat ab exundante dolorum æſtu, & a triſtium cogitationum moleſtiis ſoluebatur.

Verſ. 13. *Si ſuſtinuero, infernus domus mea eſt: & in tenebris ſtraui lectulum meum.*] Vir quidam non indoctus, & amicus meus, ſic hunc locum explicandum putabat: Etiamſi ſuſtinuero, quod vos, o amici, tam ſuadetis conſtanter ac diu, vt exhortatio veſtra exiſtimari conuitium poſſit: etſi obtinuero, quod mihi tam ſerio a Dei humanitate atque indulgentia promittitis, omnia bona, quæ amiſi, & plura alia, quæ expectare non auderem; non tamen efficient, vt non habitem in ſepulcro & tenebris, & vt auertam oculos a putredine & vermibus, quibuscum agam adeo familiariter, vt illorum nunquam obliuiſcar; neque minus oculis occurſent frequentes, quam mater, quæ concepit, & pater, qui genuit, & ſorores, & fratres, qui ex eodem mecum vtero prodierunt. Denique in ſepulcro, quod iam apertum mihi videre videor, & in tenebris, quas iam oculis offundit meis vicina mors, potius ſternam lectulum meum, quam in eburnea domo, quæ veſtra ſedulitas a Dei benignitate ſperare me iubet. Hæc quidem ad mores optima, minus tamen ad ſenſum. 18.

Ego illud *ſuſtinuero*, aliter accipio. Significare enim opinor, ſicut alibi in Scriptura millies, idem, quod expecto, aut ſpero. vnus *Pſalm. XXIV.* tria nobis ſuppeditat exempla *v. 3. Qui ſuſtinent te, non confundentur. v. 6. Te ſuſtinui tota die. v. 21. Recti adhæſerunt mihi, quia ſuſtinui te.* Ipſe præterea Iobus ſtatim docet, quid eo verbo ſignificare voluerit, cum ſubdidit, *vbi eſt præſtolatio mea?* Erit igitur ſenſus, quem Iobus optimus Philoſophus, humanarumque rerum prudens æſtimator, his verbis expreſſit. Si expectauero, imo ſi obtinue- 19.

Suſtineo idem quod ſpero.

pag. 242. a

Humana commoda, quo loco habenda. tinuero, quod in hoc mortali statu homines esse putant eximium, quid tantum erit, cum breui futurum sit, vt deseratur peracta vita; aut sua etiam futilitate tabescat, & in nihilum abeat. Non enim quantumcumque expectauero, consecutusque fuero, effugiam, quo minus pro domo mea sepulturam tandem habeam, in qua mihi multo diuturnior futura commoratio est. Et lectulum sternam, non in ebore, aut stragulo egregie elaborato, vbi molliter cubem, aut turpiter lasciuiam; sed in tenebris, in caliginoso videlicet claustro, vbi corpus redigatur in puluerem, antiquæ gloriæ obscurum & vile monumentum.

20. Vers. 14. *Putredini dixi: pater meus es; mater mea, & soror mea vermibus.*] In domo eadem degere solent parentes & filii, & in eodem accubare lecto. Quare suam cognationem putredinem & vermes dicit esse Iobus; quia cum illis in eodem morabitur & cubabit sepulcro.

21. Vers. 15. *Vbi est ergo nunc præstolatio mea? & patientiam meam quis considerat?*] Eadem sed diuersis verbis iterata sententia; nam patientia pro expectatione sumitur non raro, vt *Ierem. XXIX, 11. Vt dem vobis finem & patientiam.* & *Psalm. IX, 20. Patientia pauperum non peribit in finem.* Neque aliud significat il-

Patientia idem quod expectatio.

pag. 242. b

lud debitoris serui ad Dominum suum *Matth. XIIX, 26. Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Ac si dicat Iobus: En quid spectat, & quid præstolatur tandem homo, qui multa cogitatione, multa studio complexus, tandem nihil præter vermes & putredinem captat.

Vers. 16. *In profundissimum infernum descendent omnia mea.*] In profundum infernum descendent cum Domino simul omnia, quæ illius fuerunt, pulcritudo, vires, & quæ dicuntur corporis dotes & ornamenta, cum aliis externis opibus, quæ Domini iam vita defuncti comparatione perinde sunt, atque si nunquam fuissent in rebus. Profundus infernus fouea est, in quam infertur cadauer; dicitur autem profundus, comparatione sterquilinii, in quo iacebat viuus, quod cum vermibus abundaret & sordibus, instar obtinebat sepulcri. 22.

Putasne saltem ibi requies mihi?] Quasi dicat, illam requiem eiusmodi esse, vt non magnopere sit desideranda: quam neque homo sentiat, neque socii tumuli putredo & vermes faciant admodum desiderabilem & honestam. Hoc quod modo Iobus, dixit postea Dauid *Psalm. XXIX, 10. Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* 23.

ARGVMENTVM CAP. XVIII.

TOtum hoc caput obscurum non est, in quo Baldad stomachosius primum reprehendit tam Iobi quam Eliphazis disputationem longam, quam ipse studio auiditateque loquendi audire non poterat sine graui fastidio; deinde statum describit, & spem, quam de suis rebus habere potest impius, in quo Iobus directo petitur, cuius ad viuum expressa proponitur effigies, cuius descriptionis summa est, nullo loco ac tempore hominem impium censeri posse fortunatum, cum vbique aut metuat paratum malum, aut instructas sibi suspicetur insidias; neque in vita sua securum habeat otium, neque mortuus sperare possit gratam aut diuturnam in posteriorum opinione memoriam.

CAPVT XVIII.

pag. 242. 1. REspondens autem Baldad Suhites, dixit:

2. Vsque ad quem finem verba iactabitis? intelligite prius, & sic loquamur.

PARAPHRASIS.

1. 2. Cum Baldad Suhites ægre ferret disputationem longam Eliphazis & Iobi, neque ipse posset sine animi æstuantis angore conceptum sermonem tamdiu comprimere, ad vtrumque conversus cum stomacho ait: Quamdiu duratura pag. 242.

tam

tam longa & inepta disputatio? quamdiu iactabuntur in ventum verba tam a mente & sano sensu vacua, quam multitudine innumerabilia? commentamini prius apud animos vestros, quid loquamini, ne temere aliquid excidat intempestiuum aut inane verbum.

3. Quare reputati sumus vt iumenta, & surduimus coram vobis?

3. Quare ego & Sophar, & qui hic præterea adsumus viri non insipientes, a vobis eo, quo iumenta, loco habiti sumus? Quia tamdiu expectare & silere cogimur, interim dum vos pro vestra libidine disputationem longam instituitis. Neque digni a vobis existimamur, quibus permittatur quæstionis disceptandæ negotium.

pag. 243. 4. Qui perdis animam tuam in furore tuo, numquid propter te derelinquetur terra, & transferentur rupes de loco suo?

4. Sed iam te vnum, o Iobe, mea petit oratio, te alloquor, tu hæc iterum apud teipsum reputa. pag. 243. *Nonne vides, dum Deum suboffensus accusas, quod te inclementius, quam pro meritis, vrgeat; id agere te, vt dolorem augeas & lucis vsuram ad breuiora tempora coarctes. Tam difficile est, peccatorem in hoc statu mortali non puniri, quam terram non esse stabilem & firmam. Quare si vis peccata tua impunitatem ferre, perinde est, ac si velis terram e suis sedibus alio traduci.*

5. Nonne lux impii extinguetur, nec splendebit flamma ignis eius?

6. Lux obtenebrescet in tabernaculo illius, & lucerna, quæ super eum est, extinguetur.

5. 6. Nonne, si quid habuit impius, quod in hominum oculis splendesceret, obscurabitur a Deo, qui seuerus est peccatorum vindex. Et illa extinguetur lucerna, quæ lautum prius & nitidum illorum tabernaculum illustrabat, aperiebatque viam, ne ad scopulos & salebras offenderent.

7. Arctabuntur gressus virtutis eius, & præcipitabit eum consilium suum.

8. Immisit enim in rete pedes suos, & in maculis eius ambulat.

7. 8. Quare impius ambulabit in tenebris; ex quo fiet, vt implexam habeat & impeditam viam, neque certum inueniat aut tutum consilium, quod sequatur. Gradietur quasi inter retium maculas & continentes laqueos, incessu nimirum lento ac timido, ita vt si ex vno se exuere contingat, in alium non magis expeditum incurrat.

9. Tenebitur planta illius laqueo, & exardescet contra eum sitis.

10. Abscondita est in terra pedica eius, & decipula illius super semitam.

11. Vndique terrebunt eum formidines, & inuoluent pedes eius.

9. 10. 11. Sic laqueo impiorum constringentur pedes, sicut prædarum, quas in plagas compulit pertinax venatorum solertia. Ad quas sic conuolant venatores festinato & ardenter, quasi qui diuturna laborant siti, & illam maximopere satiare student. Neque effugere poterunt oppositas plagas, quia illæ detectæ non sunt, quæ videri aut declinari queant, & passim in semitis paratæ latent. Quare illi vndecumque se metus ostendet, vbicumque erunt impedimenta

& salebræ, quæ veloces gressus esse non sinent.

12. Attenuetur fame robur eius, & inedia inuadat costas illius.

13. Deuoret pulchritudinem cutis eius, consumat brachia illius primogenita mors.

12. 13. Qui prius erat robusto corpore & abdomine pingui, sic attenuabitur inedia, vt in macro atque consumpto corpore nudæ promineant & arentes costæ: & inducto pallore & macie, nulla in succulenta & renidenti cute maneat pulcritudo, aut in lacertis virtus. Hæc enim ante suum tempus auferet primogenita atque immatura mors.

14. Auellatur de tabernaculo suo fiducia eius, & calcet super eum, quasi rex interitus.

15. Habitent in tabernaculo illius socii eius, qui non est, aspergatur in tabernaculo eius sulphur.

14. 15. Sic denique subuertatur domus, vt illius instaurandæ nulla supersit facultas aut spes: denique illam mors inhabitet, illam conculcet, & in ea tempus in omne dominetur: Neque absint ab illa vnquam, quæ mortem plerumque aut comitantur, aut sequuntur: Nempe fames, dolor, morbus, putredo, & vermis; quæ aut præcursores sunt, aut reliquiæ mortis. Denique inauspicatum illud solum tanquam impurum & odiosum sale conspergatur & sulphure.

pag. 244. 16. Deorsum radices eius siccentur, sursum autem atteratur messis eius.

17. Memoria illius pereat de terra, & non celebretur nomen eius in plateis.

16. 17. Quemadmodum si arborum radix pag. 244. *arescat, reliqua, quæ ex illa pullulant, & ab ea sustentantur, intereunt. Sic interibit impius familiæ pater, & cum illo elidetur tota progenies. Neque illius, quod miseris solet esse solatio, memoria viuet in posteriorum sobole consignata: neque post funus illius nomen in plateis hominumque conuentibus audietur amplius.*

18. Expellet eum de luce in tenebras, & de orbe transferet eum.

19. Non erit semen eius, neque progenies in populo suo, nec vllæ reliquiæ in regionibus eius.

18. 19. Expelletur dum viuit, non solum de statu splendenti & nobili, in tenebricosum & sordidum, sed etiam de orbe, id est, de hominum conuictu atque consortio, vbi nemo illum alloquatur & videat, neque in suscepta sobole vllum in populo aut regione sua nominis sui monumentum relinquet.

20. In die eius stupebunt nouissimi, & primos inuadet horror.

20 Ea erit rerum vicissitudo, vt nemo sit, siue in primis dignitate ac tempore, siue in postremis numeretur, qui non miretur, & stupeat, tam subitam, tantamque mutationem fieri potuisse.

21. Hæc sunt ergo tabernacula iniqui, & iste locus eius, qui ignorat Deum.

21. Hic exitus manet impiorum familiam & luculentam domum, hæc sors excipiet eum, qui Deum ignorat, & de illius legis obseruantia non curat.

Vers. 2. *Vsque ad quem finem verba iactabitis? intelligite prius, & sic loquamur.*]

pag. 244. a 1. ANtiqui patres & expositores in singulari numero legunt *iactabis*, & ad vnum Iobum conferri putant verba Baldad. Et ita etiam conuerterunt Septuaginta: *Quousque non cessabis? cohibe te, vt ipsi loquamur:* Sed Hebraici codices, & alii Latini emendati magis, & in his Sixtiani in plurali legunt. Neque desunt,

ſunt, qui putent, nihilominus hæc verba vnum Iobum petere, abſtinere ab aliis, qui cum Iobo proxime verba contulerant; & in his eſt Pineda, qui hac de re copioſe & acute. Ego ad illorum ſententiam magis accedo, qui verba hæc prima ſpectare dicunt ad Iobum, qui *præcedenti capite*, & ad Eliphazem, qui cum illo proxime diſceptarat. Hoc enim ſimpliciſſime indicat modus ipſe loquendi, qui cum multis verba fieri non obſcure demonſtrat. Neque cauſa deerat homini ſuperbo grauis, vt ſtomachoſius ageret cum Iobo, quem in ſuo errore hærere putabat pertinaciter; & cum Eliphaze, qui cum ſe ſapientem eſſe profiteretur, erroris conuincere Iobum non potuerit. Eandem ob cauſam infra *cap. XXXII, 3.* indignatus eſt Eliu contra amicos Iobi, quia nullam attuliſſent grauem rationem, quæ probaret in Iobo hæſiſſe culpam illam, quam oratione amplificarant, & graui & longa. *Porro aduerſum amicos eius* (Iobi) *indignatus eſt, eo quod non inueniſſent reſponſionem rationabilem, ſed tantummodo condemnaſſent Iob.*

pag. 244. b

2. *Superbus ſermonem continere non poteſt.*

Accedit, quod homo ambitioſus, quique in ſua ſe ſapientia plurimum amat, indigne fert ab aliis ſe contemni, neque ſuſtinere poteſt vaniſſimum illum ſpiritum, quo inflatus eſt, quo in verba ſtuporis interdum, audaciæ plerumque plena temerarius erumpit; eo arbitror modo, quo Eliu *cap XXXII, 18.* quaſi parturiens maturum iam fœtum retinere non potuit; *Plenus*, inquit, *ſum ſermonibus, & coarctat me ſpiritus vteri mei. En venter meus quaſi muſtum abſque ſpiraculo, quod lagunculas nouas disrumpit. Loquar & reſpirabo paululum.* Idem pene ſibi contigiſſe ſupra *cap. IV, 2* tradidit Eliphaz: *Conceptum ſermonem retinere quis poterit?* Sane in homine, qui vanus eſt, & ſe magnum aliquid concepiſſe putat, dolor eſt illi quam ſimillimus, quem in compreſſo fœtu patitur puerpera, cum nixu laborat, neque pariendi datur vis, aut facultas. Quod ſimilitudine non valde diuerſa expreſſit Perſius *Satyra 1.* qui hoc ſtudium, ſiue rabiem loquendi ſimile eſſe dicit caprifico. nam vt hæc, vt foras prodeat, ſaxa disrumpit, ſic verba compreſſa disrumpunt viſcera: neque torquere deſinunt, quaſi noxius humor, donec euomantur. Talia, opinor, patiebatur Baldad, qui cum effundere geſtiret conceptum ſermonem, ferebat ægre eripi ſibi longa Eliphazis oratione loquendi facultatem. Atque ideo ſic in Iobum diſputationem & reprehenſionem inſtruit, vt etiam in diſputationis ingreſſu ſtomachoſius Eliphazem compungat.

pag. 245. a

Immoderata auiditas loquendi.

Reprehendit primum diſputationem longam & vltra modum, quæ nullum videbatur habitura finem, quam tamen non verboſam ſolum, ſed etiam ventoſam & vacuam eſſe dicit, dum ait, *vsque ad quem finem verba iactabitis?* Deinde quia a diſputationis ſcopo videntur prorſus aberraſſe; neque intellexiſſe, in quo præſertim conſiſtat diſputatio, & ideo ſubdit, intelligite prius, & ſic loquamur.

Verſ. 3. *Quare reputati ſumus vt iumenta; & ſorduimus coram vobis?*] Hæc alii plurimi ad Iobum referunt: quaſi amicorum ſapien- 3.
tiam contemnat, neque illos pluris faciendos putet quam iumenta; Quod tunc dictum a Iobo interpretari potuit Baldad, cum dixit *cap. XII, 7. Interroga iumenta, & docebunt te.* Vbi videtur Iobus meliori loco poſuiſſe iumenta: cum ab illis docuit ſumendam eſſe diſciplinam. Aut cum dixit *cap. XVII, 4. Cor eorum longe feciſti a diſciplina.* & *v. 10. Non inueniam in vobis vllum ſapientem.* Sed quid hæc tria loca ſibi velint, ſupra a nobis explicatum eſt. Ego ſicut *ſecundum verſum*, ſic etiam *tertium* puto ad Eliphazem quoque pertinere. Nam ab vtroque exiſtimare potuit Baldad, ſe & ſocium Sophar reputatos eſſe ſicut iumenta, quia ſilere coguntur, interim dum illi longam pro ſua libidine diſputationem inſtituunt: neque digni exiſtimantur, quibus committatur quæſtionis diſceptandæ negotium. id Septuaginta intellexiſſe videntur, dum reddunt: *Cur tamquam quadrupedia tacuimus coram te?* Neque nouum eſt in omni, vt reor, idiomate, vt qui ſtolido ſunt ingenio, appellentur aſini. Aut certe iniuriam ſibi fieri interpretatur, cum illa ſe præſente dicantur, quibus nihil ipſe pinguius arbitratur, nihil ab inſtituto magis alienum. Viri autem prudentes & docti iniuriæ loco ponunt, ſi quiſpiam coram ipſis nugetur, & aliqua perſuadere ſtudeat, quibus fidem habebit nemo,

nemo, nisi qui bardum habet aut stolidum cerebrum, & asinino simile.

4. Vers. 4. *Qui perdis animam tuam in furore tuo.*] Hæc iam ad vnum Iobum spectant, quem hortatur Baldad, vt succensere Deo desistat, & de illo queri, quasi contra ius & æquum tot immiserit plagas. Neque enim ex his querelis, quæ plenæ sunt impietatis, consequatur aliud, nisi vt animam perdat; quia Deus scelerum æquissimus vindex maioribus illum affliget incommodis, facietque, vt aliqui de vita detrahantur anni, quos impleret omnino, si non addidisset peccata noua, quorum cumulus de dierum cumulo aliquid deduceret. Quomodo peccator vitæ spatium male viuendi coarctet & abbreuiet, dixit Eliphaz *cap. XV, 32. Antequam dies eius impleantur, peribit:* vbi nos de hac re pluribus. Hoc puto sibi volunt hæc verba Baldad, quæ sumpsit ab Eliphaze, cui, vt diximus, in huius capitis exordio vehementer irascitur.

Peccata vitæ tempus abbreuiant.

pag. 245. b

5. *Numquid propter te derelinquetur terra; & transferentur rupes de loco suo?*] Multa hic video a Patribus & Interpretibus adduci, quæ recensere longum esset, a quorum cogitationibus abstineo, & illam adduco, quæ mihi videtur aut expedita magis, aut impedita minus. Putabant hi amici Iobi, illud esse Dei certum stabileque consilium, vt peccatores in hoc mortali statu plecterentur, & iusti abundarent omnibus ad vitam dignitatemque necessariis. Quod significarat supra Eliphaz, *cap. IV, 7. Recordare, obsecro te, quis vnquam innocens periit, aut recti deleti sunt?* Idem docuerat hic ipse Baldad *cap. IIX, 20. Deus non proiiciet simplicem, nec porriget manum malignis.* Hoc Dei consilium tam ratum & firmum esse putat Baldad, quod item duo illius socii arbitrantur, quam ratum est futuram esse terram immobilem, neque defecturam vnquam, aut rupes de suo loco in alium esse transferendas. De quibus est illud *Eccles. I, 4. Generatio præterit, & generatio aduenit: terra autem in æternum stat.* Quod an ita futurum sit, vt cogitat Baldad, non disputo. illud dico ita Baldad esse persuasum, neque in terra neque in rupibus eam futuram esse mutationem, vt moueantur montes, & terra relinquatur. Atque ideo cum hac immobilitate atque constantia comparatam esse illius decreti firmitatem, quo statutum est, vt iustus in hoc mortali statu nihil patiatur aduersi, & impius iniquitatem suam non ferat impunitam. Quod credo acceperunt a dæmone, qui ea persuasione putabat Iobi constantiam oppugnatum iri vehementer; & ita retinuerunt obstinato, vt ab eo errore tam longa disputatione deduci non potuerint. Est ergo hic sensus: Tam difficile est, o Iobe, vt ab his doloribus ac sordibus, & a morte, quæ iam iam imminet, emergas, nisi sese his opponat incommodis vitæ mutatio, quam difficile est terram vanescere, aut montes e suis sedibus alio migrare. Qui loquendi modus hyperbolicus vsitatus est in omni lingua, quæ argumentum passim sumit ab impossibili: sic vulgo, aut his similia passim vsurpat, *qui talia quærit, in cœlo quærit pisces, in mari stellas, in Italia Tanaim, in Scythia Tyberim: vt occasus euocet, ortus abscondat diem,* & similia. Scio alias esse expositiones, quæ licet acutæ, non tamen omnino videntur expeditæ.

Terræ quantæ firmitas.

Terræ firmitas prouerbialis.

Vers. 5. *Nonne lux impii extinguetur, nec splendebit flamma ignis eius?*] Quæ ad finem vsque capitis restant, obscura non sunt; tantum enim commemorantur a Baldad illa mala, quæ persequuntur impios. Neque ex illa commemoratione quicquam efficit contra Iobum, cum non probet esse ex illorum numero, quos Deus tam diris vrget & vexat infortuniis. In *luce* bonam subintelligi fortunam, rerum abundantiam & iucunditatem: & in *tenebris* angustam & sordidam, mœrorem & solicitudinem, & quicquid execratur & horret natura mortalium, nemo nescit. Quare hac metaphora significat Baldad, si quid in domo fuit scelerati hominis, quod ornare potuit & illustrare familiam (illud enim est, *lucem extingui.*) Quod si nouam conetur lucem accendere, & omnia comparet, quæ ignem concipiunt & excitant flammam, efficiet tamen nihil: ignis enim ille excitabit fumum, & ex materia tota in cineres redacta nullus emicabit splendor, id est, neque antiquam conseruabit lucem, neque nouam acquiret. Hoc idem dixit de impiis Iobus *cap XXI, 17. Quoties lucerna impiorum extinguetur.* & de se ipso *cap. XXIX, 3. Quando splendebat lucerna* 6.

pag. 246. a

Prouerbium Lucernam accendi seu splendere pro felici fortuna.

na eius super caput meum, & ad lumen eius ambulabam in tenebris. Huius autem vocis tam frequens vsus ostendit, fuisse prouerbialem apud Idumæos hunc loquendi modum.

7. Vers. 6. *Lux obtenebrescit in tabernaculo illius, & lucerna, quæ super eum est, extinguetur.*] Explicatio est *præcedentis versus*, atque ideo nihil est quod addamus. Tantum dico, audiri hic *tabernaculi* nomen, quia apud Idumæos, quorum erat res pecuaria quæstuosa & ampla, multus erat, & illi curæ opportunus valde tabernaculorum vsus. Illud vero *super eum*, idem est atque *iuxta eum.* *Super* enim pro *iuxta*, vsurpari, satis est in Scriptura frequens, & nos exempla aliqua attulimus *in nostris Commentariis super Zachar. cap. IV, 2.* ad illud: *Septem lucernæ eius super illud.* Sane cum Filii Israel sedisse dicuntur *super flumina Babylonis, Psalm. CXXXVI, 1.* & *Num. XXVI, 3. super Iordanem contra Iericho.* non sedebant supra, sed iuxta aquas. neque *Exod. XVI, 3.* sedebant super ollas, sed iuxta ollas. Sic etiam lucerna, quæ iuxta impium erat, quæ viam demonstrabat, & dirigebat pedes, ne ad lapidem offenderet, extinguetur: quia videlicet aggredietur nihil, quod expeditum habeat & felicem exitum. Hoc porro magis in sequentibus explicat; vbi omnia sic impio dicuntur occurrere impedita, vt nequeant se pedes extricare ex variis salebris & dumetis, quæ sese singulis momentis obiiciunt. Atque ideo aut hærent pedes tricis implicati molestis, aut certe gressus titubanter & tarde moliuntur. Sunt etenim tenebræ quasi vincula quædam, quæ pedes constringunt. Neque enim, cum illæ incubuere, commouere se audet victor in ignota via, aut quiuis alius facere, quod ex vsu sibi futurum sit, aut si aliquid tentauerit, neque cum magno faciet opere pretio, neque sine periculo. Sane Ægyptii eo tempore, quo tenebræ suam prouinciam occuparunt, neque se loco commouerunt, neque minus fuerunt conclusi a tenebris, quam si pedes forent a compede constricti. De quibus *Sap. XVII, 2. Vinculis tenebrarum, & longæ noctis impediti, inclusi sub tectis.* & *v. 18. Vna enim catena tenebrarum omnes erant colligati.* Hæc omnia habemus multo magis explicata versibus, quæ proxime succedunt.

Super *idem quod* iuxta.

Vers. 7. *Arctabuntur gressus virtutis eius.*] Coarctantur gressus, cum angusta est aut implexa vepretis semita, aut interrupta salebris, ita vt non liceat incedere sine metu, aut ingredi velociter: vt autem infortunati est hominis per viam incedere implexam & angustam, in qua passim occurrat, quod timeas, aut quod te a cursu festinato retardet, sic in magna felicitate ponitur, si via sit expedita & lata, in qua vagari possis sine metu, & spatiari sine periculo. Qualem se inuenisse gaudebat Dauid, cum dicebat *Psalm. XVII, 37. Dilatasti gressus meos subtus me: & non sunt infirmata vestigia mea.* & *Psalm. XXX, 9. Statuisti in loco spatioso pedes meos.* Vtramque viam sub eadem metaphora habes *Prou. IV, 12. Ducam te per semitas æquitatis, quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui; & currens non habebis offendiculum.* Et statim *v. 18. Iustorum semita quasi lux splendens: via impiorum tenebrosa, nesciunt, vbi corruant.* 8.

Prouerbium via lata aut angusta *pro via ærumnosa aut læta.*

Virtutis eius.] *Gressus virtutis* sunt illi, qui incitati sunt, & quos nulla moratur difficultas, nulla debilitant aut frangunt locorum spatia: quales fuerunt eius, de quo dicitur *Psalm. XIIX, 6. Exultauit vt gigas ad currendam viam.* Hi autem gressus, qui vocari possent gigantæi, quique in statu fortunaque meliori expeditam habuerunt & decliuem viam, coarctabuntur, & in suo tardo atque difficili ingressu hærebunt passim, & offendent. 9.

Et præcipitabit eum consilium suum.] Perstat, opinor, in metaphora lucis, quæ, si absit, id efficit in animo, quod tenebræ in via, quæ hominem retardant, quominus illam ingrediantur, & si ingredi audeant, sæpe miserabili ruina præcipitant. Peccatoris consilium, cœci plane est, quia illud etiam planum est & certum, peccatorem esse cœcum. Quocirca non magis in suis rationibus consilium inueniet opportunum, quam cœcus viam, quæ ad requiem, aut ad securum & placidum hospitium deducat. Quare consilium, quod cœperit, dum animo caligat, neque a cœlesti illustratur lumine, præcipitabit illum & conteret, neque maiorem ab hoste, quam a seipso, dum suo se regit arbitratu, plagam accipiet. Hoc est enim 10.

Peccator quis.

enim opus peccatricis animæ, quæ a cœlesti lumine & protectione deseritur.

11. *Peccator inter laqueos constrictis pedibus ambulat.* Vers. 8. *Immisit enim in rete pedes suos: & in manibus eius ambulat.*] Arctantur gressus, quia in arcta mouentur & implexa via, adde & in caliginosa, in qua, quia omnia timet, mouere se non audet peccator, aut certe gressus explicare libere, sed incessu graditur lento ac timido, &, vt aiunt, testudineo, id est, sensim ac pedetentim. Nunc aliud addit impedimentum, quod peccatorem in incessu moratur. Sumitur autem a venatione metaphora, & a præda, quam auceps, aut venator, captat, quæ si se in laqueos induere contingat, inde se extricare non potest, & quo eluctatur magis, vt inde se eximat, arctius constringitur. Et vt se huc & illuc assidue verset, & ambulare incipiat, non tamen assequetur, vt extra maculas ambulet incessu libero. Hemistichium secundum explicatio est prioris. *Macula quid.* Sunt autem maculæ illæ plagulæ, seu foramina, quæ rete siue piscatorium, siue venatorium distinguunt; in quod si se minores prædæ seu auiculæ induant, ita se ab vna exoluunt macula, vt in aliam incurrant.
pag. 247. a Porro maculæ sunt foramina, siue in retibus, aut plagis, quæ e lino aut funibus contexuntur, siue e ferro, quales sunt, quæ ex ære ductili in fila torquentur, & reticulato opere implicantur. quo etiam nomine dicuntur ferrei annuli, quibus hamatæ contexuntur loricæ, quæ ab Hispanis appellantur *mallas.* In reticulis, quæ ad muliebres molliores delicias inferciuntur rosis, maculas agnoscit Cicero *Act. 7. in Verrem: Reticulum ad nares sibi admouebat tenuissimo lino minutis maculis plenum rosa.* M. Varro *lib 3. de re rustica cap. 11.* maculas in reti posuit: *Septum*, inquit, *totum rete grandibus maculis integitur, ne eo inuolare aquila possit, neue ex ea euolare anas.*

12. *Sitis pro magno studio atque ardore.* Vers. 9. *Tenebitur planta illius laqueo: & exardescet contra eum sitis.*] Prior pars superiorem sententiam confirmat & explicat: posterior aperte docet, a venatione sumptam esse metaphoram; exardescit enim contra feram, quæ tenetur in laqueo, venatorum furor, maxime si vlcisci volunt illatum a fera damnum. Quale aper intulit Calydonius: aut lupus, qui lacerauit pecus, cum in laqueos incidit a pastoribus intentos. Sumitur hoc loco *sitis* pro sitibundis, id est, pro his, qui sanguinem sitiunt, qui eo auidius illaqueatam consauciant feram, quo maius in illam odium imbiberunt. Sane abstractum pro concreto sumi nimis vulgare est tam apud profanos, quam apud sacros scriptores; & alii omnes Interpretes a Vulgato concretum reddiderunt, nempe *sitientes grassatores, prædones.* In quibus videntur significari Chaldæi & Sabæi, & si qui fuerunt alii, qui in Iobi facultates & bonum nomen irruperunt: nam quæ hic de impiorum supplicio dicuntur a Baldad, ad Iobum præsertim intorquentur, in quem hi tres amici, quasi in irretitam Orygem aut leonem bacchantur, ea inflammati siti seu potius rabie, vt non aliter sedari posse videatur, nisi Iobi sanguine ad satietatem hausto.

Vers. 10. *Abscondita est in terra pedica eius, & decipula illius super semitam.*] Sententia eadem iterata; vbi alia causa redditur coarctationum gressuum. 13. Quia via non solum erit senticosa & intercisa salebris, sed etiam a pedicis & decipulis obsessa, quæ quia absconditæ sunt, aut vbique latere existimantur, vbique timentur insidiæ. Obiecta igitur periculi formidine tardius incedit, quia putat, si sibi ab occulto periculo non cauet, effugere se non posse seruitutem, aut mortem. Est autem in Scriptura huiusmodi laquei frequens mentio & quasi prouerbialis. *Psalm. CXXXIX, 6. Cogitarunt supplantare gressus meos, absconderunt superbi laqueum mihi: & funes extenderunt in laqueum, iuxta iter scandalum posuerunt mihi.*

Vers. 11. *Vndique terrebunt eum formidines, & inuoluent eum pedes eius.*] Supra ex *Sap. XVII, 10.* dictum est, habere peccatorem semper quod timeat: & vbi nihil impendeat, quod malum intentet, non tamen abesse horribiles species, quas interdum ipse fingit & aduocat peccator, quæ non minus cruciant, quam si vera forent, proximaque pericula. Terretur itaque pecator, cum putat, quauis in semita latere tendiculas, & hæc anxia & continua formido non sinit illum animo esse sedato, aut partem habere aliquam solidi gaudii. Et tamen licet a qualibet sibi semita aut loco caueat, tamen illaqueatis pedibus sic inuoluetur, vt nusquam moueat felicem gradum; & in 14. *Peccator nunquam sine metu.* pag. 247. b

in quocumque negotio promoueat nihil. Quomodo impius numquam sit, aut certe esse non debeat a metu vacuus, diximus supra *cap. XV, 21.* ad illud, *Sonitus terroris semper in auribus illius.* Quomodo illum vbique affectentur mala, ostendimus *in nostris Commentariis in Amos cap. V, 19.* ad illud: *Dies Domini ista, tenebræ & non lux: Quomodo si fugiat vir a facie leonis, & occurrat ei vrsus: & ingrediatur domum, & innitatur manu sua super parietem, & mordeat eum coluber.*

15. *Impiorum abundantiæ paupertas succedet & fames.* Vers. 12. *Attenuetur fame robur eius, & inedia inuadat costas illius.*] Hucusque Baldad de impedita via & coarctato gressu peccatoris: nunc alia commemorat infortunia, quibus Deus impietatem & tyrannidem punit. Hic imperatiuus pro futuro ponitur, quod in Scriptura obuium, vt diximus ad illud *Oseæ XIV, 1. Pereat Samaria.* Quod Hieronymus docuit ad illud *Psam. XI, 4. Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa.* Et Augustinus ad illud *Psalmi LXXIIX, 6. Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt.* & Gregorius *hic.* Ait igitur illud deberi homini tyranno, aut impio, qui in deliciis vixit, & abdomini suo alienas opes seruire fecit, vt robur illud, quo alios oppressit, attenuetur, & languescat fame; & costæ, quæ carne teguntur & aruina pingui, a carnibus nudatæ rigeant & horreant. Hæc allegorice sumi possunt optime pro potentia & opibus vtcumque quæsitis, quas sic consumet iusta Dei vindicta, vt illi deinceps quidlibet occurrat & insultet impune.

16. Sed quia hæc Iobus patiebatur in corpore, & sic erat attenuatus fame, aut quia derelictus a suis cibum paratum non habuit, aut quia exulcerato ore, & faucibus interclusis & sauciis saliuam suam glutire non poterat, vt vix hæreat ossibus, & consumptis carnibus os adhæreret pelli: credo hæc proprie accipienda de corpore iam exhausto, licet hæc non tantum a fame inediaque prouenerint, sed a sanie etiam & tabe, in quam vlcerosum corpus diffluebat.

17. *Fames & macies magna.* Dicitur porro, costas inuasura fames & inedia, sed cur in hac macie costarum præcipue meminerit, obscurum. Mihi duæ sese offerunt causæ: altera est, vt significetur, qualis futura sit fames illa, quæ impiorum atque tyrannorum abundantiæ succedet: talis videlicet, vt mortem inducat, quales multæ in Scriptura sacra numerantur, quæ confecerunt viros abundantes & lautos, & eo adegerunt, vt parentes filiorum, & filii parentum carnibus pascerentur, vt habet Ezech. *cap. V, 10. Ideo patres comedent filios in medio tui, & filii comedent patres suos.* Et præ fame interiisse alios, docet ibidem Ezech. *vers. 12. Tertia pars tui peste morietur, & fame consumetur in medio tui.* Quod accidisse paruulis, deplorat sæpe Ierem. maxime *Thren. II, 11. & 19.* Hæc itaque pag. 248.a
mors significare videtur in costis, ea, opinor, de causa, quia qui alterius meditabatur mortem, maxime ex insidiis, ille latus petebat, quod idem est ac si costas peteret. Sic sane periere illi, de quibus *2. Reg. II, 16.* & Abner *lib.* item *2. cap. III, 27.* & Amasa *ibidem cap. XX, 10.* dicuntur a Ioab percussi ad quintam costam, vt textus habet Hebraicus. Quare *inuadere costas* nihil videtur aliud, quam mortem alteri seu inferre, seu moliri. Quomodo dicimus, petere iugulum alicuius, quod ad varios etiam vsus traducitur. Inuadit itaque costas fames, quia ita sæuit, vt tandem extinguat.

Altera explicatio est, quia licet totum corpus fames attenuet atque consumat, tamen 18.
in costis & spina magis se prodit macies, quia partes illæ osseæ extant e corpore, & consumptas esse carnes manifestius ostendunt, atque ideo quidam, dum macilentum hominem describunt, costarum meminerunt. Sic Persius *Satyra 6.*

Mihi trama figuræ
Sit reliqua? Ast illi tremat omento popa venter.

Et clarius Ouidius *lib. 8. Met.*

Dura cutis, per quam spectari viscera possent,
Ossa sub incuruis extabant arida lumbis.
Ventris erat pro ventre locus: pendere putares
Pectus, & a spina tantummodo crate teneri.

Hæc fortasse species erat Iobi, quo tempore talia audiebat ab amicis, cum variis de causis macrum esset corpus & exhaustum, neque cibus opportunus reficeret, quod morbus & fames adimebant.

19. Vers. 13. *Deuoret pulcritudinem cutis eius, consumat illius brachia primogenita mors.*] De fame, eiusque potestate atque effectu proxime, nunc de illa morte, quæ vocatur primogenita, cuius ea vis est, vt cutem deformet macie, & colorem inducat pallidum, & consumat brachia, id est, adimat vires, quarum administri sunt lacerti. Quod credo in Iobo tunc intuebatur Baldad. Certe *brachia* sumi pro *robore*, res est adeo in Scriptura frequens ac certa, vt ignoret nemo. Aut certe in *brachiis* intelliguntur filii, sicut supra pluribus ostendimus *cap. XV, 32.* ad illud: *Et manus eius arescent.* Oppressos autem fuisse ruente domo Iobi filios, iam ante *cap. I.* didicimus. Quid sit primogenita mors, obscurum est, & in hac explicanda varii sunt Interpretes. S. Thomas illam putat dici *primogenitam*, quæ naturalis ætatis præuenit finem. Ego immaturam interpretor, quæ ante suum tempus hominem arripuit; qualem subiturus esset Iobus, si hoc tempore sublatus esset e viuis, & subierunt filii obtriti a ruina domus, quo videtur spectasse Baldad, dum talem mortem brachiis, id est, filiis minatur. Caietanus in *primogenita morte*, mortis intelligit primogenitum, & hunc putat esse contracti animi mœrorem, quem mors præmittit, & qui morti præparat hospitium, quam tandem exiccatis ossibus introducit. *Spiritus enim tristis exiccat ossa. Prouerb. XVII, 22.* Alii *primogenitam mortem* appellant illam, quæ maxime est horribilis. Primogenitus enim fratrum plerumque fortissimus, imo robur appellatur fratris. Sic sane Iacob filium suum Ruben, quem omnium suscepit primum a Lia, nominauit *Genes. XLIX, 3. Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea.* Cum ergo mors filia sit peccati, quia per peccatum mors intrauit in mundum, *Rom. V, 12.* illa dicetur primogenita, quæ maxime dura fuerit atque horribilis. Omnes hæ explicationes satis ad textum & mores opportunæ sunt: neque satis mihi statutum est, quamnam illarum maxime probem: nullam certe illarum improbare audeo. Illud tantum addo

20. sententiæ Caietani, non solum mœrorem vocari primogenitam mortem, sed etiam morbum, qui mortem antecedit, & illam inducit. Et hoc potius, vt cum Hebræis sentit Eugubinus, & Vatablus, & in manuscriptis Legionensis. Et quidem morbus grauissimus, a quo mors abest proxime, ex vsu Scripturæ mors appellatur; quod enim parum differt a forma perfecta, illius sibi nomen vendicare solet. Sic vicisse dicitur ille, cum tamen adhuc hostis expugnet, si res in eo sit statu, vt effugere non possit inimicus; & actum esse dicimus de nobis, cum declinare non possumus infortunium: & in hac ipsa materia exempla sunt obuia; passim enim dicimus nos periisse, cum prope est, vt pereamus. Et Christus Dominus de se ipso dixit, *consummatum est, Ioan. XIX, 30.* cum tamen adhuc esset viuus. Sic ergo morbus lethalis, quique vehementer vrget, vocatur mors, & quia morbus a peccato prouenit, & quia dispositio est ad mortem, quam peccatum in orbem terrarum introduxit, primogenitus filius peccati dicitur, quia ortu suo naturalem corporis mortem antegreditur: sicut calor, qui ab igne nascitur, & ignem alium a priori igne generatum introducit, comparatione ignis primogenitus est. Hæc, vt dixi, mihi probabilia sunt: inclinat tamen assensio magis in opinionem Sancti Thomæ, quam sequitur Dionysius, & Lyra, quæ in primogenita morte mortem agnoscit immaturam. Et quidem morbus est, qui cutis pulcritudinem deuorat, & brachia, id est, robur adimit, qualia tunc patiebatur Iobus, quem his argumentis Baldad peccatorem esse contendit.

Vers. 14. *Auellatur de tabernaculo suo fiducia eius: & calcet super eum quasi Rex interitus.*] *Tabernaculum* apud Idumæos pro domo sumitur, quia illi, cum rei pecuariæ ac rusticæ magna ex parte dent operam, in tabernaculis habitant, sicut Arabes, quæ facili negotio ex vno loco transferuntur in alium. *Fiducia* porro dicitur, quidquid tueri potest & ornare tabernaculum, vt est valetudo firma, familia numerosa & fida, diuitiæ & opes, quæ confirmant animum, & dies promittunt & faciunt fortunatos. Hæc omnia auellentur de tabernaculo; & quasi reuulsa malo, & disruptis funibus tota corruet tabernaculi moles. In *tabernaculo* porro per metonymiam peccator intelligitur, qui eiusmodi 21.

Brachia quid metaphorice.

pag.248.b

di inhabitat tabernaculum. Loco vero eorum, quæ spem & fiduciam aluerunt impii, pag.249.a succedet interitus, qui non aliter ingredietur tabernaculum, quam Rex, qui suo arbitratu cuncta mutat atque disponit, & pro sua libidine conculcat, & dissipat fortasse illorum direptio, qui vitam sustentabant, & quibus impiorum nitebatur fiducia, quam consecutus est interitus & illa primogenita mors, quæ quasi maior natu posteriorem mortem aduocauit, quæ vocari vere potuit mors.

22. Non esse idem quod mori. Vers. 15. *Habitant in tabernaculo illius socii eius, qui non est.*] *Qui non sunt*, descriptio est illorum, qui excesserunt e viuis. Qui dicendi modus in sacris literis infrequens non est. *Ierem. XXXI, 15. Vox in excelso audita est, &c. Et noluit consolari, quia non sunt.* id est, quia interierunt. *Psalm. XXXVI, 36. Transiui, & ecce non erat*, id est, perierat. *Dan. IX, 26. Occidetur Christus, & non erit eius populus, qui eum negaturus est.* id est, peribit eius populus. Sic etiam hoc loco, *qui non est*, hominem sonat vita functum. De significatione valde inter se dissentiunt Interpretes. Quidam socios eius, qui non est, id est, Iobi, cum inter viuos esse desierit, illos esse putant, qui vicini sunt Iobo, aut qui cum illo, cum res esset integra, vixerunt familiariter, & nunc in angusta fortuna non solum deseruerunt infideliter, sed etiam insultarunt inuerecunde, & procacibus exagitarunt conuitiis. Hi ergo in hæreditatem Iobi iam caducam irrumpent, quia bonorum eius legitimos hæredes oppressit ruina; Quod maximo dolori esse hominibus solet, qui ægre ferunt, inimicos suos, quibus omnia potius precantur aduersa, in suorum bonorum possessionem venire.

23. Esse *aut* esse aliquid, *magnum aliquid importat.* Alii eo loquendi genere significari arbitrantur illos, quorum est vilissima conditio, qui dicuntur esse nihili, id est, non esse; quia qui in eo sunt loco atque ordine, vt nullo habeantur in pretio, vel potius qui nullo sint ordine & loco, perinde censentur vulgi opinione, atque si non essent. Sane *esse*, aut *esse aliquid*, magnum aliquod importat nomen: vnde etiam fit, *non esse* aliquid importare sordidum & vile, quodque sit prorsus indignum nominari. Sane Paulus vtrumque docuit, *1. Corinth. I, 28.* & quæ magna sunt & splendida, dici *esse*; & illa *non esse*, quæ sordida sunt & vilia. *Ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, destrueret.* Quod vero *esse aliquid*, splendidum aliquid importet, multa docent. Iuuenalis *Satyra 1.*

Aude aliquid breuibus Gyaris, & carcere dignum,
Si vis esse aliquid.

Id est, illustris, & magnæ apud omnes æstimationis & nominis. Persius *Satyra item 1.*

Sese aliquem credens, Italo quod honore supinus
Fregerit heminas.

Quod si nobilis, & præclari nominis homo aliquid, aut aliquis esse dicitur, consequens est, vt vilis homo & sordidus, nullus dicatur, aut nihil. Iuxta hanc igitur explicationem, significare voluit Baldad, domum lautam & regiam, qualis erat Iobi, ab hominibus vilissimis fore habitandam, quod viri nobiles mortis instar habere putant. Ille porro dicendi modus: *socius eius, qui non est*, pro eo, *qui non est*, aut qui vilis est, vsitatus est in Scriptura, quomodo socius latronum, latro est.

His explicationibus, quas non improbo, pag.249.b
24. *Mortis socii qui.* sed potius amplector & laudo, addo aliam, quam ita probo, vt tamen non pertinaciter defendam, aut aliis præferendam putem. Interitus proxime calcaturus esse dicitur, & pessundaturus impiorum tabernaculum. Nunc vero dicit habitaturos esse in illorum tabernaculo socios eius, qui non est, id est, interitus, de quo proxime, qui socios, quos quasi præcursores & parochos præmisit, sequitur, vt tabernaculum conculcet & perdat. Socii autem interitus sunt fames, dolor, morbus, & luctus, putredo, vermes, & tabes, quæ mortem vel antecedunt, vel sequuntur, quæ domum, quam habitarunt scelerati & impii, sic implebunt, vt antiquæ felicitatis & gloriæ nulla relinquant vel obscura vestigia. Tales mortis socii videntur illi, quos moriente Troia adduxit Maro *lib. 2. Æneid.*

Crudelis vbique
Luctus, vbique clamor, & plurima mortis imago.

25. *Aspergatur in tabernaculo eius sulphur.*] Aliud impiorum tabernaculo infortunium impendet, quod intorqueri potuit a Deo scele-

 rum

rum vltore, vel ab hominibus, qui locum illum quasi impurum aliquid & obscœnum execrantur. Adeo quidem, si fulmine tangat, & euertat non tam domum quam turpe lustrum, & libidinum ac vitiorum omnium commune diuerticulum: quod facere solet, cum pœnas sumit de his personis, siue locis, quæ libidini aut dæmoni stultorum hominum superstitio sacrauit. Ignem autem, quem secum circumagit fulmen, aut potius fulmen ipsum, quod ignis est tortilis, sulphureus est. Certe sulphureos afflat odores, vt dixit Plinius *lib. 35. cap. 15. Fulmina*, inquit, *& fulgura sulphuris odorem habent, ac lux ipsa eorum sulphurea est.* Lucretius *lib. 6.*

Fulmina sulphureum aliquid olent.

Quod superest, quali natura prædita constent
Fulmina, declarant ictus, & inusta vapore
Signa, notæq; graues halantes sulphuris auras.

Et Silius Italicus *lib. 10.*

----Proauis ab origine cognita quercus,
Ceu fumat percussa Ioui, sacrosque per æuum
Æthereo ramos populantur sulphure flammæ.

Quod ipsa Scriptura sacra non semel ostendit, dum sulphura cum igne coniungit, & vtrumque affirmat e cœlo demitti. *Psalm. X, 6. Ignis & sulphur spiritus procellarum. Ezech. XXXIIX, 22.* de Gog & Magog: *Ignem & sulphur pluam super eum, & super exercitum eius.*

26. Alii dicunt, allusum esse ad incendium Sodomæ; quod Baldad ignorare non potuit, cum non procul habitaret a mari mortuo, & quotidie grauem experiretur anhelitum sulphureum, quem locus pestilens aspirat. Et hoc mihi videtur magis verisimile: nam ille locus, antequam Deus ignem & sulphur e cœlo demitteret, erat adeo speciosus, vt *Gen. XIII, 10.* paradiso Domini dicatur esse similis. At post dirum illud incendium sic fuit deformatus, vt nihil videatur esse potuisse miserius, nihil magis execrabile ac turpe, qui in priori statu adumbrabat optime regiam fortunam; & domum abundantem & lautam, qualem habuit Iobus, antequam tactus esset de cœlo. De illius vbertate ac specie mirifica satis habemus argumenti ex loco proximo ex *Genesi:* *Eleuatis Loth oculis vidit omnem circa regionem Iordanis, quæ vniuersa rigabatur, antequam subuerteret Dominus Sodomam & Gomorrham, sicut paradisus Domini.* Huius porro amœnitatis, argumento sunt ciuitates duæ proximæ Engaddi & Ierícho, vbi sunt palmeta, & rosarum plantaria, & vineæ seu horti, ex quibus magna vis exudat pretiosi balsami. At post ignem & sulphur, quæ Dominus e cœlo iaculatus est; sic tota horruit, vt nihil spectes, vel ad aspectum tristius, vel ad vsus opportunum minus. Lege Iosephum *lib. 2. de bello cap. 5.* Quod etiam scriptores docuerunt externi. Cornelius Tacitus *lib. 21.* non longe a principio: *Haud procul* (a lacu seu mari mortuo) *inde campi, quos ferunt olim vberes, magnisque vrbibus habitatas fulminum iactu arsisse, & manere vestigia, terramque specie torridam, vim frugiferam perdidisse. Nam cuncta sponte edita, aut manu sata, siue herba tenus, aut flore, seu solitam in speciem adoleuere, atra, & inania velut in cinerem vanescunt.* Deinde addit, halitu lacus infici terram, & superfusum spiritum corrumpi. Eadem prope Strabo *lib. 16.* Solinus *cap. 38. Longo a Hierosolymis recessu tristis sinus, quem de cœlo tactum testatur humus nigra, & in cinerem soluta. Duo ibi oppida, Sodomum nominatum alterum, alterum Gomorrhum: apud quæ pomum gignitur, quod habet speciem licet maturitatis, mandi tamen non potest. Nam fuliginem intrinsecus fauillaceam ambitio tantum extimæ cutis cohibet, quæ leui tactu pressa fumum exhalat, & fatiscit in vagum puluerem.*

Sodoma qualis post incendium.

pag. 250. a

Ex his satis, meo iudicio, fit verisimile, allusum esse ad supplicium Sodomæ per ignem & sulphur. In quo video vtrumque Iobi tempus, & fortunam proponi. Nam fortunam priorem splendidam & regiam satis adumbrat Sodomæ & aliarum ciuitatum species prior: posteriorem vero perquam apte exprimit earumdem status & ruina posterior. Sulphur enim, quod pro toto supplicio atque incendio ponitur, grauem inprimis indicat anhelitum, quem emittit corpus vlcerosum & tabidum, & quem ipsius Iobi vxor sustinere non poterat. Neque sterquilinium, in quo iacebat Iobus, & domus tota, si in domo fuit, & non potius sub aperto cœlo, minus erat olidum, quam si in eo sulphurea materia cremaretur. Deinde si eodem modo sparso sulphure terra sterilis, quemadmodum si sale foret asper- 27.

aspersa, optime significatur extincta progenies, cum vno die atque impetu oppressi essent omnes Iobi filii, & spes sublata propagandæ sobolis.

28. Vers. 16. *Deorsum radices eius siccentur, sursum autem atteratur messis eius.*] Explicatur magis quod proxime de sulphure dicebamus, a quo terra redditur infœcunda; cum enim radices dicuntur exsiccandæ, spes omnis propaginis aufertur, & nouorum germinum. Quæ metaphora sæpe occurrit in hoc libro, vbi *rami* dicuntur filii, & *stirps* seu *radix* pater, aut generis auctor, a quo progenies tota diffunditur, porro in *messe*, quæ sursum dicitur atterenda, progenies intelligitur, quæ ex stirpe succrescit. *Sursum* autem dicuntur, quæ ex radice germinant, & extant e terra, vt rami, frondes, fructus, quæque arborem conuestiunt & onerant. Quod autem quicumque fructus, seu prouentus, quales sunt frondes, flores, rami, & poma, seu baccæ dicantur *messes*; res est certa. Collectio myrrhæ, quæ vnguentum est, & ex arboris gutta concrescit, & aliorum aromatum messis, aut quod idem est, messio vocatur. *Cantic. V, 1. Messui myrrham meam cum aromatibus meis.* Virgilius *lib. 4. Georg.* cum ageret de mellificio, hanc vocem adhibuit, pro ea, quam Columella *lib. 9. cap. 15.* castrationem vocauit:

pag. 250. b

Messis pro quacumque fructuum collectione.

Bis grauidos cogunt fœtus, duo tempora messis.

Quam etiam pro vindemia vsurpauit *Georg. 2.*

Sarmenta, & vallos primus sub tecta referto, Postremus metito.

De floribus idem *libro 4. Georg.* vbi sic de apibus:

Illæ continuo syluas, saltusque peragrant,
Purpureosque metunt flores.

Hoc itaque figurato dicendi genere significat Baldad, extinguendam omnino Iobi familiam, cum extincto Iobo, cui iam proxime videbatur imminere mors, & sepultis omnibus ad vnum filiis, nulla spes videretur reliqua propagandæ sobolis. pater enim in siccata stirpe, filii in arboris messe, id est, in illis, quæ funduntur ex stirpe, intelliguntur.

29. Vers. 17. *Memoria illius pereat de terra: & non celebretur nomen eius in plateis.*] Eodem spectant hæc, quo superiora: extincta enim funditus sobole perire solet parentum nomen atque memoria, quem sera posteritas tuetur & conseruat. filiis enim viuis, viuere etiam existimatur pater, iuxta illud *Ecclesiastic. XXX, 4. Mortuus est pater, & quasi non est mortuus: similem enim reliquit sibi post se.* Et in simili metaphora de radice & stirpe laudatur pater, & in benedictionis parte ponitur, quod illius ossa pullulent: id est, nascantur filii, qui parentum exprimant mores, & sustentent memoriam recentem & gratam, quæque alioqui fortasse esset peritura. *Ecclesiastic. XLVI, 14. Vt sit memoria eorum in benedictione, & ossa eorum pullulent de loco suo: & nomen eorum permaneat in æternum.* Et vero quod monumenta faciunt ex ære & marmore, hoc faciunt posteri, qui paterni nominis spirantia sunt & propria monumenta. Quare cum Absalon non suscepisset filios, qui poterant nominis esse conseruatores & hæredes, monumentum reliquit e saxo, quod filiorum sustineret partes, *2. Reg. XIIX, 18. Porro Absalon erexerat sibi, cum adhuc viueret titulum, qui est in valle Regis: dixerat enim, non habeo filium, & hoc erit monimentum nominis mei, vocauitque titulum nomine suo.*

Filii paterni nominis monumentum.

Vtrumque monumentum habuerat Iobus, 30.
susceperat enim nobilem & numerosam sobolem, quod tunc deturbatum est & deiectum, cum corruente domo oppresi sunt filii. Aliud etiam excitarat monumentum, domum videlicet illam, in qua postremum filii obiere conuiuium, quæ iam, cum hæc diceret Baldad, erat a fundamentis euersa. Neque alia, quam tunc proxime reliquerat, cum in sterquilinium recessit, longe aberat, vt omnino periret: iam enim illam aut occuparant alieni, aut occupaturi videbantur, quod tanti viri nomini obliuionem induceret. Neque præterea insanæ illæ moles, quas tyranni & superbi homines æternitatis gratia moliuntur, superborum nomen omnino ab obliuione vendicant: quia aut consumit vetustas, aut hominum vis & iniuria: aut Deus ita de hac superborum statuit insania, vt integra mole cadat omnino, & obscuretur nomen illius, qui in saxo & ære sui nominis æternitatem incidere voluit. Notum est illud Plinii *lib. 36. cap. 12.* de tribus Ægyptiorum Pyramidibus,

pag. 251. a

Superborum perit memoria.

quæ immenso pretio & multis annis constructæ sunt, vt auctorum nomen in omnem æternitatem sustentarent: cum autem scriptores plurimi de tribus illis molibus insanis multa prodiderint, *inter omnes illos*, inquit Plinius, *non constat, a quibus factæ sint, iustissimo casu obliteratis tantæ vanitatis auctoribus*.

31. *Et non celebretur nomen eius in plateis.*] In plateis, aut in publicis atque frequentibus hominum conciliis, illorum vsurpari solet cum dignitate nomen, qui aut constituere rempublicam datis legibus, aut ornarunt ædificiis, aut de illa quocumque modo meriti sunt. Qualis sine dubio fuit Iobus, cuius nomen in plateis audiebatur cum voluptate, & publico celebrabatur præconio, cum tempora fuerunt minus turbida, & illius apud omnes existimatio integra. Quod ipse docuit Iobus *cap. XXI. a versu 7*. In plateis porro concilia celebrantur & nundinæ, ad quas multorum populorum conuentus fiunt; in quibus reprehenduntur, vel laudantur, quæ turpiter, aut honeste, & cum dignitate fiunt. Talia Baldad de impiis atque tyrannis pronunciat, quia talia Iobo contigisse videt, in quem tota istæc confertur disputatio.

32. Vers. 18. *Expellet eum de luce in tenebras, & de orbe transferet eum.*] Eadem iteratur amplificaturque sententia. In luce fuit Iobus, & in omnium oculis gloriosus: sed inde traductus est in tenebras; in statum nimirum, qui non longe existimatur abesse ab extremo spiritu: dum talia iactantur de tyranno atque impio, illis Iobus, qui tyrannus putabatur & impius, malitiose compungitur. *Transferri de orbe*, idem est, quod amandari aliquem de hominum conuictu atque consortio, vbi nemo illum alloquatur & videat: quasi monstrum aliquod horribile, quod omnes execrantur & fugitant. Quomodo illum, qui publicam pestem & commune dedecus esse ducimus, amandandum esse dicimus, & deportandum in vltimos terræ fines, aut ad mortuos, aut etiam infra mortuos ablegandum. Aut etiam *transferri hominem de terra*, idem est, quod mori, qui enim vita functi sunt, illi de viuis atque de terra sublati dicuntur, atque in aliam regionem orbemque translati.

33. Vers. 19. *Non erit semen eius, neque progenies in populo suo: neque vllæ reliquiæ in regionibus eius.*] Nihil hic addit noui Baldad, sed iterat, quod dixerat ante de eradicanda funditus progenie. neque hic apparet, quod interpretis operam desideret.

Vers. 20. *In die eius stupebunt nouissimi: & primos eius inuadet horror.*] Ea erit fortunæ 34.
conuersio, vt nemo sit, siue in primis dignitate aut tempore, siue in postremis numeretur, qui non miretur tam subitam & tantam pag. 251. b
mutationem fieri potuisse. Sane res est, quæ maxime commouere homines solet, spectare iacentem illum in sordibus, quem paulo ante erectum videras & florentem. Sic de Ierusalem cecinit Ieremias *cap. XIX, 8*. *Et ponam ciuitatem hanc in stuporem, & in sibilum: omnis, qui præterierit per eam, obstupescet.* Et quod hic prædixit, re ipsa completum esse lamentabatur *Thren. II, 15*. vbi de transeuntibus ait: *Mouerunt caput super filiam Ierusalem. Hæccine est vrbs dicentes perfecti decoris, gaudium vniuersæ terræ?* & *4. Reg. IX. in fine: Obstupentes, qui præteribant, dicebant, hæccine est illa Iezabel?* Illa autem admiratio & stupor ex incredibili ruina nascebatur ciuitatis amplissimæ longeque pulcherrimæ, cuius tantum reliquum fuit immane atque deforme bustum: & eius fœminæ, quæ paulo antea regium ostentarant splendorem & pulchritudinem eximiam, & tunc ex ea admiranda specie, relictæ sunt exiguæ obscœnæque reliquiæ, quibus pepercerunt regio cadauere saturati canes. Idem prope accidit Iobo, cuius domus eam aut viderat, aut timebat ruinam, quam subiit Hierosolyma, & corpus euentum non dissimilem illi, qui derelictus esset & contemptus ab omnibus, & quem horrerent etiam domestici atque cognati: quique in sterquilinio iacebat moriturus, nisi vt a canibus laceraretur, proinde atque asinus, qui humi putrescit.

Subita mutatio stuporem inducit.

Vers. 21. *Hæc sunt ergo tabernacula iniqui, & iste locus eius, qui ignorat Deum.*] Epiphone- 35.
ma est, & summa quædam complexio eorum, quæ toto hoc capite dicta sunt a Baldad, tum de tabernaculo tyranni atque impii, de quo plurima; tum de loco, id est, statu, ad quem tandem superbus deuoluetur atque impius. In tabernaculo porro, id est, Idumæorum domo

Domus *pro familia & genere.*

mo (nam Idumæis, qui rei pecuariæ vacant, frequens est tabernaculorum vsus) tota intelligitur familia, resque familiaris tam mobilis, quam soli. Sic sane Hispani illi esse dicunt domum vberem & amplam, cui familia est copiosa & facultates amplæ, quibus ornatur & splendescit domus. In Scriptura sacra millies occurrit *domus* pro familia, & cognatione. Sic domus dicitur Iacob & Dauid, pro his, qui ab illis propagati, vel qui illis cognatione coniuncti. Et de illis, qui ingressi sunt in Ægyptum, dicitur *Exod. I, 1. Hæc sunt nomina filiorum Israel, qui ingressi sunt in Ægyptum cum Iacob: singuli cum domibus suis introierunt.* In *domibus* videtur Moyses complexus pecorum greges & domesticum instructum: nam hæc omnia secum abduxisse dicuntur Iacob, & illius tota progenies. *Genes. XLVI, 1. Profectusque est Israel cum omnibus, quæ habebat.* Idem clarius *vers. 6.* Latinus item *domum* pro genere & familia frequenter vsurpat. Virg. *lib. 1. Æneid.*

Veniet lustris labentibus ætas,
Cum domus Assaraci Phthiam clarasque Mycenas
Seruitio premet.

36. Illud porro *qui ignorat Deum*, descriptio est hominis impii, qualem esse Iobum indicabat Baldad. *Ignorare* autem non est, nullam Dei habuisse notitiam, aut de illius voluntate ac lege nihil audiisse, sed de Dei voluntate ac lege non curasse, & ita viuere, ac si Deum non cognosceret, cuius legi viuendi genus attemperaret. In Scriptura enim sacra illa ignorari censentur, quæ cognita nullum nobis vsum attulerunt. Quomodo illa dicimus non audire, quibus non obedimus, illa nescire, quæ nostros mores atque consilia non moderantur. Illi denique Deum ignorant, de quibus Paulus *ad Titum I, 16. Qui confitentur se nosse Deum, factis negant.* Talis autem erat Pharao, qui, cum statuisset Deo non parere, dixit *Exod. V, 2. Nescio Dominum, & Israel non dimittam.* Tales denique sunt tyranni, qui sua potius abducuntur libidine, quam diuinis legibus obsequantur.

pag. 252. a *Quis dicatur ignorare Deum aut legem.*

pag. 252. b

ARGVMENTVM CAP. XIX.

QVeritur Iobus de amicorum inclementia & animo minus officioso, quam ingenuos deceret, a quibus illiberali & aculeata reprehensione conciditur; cum tamen solari potius, aut alio quouis modo dolorem leuare debuissent: suam deinde ærumnosam conditionem amplificat, docetque, quam grauia patiatur incommoda? Quemadmodum nemo ipsi neque e cognatis, neque e domesticis opem attulerit; imo neque respexerit, vsque adeo, vt grauem e sanioso corpore fœtorem auersata coniunx, ab ipsius conspectu procul abierit; cum tamen eorum, qui præsentes aderant, misericordiam imploraret, noua quadam illustratione cœlitus eruditus futuram corporum resurrectionem ad sui redemptoris exemplar agnouit; Qua maximopere recreatus & confirmatus est. Quam cupere se dicit in silicem aut plumbi laminam incidi, ne illius vnquam deleatur memoria.

CAPVT XIX.

pag. 252. 1. RESpondens autem Iob, dixit:
2. Vsquequo affligitis animam meam, & atteritis me sermonibus?

PARAPHRASIS.

1. 2. Ad hæc Iobus: Quousque tandem abutemini & mea patientia, & vestra in dicendo libertate. Quando vestris me sermonibus aculeatis & frequentibus sic atteritis, sicut saxum a malleorum ictibus itentidem & incessanter repetitis. pag. 252.

3. En, decies confunditis me, & non erubescitis opprimentes me.

3. En iterum atque iterum pudore faciem meam violatis atque confunditis, neque pudor vos ingenuus aut clementia retardat, quo minus me iacentem ac miserum opprimatis.

4. Nempe, etsi ignoraui, mecum erit ignorantia mea.

5. At vos contra me erigimini, & arguitis me opprobriis meis.

4. 5. Ignorantem me legis accusatis, & illius omnino contemptorem & immemorem. Huius autem cogitationis coniecturam sumitis ex his incommodis, quibus me crudeliter exerceri cernitis, & ideo vester in me zelus acuitur, & vestris in me sermonibus & opprobriis conciditis. Sed conscius mihi est animus meus, neque talem in me esse ignorantiam, qualem in me esse confingitis, neque animum tam alienum & impium, qualem inesse mihi existimatis.

6. Saltem nunc intelligite, quia Deus non æquo iudicio afflixerit me, & flagellis suis me cinxerit.

6. Dixi vobis sæpe, errore in magno versari vos, dum hanc dolorum carnificinam propter mea mihi peccata impositam putatis. Sed nunc saltem animos adhibete dociles, & intelligite aliter se rem habere. Nam si Deus me vehementer afflixit, neque vllum habuit telum, quod non ad dolorem meum & ignominiam exprompserit, neque vndecumque denso malorum omnium agmine vallauerit, fecit hoc non vt iudex, qui peccata reorum æqua pensat suppliciorum trutina, sed vt pater, qui filium exercet, & ad maiora quotidie subeunda comparat & instruit.

pag. 253. 7. Ecce clamabo vim patiens, & nemo audiet: vociferabor, & non est qui iudicet.

7. Quod aduersum me Deus iudicem non agat, & legitimo foro causam meam non expendat, aut iudicet, vel hinc potest liquido quiuis agnoscere, quod cum vim patiar, & iniquis ac multis criminationibus obruar, & innumeris concidar opprobriis, clamo quotidie, neque est qui audiat: iudicem appello, qui male iactatam causam ab iniuria vendicet. pag. 253.

8. Semitam meam circumsepsit, & transire non possum, & in calle meo tenebras posuit.

8. Sic me vndique malorum carcere conclusit, vt nullum ad libertatem præteritamque fortunam sese ostendat effugium. Si qua enim semita patere videbatur, illi Deus vsque adeo densam caliginem offudit, vt mihi per illam ambulare non liceat.

9. Spoliauit me gloria mea, & abstulit coronam de capite meo.

10. Destruxit me vndique, & pereo, & quasi euulsæ arbori abstulit spem meam.

11. Iratus est contra me furor eius, & sic me habuit quasi hostem suum.

9. 10. 11. Quicquid mihi in priori fortuna ornamento atque splendori fuit, & ipsam coronam, regium insigne, de capite meo detraxit. Eo denique me redegit, vt omnino peream, neque spes sit vlla rediuiuæ gloriæ; quemadmodum neque spem habet vllam vitæ arbor, quæ ab imis est auulsa radicibus. Eo denique modo accepit me, quo rex potentissimus in hostem, de cuius capite prorsus actum esse vult.

12. Immi-

12. Simul venerunt latrones eius, & fecerunt sibi viam per me, & obsederunt in gyro tabernaculum meum.

12. Immisit in me Deus instructum multipliciter suorum militum coniuratum agmen, a quibus quasi hostis domitus & humi prostratus per summum dolorem atque ignominiam conculcatus sum; qui me vndecumque circumfusis copiis obsederunt.

13. Fratres meos longe fecit a me, & noti mei quasi alieni recesserunt a me.

14. Dereliquerunt me propinqui mei: & qui me nouerant, obliti sunt mei.

13. 14. Neque in tam duro conflictu quisquam fuit, qui mihi ferret opem, & consilio me aut auxilio subleuaret. Non fratres, quorum studia quam longissime recesserunt a me; non amici & noti, qui eo me habuerunt loco, quo peregrinum hominem, cum quo nihil vnquam habuere commune. Quod idem fecere propinqui, a quibus desertus sum, & alii plures, apud quos mei videtur excidisse memoria.

15. Inquilini domus meæ, & ancillæ meæ sicut alienum habuerunt me, & quasi peregrinus fui in oculis eorum.

16. Seruum meum vocaui, & non respondit, ore proprio deprecabar illum.

15. 16. Inquilini, quos apud me habui, & quibus de hospitio antea commodaui; & ancillæ, quarum ego quondam commoditati prouideram, sic me aspiciebant admirabundi, quasi peregrinus forem & hospes, quique in eorum oculos nunquam incurrissem; vocabam seruum meum non aliena voce, sed mea, exanimata & flebili, qui tamen sic obduruerunt, vt neque responsione me dignati fuerint.

17. Halitum meum exhorruit vxor mea, & orabam filios vteri mei.

17. Ipsam quoque vxorem, quam mihi connubialis fides arctissimo nexu copularat, halitus, quem & locus teter & saniosa vlcera aspirabant, auertebant a conspectu meo. Neque humaniores fuere filii mei, quos adesse mihi non hortabar solum, sed etiam orabam.

pag. 254. 18. Stulti quoque despiciebant me, & cum ab eis recessissem, detrahebant mihi.

19. Abominati sunt me quondam consiliarii mei: & quem maxime diligebam, auersatus est me.

18. 19. Nullus denique fuit, cui ego ludibrio non fuerim, eoque loco habitus, vt indignus censear, quem alii alloquantur, aut videant, siue illi stulti fuerint, in quibus nihil est prudentiæ, siue eo iudicio prædití, vt mihi quondam fuerint a consilio. Neque ab hoc numero excipio illos, quos amore olim maximo & beneficiis prosequebar. pag. 254.

20. Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum, & derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos.

20. Vsque adeo extabui totus atque consumptus sum, vt colliquefactis, vt defluentibus carnibus, nudatis ossibus cutis adhæserit: neque præter linguam, dentes, & labia, quibus humanæ voces formari possint, quicquam ex toto corpore reliquum fecerit dira lues.

21. Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.

21. Quando nemo in meo mihi dolore solatio est, neque manum quisquam iacenti porrigit, & diuinam manum tam in me duram & infensam experior; obsecro vos, o amici, si quid apud vos valet fidei atque amicitiæ nomen, vt mei

tandem miserti aliquam opem, aut condolentis animi signum afferatis.

22. Quare persequimini me sicut Deus, & carnibus meis saturamini?

22. Cur vos quoque hostiles in me profertis aculeos: & eo quo Deus studio atque conatu laceratis, quasi vobis in me liceat, quod licuit Deo? cur me sic agitatis inclementer, vt carnibus meis ferinum in morem exaturari velle videamini?

23. Quis mihi tribuat, vt scribantur sermones mei? quis mihi det, vt exarentur in libro.

24. Stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice?

23.24. Sed iam quando humana desunt, hoc ipso articulo diuina mihi affulsere solatia, qualia o Deus bone, solatia! o vtinam liceret mihi quas a Domino nunc accepi, quæque in meis auribus adhuc resonant, voces, monumentis tradere ad omnem æternitatem duraturis. Felicem me putarem, si quæ nunc meditor exarare possem, non in charta aut papyro, non in cera aut linteo, sed in ære aut silice, aut in ea materia, quæ consumere aut soluere nulla posset æternitas.

25. Scio enim, quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum:

26. Et rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum.

25.26. Hoc mihi nouas addit vires, & reficit animum, & vitam hanc, quam ante cum morte libens commutarem, facit esse vitalem & iucundam. Scio enim, Redemptorem meum Christum, cuius ego patientis imaginem in præsentia refero, post similem statum suscitandum ad gloriosam vitam, ad cuius exemplar ego quoque resurgam in die sæculorum nouissimo. Quo tempore resumam hanc carnem nitentem & integram, quam nunc exulceratam & pene mortuam video, & quæ deinde redigetur in puluerem, & ea pelle circumdabor, quam nunc vermes & tabes dissoluunt & perforant, in qua gloriosus ego saluatorem meum gloriosus aspiciam.

pag. 255. 27. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo.

27. Hunc ego ipse, & non alius a meipso, in hoc ipso corpore visurus sum. Hanc spem in præcordiis perpetuo conseruabo, quæ omnem mihi mærorem ex animo deterget. pag. 255.

28. Quare ergo nunc dicitis: Persequamur eum, & radicem verbi inveniamus contra eum?

28. Quare si hic est animi mei sensus, cur tantopere in meam salutem & caput conspiratis? cur dicitis quærendam esse radicem & caussam, vnde ortæ fuerint voces, in quibus aliquid existimatis esse impietatis atque blasphemiæ?

29. Fugite ergo a facie gladii, quoniam vltor iniquitatum gladius est: & scitote esse iudicium.

29. Ergo si resurrectio mortuorum est, & hominum mortem iudicium sequitur, neque deest superior potestas armata gladio, quæ a sceleratis exigat pœnas; nolite esse securi, licet in hac vita omnia vobis succedere videantur ex votis: nam vltor scelerum gladius peccatores expectat.

Vers.

Vers. 2. *Vsquequo affligitis animam meam, & atteritis me sermonibus?*]

pag. 255. a 1. NOn ignorabat Iobus, quæ Baldad & socii vniuerse dixisse videbantur, illa in vnius Iobi caput esse collata, atque ideo de sociorum illiberali crudelitate & importuna reprehensione queritur, a quibus sic sermonibus atteritur aculeatis & frequentibus, vt non aliter conteratur, quam saxum malleorum ictu identidem

Linguæ plaga grauis. & incessanter repetito. Est autem plaga linguæ nihilo melior, quam illa, quam infert vibratus gladius a robusto brachio, aut excussa ab arcu sagitta venenata. *Ecclesiastic. XXIIX, 21. Flagelli plaga liuorem facit; plaga autem linguæ comminuet ossa.* Et *Psalm. CXIX, 3. Quid apponetur tibi ad linguam dolosam? Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis.* Hebræi communiter linguam hic vocari putant sagittas acutas, & carbones desolatorios.

2. *Denarius numerus multitudinem significat.* Vers. 3. *En decies confunditis me, & non erubescitis opprimentes me.*] Numerus denarius multitudinem indicat, quare nihil aliud hic significat Iobus, quam sæpe amicos consolationis specie in ipsius caput mordacem exeruisse linguam, neque pudori sibi esse duxisse, illum vrgere iacentem, & grandi sermonum mole inclementer opprimere: cuius vicem dolere & consolando leuare debuissent. Quod denarius numerus multitudinem importet, non solum a sacris, sed etiam e profanis literis testimonia confirmant. De multitudine atque perfectione denarii, vide Philonem *in Decalogo q. 2.* Sane hoc numero indefinita significatur multitudo, *Genes. XXXI, 7.* cum sæpe mutatam fuisse mercedem significare voluit Iacob, denarium adhibuit numerum: *Pater*, inquit, *vester circumuenit me, & mutauit mercedem meam decem vicibus.* & *Num. XIV, 22. Tentauerunt me iam per decem vices, nec obedierunt voci meæ.* Plura inueniet exempla attentus lector. Quod ad pro-

pag. 255. b *Decumanus pro ingenti.* fanos attinet, satis constat, *decumanum* sumi pro ingenti. vnde decumana dicitur porta, decumanum ouum, fluctus decumani. Quod

3. *Denarius numerus perfectus.* autem denarius in numerando magnum aliquid perfectumque significet, illud argumento est, quod vbi ad decada ventum est, vlterius non progreditur numerus, sed iterum resumitur vnitas, vsque ad alteram decada, donec compleatur decadum decas, & fiat hecatontas, id est, centenarius numerus, ex hecatontade decies repetita fit chilias, inde eodem ascensu myrias, quos terminos decem circumscribit. Quem ordinem paucis tradidit Ouidius *in Fastis:*

Semper ad vsque decem numero crescente venitur,
Principium spatiis sumitur inde nouis.

Cum igitur hic numerus multitudinem perfectionemque significet, eo Iobus ostendit, se non solum sæpe, sed etiam dure amicorum suorum lacerari conuitiis.

Vers. 4. *Nempe etsi ignoraui, mecum erit* 4.
ignorantia mea, &c.] Proxime dixerat Baldad *in fine cap. XIIX.* illas plagas, quas ante descripserat, impendere tabernaculo & capiti illius, qui Deum ignorat, in quo dicebamus, tyrannum notari, & illum, qui Deum ignorat, contemnitque mandata. Cui respondet Iobus, conscium sibi esse animum suum, non esse in ipso talem ignorantiam, qualem cum Baldad alii quoque amici reprehendunt: neque ipsos aliter potuisse cognoscere, quam ex pœnis, quibus tamdiu & tam acerbe torquetur. Id enim valet, quod statim adiungitur: *At vos contra me erigimini, & arguitis me opprobriis meis.* Sua autem appellat opprobria, subsannationem tam alienorum, quam domesticorum, & paupertatem, quam post tantam rerum abundantiam patiebatur extremam. Denique sterquilinium, & vermes, & alia, quæ huc vsque a nobis sæpe numerata pag. 256. a
sunt. Ex his coniectabant isti amici Iobi, ignorare illum Deum, & quid præciperet, nihil habere pensi. Quibus edicit Iobus, ne tantopere de hac ignorantia inuestiganda atque reprehendenda laborent. Neque ignorare se, quid sentiat, aut quid etiam velit, aut quid in suo sinu secum de Deo cogitaret, & cogitet: neque propterea se a Deo tam durum subiisse supplicium.

Alii aliter hunc locum exponunt, quasi dicat Iobus, non esse, cur tam amici se præbe- 5.
ant infensos, quod ipse eo, quem diximus,

sensu Deum ignorauerit: cum non ideo illis aliquid accrescat mali. Sed si quid inde proveniat aduersi, ad se vnum, non ad alium quempiam pertinere. quare hortatur, vt sua ipsi curent, & omittant aliena. Sed plane hæc expositio minus decet modestiam & patientiam Iobi: qui a seruis & ancillis audiebat non grauate, si quidpiam contra ipsum minus æquum haberent. Id enim indicat illud *cap. XXXI, 13. Si contempsi subire iudicium cum seruo meo, & ancilla mea, cum disceptarent aduersum me.* In hoc autem iudicio contra Iobum a seruis instituto, quis neget aliquid esse obiectum, quod Iobi neque dignitati, neque voluptati conueniret. Hæc itaque responsio est eius, qui neque pudoris vllum haberet, neque virtutis studium. Talem vocem dedit, sumptam ex hominum consuetudine, Terentius *in Adelphis* lenoni cuidam (notum est, quam hoc hominum genus pudorem & modestiam abiecerit) *leno sum, fateor, pernicies communis adolescentium, periurus, pestis. Tamen tibi a me nulla est orta iniuria.*

6. Modestius auctor Catenæ, qui hic hypothesim agnoscit, quasi dicat Iobus, do vobis, o socii, quod de me non semel a vobis audiui, sim iniustus, hypocrita, tyrannus, neque Deum cognoscens, neque quid habens pensi, an pessum eant leges & rationes publicæ, tamen hoc non deberetis mihi nunc obiicere, cum malis vndique opprimor; ne vulnus adderetis vulneri, & iacentem vrgeretis, calcaretisque minuto pede; sed potius meo dolori concedendum putaretis, vt aliquando liceret, aut liberius loqui, aut minus apte ad obiecta, seu interrogata respondere, cum dolor non semper tribuat liberam & idoneam loquendi facultatem. Est quidem sententia Iobi modestia non indigna, sed non satis ad literam & textum opportuna.

Vers. 5. *At vos contra me erigimini, &c.*]
7. Hic versus proxime a nobis explicatus est, vbi diximus, quænam sint illa opprobria, quæ amicis persuaserant, in Iobo ingentia quædam hæsisse peccata, propter quæ Deus immisisse putabatur illa tot infortunia, quæ labem illam, aut punirent, aut expiarent.

8. Vers. 6. *Saltem nunc intelligite, quia Deus non æquo iudicio afflixerit me.*] Quo sensu Deus existimatur non æquo iudicio cum Iobo certasse, seu quod idem est, illum accepisse durius, quam illius merita postularent, diximus supra *cap. VI. num. 2.* & dicemus infra *num. 11.* neque quicquam est, quod cum magno operæ pretio adiici possit. Tam autem longe est Iobus, vt amicorum sermonibus acquiescat, vt magis confirmet illa, propter quæ illorum animi videbantur in ipsum hosti- pag. 256.b
lem in modum inflammari; & ideo pluribus & apertius explicat, quid a Deo, quid ab amicis atque domesticis, quid a cognatis & alienis, quid in facultatibus, quid in corpore, quid item in animo patiatur. In qua re, si vsquam alibi, eleganter & dolenter de suo statu ærumnoso & sordido locutus est.

Et flagellis suis me cinxerit.] Hæc summa est 9.
laborum Iobi miseriarumque complexio, quam *toto capite* singulatim euoluit. *Flagellum* illud dicitur, quicquid alicui in quauis materia dolorem affert. His flagellis circumdatum se esse Iobus affirmat: quia nullum considerat tormenti genus, quod non subierit, neque vllam corporis partem a dolore vacuam. illud enim valet *cinxerit*, quod totum ambit hominem, non secus atque exercitus copiosus ciuitatem obsidet, quam euertere & expugnare vult. Quo sensu *Thren. III, 5.* dixit Ieremias: *Ædificauit in gyro meo, & circumdedit me felle & labore.*

Vers. 7. *Ecce clamabo vim patiens, & nemo* 10.
audiet: vociferabor, & non est qui iudicet.] Hunc locum, & sequentes versus, videtur Ieremias in suos Threnos transcripsisse, vbi non minus quam Iobus, propheta sanctus priuatas & publicas calamitates deplorat. *Thren. III. a v. 4.* Sic autem ibi Ieremias *v. 8. Sed & cum clamauero, & rogauero, exclusit orationem meam.* Porro *vim pati* verbum est forense, quo significamus, alicui iniuriam fieri, quia iniuste auferuntur bona, aut aliquo alio modo per calumniam opprimitur. Quo sensu Ezechias apud Isaiam sponsorem aut patronum aduocat Deum, quia vim patitur. Sic autem *cap. XXXIIX, 14. Domine, vim patior, responde pro me.* Hic nemo dubitare potest verbum esse forense, quando reliqua verba de iudicio ac foro sumpta sunt. Ostendit autem,

tem, in quo Deus videri poteſt minus æquo benignoque iudicio de Iobi cauſa & capite ſtatuiſſe, cum clamet quotidie, & ſuam calamitatem & inopiam proponat, & audiatur a nemine: appellet iudicem, neque vllus occurrat, qui legitime iudicet, & cauſam oppreſſam vendicet ab iniuria. Hic omne videtur patrocinium excludi, cum nemo poſſit Dei iudicium atque conſilia diſturbare, vnde hæc omnia eueniſſe putat: Neque tamen ideo ſuccenſet Deo, aut iniquitatis arguit, cum non peccata puniat, tanquam iudex, ſed alias ob cauſas, quæ honeſtiſſimæ ſunt, & potius illuſtrant Iobum, quam obſcurant, quas ſatis cognouit Iobus ipſe, cum dicit, non peccatores ſolos a Deo, ſed etiam viros iuſtos affligi, contra quam ſibi illius amici perſuaſerant.

Deus in affligendo Iobo non agit iudicem, qui pro criminum menſura pœnam irrogat.

11. Eſt autem diſcrimen non exiguum inter Deum iudicem, & eundem alio nomine ac titulo humana conſilia & merita moderantem. Cum iudicem agit, iuſtiſſima trutina expendit hominum merita, & pro illorum menſura aut abſoluit, aut damnat, & ea aut afficit ſupplicio, aut compenſat præmiis. Non agebat iudicem Deus, cum voluit, vt beatæ virginis animam pertranſiret gladius: quia nihil commeruerat, cur longum illud & grauiſſimum tormentum ſubiret, quale *Luc. II, 35.* prædixit Simeon. Sed aliam tunc agebat perſonam, & aliquid ſpectabat aliud, longe diuerſum. Sicut etiam viros ſanctiſſimos, & acerbiſſimis cruciatibus torquendos tradidit, & aſſiduis laboribus exercuit, in quos non ſeuerum ſe iudicem, ſed parentem humaniſſimum præbuit. Non itaque Iobus negat, æquum eſſe iudicium: quia neque iudicium, id eſt, proprium iudicis factum eſſe putat; ſed ſe grauiora pati, quam ſuorum peccatorum merita poſtulabant. Eſſet autem iudicium, ſi Deus, quod optabat Iobus *cap. VI, 2.* appenderet peccata in ſtatera, & illis rependeret pro illorum grauitate ſupplicium: tunc enim egiſſet humanius, neque pœnam imponeret, quæ arena maris grauior appareret. Hac vero vexatione ſic Iobus nitorem & ſplendorem accepit, quomodo aurum ex fornace, quæ craſſiorem materiam & ſcoriam excoxit. Qualis autem fuerit fornax illa, quam Dominus ad maiorem Iobi ſplendorem accendit, a qua mortalium nemo imploratus extrahere poterit patientem, pluribus oſtendit.

pag. 257. a

Verſ. 8. *Semitam meam circumſepſit, & transire non poſſum: & in calle meo tenebras poſuit.*] Hoc idem videtur expreſſiſſe ex hoc ipſo loco Ieremias *Thren. III, 7. & 9. Circumædificauit aduerſum me, vt non egrediar: aggrauauit compedem meum, concluſit vias meas lapidibus quadris, ſemitas meas ſubuertit.* Hoc malorum omnium maximum cenſetur, ſi ab illo nulla ſeſe oſtentat ſpes libertatis, aut laborum effugium. Nam ſi quando homini lux ſalutis aut optatæ libertatis affulſerit, reſpirat aliquantum, & ipſa melioris fortunæ cogitatio libertatem quodammodo & requiem repræſentat. Sed Deus ſic Iobum afficit ſterquilinio & ſordibus, ſic conſtrinxit pedes contractis neruis, vt neque poſſit mouere ſeipſum, & per conſuetam ſemitam ambulare; neque ſi poſſet, viam inueniret, quam Dominus obſcuraret tenebris, eo modo, quem ſupra diximus *cap. XIIX a verſ. 5.* Quare non ſe oſtentabat vlla ratio, quæ illum ad priorem fortunam reuocaret; & illam, quam quondam habuerat rei ſiue conſeruandæ, ſiue augendæ, multæ tricæ atque impedimenta præcluſerunt. 12.

Verſic. 9. *Spoliauit me gloria mea, & abſtulit coronam de capite meo.*] Dixerat nuper, ſe multis modis a Domino vexari, & obſideri vndique, neque partem eſſe vllam, quæ ad ſe pertineret, quæ non aliquo incommodo laboret. Excluſit primùm iudicem, qui ſuam cauſam æquo iudicio diſceptaret, & ſuorum criminum pondus expenderet; ſed nemo, qui cauſam iudicaret, occurrebat: Deum autem hic iudicem non agere, proxime diximus, deinde neque apparebat vlla expedita via, quæ ad priorem reduceret ſtatum, aut exitum, a tot infortuniis eriperet, cum omnis ſemita aut eſſet præcluſa aut circumfuſa tenebris. Nunc ſe priuatum eſſe dicit bonis externis, quæ magni apud prudentes etiam homines habentur. Spoliatus eſt enim gloria, quam habuit inter ſuos maximam, cum Rex eſſet, quem timebant & venerabantur omnes; de qua gloria ipſe Iobus pluribus *cap XXIX.* Quam autem primum appellat *gloriam*, ſtatim per epexegeſim 13.

 coro-

coronam vocat. Quæ vox licet regiam indicet maiestatem, quam inter Idumæos ante Iobus obtinuit: tamen sæpe prouerbiali specie pro maximo sumitur ornamento, quod-
pag.257.b cumque illud sit. Id fortasse voluit Ierem. *Thren. V*, *16.* cum dixit: *Cecidit corona capitis nostri;* quod tamen nos aliter *in nostris Commentariis ad illum locum* exposuimus.

14. Vxor bene morata & diligens corona est viro suo, *Prou. XII, 4.* & filii parentum suorum, *Prou. XVII, 6. Corona senum filii filiorum.*
Filii & vxor corona viri. Certe Paulus *ad Philipp. IV, 1.* discipulos suos, quos fratres vocat, gaudium suum & coronam appellat. Habuit ante Iobus diligentem & honestam, ut decebat tanti viri coniugem, & tam splendidæ familiæ matrem: habuit optimos filios, qui magis ornabant & coronabant ipsius caput, quam regia dignitas & corona. Sed tunc sublata est de capite corona, quando ruente domo oppressi sunt filii, & vxoris, suadente & instigante dæmone, mutatum est ingenium. Sed placet explicatio prior, & puto coronam sumi pro splendore, quem obtinuit olim apud suos, & ex illo ad sterquilinium vsque fuisse deiectum.

15. Vers. 10. *Destruxit me vndique, & pereo, & quasi auulsæ arbori abstulit spem meam.*] Destructus est vndique Iobus, & periisse funditus videri potest, quia eorum, quibus affluebat antea, nihil videt superesse reliqui. Neque id illum consolari potest, quod spem affert plantæ rediuiuæ viriditatis: nam etiam si omnem arboris speciem decutias, si ramos amputes, & truncum abscindas, nondum tamen videtur actum esse de planta, quamdiu stirps manet, & radices adhuc terram amplectuntur. Quod si arborem auellas, ita vt nullis sit affixa radicibus, per quas e terra succum & alimentum trahat, perit omnino & arbor ipsa, quæ in grandes iam iam adoleuerat truncos, & spes omnis germinis, in quo planta prior rediuiua resurgat. Periisse se dixit omnino Iobus, quia & ipse resolutus in saniem, & lenta tabe consumitur, & quia sublatis filiis, qui paternum nomen excitare & sustinere possent, omnis videtur auulsa radix & sublata posteritas. Hoc porro vulnus inferendum ab vltore Deo tyrannis atque impiis *cap. XIIX, 16.* dixerat Baldad.

Vers. 11. *Iratus est contra me furor eius: & sic me habuit quasi hostem suum.*] Eo modo accepit Deus & persecutus est Iobum, vt non aliter in illum affectus videretur, quam Rex potentissimus in hostem, in quem hostiles imbibit spiritus, & de illius capite prorsus actum esse vult. Quomodo vero instar hostis se Deus in hoc congressu gesserit, explicat statim: nam & copias conscripsit armauitque, quas in Iobum inuexerat, & ab illo eas omnes commoditates & subsidia summouit, quibus arcere posset, aut sustinere impetum hostilem. 16.

Vers. 12. *Simul venerunt latrones eius.*] Hæc Deus tanquam Imperator agmina coëgit, quæ in Iobum effunderet; vt illum, nihil in illo rerum articulo eiusmodi metuentem, securum opprimeret. *Latrones* autem olim milites dicebantur, vt pluribus ostendimus *in nostris Commentariis super Ieremiam*, ad illud *cap. XIIX, 22. Adduces enim super eos latronem repentem.* Et qui in Scriptura *latrunculi* dicuntur, milites sunt. *4. Reg. XXIV, 1, sq. Ascendit Nabuchodonosor Rex Babylonis, & factus est ei Ioacim seruus tribus annis, rursusque rebellauit contra eum. Immisitque ei Dominus latrunculos Chaldæorum & latrunculos Syriæ, & latrunculos Moab, & latrunculos filiorum Ammon, & immisit eos in Iudam vt disperderent eum.* Latrunculos etiam esse apud Latinos, qui communiter vocantur milites, docent poëtæ, quando in eo ludo, qui speciem quandam & simulacrum belli repræsentat, qui ludus vocatur latrunculorum, pro latrunculo sæpe *miles* & *latro* ponitur. Hi vero sunt, qui in abaco discolore, tanquam milites in acie congrediuntur. Ouidius *lib. 3. de arte:* 17.
pag. 258. a

Cautaque non stulte latronum prælia ludat,
Vnus cum gemino calculus hoste perit.

Martialis *lib. 14. epigram. 20.*

Insidiosorum si ludis bella latronum,
Gemmeus iste tibi miles, & hostis erit.

Latrones appellari milites, eosque maxime, qui mercede conducuntur, docet Festus, Pompeius, & Seruius *ad illud Virgil. lib. 12.*

Tum demum mouet arma leo, gaudetque comantes
Excutiens ceruice toros, fixumque latronis
Impauidus frangit telum.

Apud Plautum sæpe *latro* pro milite sumitur.

in ea comœdia, cui nomen est *Miles gloriosus*, bis repetitur *act. 1. scen. 1. in fine.* Milites ergo coegisse videtur Deus, quorum apparatu multiplici Iobum conficeret, quod iam pene fecisse videbatur. Milites autem erant Chaldæi & Sabæi, squalor, tabes, vermes, & assidui dolores, tum etiam qui olim maxime cum illo familiariter agebant, quia illi mutato animo non minus in eum sæuierunt hostiliter, quam qui maxime prius loco studioque dissederant.

18. *Et fecerunt sibi viam per me.*] Vsitatum, opinor, erat inter Idumæos, quod fecit olim Iosue cum Regibus a se domitis, in quorum ceruicibus iussit, vt poneret pedes exercitus victor, quæ summa erat miserorum ignominia & acerbus dolor. *Iosue X, 24. Cumque educti essent* (nempe quinque Reges) *ad eum, vocauit omnes viros Israel, & ait ad principes exercitus, qui secum erant: Ite & ponite pedes super colla Regum istorum.* Aliquid durius fecit Dauid *2. Reg. XII, 31.* & *1. Paral. XX, 3.* vbi fecisse dicitur, vt super hostes victos transirent tribulæ & trahæ, & ferrata carpenta. Hoc vero nil aliud est, quam facere ex hostibus viam, quam calcarent & hostium pedes & plaustrorum rotæ. Neque aliud patiuntur viæ, quæ viatorum calcantur pedibus & carpentorum rotis conteruntur. Hanc mihi explicationem persuadet illud *Isai LI, 23.* vbi talem minatur Propheta Idumæorum populo, qualem victus ab hoste potentiori subire cogitur ignominiam. Iubet enim victor & barbarus inimicus Iudæis, vt seipsos sternant humi, vt quemadmodum per viam, sic ille per Iudæorum strata atque incuruata corpora transiret. *Et dixerunt* (nempe hostes) *animæ tuæ incuruare, vt transeamus: & posuisti vt terram corpus tuum: & quasi viam transeuntibus.* Aliæ aliis placent expositiones: mihi hæc, quando allegoricus est sermo & a re militari translatus, expedita videtur; neque aliud apparet, quod obiicias.

19. *Et obsederunt in gyro tabernaculum meum.*] Hic quidam hysteron proteron esse putant: Nam prius est obsideri ciuitatem, aut tabernaculum, quam victum aut obsessum hominem ab hoste conculcari. Et ita fortasse est, verum non videtur admodum absre, si ita statuas, sic esse obsessum tabernaculum, & præclusas vias, vt nullus pateat ad libertatem seu fortunam meliorem aditus. Quod lamentabatur Ieremias *Thren. III, 5.* cum dixit: *Ædificauit in gyro meo, & circumdedit me felle & labore;* quod item paulo ante significauit Iobus *v. 8. Semitam meam circumsepsit*, &c. pag. 258. b

Vers. 13. *Fratres meos longe fecit a me: & noti mei*, &c.] Hactenus exposuit Iobus, quæ fuerint hostiles machinæ & aduersariæ vires, quæ ipsius expugnauere patientiam: nunc illa remouet, quæ in hoc longo difficilique congressu subsidio illi esse potuerunt, fratres videlicet, amicos, domesticos, quosque aut generis communio sociarat, aut de quibus ipse prius humanissime ac liberalissime meritus fuerat. In *fratribus* non solum illi intelliguntur, qui iisdem parentibus nati sunt, sed etiam qui ex eodem genere prognati: nam sicut Hebræi cognatos omnes fratres & sorores salutant, sic etiam vicinis populis, quales erant Idumæi, hoc idem cum Hebræis arbitror fuisse commune. Habuisse autem, cum hæc patiebatur, eos, qui proprie fratres & sorores appellantur, verisimile fit ex *cap. XLII, 11.* vbi cum transacta tempestate e suo naufragio tandem enatasset, omnes fratres & sorores illius ad eum gratulationis gratia conuenisse dicuntur. Quare mihi certius est, de his primo loco Iobum agere, qui proprie dicuntur fratres, neque si latiore significatione omnes intelligeret, quibus commune genus est, subdidisset *v. 14. Dereliquerunt me propinqui mei.* Quod nomen communi hominum vsu non tam significat eos, qui loco aut ordine, quam eos, qui cognatione sunt, aut genere propinqui. Est quidem admiratione dignum, in eo bonorum omnium naufragio tantum virum a fratribus fuisse derelictum, & ab his omnibus, quos statim enumerat. At qui nouerit, traditum esse dæmonis potestati, qui tam est ad persuadendum callidus, & ad subuertendas hominum mentes indefessus & sagax, non mirabitur, a fratribus Iobum in illis rerum angustiis esse desertum; cum illis captiosus argumentator diabolus persuasisset, tyrannum esse Iobum, & si quam haberet sanctitatis speciem, illam esse fucatam: & Deo fore non ingratum, si vexatione & soli-

tudine

tudine ab insania & furore resipisceret, & meliora meditaretur in posterum. Hæc indicant ad hunc locum auctor catenæ, & in illa Chrysostomus.

21. Vers. 15. *Inquilini domus meæ, & ancillæ meæ sicut alienum habuerunt.*] Hæc aperta sunt; tantum enim indicant, eo loco habitum esse Iobum ab his, quibuscum diu familiariter egerat, ac si peregrinus esset, neque vnquam illorum subiisset oculos; vsque adeo illum sicut alienum, auersati sunt. Inquilini illi dicuntur, qui in alienis habitant ædibus, siue simul cum domino, siue ab illo seorsum. Accipiebat Iobus, vtpote liberalis & clemens, in domum suam peregrinos, illisque aliquandiu de rebus ad vitam necessariis commodabat. Quod ipse docuit *cap. XXXI, 22. Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.* Sed illi neque aspectu dignati sunt eum, quem habuerunt officiosum & pium.

pag. 258. a Vers. 16. *Seruum meum vocaui, & non re-*
22. *spondit, ore proprio deprecabar eum.*] Cum solus esset in sterquilinio, eoque, vt non videtur incredibile, subdiali, vocabat seruos, quos ipse prius paterna tractarat benignitate, & multis pro sua in omnes humanitate prosecutus fuerat beneficiis. neque vocabat per atrienses, aut seruos alios, quia iam illi, quasi nunquam eum cognouissent dominum, alio recesserant: sed propria voce, eaque exanimata & flebili: qui tamen contra omnem humanitatem & fidem obduruerunt, neque respexerunt, quem ante meliore fortuna suspexerant.

23. Vers. 17. *Halitum meum exhorruit vxor mea: & orabam filios vteri mei.*] Halitus proprie est spiritus ille, quem per fauces efflamus. Tamen interdum etiam pro spiritu sumitur, quocumque exhaletur aut loco, aut modo, siue e terra cœnosa & putri, siue ex cadauere sanioso, siue ex vlceribus sanie tabeque fluentibus Hunc halitum siue ex vlceribus, siue ex spiritu, & pulmonibus reuocatum, horrebat vxor, tum quia grauis est fœtor omnibus, tum maxime fœminis, quæ munditiam amant, & sicut alios sensus delicatos habent, & elegantiæ ac suauitatis amantes, sic etiam odoratum sic habent mollem, vt nimis putide auersentur illa, in quibus aliquid est inamœni ac tetri. Hunc credo halitum totius corporis, ex quo grauis ac teter aspirabat anhelitus, horrebat vxor, non illum, qui ex vitiatis putridisque visceribus expirabatur, ne quis, cum halitum audit, suspicetur aliquid Iobo de re coniugali in mentem venisse. Longe enim aberat, vt talia cogitaret, qui norat, se a diuina manu horribili vulnere fuisse percussum.

Et orabam filios vteri mei.] Hic multa multi 24.
de filiis, quorum in sua solitudine Iobus auxilium exorabat. Quærunt enim, quinam hi fuerint filii, cum audiamus, filios & filias omnes obtritos esse ruente domo. Quidam ex Hebræis orasse Iobum existimant ab vxore, per communes filios, quos terræ non multo ante mandauerat, ne se in eo dolore ac solitudine desereret. Alii superstites alios fuisse arbitrantur, quibus cum tenera esset atqu e infantilis ætas, a fratribus ad illud ferale conuiuium inuitati non sunt. Alii in filiis nepotes intelligunt, & ita indicat Symmachi translatio, qui vertit, *inuocabam filios puerorum meorum.* Ego quo minus hoc postremum mihi placeat, (nam prior Hebræorum sententia nullum apud me momentum habet) facit, quod sæpe Iobus omnem sibi posteritatis spem sublatam esse dicit: quare filiorum filii relicti non sunt. Neque si reliqui filii infantes forent, aut illa ætate, in qua parenti suo non possent esse subsidio, illorum auxilium implorare. Placet *Iobi superstites filii ex concubinis.*
magis, ex concubinis esse filios illos, qui ad paternam hæreditatem non vocabantur, atque ideo nullus dicitur esse reliquus, qui genus propaget, aut paternum nomen tueatur. Sane ex concubinis reliquos esse liberos, docet LXX. translatio, quæ ita legit: *Inuocabam blanditiis filios concubinarum mearum.* Quo modo legit Chrysost. *tom. 5. orat. 2. aduersus Iudæos: Nam famuli*, inquit, *mei, & concubinarum mearum filii insurrexerunt aduersum me.* Illi autem concubinarum filii non fuerunt a fratribus in conuiuium vocati; quia cum essent ex ignobili concubitu suscepti, ex concubinis videlicet, quæ aut ancillæ erant, sicut Agar, ex qua natus Ismael, aut Bala, & Zelpha, ex pag. 259. b
quibus orti sunt quidam filii Iacobi, aut certe non admodum distabant ab ancillarum nomine, contemnebantur a fratribus, qui ex matre familias, quæ etiam appellatur regina, suscepti

pti fuerant: neque digni censebantur, qui ad nobile & quodammodo regale conuiuium accerserentur. Idem pene accidit filiis Iacob, qui nati fuerant ex Bala & Zelpha, quos a suo conuictu atque congressu arcebant reliqui fratres, quia licet ab eodem essent generati patre, quia tamen a matribus concepti minus a generis nobilitate commendatis, quasi a communi familia censebantur alieni. His se adiungebat Iosephus, vt erat modestiæ ingenuæ, & ab omni fastu atque ambitione alienæ; quia contemptos videbat a reliquis, quos generis nobilitas inflabat, *Gen. XXXVII, 1. Ioseph cum sedecim esset annorum, pascebat gregem cum fratribus suis adhuc puer, & erat cum filiis Balæ & Zelphæ, vxorum patris sui.* vide quomodo concubinarum filii ab aliis ad conuictum non admittebantur tanquam alieni. ita in hunc locum Rupertus: *Illi*, inquit, *cum essent de libera matre nati, grandiores spiritus gerebant, & filios ancillarum despectui habebant, & pro seruis ducebant.* Idem esse arbitror inter filios Iobi ex matrefamilias, & illos, qui nati sunt ex ancillarum concubitu, dissidium.

Concubinarum filii ab aliis contempti.

26. Vers. 18. *Stulti quoque despiciebant me, & cum ab eis recessissem, detrahebant mihi.*] In hoc & sequenti versu, qui ita sunt aperti, vt interpretis operam non requirant, ostendit Iobus, ab omnibus se fuisse contemptum, a summis atque infimis, a stultis & quibus iudicii nihil atque consilii inest, & ab his, quibus existimatur magnum esse consilium, quique ideo ad deliberationem de rebus magnis aduocantur; tam ergo ab his, quam ab illis eo in loco habitus, in quo illi sunt, qui aliis sunt ludibrio, aut indigni censentur, quos aliquis aut alloquatur, aut æquis intueatur oculis; ac non potius execretur, & oderit.

27. Vers. 20. *Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum: & derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos.*] Hactenus ostendit Iobus, defuisse sibi omnia, quæ contra vim morbi ac solitudinem, aut aliorum conuitia & sannas subsidio esse potuerunt; nunc vlterius procedit querimonia, & docet, se quoque sibi ipsi defuisse, cum consumptis carnibus corpus amiserit, neque quicquam ex figura tota videatur præter tramam esse relictum, id est, præter ossa, quæ nuda atque arida contegit pellis, exesis omnino mediis carnibus, quæ extimam cutim ab ossium crate & firmamento discludebant. Ait autem, labia tantummodo circa dentes esse relicta, nempe non adeo ab vlcere vermibusque corrosa, sicut aliæ corporis partes, in quibus erat exesa & perforata cutis, & adeo totum consumptum deformatumque corpus, vt vix in illo hominem agnoscas, sed monogrammam effigiem, aut mortui hominis deforme simulacrum. De hominum extrema macie seu exhausto corpore diximus nonnulla *cap. XIIX, 12.* ad illud: *attenuetur fame robur eius.* Adde nunc ex Silio Italico *lib. 2.* verba, quæ valde explicant, quæ nunc de sua tenuitate ac macie Iobus affirmat:

Iobi incredibilis macies.

---Sedet acta medullis
Iamdudum, atque inopes penitus coquit intima pestis.
Est furtim lento miseris durantia tabo
Viscera, & exurit siccatas sanguine venas, pag.260.a
Per longum celata fames: iam lumina retro
Exesis fugere genis: iam lurida sola
Tecta cute, & venis male iuncta trementibus ossa,
Extant consumptis visu deformia neruis.

Adhæsit itaque ossibus pellis, consumptis toto in corpore carnibus, quæ extabuerunt in saniem, & colliquefactæ defluxerunt, vt diximus supra *cap. XVI, 14.* ad illud: *Effudit in terra viscera mea:* vbi obseruauimus, nonnunquam *viscera* a bonis auctoribus vsurpari pro *carnibus*: aliqui id ex alio quodam morbo peruenisse putant. Hieronymus illum esse suspicatur, qui a Græcis appellatur marasmus: *Ad tantam*, inquit, *ariditatem caro eius deuenerat, vt nihil in eo humoris remanserit, & ob hoc adglutinata quodammodo fuerit pellis eius ossibus suis. Hanc infirmitatem marasmum dicunt medici.* 28.

Et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos.] Aliquid hic esse Iobus affirmat, quod in reliquo corpore non inueniebatur. Sic enim exhaustis carnibus erat a seipso spoliatus & nudus, vt vix albicantia ossa tegeret cutis, eaque innumeris perfossa foraminibus, ex quo efficiebatur, vt omnes artus illi essent inutiles, quia exercere nihil poterant eorum, 29.

quorum

quorum causa fuerant homini dati. Quia licet viuerent, omnes tamen vnum, illudque horribile vulnus occuparat, ita vt de Iobo dici non merito posset, quod de Laureolo cecinit *in suo amphitheatro* epigrammatarius:

Viuebant laceri membris stillantibus artus,
Inque omni nusquam corpore corpus erat.

30\. Sed ab hac plaga, aut nullo modo, aut mitius tacta sunt labia, quæ non temere integra, aut minus certe læsa diabolus seruare voluit, cum facta sibi a Domino facultate consumere, & ad omnem vsum reddere potuisset ineptam. Rationem reddit hic Hieronymus, & ex eo discipulus eius Philippus, & Beda, quia relinquere voluit instrumentum intactum, quo posset vrgente dolore aut impatientiam ostendere, aut in Deum, quod illi maxime erat in votis, proferre blasphemiam. Audi Hieronymum, & in illo alios: *Ad hoc diabolus consumptis carnibus sancti Iob, labia eius integra dereliquit, vt haberet positus in tormentis, quibus posset facile blasphemare. Sed & linguam reseruauit, vt intelligere posset, si Iob ob cordis simplicitatem blasphemiam proferret in labiis.*

Lingua Iobo cur ex omnibus membris intacta relicta.

Lingua *pro sermone.*

31\. Hanc ego explicationem libenter amplector veneror que, & quia magnis placuit auctoribus, & quia acuta est, & callido dæmonis ingenio consentanea. Verum alia mihi occurrebat, quæ non mihi admodum videbatur abs re. Commune est omnibus credo nationibus, cum significare volunt, aliquem exhausto esse corpore, & ita attenuata macie, vt membrorum omnium vsum amiserit, qui tamen loquitur, queritur, gemit, & hoc vno, aut maxime se viuere ostendit, hoc vti genere sermonis: *Tantum huic vox reliqua est, cætera corporis membra, aut ministeria perdit.* Hispanus sane sic in extenuato corpore extremam significat maciem; *Solo le ha quedado el pico.* Quod optime in echus metamorphosi explicuit Ouidius *lib. 3.* vbi habes viuam quandam Iobi patientis imaginem, & horum verborum explicationem:

Extenuant vigiles corpus miserabile curæ,
Adducitque cutem macies, & in aera succus
Corporis omnis abit, vox tantum, atque ossa
supersunt.

pag. 260. b

Illud porro notum est, instrumentum sumi pro illius effectu, quomodo cœlum seu penicillum, stylus, calamus, & manus, adhibentur pro his, quæ ab his instrumentis fiunt; sic dicimus, agnosco cælum, aut penicillum Apellis, siue Protogenis, id est, si qua sunt ab Apellis cælo seu penicillo elaborata: manum seu calamum alicuius, id est, literas calamo formatas; & in hoc ipso nomine exempla sunt clara, *lingua* enim & *labium* sumuntur pro sermone, aut oratione, quia his instrumentis fingitur sermo. Quomodo dicimus *audio linguam Latinam:* id est, sermonem Latinum: *erat terra labii vnius*, id est, vnus erat sermo in terra. Sic ergo cum dicit Iobus, tantummodo relicta labia circa dentes: nihil aliud reliquum esse dicit, quam sermonis facultatem & vsum, cuius instrumenta sunt labia & dentes. Hæc mihi maxime videntur ad veritatem: tu accipe, vt libuerit.

Vers. 21. *Miseremini mei.*] Nullum habebat in suo dolore Iobus, ad quem solatii gratia oculos animumque converteret, cum recessissent longe, quos longa necessitudo & assiduus vsus familiares reddiderat: & pro quotidianis officiis iniuriam rependerent, refricarentque vulnera, quæ Deus, siue vt benignus pater, siue vt offensus hostis intulisset. Quare cum alii omnes non solum non audissent, vt dolorem leni beneuoloque sermone solarentur, sed etiam aculeata oratione perstringerent, neque a Deo implorandum, aut obtinendum eo tempore putaret auxilium, cum ipsum agnosceret vulneris auctorem, orat amicos siue exclamando ad absentes, siue præsentes alloquendo, qui cum tribus, de quibus toto hoc opere multus sermo, fortasse aderant non pauci, qui peregrinos hosce honoris & obseruantiæ gratia comitabantur, & tres præcipue, qui illius animum instimulabant acerbius, vt tandem misereantur, & mœrentem animum & abeuntem spiritum consolando aut adiuuando reuocent. Tangi autem a Deo magnum aliquem indicat dolorem, aut vulnus: nam ex vsu Scripturæ quæ magna sunt, Dei esse dicuntur; vt *cedri Dei, montes Dei*, & similia, quæ talia esse dicuntur, qualia fieri ab humana solertia aut virtute nequeunt. Quantum ad pellendum angorem animi, mitiusque ferenda valetudinis incommoda, amicorum oratio & consuetudo valeat, 32.

33\.

REGVLA. *Quæ magna sunt, ei esse dicuntur.*

Magnum habet momentus ad leuandum dolorem amicorum oratio.

ar, docuit Seneca *epist. 79.* vbi inter alia sane grauissima dicit: *Multum*, inquit, *mihi ad bonam contulerunt valetudinem amici, quorum adhortationibus, vigiliis, sermonibus alleuabar. Nihil æque, Lucili virorum optime, ægrum reficit atque adiuuat, quam amicorum affectus, nihil æque expectationem mortis ac metum surripit.*

34. Vers. 22. *Quare persequimini me sicut Deus.*] Quæ a Deo fiunt, & quæ Dei esse dicuntur, illa magna sint oportet, certe, vti proxime dicebamus, magna existimantur. Quare non potest esse persecutio leuis, quæ diuinæ assimilatur persecutioni. Talis erat amicorum vexatio, quam supplicibus precibus Iobus lenire vult, quæ nihilo mitius excruciabat Iobum, quam horribiles plagæ, & verminantia vlcera, quæ a Deo existimabantur immissa.

pag.261. a
35. *Et carnibus meis saturamini.*] Ferino sunt ingenio, qui alios lacerant, & multo magis si carnes deuorant, & sanguinem exugunt, quales sunt leones, ursi, tygrides. Saturari alterius carnibus crudelitatem indicat barbaram, qualem exercuerunt ante diluuium illi, quibus vitam eripuit aquarum exundantia. Vt enim quoad intemperantiam & libidinem ætas illa corruperat viam suam, sic etiam non est improbabile, in omnem crudelitatem & feritatem fuisse proiectam. Certe Iosephus *lib. Antiquit. 1. c. 4.* talia commemorat patrata a gigantibus, quos ætas illa superior tulit, qualia a suis etiam gigantibus esse suscepta fabulantur poëtæ. Hi vero, vt de Polyphemo tradit Homerus *Odyss. 10.* & de Lestrygonibus Plin. *lib. 7. c. 21.* humanis carnibus, iisdemque crudis atque stillantibus sanguine vescebantur. Et sicut fabulosa plurima a sacris literis desumpta antiqui poëtæ, multis tamen modis mutata atque corrupta, in suas fabulas transtulerunt, sic fortasse hoc de viuis hominum carnibus in cibum adhibitis. Ex hac ferina consuetudine ortum est, vt quos odio prosequimur hostili, eorum carnes deuorare, aut esurire dicamur. Sic *Psalm. XXVI, 2. Appropiant super me nocentes, vt edant carnes meas. Isai. XLIX, 26. Cibabo hostes tuos carnibus suis, & quasi musto sanguine suo inebriabuntur.* Neque alio sensu, vt nonnulli sentiunt, dixit iterum Iobus *cap. XXXI, 31. Quis det de carnibus eius vt saturemur?* Quod dicendi genus non fuit alienum ab externorum vsu. Ouidius *lib. 13. Metam.*

Ante diluuium magna hominum crudelitas.

--Licet execrare, meumque
Deuoueas sine fine caput, cupiasque dolenti
Me tibi forte dari, nostrumque haurire
cruorem.

Plura hac de re diximus *in nostris Commentariis super Acta* ad illud *c. XV, 29. Ab immolatis simulacrorum, & sanguine.* Quare nihil aliud significabat Iobus hoc dicendi modo, quam hominum illorum barbarum ingenium, qui ferinum in modum iacentem hominem conculcant, & exanguem exanimant.

Vers. 23. *Quis mihi tribuat, vt scribantur sermones mei? Quis mihi det, vt exarentur in libro?*] Magnum aliquid sit oportet, quod 36.
mutato dicendi genere significatur; quod dignum censetur, vt in omnem posteritatem sculpatur in silice. Quid porro sit, quod Iobus optat æternis mandari monumentis, incertum est. Quidam in votis esse Iobo putant, vt omnes intelligant ab illis se sceleribus alienum, quæ tres amici, & alii fortasse plurimi, quorum animos mutatos esse viderat, obiiciebant. Aut vt amici cognoscerent, tam longe esse, vt se impie aut insipienter locutum esse existimaret, vt sermones suos, quos durius acceperant, omnibus notos esse cuperet. Illi autem non libenter ferunt, ea in publicam cognitionem venire, in quibus aliquid insipienter aut impie factum esse putant: aut eius esse generis, in quo videatur requiri posse pudorem, aut prudentiam. Aut certe, quia in hac disputatione aliquid Iobus a se dictum esse credebat, quod aliis ad mores religiose formandos videbatur idoneum, cum disciplinæ communi aut publicæ consultum esse vellet, & in se propositum esse crederet sinceræ & puræ religionis exemplar; illud in plumbo aut silice extari voluit, vt haberent, in quod intuerentur posteri, si Deo hominibusque placere meditarentur. Hæc aut similia nonnulli, quæ alii non probant: neque putant a Iobo tan- pag.261. b
tum suis sermonibus esse tribuendum, vt incidi cuperet in silice, & in plumbea lamina describi. Neque præterea apte contexi poterant, quæ proxime succedunt.

Multo sane melius alii communiter, quæ 37.

 scri-

ſcribenda ſunt, non ad præterita referunt, ſed ad illa, quæ ſtatim conſequuntur. Quæ ſane dignisſima ſunt, quæ incidantur tabulis perpetuo duraturis, quia & fidei noſtræ articulus ſunt, & languentes reficiunt animos, & deſperantes magnopere confirmant, de quibus ſtatim plura commodius. Nunc prius quædam examinanda.

38. *Spes reſurrectionis miſeros conſolatur.* Cum circumſpectaret omnia Iobus, neque vllo ex loco quicquam appareret, quod cadentem excitaret animum, aut dolorem detergeret, conuertit ſe ad Deum, cum certo ſciret non ab alio quærendam eſſe medicinam, niſi ab illo, qui inflixit. Tunc autem miſeratus Deus conſolari voluit hominem, quem vndique premebant incommoda; oſtendens illi corpus, quod tunc fœdisſimus deformarat morbus, & incredibilis cruciabat dolorum acerbitas, ad antiquam, imo & longe meliorem ſpeciem excitatum iri. Quare obdurandum eſſe contra omnem, ſiue naturæ, ſiue hominum iniuriam, & de rediuiui corporis meliori ſtatu expectatione concepta, non eſſe admodum curandum, quanta momentanei doloris ſit magnitudo, cum illam excipiat ſplendor, & magnitudo gloriæ, quam nulla vnquam conficiet aut obſcurabit æternitas. Nihil de tempore, in quo hanc a Deo illuſtrationem accepit Iobus, tradunt Interpretes, quod ego viderim: quod autem hoc tempore illuminatus fuerit, illud mihi coniecturæ eſt, quod noua loquendi forma, & vt apparet ſubita, ſubitam & nouam cognitionem portendit.

39. *Scribendi mos antiquus.* *Exaretur in libro*] Antiquum hic ſe prodit ſcribendi genus. Notum eſt, antiquis in vſu fuiſſe ceratas tabulas, quibus a ferreo ſtylo imprimebantur literæ, non aliter quam a vomere imprimuntur in terra ſulci. Vnde ſicut arari, aut exarari dicitur terra a vomere ſulcata, ſic etiam tabulæ ab ærea cuſpide diviſæ.

40. *Stylus quid.* *Stylo ferreo.*] Stylus olim inſtrumentum erat ſcriptorium, quod aliter ab illo miniſterio vocabatur graphium. Erat autem ſtylus ab altera parte acutus, qua imprimebantur aut exarabantur in cera characteres, ab altera planus latusque, qua, ſi quando ſcripta minus placerent, delebantur. Vnde tritum illud, *ſtylum vertere*; quando conuerſo ſtylo latiori parte ceram complanamus, & quæ acutiori impresſimus parte, delemus & expungimus, de hoc illud eſt Horatianum *lib. 1. Satyr. 10.*

Sæpe ſtylum vertes, iterum quæ digna legi ſunt
Scripturus.

Et Cicero *actione 2. in Verrem: Vertit ſtylum in tabulis ſuis: quo facto cauſam omnem euertit ſuam.* Sane Hieronymus *tom. 2. Epiſt. 51. ad Domnionem* dicit, ſibi meliorem videri partem illam obtuſam ſtyli, quæ deleret, quam acutam, quæ ſcriberet. Quod eſt ſcriptori maximum & neceſſarium documentum, niſi velit in multorum reprehenſionem incurrere. Quod ſupra etiam optime admonuit Horatius. Et idem Hieronymus *contra Rufinum: Illico vertis ſtylum, & omnia laudata prius vituperas, de eodem ore & dulce proferens, & amarum.* Fuit autem ſtylus primum ferreus, deinde oſſeus, quia cautum erat lege, ne quis e ferro graphium haberet. Atta in *Satyra:* pag. 161. a

Vertamus vomerem in ceram, mucroneque aremus
Oſſeo.

41. *In plumbi laminis olim ſcribi ſolitum, aut in cera & linteo.* *Et plumbi lamina.*] In plumbeis laminis olim ſcribi ſolitum docet Plinius *lib. 13. cap. 11. Publica monumenta plumbeis voluminibus, mox & priuata linteis, confici cœpta, aut ceris.* Quare dum Iobus deſiderat laminas, ſua verba publicis monumentis conſignari vult: nam alia, quibus ſcripta mandabantur, ſua futilitate non poterant eſſe diuturna, qualia ſunt lintea, cortices, iunci, papyri. Quo porro inſtrumento illæ ſcriberentur aut ſulcarentur laminæ, non inuenio. Eſt autem veriſimile, aut cælo exarari ſolitas, aut ſtylo primum ferreo, deinde oſſeo. Licet Hieronymus *epiſt. 140. ad Principiam* dicat, ſtylo inſcribi ceram, calamo autem chartam, & membranam, & quamcumque aliam materiam, in qua ſcribi ſolet.

42. *Celte quid.* *Vel celte ſculpantur in ſilice.*] Quidam certe legunt; ſed communiter iam habemus celte; quæ vox in hoc ferme loco tantum reperitur. Sed non dubito, olim fuiſſe magis communem, licet in ſcriptoribus non occurrat. Eſt autem ſcalprum, quo ſcalpuntur & poliuntur marmora & ſilices, dictum, opinor, a voce cælo, non admodum ſono disſimili, &

eius.

eiusdem omnino significationis: cælo enim his, quæ dura sunt, siue ex ære, siue ex marmore, varia inciduntur emblemata, siue hieroglyphicæ formæ. Quod credo cæmentarii ac latomi vocant *sincel*, aurifices vero & ærarii *buril*. Sane epitaphium quoddam adducit Marianus Victor *in scholiis super epistolam 61. Hieronymi ad Pammachium*, quod celte dicitur lapidi incisum. *Nam neque hic atramentum, vel papyrus, aut membrana vlla adhuc, sed malleolo, & celte literatus silex.* Quod epitaphium esse dicit apud Salonam Dalmatiæ.

43. Vers. 25. *Scio enim, quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum.*] Hoc optat Iobus æternis mandari monumentis, quia maxime omnibus notum esse oportet. Et hoc nuper verisimile putabamus, in hoc ipso articulo reuelatum esse Iob; cum omnem sibi ad leuamentum doloris & afflicti animi solatium, videret aditum esse præclusum. Sed quicquid sit, neque enim quicquam hac de re mihi certum est, hæc vna cogitatio magno Iobum dolore ac sollicitudine leuat. Quæ fecit, vt nouum institueret dicendi genus, quasi exhilaratus illustratione noua, & ad quamcumque subeundam aleam magis quam antea confirmatus. Adde quod ab hoc loco ad finem vsque libri aliter se habet Iobus, quam prius. Neque enim luget, aut queritur, quasi ægre ferat torqueri se vehementer, cum tamen non esset leuior extrema vexatio, sed tantum est enumeratio malorum, quæ pertulerat, ita tamen, vt in athleta fortissimo nullus appareat languor, nulla desperatio, aut mortis desiderium. Confortauit enim, & exhilarauit patientis animum spes certa resurrectionis, quam eo oraculo, in quo ab amicis vrgebatur angustiis, ex diuina reuelatione conceperat. Certe Lazarus mendicus magnum in suis doloribus solatium habuisset, si de resurrectione cognitionem aut expectationem acciperet. De quo sic Chrysostomus *tom. 2. homil. 1. de Lazaro*, vbi cum adhibuisset plurimas dolendi causas, remoueretque alia doloris leuamenta, ad extremum addidit: *Possum & aliud his omnibus addere, videlicet, quod ne de resurrectione quidem quicquam potuerit philosophari: sed huius vitæ res credebat huius vitæ fine terminari. Erat enim ex eorum numero, qui gratiam euangelii præcesserunt.* Hæc mihi videntur nonnihil habere ponderis, vt credam, de resurrectione carnis nonnihil hactenus Iobo reuelatum. Quia tamen video, in aliam sententiam propendere magis frequentes alios, alia loca, quæ præcessere, iuxta illorum sensum interpretatus sum.

Quando resurrectionis mysterium Iobo reuelatum.

pag. 262. b

Sed est hic dubium, quem vocet Iobus redemptorem suum viuentem, Deumne, an incarnatum Verbum, id est, Seruatorem Christum, qui præcipua quadam ratione redemptor appellatur. Quod Deum agnoscat redemptorem, facit, quod illi nomen attribuit, quod Deum a gentilium non tam diis, quam mortuis simulacris, communi & iterato millies a Prophetis titulo secernit. Dicitur enim Deus *viuus*, & ipse hoc nomen in iureiurando concipiendo sæpius vsurpat: Sic enim ille dum iurat, *viuo ego*. Deinde, quia illum videtur redemptorem vocare, quem *cap. XVI, 20.* suum appellarat testem: *Ecce enim in cælo testis meus.* Et cum a Deo percussus esset, neque ab alio speraret medicinam: eundem redemptorem suum esse dicit, quem prius habuisse videbatur infensum; & quem aliquando dixerat in crudelem & hostem esse mutatum. 44.

Sed est communis Patrum & Interpretum opinio, hunc redemptorem esse Christum, & in hoc vaticinio prædici duo, resurrectionem Christi, & illam causam futuram, & exemplar resurrectionis hominum, quæ in fine sæculorum eueniet. ita putat Hieronymus *epist. 61. ad Pammachium*, vbi cum istum Iobi locum adduxisset, dixit: *Quid hac prophetia manifestius? nullus tam aperte post Christum, quam iste ante Christum de resurrectione loquitur. Vult verba sua in perpetuum durare, & vt nulla possint vetustate deleri, exarari ea vult in plumbi lamina, & sculpi in silice. Sperat resurrectionem, imo nouit, & vidit, quod viuit Christus redemptor eius, & in nouissimo die de terra surrecturus sit.* Gregorius ad hunc locum *lib. 14. Moral. cap. 26.* *Qui non ait conditor, sed redemptor, aperte eum denunciat, qui postquam omnia creauit, vt nos de captiuitate redimeret, inter nos incarnatus apparuit, suaque passione nos ab æterna morte liberauit.* Idem Beda, & 45.

clarius

clarius S. Thomas *hic* & *3. part. quæstione 53. artic. 1. in corpore.* Vbi cum huius loci Iobi meminisset, ait: *Scio*, inquit, *per certitudinem fidei, quod redemptor meus, id est, Christus, viuit a mortuis resurgens. & ideo in nouissimo die de terra surrecturus sum.* Quomodo Christus causa sit nostræ resurrectionis, vide S. Thomam *3. part. q. 56. art. 1. & 2.* & ibi Franciscum Suarez per multas sectiones. A qua ego disputatione abstineo, quia longa est, & Scholastici Doctoris magis quam sacrarum literarum Interpretis propria.

46. *Et in nouissimo die de terra surrecturus sum.*] Quidam hic non de resurrectione propria, sed de metaphorica sermonem esse censent. In quibus est Eugubinus; dicunt enim, post illum ærumnosum statum, in quo tunc iacebat Io-
pag. 263. a bus, futurum, vt pristinæ restitueretur fortunæ: cumque status ille morti videretur non dissimilis, si ex illo emergeret, censeri posset vitæ restitutus: id vero aliter fieri non posset, nisi per resurrectionem. Sed hæc aliis merito minime probantur; vt quid enim Iobus optaret verba hæc exarari in plumbea lamina, aut incidi in silice, si non longe post sciebat mutandam esse fortunam, & faciendam esse resurrectionem metaphoricam, id est, restitutionem illorum, quæ fuerant ablata, quæque illi ipsi, qui verbis aculeatis & duris dura quædam supplicia comminati fuerant, spectare poterant. non enim in marmore exarantur, aut ære, nisi illa, quæ in æternitatem seruari volumus. Quare hæc cum aliis pluribus de resurrectione sumo, quæ proprie & vere resurrectio est: id est, remigratio animæ ad illud idem corpus, quod reliquit. Quod illud *de terra* non obscure indicat, id est, de sepulcris, vbi iam humata corpora in puluerem tenuissimum abierant.

47. Vers. 26. *Et rursus circumdabor pelle mea.*] Cum adhuc in viuis ageret Iobus, pene a sua pelle videbatur exutus, quia illa vehementer erat exesa a pestilente morbo, & a vermium scatebris innumeris pene locis perforata. Quare licet supra dixerit, ossibus consumptis carnibus adhæsisse pellem, non tamen sic erat integra, vt non exutus ab illa iudicari potuerit. Quemadmodum si quem vsu attrita & lacerata tunica conspexeris vestitum, dubitas non immerito, an illum nudum, aut indutum appellare debeas. Quare videri posset Iobus non circumdatus pelle, cum magna ex parte decorticatæ apparerent saniosæ carnes, aut ossa inter illas turpiter albicantia. Quocirca cum respectu ad præsentem statum dicere posset in futurum intentus, licet nunc morbus, tabes, & vermes a natiuo me tegumento nudauerint, aderit tamen tempus, cum eodem restituto atque integro, honeste atque decore conuestiar. Sed sine dubio ad aliud tempus atque statum respiciebat Iobus, quando pellis & carnes esse desierint, & in puluerem abierint, & prope dixerim, in nihilum. Tunc redeunte spiritu, & tenuem illum & aridum puluerem animante, circumdabitur pelle, quam amiserat, & rursus erit rediuiuus Iobus, qui iam prorsus euanuisse totus videbatur.

Et in carne mea videbo Deum meum.] Multa hic vident, & meditantur Interpretes, quæ ego licet aperte videam parum esse ad literam, dicam tamen aliquid, antequam, quid mihi aut verum aut verisimile magis videatur, expediam. August. *Tom. 10. serm. 2. de natiuitate*, hoc prophetiam de Verbo incarnato esse putat; Quasi dicat Iobus, visurum se Deum filium, sua, id est, humana carne vestitum. *Iob*, inquit, *prædicat eximius prophetarum; In carne mea videbo Deum. Quod de illo tempore prophetauit, quando Christi deitas habitu nostræ carnis induta est.* 48.

Ego non improbarem aliam explicationem, non valde huic proximæ dissimilem, quia valde ad moralem sensum opportunam, & quæ plurimum Iobum in suo dolore ac despectione consolari potuit. Cum enim eximius esset Prophetarum, quod proxime ab Augustino didicimus, vt nouit reuelante Deo, hoc ipso temporis articulo, quod putabamus non improbabile, Verbum Dei assumpturum esse humanitatem, sic etiam cognouisse existimari potest, se illius, quamdiu fuit in statu mortali, symbolum esse, & viuum quoddam vaticinium, ita vt non verbis solum futura prædixerit, sed etiam factis. Sicut Abel, qui cum esset innocens, & occisus a fratre, in quo occidendum Christum a cognato sibi populo adumbrabat, propheta vocatur 49.

pag. 263. b *Christo in doloribus esse similem magna consolatio.*

catur a Christo *Math.XXXII,35.* & Ionas liber post tertium diem egressus e ventre ceti, in sua persona resurrectionem Christi figurauit. Cum ergo sciret, talem se, cum durius premeretur, habuisse figuram, qualem esset habiturus redemptor suus Christus, bene putabat secum agi, si talem accepisset speciem, qualem Deus ipse non exhorruisset, & dolores ferret, quales Saluatori suo videbat esse propositos. Quod autem Iobus Christi fuerit typus, diximus in principio, *Prolegomeno 1.* Videbat igitur Iobus redemptorem suum in carne sua, id est, carne afflicta & multis perforata vulneribus, de quo talia audimus ab Isaia *cap. LIII, 2. sq.* qualia de Iobo legimus. Audi Isaiam de Christo, & in eo Iobum patientem agnosce. Iobus se deformatum vocat, innumeris propemodum doloribus exhaustum. Idem de Christo Isaias: *Non est species ei neque decor: & vidimus eum, & non erat aspectus: & desiderauimus eum despectum & nouissimum virorum, virum dolorum & scientem infirmitatem: & quasi absconditus vultus eius, & despectus, vnde nec reputauimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Et nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum a Deo, & humiliatum.* Cum autem nosset diuino afflatus spiritu, fore, vt redemptor post tot dolores & opprobia, mortemque doloris & ignominiæ plenam, ad vitam & splendorem gloriæ rediuiuus excitaretur, futurum etiam sperabat, vt ipse quoque ad illius exemplar ex morte resurgeret, & illum in sua persona resurgentem exprimeret: quem tam perfecte patientem expressisset. Sane id post multa sæcula dixit Paulus *ad Rom. VI, 5. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus.* Quidam ex hoc loco probant, Deum a corporeis oculis videri posse: quorum sententiam confutat Gabr. Vasq. *1. Tom. in 1. p. S. Thomæ q. 12. art. 3. cap. 3.* illum vide.

50. *Videndus Deus ab anima gloriosa.*

Vera expositio & communis est, non corporeis oculis videndum esse Deum, sed acie mentis in suscitata carne, qualem habebunt sancti post vniuersale iudicium: quasi dicat, glorificandum esse corpus, quod nunc deforme est, & granibus attritum incommodis: & in eo corpore animato rursus atque glorioso visuram esse Deum animam, cui nullum corpus in eo statu erit impedimento. Explicuit hoc optime Hieronymus ad illud: *Quem visurus sum ego ipse:* vbi sic Iobum loquentem inducit: *Ego ipse Iob, qui in stercore iaceo, & totus vulnerum sanie computresco; ego inquam Iob iam corruptus atque vulneribus dissolutus, in hac carne mortali, incorrupta resurrectione futura glorificatus videbo Deum. Et vt exprimeret ipsius corporis instaurationem, ait, & oculi mei conspecturi sunt.* Vide Gregorium *lib. 14. moral. cap. 24.* vbi quid sibi cum Eutichio Constantinopolitano Antistite contigerit, edocet.

Vers. 27. *Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius.*] Aut hic intelligit Christum hominem Deum, qui oculis videri potest corporeis, quæ sanctis non exigua est beatitudinis accidentalis pars, vt cum S. Thom. sensere non pauci: aut oculos intelligit metaphoricos, qui cum proprie sint corporis; ad animos tamen transferuntur, qui videre familiari sermone dicuntur illa, quæ intelligunt; quomodo dicimus; vide quam acute hæc dicta sint, aut quam parum consentanea, quod animorum est, non oculorum opus. Neque in vulgato codice a Sixto, & aliis pluribus, habemus *Deum Salvatorem meum*, sed *Deum meum.* Dum autem ait, *ego ipse*, ostendit ipsissimum Iobum in eadem carne, quam corrupit tabes, & quæ in puluerem redacta est, excitatum e mortuis, diuinæ visionis futurum esse participem, eundem omnino numero. Et ideo subditur, *& non alius*, nempe, vt exponit S. Thomas, a seipso. De hac re latissime Franciscus Suarez *tom. 2. in 3. p. S. Thomæ q. 53. sect. 2.* 51. pag. 264. a

Reposita est hæc spes mea in sinu meo.] *In sinu seruare* dicimur, quæ valde amamus, aut facimus plurimi: quia neque a nobis abesse volumus, neque tutior est locus, in quo illa a furacibus manibus defendi possint. Et sane quæ nostræ fidei atque custodiæ credita sunt, cum nostram diligentiam & fidem prædicamus, in sinu nos habere dicimus. Sic Cicero *ad Q. Fratrem: Cæsar mihi crede in sinu est, neque ego distringor.* Est autem *sinus* vox quædam, quæ partem illam corporis significat, 52. *Sinus quid.*

quæ

quæ brachiorum complexu continetur, nempe præcordia, pectus, vbera; item illam indumenti partem, quæ eadem corporis membra tegit & ornat. Partem significat corporis, *Eccl. VII, 10. Ira in sinu stulti requiescit.* illius tegumentum, *Exod. IV, 6. Mitte manum tuam in sinum tuum: quam cum misisset in sinum, protulit leprosam.* In sinu dicit habere se repositam spem illam, id est, in intimis præcordiis, quæ nunquam excidat; quæ non minus reficiat & integret languentem animum, quam præcordia corpus & vitam fouent atque conseruant. Et quidem experientia ipsa satis docet recreari animum, cum meminit sortis illius, quæ patientem expectat: & resurrectionis gloriæ, quæ morientem excipiet aliquando, cuius exemplar fuit Christi resurrectio, cuius passionem & ignominiam honor & immortalis gloria coronarunt.

53. Vers. 28. *Quare ergo nunc dicitis, persequamur eum.*] Exposuit prophetiam inspiratam a Deo, in qua confessus est diuinam prouidentiam, quæ laborantes recreat & morientes reuocat ad vitam: quod sperare se dicit ab eo, qui dolores inflixit. Quod si ita est, non est, cur Iobum amici reprehendant, quod neget, Deum curare hæc humana atque inferiora, aut de meliori statu & salute desperet, quo nomine male ab amicis acceptus est. Non inuenio, vbi hi tres amici aperte contra Iobum conspirarint, dixerintque seipsos mutuo cohortati; *Persequamur eum.* Sed credo hæc tunc dixisse, quando paulo ante dixit Iobus, *miseremini mei.* Quo tempore tam longe aberat, vt illos tam ærumnosi status misereseeret, vt potius se mutuo acuerent, vt illum vrgerent & insectarentur vehementius. Est autem mihi verisimile, cum primum Iobus absoluit illa verba: *Miseremini mei saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me;* accepisse diuinam illam illustrationem, de corporum resurrectione, & constitisse paulisper, quod necesse erat, ne aliquod verbum ex illo illustrissimo vaticinio præteriret. Eo
pag. 264. b autem spatio, quod interpositum est, quodque diuinum sibi vendicauit oraculum, dum Iobus sileret: videntur tres illi viri deliberasse, vt omni ratione illum persequerentur, quominus de Deo religiose locutus videatur. Hoc vero indicat illud, *nunc dicitis*, quod præsens indicat tempus & proximam illam coniurationem, quam modo Iobus in amicis accusat. Aut certe cum Iobus acceptum a Deo edidisset oraculum, quasi illum ex ipso dicendi modo iudicarant insanum, sicut alii quoque Prophetæ visi sunt, tunc autem persequi illum voluerunt ardentius, & discere, quo spiritu superiora illa verba ptotulisset. Id enim fortasse illud valet: *inueniamus radicem verbi*, id est, huius prophetiæ auctorem & causam.

Et radicem verbi inueniamus contra eum.] 54.
Radix illa est, vnde pullulant noua germina, grandes trunci, & in omnem partem patuli atque diffusi rami. Quare qui radicem invenit, ille quoque fundamentum inuenit, ex quo rami pullularent, & frondes, & propaginum ambitiosa luxuries; de huiusmodi ergo radice siue stirpe deliberabant hi amici, interim, opinor, dum intentus luci, qua illustrabatur a Deo, non existimabatur attendere his, quæ illi inter se mussitando de conuincendo aut opprimendo Iobo cogitabant. *Radix* autem *verborum* ea dicitur, quæ verba parit, id est, quæ latam præbet disputandi aut accusandi materiam. Hæc vero duplex est; de qua sit sermo præsens, incertum. Aut enim radicem quærunt verborum, quæ ipsi loquantur, id est, nouum aliquod crimen, quod obiiciant Iobo, & illud longis verborum ambagibus amplificent. Quomodo impii homines sermonem captabant contra iustum, vt in illum cum aliqua religionis specie calumniam intenderent. Qui sane eadem secum videntur meditari, quæ nunc isti in Iobum. Sic enim *versu 18. Tanquam nugaces æstimati sumus ab illo*, &c. *Videamus ergo, si sermones illius veri sint*, &c. *Contumelia & tormento interrogemus eum, & sciamus reuerentiam eius, & probemus patientiam illius.* Quod fecerunt principes sacerdotum, & scribæ contra Christum, quem in sua persona, tanquam in typo Iobus adumbrabat, de quibus Lucas *cap. XX, 20. Et obseruantes miserunt insidiatores, qui se iustos simularent, & caperent eum in sermone, vt traderent illum principatui, & potestati præsidis.* Aut certe radicem

dicem quærebant verborum, quæ a Iobo audierant, & quæ ipsi omnino non probabant, an videlicet aliquod verbum ex ignoratione, aut impietate, aut etiam ex desperatione provenerit. Quicquid illud sit, constat, illos contra innocentem & afflictum durius esse locutos, quam aut Iobi calamitas, aut ipsorum humanitas postularet. In priorem sententiam abeunt plures cum Hieronymo & Beda, & ab ea ego minus abhorreo: in posteriorem inclinat Sanctus Thomas, vtrique, vt diximus, probabiliter.

55. Vers. 29. *Fugite ergo a facie gladii, quoniam vltor iniquitatum gladius est: & scitote esse iudicium.*] Putabant tres amici Iobi, illum esse peccatorem, & peccatorum maximum, quia omnium maxime videbant a Domino percussum; se vero iustos, quia nihil videbant suis votis contigisse contrarium. Quasi post hanc vitam nihil debeat formidari mali, quod peccato respondeat, aut sperari boni, quod iustorum labores & merita compenset. Illorum cogitationem confutat, cum dicit re- pag. 265. a surrectionem esse carnis, & tempus post hanc vitam, in quo Deus muneret iustum & puniat peccatorem. vnde infert, minus amicos suos facere prudenter, cum persequantur hominem de se non male meritum: & materiam quærant, in quam stimulos exacuant suos, cum sit vltor Deus, qui miserorum causam suam esse ducit, neque peccata abire patitur impunita.

Et scitote esse iudicium.] Cum vniuersale iudicium carnis resurrectionem consequatur, satis est verisimile, illud etiam Iobo reuelatum a Domino, cum ab eodem de vniuersali resurrectione oraculum accepit. Quod ipse docuisse Iobus videtur, dum amicos docet, esse iudicium, nimirum extremum & generale, vbi omnes intelligant, neque peccata sine pœna, neque sine sua mercede virtutes abituras. Agere porro hic Iobum de vniuersali iudicio, dicunt Sanctus Gregorius hic, & Sanctus Thomas, cum quibus alii communiter sentiunt. 56.

pag. 265. b

Iobus resurrectionem & iudicium esse nouit.

ARGVMENTVM CAP. XX.

CVm Iobus horribilia quædam prædixisset de futuro iudicio, & de vltore gladio, commotus est grauiter Sophar, & curarum æstu in alias atque alias cogitationes impulsus, tandem auditurum se dicit, quod a Iobo dicatur, de rebus tamen se iudicaturum, non ex Iobi doctrina, sed ex eo, quod sua sibi intelligentia suggesserit. Et tandem iterat communem sibi cum amicis sententiam; nempe impiorum in hac vita certissimam ruinam, neque illius felicitatem & gaudium fore diuturna; deficient enim omnia siue ornamenta domus, siue vitæ subsidia: neque a filiorum fortuna vitæque probitate sperari posse stabile paterni nominis monumentum. A rebus præterea scelerate quæsitis nil esse sperandum præter ignominiam & durum exitium, quod tandem adducit illa, quæ videbatur esse mirifica suauitas, cum nihilo sit melior quam viperina rabies aut aspidis venenum. Ad extremum dicit, fraudulenta impii & occulta consilia reuelatum iri, & eum ad infimum deiectum iri locum, qui olim in sublimi superbe triumpharat.

CAPVT XX.

pag. 265. 1. RESpondens autem Sophar Naamathites, dixit:

2. Idcirco cogitationes meæ variæ succedunt sibi, & mens in diuersa rapitur.

PARAPHRASIS.

1. 2. Vbi Iobus verba habuit, a noua, vt apparet, illustratione profecta, adhibitis minis de futuro iudicio atque vltore gladio, animo commotus atque perterritus dixit Sophar: Magnus me huc atque illuc trahit cogitationum æstus, & ex aliis in alias cogitationes abripior. pag. 265.

3. Doctrinam, qua me arguis, audiam, & spiritus intelligentiæ meæ respondebit mihi.

3. Audiam non inuitus doctrinam tuam, o Iobe, dubiorum tamen, si qua inde nascentur, solutionem & lucem ex tuis sermonibus non sumam, sed ab eo, quod mea mihi mens & intelligentia suggesserit.

4. Hoc scio a principio, ex quo positus est homo super terram.

5. Quod laus impiorum breuis sit, & gaudium hypocritæ ad instar puncti.

4.5. Hoc mihi certum est, & ab ipso sæculorum exordio experimentis confirmatum assiduis, impiorum laudem & hypocritæ gaudium, ex vana multitudinis opinione conceptum, vsqueadeo fore non diuturnum, vt instar obtineat puncti.

6. Si ascenderit vsque ad cœlum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit.

7. Quasi sterquilinium in fine perdetur: & qui eum viderant, dicent: Vbi est?

6.7. Si eo se superbe extulerit, vt nubes transcendat, & ad cœlum vsque verticem attollat, tandem ad sterquilinii sordes abiicietur: neque illum quisquam in priori gloria, aut in hominum cœtu deprehendet.

8. Velut somnium auolans non invenietur, transiet sicut visio nocturna.

9. Oculus, qui eum viderat, non videbit, neque vltra intuebitur eum locus suus.

8.9. Vanescit prorsus, sicut spectrum obiectum dormienti; neque plus habebit firmitatis, quam species nocturna, quæ vix dum oblata nusquam apparet. Oculus enim, qui potentem & exultantem vidit, non videbit vltra, neque in eo loco rursus inueniet, in quo paulo ante florentem reliquerat.

pag. 266. 10. Filii eius atterentur egestate, & manus illius reddent ei dolorem suum.

11. Ossa eius implebuntur vitiis adolescentiæ eius, & cum eo in puluere dormient.

10.11. Neque illum, cum e viuis excesserit, pag. 266. *filiorum felicitas & gloria consolabitur. Illos enim perpetua insequetur egestas, & ipse eorum operum expendet pœnas, ad quæ impias & sceleratas manus adiecerat. Hærebit enim illi peccatorum pœna vsque adeo tenaciter, vt ad sepulcrum vsque comitetur, & in illo cum ossibus perpetuo maneat.*

12. Cum enim dulce fuerit in ore eius malum, abscondet illud sub lingua sua.

13. Parcet illi, & non derelinquet illud, & celabit in gutture suo.

12.13. Quantum ex malo voluptatis cepit, tantum capiet ex supplicio doloris. Tanta autem auiditate ac studio ad turpes ineptasque voluptates rapitur peccator, vt illarum partem nullam perire velit. Sed quemadmodum helluo in cibum gustatu non ingratum omnia intendit & incitat captandi saporis instrumenta, versat enim cibum in ore, continet sub lingua, celat in gutture: sic etiam peccator ad suas delicias omnes intendit voluptuarios sensus.

14. Panis eius in vtero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus.

15. Diuitias, quas deuorauit, euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus.

14.15. Panis, quem impius, vt maiorem ex eo voluptatem caperet, celabat sub lingua, vt sæpius regustaret, cum in stomachum venerit, vertetur in amarum pestilensque venenum, quale est illud, quod alit & vomit viperina rabies. Quod si quas diuitias inique comparatas deuorauit,

rauit, illas licet inuitas euomet cum dolore; de ipsius quippe visceribus extrahet vltor Deus.

16. Caput aspidum suget, & occidet eum lingua viperæ.

17. Non videat riuulos fluminis, torrentes mellis, & butyri.

16. 17. Qui peccatum bibit, & alienas deuorat facultates, similis est illi, qui venenum haurit a viperino capite, quem tandem aspidis morsus extinguet. Et cum sibi torrentès polliceatur mellis, & lactis, & rerum omnium iugem abundantiam: nihil tamen ad illum eorum pertinebit, quæ sibi perpetua ac propria futura crediderat, & quibus ad miraculum vsque prius abundabat.

18. Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur: iuxta multitudinem adinuentionum suarum, sic & sustinebit.

18. Luet ad vnum omnia, quæ violenter & flagitiose fecit, neque illum dolorum consumet acerbitas, vt pœna sit diuturna magis, quia ea peccatorum multitudo & grauitas exiguo tempore aut supplicio leui compensari non possunt: Neque temere supplicium iudex æquus imponet, sed iuxta scelerum mensuram, cuius pondus impius recusare non poterit.

19. Quoniam confringens nudauit pauperes: domum rapuit, & non ædificauit eam.

20. Nec est satiatus venter eius: & cum habuerit quæ concupierat, possidere non poterit.

19. 20. Oppressit inclementer pauperem, cuius diripuit domum, & ad suos vsus violenter auertit; non tamen ex illa aliquid capiet voluptatis & vsus, licet in ea ad suam commoditatem ædificanda magnos fecerit sumptus. Neque suæ cupiditati ac ventri satisfaciet, quantumcumque auare atque tyrannice congesserit. Quod si quæ suis votis ac studiis proposuerat, obtinere contigerit, non tamen consequetur, vt illa tanquam sua quieto dominatu possideat.

pag. 267. 21. Non remansit de cibo eius: & propterea nihil permanebit de bonis eius.

22. Cum satiatus fuerit, arctabitur, æstuabit, & omnis dolor irruet super eum.

21. 22. Quia bona siue iuste, seu secus comparata suæ tantum libidini atque abdomini seruire fecit, neque quid miseri patiantur aut videt, aut curat, propterea faciet Deus, vt facultates illæ male pereant. Neque si se cibis expleuerit, solidam ex illis voluptatem capiet; patietur enim angores & æstus, viscerum tormina & pœnas dabit intemperantiæ non leues. pag. 267.

23. Vtinam impleatur venter eius, vt emittat in eum iram furoris sui, & pluat super illum bellum suum.

23. Vtinam tyranno & prædatori sua vota contingant, & illius venter sumptis a rapina cibis impleatur. Quia cito scio habiturum illum intra viscera, quod pœnas exigat alienæ prædæ, quodque illi intestinum indicat bellum, & variis tandem doloribus excruciat.

24. Fugiet arma ferrea, & irruet in arcum æreum.

25. Eductus, & egrediens de vagina sua, & fulgurans in amaritudine sua: vadent & venient super eum horribiles.

24. 25. Qui vt famem euitet & inopiam, prædas agit, & alienis opibus insidias parat, perinde facit, atque ille, qui dum leuiora fugit, in multo grauiora incurrit incommoda. Qualis est ille, qui gladii petitionem declinat, & a sagittarii spiculo transfigitur. Eximet iratus

Deus de vagina gladium, & de pharetra sua sagittas expromet, quas etiam atque etiam in tyrannum & impium vibret, quæ horribilem in modum illius bona & ipsum etiam peccatorem euertant.

26. Omnes tenebræ absconditæ sunt in occultis eius: deuorabit eum ignis, qui non succenditur, affligetur relictus in tabernaculo suo.

26. Omnem locum, ad quem declinandi periculi gratia confugerit impius, occupabunt tenebræ; & quæ in tenebris significantur, angor, sollicitudo, & dolor: & consumet illum ignis, non qui ab hominibus excutitur & fouetur, sed qui a Domino vibratur e cælo. Et sedebit in tabernaculo ab omni hominum consortio atque solatio derelictus.

27. Reuelabunt cæli iniquitatem eius, & terra consurget aduersus eum.
28. Apertum erit germen domus illius, detrahetur in die furoris Dei.

27. 28. Sicut impius, dum suæ obsequitur libidini, cælum terramque offendit, & in suum caput quodammodo lacessit; sic in illius exitium vtrumque conspirat, & quæ tacite moliebatur inique in lucem euocat, & in hominum oculos. Cælum igne & spiritu procellarum; terra conuitiis, & immissis illis, qui ipsum male partis opibus expolient. Tunc autem apparebit, vndenam luculentæ domus ornamenta prouenerint, & qui prius sublimis videbatur, & exemptus a turba, vbi Deus illum seuere percusserit, ab excelso gradu ad infimam vsque conditionem descendet.

29. Hæc est pars hominis impii a Deo, & hæreditas verborum eius a Domino.

29. Hoc expectare potest a Domino tyrannus & impius: hæc merces vitæ crudeli ac barbaræ respondet.

Vers. 2. *Idcirco cogitationes meæ variæ succedunt sibi, & mens in diuersa rapitur.*]

pag. 267. I. APparet ex his Iobi sermonibus, non parum esse commotum animum Sophar, quia proditam dixerat ab amicis fidem, quam integram seruare debuerant, & illis ab vltore gladio fuerat supplicium comminatus. Quare illi accidit, quod in seipsis experiuntur plurimi, dum graui aliquo commouentur affectu, qui modo in hanc, modo in illam cogitationem rapiuntur.
pag. 268. a Accedebat, quod hoc articulo aderant plurimæ perturbationum causæ: primum indignatio, quod Iobus in illos tam esset locutus libere, & illorum exprobrasset captiosum animum & inclementem; & qui sibi ambitioso spiritu consilium & intelligentiam arrogarent. Deinde timor, ne verum esset, quod in extremo capite dixerat; cum iudicium esse prædiceret, & gladium vltorem, qui supplicium exigit a sontibus, quales ipsi, tametsi obscurius, iudicabantur a Iobo. Hic timor nonnihil conscium commouebat animum, & in tristes trahebat cogitationes, quia & sapientem antea cognouerat Iobum, neque propter morum innocentiam indignum, quem Deus altioribus disciplinis imbueret, & ipse hominis habitus aut cum sileret, paulo antequam verba loqueretur prophetica, & diuino illustraretur oraculo, aut ipso verborum sono, & noua forma dicendi aliquid portendebat illum accepisse diuinitus. Sed illud quoque cogitare potuit Sophar, hæc verba potius esse somniantis aut delirantis hominis, quam eius,

eius, quem ſpiritus afflauiſſet diuinus. Quare variæ illius mentem verſabant cogitationes, quæ ſibi viciſſim ſuccedebant, & aliæ ab aliis viciſſim pellebantur. Dubitabat enim, an fides eſſet habenda verbis hominis, in quo mens & iudicium parum viderentur habere conſtantiæ: & huc inclinabat animus. Deinde ſuccedebat alia cogitatio, quæ non indignum putabat Iobum, cui in re tam graui haberetur fides: Et ab hac aut pellebatur, aut nutabat ſuperior cogitatio. Quid in hoc cogitationum æſtu ſtatuerit, ipſe docet ſtatim *v. 3.* vbi nos pluribus.

2. Hanc dubitationem, ſeu cogitationum diverſarum eodem tempore congreſſum, per æſtum ſeu fluctus expreſſerunt Latini, quia fluctus pellit atque diſſoluit fluctum, & rurſus hic ab alio in pelago feruente & ventorum agitatione turbato. Sic Maro *lib. 8. Æneid.* ſollicitum animum, & in vario rerum conflictu dubitantem expreſſit:

---Quæ Laomedontius heros
Cuncta videns magno curarum fluctuat æſtu,
Atque animum nunc huc celerem, nunc diuidit illuc,
In partesque rapit varias, perque omnia verſat.

Multa huius generis inuenies, quibus animi fluctuantis inconſtantia deſcribitur.

3. Verſ. 3. *Doctrinam, qua me arguis, audiam, & ſpiritus intelligentiæ meæ reſpondebit mihi.*] Poſt dubitationem longam, & conſultationem item longam ſecum, aut etiam fortaſſe cum aliis eiusdem ſpiritus atque conſilii ſociis, tandem ſtatuit Sophar, verborum ſeu vaticinii Iobi nullam habendam eſſe rationem, neque deſerendam intelligentiam, quam domo ſecum attulerat, & adhuc retinebat animo. Atque ideo affirmat auditurum ſe, quid Iobus, aut dicat, aut velit: dubiorum tamen ſolutionem & lucem ſumendam eſſe non ab eo, quod docuiſſet Iobus: ſed ab eo, quod ſua ſibi mens & intelligentia ſuggereret; quaſi illud, quicquid eſſet, a meliori iudicio foret & a maiori ſapientia profectum. Quare diſputationem orditur non ab ea doctrina, quam proxime acceperat a Iobo, ſed ab illa, quam in Idumæorum ſcholis ante didicerat; & quam a maioribus hauſtam confirmarat dæmon, quia ea ad deſperationem & blasſphemiam facilius putabat adactum iri Iobum.

Verſ. 4. 5. *Hoc ſcio a principio, ex quo poſitus eſt homo ſuper terram, quod laus impiorum breuis ſit, & gaudium hypocritæ ad inſtar puncti.*] Hinc Sophar nihilo melior quam antea, neque vllo modo a ſeipſo mutatus, incipit iisdem, quibus alii, ſtimulis Iobum compungere: & quaſi hominum peccatorum maximum, omnium maximas vltori Deo pœnas dediſſe. Dum enim hypocritæ atque impii ſtatum atque exitum deſcribit, quod facit toto capite, ſibi propoſuiſſe videtur Iobi ſtatum, quem ad hoc vsque tempus florentem habuit; & quæ rerum fortunæque conuerſio conſecuta ſit. Hoc itaque ſtatuit in principio tanquam omnium, quæ dicere meditabatur, fundamentum, impiorum laudem, & adulatorum commendationem, non fore diuturnam, quia nimirum ipſa, agente nemine, prodet improbitas, quæ hominem exiſtimatum ab ignobili multitudine non omnino malum, abominabilem oſtendet: & gaudium, quod ex rerum abundantia, hominum gratia, & filiorum numeroſa ſobole capiebat, vsque adeo futurum eſſe momentaneum; vt inſtar obtineat puncti, quod nihil aut parum diſtat a nihilo. Id vero dicit a ſæculorum omnium exordio fuiſſe experimento comprobatum. Spectabat, opinor, Sophar prima tempora, & auctorum atque parentum humani generis antiquisſimam hiſtoriam, quæ ab Abrahamo, ex quo genus ducebat Eſau Idumæorum pater, per poſteriorum manus ad eius vsque ætatem fuerat transmiſſa. Notum eſt, quam fuerit Adami mutata conditio, poſtquam impoſitum ſibi mandatum a Domino transgreſſus eſt; vt illius primogenitus Cain fratricidii reus factus, & profugus ſuper terram, vitam ageret, & timoris plenam, & quotidianis periculis obnoxiam.

pag. 268. b
4.

Verſ. 6. *Si aſcenderit vsque ad cœlum ſuperbia eius, & caput eius nubes tetigerit.*] *Superbiam* pro gloria atque ſplendore ſumi, res eſt nota, & nos multis oſtendimus *in noſtris Commentariis ſuper Iſaiam* ad illud *cap. LX, 15. Ponam te in ſuperbiam ſæculorum*, id eſt, faciam te eſſe inter omnes ſplendoris eximii. In hoc ſenſu *Prou. IIX, 18.* de ſapientia legimus: 5.

Superbia *pro ſplendore & gloria.*

Mecum sunt diuitiæ, & gloriæ, opes superbæ. & *Isai. LXI, 6. Fortitudinem gentium comedetis, & in gloria earum superbietis.* Apud profanos id multo frequentius. Virgil. *lib. 1. Æneid.*

Hinc populum late regem, belloque superbum.
Et *lib. 3.*

Barbaricos vectes auro spoliisque superbi.

6. *Cælum prouerbiali specie magnum addit rebus incrementum.* Quare hoc loco superbia idem est, quod amplitudo & gloria. Quod autem magnum est, ad cœlum ascendere dicitur, seu cœlum contingere, prouerbiali dicendi figura, non solum apud sacros, sed etiam apud profanos scriptores. Sic apud Isaiam Rex Babylonis, dum suum iactaret splendorem & potentiam *c. XIV, 13.* dicebat: *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum.* Et Christus *Matth. XI, 23.* de Capharnaum: *Numquid vsque in cœlum exaltaberis?* Apud profanos multo frequentius, & vulgari sermone magis tritum. Vnde cum quis suam felicitatem admiratur & prædicat, dicere solet: *In cœlo sum.* Sic Cicero de Bibulo, qui magnis a populo efferebatur laudibus, scripsit *ad Atticum: Bibulus in cœlo est, ita laudatur, quasi vnus* pag.269.a *homo nobis cunctando restituit rem.* & de se ipso ad eundem: *Si quæ de me pacta sunt, ea non seruantur, in cœlo sum.* Idem explicant alii, cum dicunt, se cœlum attingere, aut digito, vt de quibusdam lautis dixit Cicero, aut lancea, vt quidam, qui de se subactis prouinciis sibi ipsis gratulabantur. vide Adagiographum *chiliade 4. cent. 3. num. 68.* de capite aut vertice, quod hic habemus, exempla sunt plura. Senec. *in Thyeste act. 5.*

Æqualis astris gradior, & cunctos super
Altum superbo vertice attingens polum.

Horatius *lib. 1. Ode 1.*

Quod si me Lyricis vatibus inseris,
Sublimi feriam sidera vertice.

Ouidius:

Quo coniuge felix
Et Diis chara ferar, & sidera vertice tangam.

Hispanus, cum hominem potentem & diuitem, cuique pro votis succedunt omnia, significare vult, hoc ferme modo explicare solet: *esta en el cuerno de la Luna.*

7. Vers. 7. *Quasi sterquilinium in fine perdetur: & qui eum viderant, dicent, vbi est?*] Priora verba priorem Iobi fortunam exprimebant: sic enim abundabat opibus, sic erat omnibus gratus & amabilis, vt nihil ad summam felicitatem desiderare posse videretur: ita vt vulgus hominum siue adulando, siue iuxta familiarem illius regionis ac sæculi dicendi modum, dicere potuerit, ad cœlum vsque illius ascendisse gloriam, & caput ad nubes vsque fuisse sublatum. At hæc posteriora præsentem proponunt accurateque describunt ærumnosum statum ac sordidum, in quem deiecta est tam præclara dignitas, & cum tam eximio nomine tanta potentia. Neque enim sine causa meminit sterquilinii, quia in illo iacebat Iobus, quasi cadauer belluæ putridum & laceratum a canibus: sic a seipso mutatus, vt nemo illum Iobum esse crederet, etiam qui illum prius familiarem & necessarium habuissent. Id enim valet illud: *Et qui eum viderant, dicent, vbi est?* Ac si dicat, qui illum ante optime norant, si tamen illum requirant, habeantque præsentem, non agnoscent, quia in Iobo nullum Iobi vestigium inuenient, & in Iobo Iobum absentem requirant. Quomodo si flumen arescat, diceres non inepte, vbi est fluuius? quia nullum fluminis apparet in flumine vestigium. Quomodo Manilius dixit *lib. 5.*

Illis in ponto iucundum est quærere pontum.

Et quod de Laureolo, aut vero, aut personato cecinit Martialis *in Amphitheatro epigram. 7.*

Inque omni nusquam corpore corpus erat.

In toto hoc capite ita impium hominem & hypocritam describit Sophar, vt studeat veram Iobi effigiem suis depingere coloribus. Et licet non nominet, callide tamen ita persequitur singula, quæ olim habuit in priori fortuna, & quæ nunc patitur in posteriori, vt dubitare nemo possit, intentam esse narrationem totam in Iobum, imo intentum digitum, qui illum manifeste designet.

Vers. 8. *Velut somnium auolans non inuenietur: transiet sicut visio nocturna.*] Somnium prouerbialis forma, in omni, vt reor, gente pro re sumitur prorsus inani, & quæ nihil habet, præter vanam effigiem, quæ cum eludat mentes, vanescet statim, neque quicquam relinquit, nisi de fallaci gaudio triste desiderium. Quare cum aliquid vanum significamus, 8. *Somnium pro re leui & vana.* pag.269.b

camus, & de quo ſperari nihil poſſit, *ſomnium* dicimus. Sic Comicus *in Adelphis, de argento ſomnium.* Vere itaque diuitiæ, & opes, & quæ bona homines dicunt eſſe fortunæ, vocari poſſunt ſomnia, quia cito auolant, neque explent animum, & quantumcumque abundent, ieiunum relinquunt & hiantem animum. Apud profanos ſæpe res natura ſua fugaces, quæque nihil habent ſolidi, ſomniis comparantur, neque id eſt in ſacris literis infrequens. *Pſalm. LXXV, 6. Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt viri diuitiarum in manibus ſuis.* Et *Iſaias cap. XXIX, 7.* cum ageret de victoria, quam de Hieroſolyma retulere Chaldæi, de qua illis diu exultandum non fuit: *Et erit ſicut ſomnium viſionis nocturnæ multitudo omnium gentium, quæ dimicauerunt contra Ariel*, &c. *Et ſicut ſomniat eſuriens, & comedit, cum autem fuerit expergefactus, vacua eſt anima eius: & ſicut ſomniat ſitiens, & bibit, & poſtquam fuerit expergefactus, laſſus adhuc ſitit, & anima eius vacua eſt*, &c.

9. *Bona humana mera ſunt ſomnia.* Hæc ſomnii natura, & ex eo ducta ſimilitudo ſatis oſtendunt, quo loco hæc, quæ ab hominibus exiſtimantur bona, haberi debeant. Audi Gregorium in hunc locum, qui cum dixiſſet horum viſionem eſſe phantaſma, quæ oſtendit in imagine, quod non habet in veritate, addit: *Sæpe namque in nocturna viſione nonnullos pauperes factos ſe diuites admirantur, deferri ſibi honores aſpiciunt, diuitiarum moles, obſequentium multitudinem, pulcritudinem veſtium, abundantiam ciborum ſibimet adeſſe conſiderant: gaudent ſe euaſiſſe penuriam, quam cum gemitu tolerabant. Sed repente cum euigilant, inueniunt, quam falſum fuerit, quod gaudebant, eoſque euigilaſſe pœnitet, quia vigilantes inopia vera tenet.* Deinde ad extremum addit, tunc hoſce dormientes excitari ab hoc ſomno, & ablatas illas ſpecies illudentes abſcedere, cum hora mortis aduenerit; *Cum mens*, inquit, *eius in mortis carne euigilat, cognoſcit procul dubio, quia fauores circa ſe hominum dormiens videbat.* Idem pene Auguſtinus *ad locum nuper citatum ex Pſ. LXXV, 6. Amauerunt*, inquit, *præſentia, & dormierunt in ipſis præſentibus, & illis facta ſunt ipſa præſentia delicioſa, quomodo qui videt per ſomnium inueniſſe ſe theſauros, tamdiu diues, quamdiu non euigilet. Somnium illum diuitem fecit, euigilatio pauperem fecit. Tenuit illum ſomnus fortaſſe in terra dormientem, & in duro iacentem, pauperem & forte mendicum. In ſomnis vidit ſe iacere in lecto eburneo, vel aureo, & in plumis aureis altius extructis*, &c.

Rerum humanarum futilitas in morte cognoſcitur.

Addam hic ego aliquid ex humana literatura, quæ docet non ſolum ſomniare, qui diuitias captant, & opes fugaces, & caducas, aut ineptas voluptates, ſed etiam inſanire, cum ipſi ſibi ſomnia fingant, & voluptates captent, aut videant, vbi tantum ſunt voluptatum aut opum inanes quædam atque fallaces vmbræ. Refert Ariſtoteles *libr. de mirab. auſcult. numer. 10.* in Abydo, *inſanum quendam hominem ingreſſum in theatrum vacuum, multoſque dies illic diligenter, tanquam in eo eſſent hiſtriones, applauſiſſe, & acclamaſſe admirabundum. Cæterum mente recepta dixiſſe, nunquam ſe vixiſſe ſuauius.* Refert etiam Athenæus *lib. 12. cap. 32.* ex Heraclide Pontico, fuiſſe virum quendam Thraſylaum nomine, *ea affectum inſania, vt omnia nauigia, quæ in Pyræum ingrederentur* (portus is eſt Athenis) *ſua eſſe exiſtimaret, eaque in ſuis libris deſcriberet, emitteret, gubernaret, aduenientia cum gaudio exciperet tanto, quanto quiſpiam excipere poſſet, qui omnium earum rerum eſſet dominus. Vbi vero ab inſania liberatus fuit, commemorabat, nunquam ſe, dum viueret, tantum eſſe lætatum.* Habes viuam imaginem eorum, qui humanas ſectantur voluptates & commoda: qui tantum ſibi ex illis hauriunt ſuauitatis aut commodi, quantum fingit delira mens & fatuus error; qui ſe tunc magis eſſe putant fortunatos, quando prudentibus & ſanis magis videntur eſſe miſerabiles; qui ita ſe ſapere putant, cum ad hæc aſpirant, & in his ſeſe intemperanter oblectant, vt ægre ferant ſe ab aliis admoneri, & eos, qui ſapiunt, quia alta curant, ſtultos eſſe iudicent & inſanos. 10.

Humanæ opes bona ſunt non vera, ſed picta.

pag. 270. a

Verſ. 9. *Oculus, qui eum viderat, non videbit.*] Sicut ſpecies oblata dormienti, vbi homo euigilare cœperit, non apparet, ſed ita confeſtim euaneſcit & auolat, vt neque ille, qui ſe videre exiſtimabit, & frui, in rerum natura, aut in ſua cogitatione fuiſſe recordetur. Sic qui hoc hominum genus e ſua dignitate cecidiſſe 11.

cidisse viderint, licet ante fuerint cum illo familiariter versati, non amplius illi assuescent, vt antea, neque dignum putabunt, quo cum viuant, imo neque suo dignabuntur aspectu.

12. *Neque vltra intuebitur eum locus suus.*] Hebraica phrasis pro eo ac si dicat, non apparebit amplius in loco suo, in loco, inquam, pleno dignitatis & gloriæ, in quo aliis se spectandum & venerandum ostentabat. Sic supra *cap. IIX, 18.* vbi agitur de scirpo viridi prius, post autem arefacto, ita vt alius videatur ab eo, qui eodem in loco paulo ante fuerat: *Si absorbuerit eum de loco suo, negabit eum* (nempe locus) *& dicet, non noui te.* Sic etiam hic locus dicitur non visurus, aut negaturus hominem e suo statu miserabili ruina collapsum: quia in tali specie nunquam antea conspexerat. Eodem modo locutus est supra *c. VII,*

Hypallage in Scriptura frequens. *10. Nec cognoscet eum amplius locus eius:* nisi mauis hic esse Hypallagem Hebraico idiomati familiarem, in hunc sensum: Non amplius intuebitur locum suum, nempe quem amisit. Aliquot huius exempla habes apud Pagninum *in institution. lib. 4. cap. 11.* vnum, aut alterum illorum adducam, *4. Reg. IX, 30.* vbi de Iezabel dicitur, *depinxit oculos suos stibio.* Hebraice est, *posuit oculos suos in stibio,* pro *posuit in oculis suis stibium.* Sicut vertit Hieronymus *Psalm. XIIX, 6. In sole posuit tabernaculum suum,* id est, in tabernaculo suo posuit solem. Huic dicendi modo similis alius, qui in Scriptura sacra frequenter occurrit, nempe, *non esse inuentum alicuius locum,* pro, non esse hominem inuentum in loco. *Zachar. X, 11. Et non inueniatur eis locus,* pro, non inuenientur illi in loco. *Psal. XXXVI, 16. Quæsiui eum, & non est inuentus locus eius. Dan. II, 35. Contrita sunt pariter ferrum, testa, æs,* &c. *nullusque locus inuentus est eis.*

13. Vers. 10. *Filii eius atterentur egestate, & manus illius reddent ei dolorem suum.*] Paren-

pag. 270. b tes ideo plerumque congerendis student pecuniis, vt auctos relinquant filios suos opibus, in quorum ipsi splendore splendeant: & in vita amplissimis ornata & illustrata luminibus, ipsi quoque vita functi naturali, gloriosi quodammodo perpetuo viuant. Sed impii atque hypocritæ non assequentur, quod optabant, quia filios, quorum ipsi seruiebant abundantiæ & gloriæ, arctabit & opprimet egestas; & qui magnam putabantur habituri familiam & splendidam domum, illi domo pulsi alienis impendiis ædificata, precario viuent, quos ad alienam misericordiam adiget extrema necessitas. Hoc idem impiis *Psalm. CIIX, 10.* non tam precatur, quam prædicit David: *Nutantes transferantur filii eius, & mendicent, & eiiciantur de habitationibus suis.* Est autem filiorum inopia siue dolor, maximo parentibus dolori, in quorum corpore non minus acerbe cruciantur, quam in suo. Hieronymus hoc loco filios in latiore significatione sumit; non solum enim filios intelligit carnales, sed etiam opera, quæ interdum filiorum appellantur nomine, aut qui illum obseruabant, vt patrem, aut imitabantur, vt magistrum. & deinde inducit Sophar his verbis cum Iobo colloquentem: *Quod iam in filiis tuis carnalibus, operibus quoque tuis vides esse completum.*

Et manus illius reddent ei dolorem suum.] 14.
Ac si dicat, comedet fructum laborum suorum: aut quod dixit quidam ex profanis, vlciscentur illum mores sui, quia talia patietur damna, qualia aliis inflixit. Quod aliter dixit *Isaias cap. III, 11. Væ impio in malum, retributio enim manuum eius fiet ei.* Ita Hieronymus; *Id,* inquit, *operatus est, vnde malum vindictæ, operante Dei iustitia, recipere meretur, expendet enim pœnas eorum operum, ad quæ impias & sceleratas manus adiecit.*

Vers. 11. *Ossa eius implebuntur vitiis adolescentiæ suæ, & cum ipso in puluere dormient.*] 15. *Adolescentiæ vitia senectutem comitantur.*
Hic locus grauis est pro moribus, neque vno ab omnibus accipitur modo. Quidam *in vitiis* id intelligunt, quod proprie significat, & hanc existimant esse sententiam, hominem assuetum peccatis, ab ætate prima non recessurum ab illis, etiam cum in senectute iuuenilis æstus deferbuerit: imo cum in sepulchrum illatum fuerit flagitiosum & iuuenili incontinentia contaminatum cadauer, cum ipso quoque commoratura, quæ vitam non deseruere inolita flagitia. Quæ sententia vulgaris est & prouerbialis, quam experientia veram esse docuit, cum magno hominum dedecore ac malo, qui oppugnari se vident hostili modo senes, ab illis vitiis, quibus se in adolescentia immoderate tradiderunt: licet negari

negari non posset in his verbis, quocumque modo sumas, hyperbolicam esse locutionem, a qua Scriptura sacra non abhorret. Hoc multis modis explicuere profani. Sed omnium optime Hieronymus *in ep. ad Lætam* de institutione filiæ: *Difficulter eraditur, quod rudes anni perbiberunt. lanarum conchylia quis ad pristinum candorem reuocet? Recens testa diu & saporem retinet, & odorem, quo primum imbuta est.* Alludit hic Hieronymus ad illud Horatianum, quod vim iam obtinet proverbii:

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem
Testa diu.

pag. 271. a Quod etiam in sacris literis non semel audimus. Illud est tritum *Prou. XXII, 6. Adolescens iuxta viam suam, ita etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Neque parum iuuat hanc explicationem, quod proxime sequitur, de quo mox. Nam in eo ratio videtur ostendi, cur peccata, quæ in teneris annis placuerunt, ad vltimum vitæ tempus producantur. Sed non hæc satis apte veniunt ad institutum Sophar, qui hoc loco non tam agit de peccatis, quæ inoleuerunt peccatoris ossibus, quam de pœnis, quas peccator ipse commeruit, quasque illi suo infliget tempore diuina seueritas.

16. Quare plerique alii de peccatorum pœnis accipiunt, quas luet peccator, eo supplicii genere, quod hic pluribus a Sophar otiose describitur. Quod enim *peccatum*, & quæ peccato affinia sunt, vt *vitium*, *impietas*, *iniquitas*, ac similia, pro illorum pœnis vsurpentur, satis est notum, neque a nobis semel variis in locis declaratum. Tunc autem hæc erit sententia: nullum erit peccatum, de quo Deus non exigat pœnas, tametsi, quia iamdudum admissum est, illius Deus alicui videri potuerit oblitus. Hærebit autem illi pœna vsque adeo tenaciter, vt ad sepulchrum vsque comitetur: & in illo cum ossibus perpetuo maneat. An hic Sophar de pœna loquatur æterna, quam subibit peccator in damnatorum carcere, de qua nonnulli putant nihil agnouisse tres hosce viros, an de alia pœna, quam scelerati homines post mortem subire & possunt, & solent, nihil est certum. Est tamen certum, aliquod esse supplicium, quod ab hominibus homines, postquam e viuis excessere, patiuntur.

Peccatorum diuturnum supplicium etiam post mortem.

17. *Quomodo post mortem puniantur impii.*

Quale est, quod relicti filii egestate premantur, & precario ac mendicato viuant, quod illius sit apud posteros odiosum nomen & execrabilis memoria: quod disturbentur, si qua in illius honorem excitata fuerunt monumenta: quod cadauer e ligno suspensum, aut humi insepultum, aut in sterquilinio putrescat: quod effodiatur e sepulcro, & ossa, quæ reliqua fuerant e toto corpore, indecore dispersa omnibus populis peccatoris tyrannidem & impietatem euulgent. Hoc est peccatoris ossa vitiis impleri, id est, nunquam videri non execranda, & dormire in puluere; quia quantumcumque tegantur sepulcrali puluere, ibi tamen pessimi nominis fœtorem aspirabunt. Meminit autem ossium præcipue, quia hæc multis durant sæculis, cum alia omnia, quæ humani corporis molem componunt & ædificant, mollia sint & fluxa, & exanimato corpore temporis momento redigantur in puluerem. At ossa propter suam firmitatem & duritiem, post multa annorum millia effossa quotidie videmus e sepulchris. Nihil igitur aliud hic significari arbitror, quam impiorum supplicium, & dedecus futurum esse diuturnum.

Vers. 12. *Cum enim dulce fuerit in ore eius malum, abscondet illud sub lingua sua.*] Si priorem explicationem sequaris, dicasque, vitia, quibus assueueris adolescens, non esse in senectute deserenda, videbitur explicatio non inepta, si dicas, impium allectum peccati suauitate, non sibi facile persuadere, vt illud omnino, aut statim abiiciat. Atque ideo dum ægre fert ea suauitate priuari, qua ratione potest, gustum illius aut odorem protrahit, donec tandem senectus obrepat, aut interitus. Quod optima explicat similitudine sumpta ab homine helluone, & qui ex ciborum suauitate voluptatem captat. Ille enim vbi in bolum incidit, qui maxime est ad palatum & gustum, non audet illum statim vorare, sed versat in ore, & sub lingua continet: regustat sæpe, & ne breuis sit illa voluptas, parce de illo aliquid delibat, & dum in illo regustando atque lambendo deliciatur morosius, multum extrahitur temporis, & nox tandem aduenit & somnus, quæ voluptatem illam interrumpunt. pag. 271. b

18. *Grata senibus iuuentutis vitia, quibus assueuerunt.*

19. Sed quia posteriorem explicationem magis probamus, aliter hanc similitudinem interpretemur necesse est. Ego nil aliud hic significari puto, quam quod de Babylone dixit Ioannes *Apocalyp. XIIX, 7. Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Quantum ex malo voluptatis cœpit, tantum capiat ex supplicio doloris. Et cibus ille, qui oblectauit palatum, ille idem postea viscera disrumpet; quod statim magis explicat & amplificat. Est autem hæc sententia sæpius a profanis repetita, & prouerbiali figura proposita. Qualis est illa, μηδὲ ἐμοῖ μέλι, μηδὲ μέλιττα, quam ego sic expono, *nolo mellis suauitatem, ne mihi apis aculeum infigat.* Et illa, ἀπωτίσεις χοῖρε τὰ γίγαρτα. qua significamus, voluptatem, quam in conceptu capiunt fœminæ grauissimo puerperii dolore compensari. Vt autem illum impensè deditum alicui studio, seu voluptati significamus, qui nihil ex eo genere perire vult, sed omnes voluptarios sensus excitat, vt ex re, quam amat, quam maximas potest, voluptates capiat. Quare oculos illius pascit & retinet pulcritudine, odoratum & gustum illius odore & suauitate satiat; sic nunc quanto quis affectu feratur in malum, eo significatur modo, quia in illud tanquam in suauissimum cibum, omnia intendit, & incitat gustatus instrumenta, versat in ore, continet sub lingua, celat in gutture, neque quicquam esse vult ab illius sapore & suauitate vacuum.

Pœna pro mensura voluptatis.

20. Vers. 14. *Panis eius in vtero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus.*] Panis ille, in quo quilibet, iuxta Hebræorum idioma, cibus intelligitur, quem impius, vt maiorem ex illo voluptatem caperet, versabat in ore, vbi delapsus in stomachum venerit, vertetur in amarum pestilensque venenum, quod acerbissimum primum dolorem, deinde morbum & exitium inducat, neque alius ab ea voluptate blandiente expectandus exitus. Talem descripsit nobis Salomon *Prouerb. XXIII, 31. Ne intuearis vinum, quando flauescit, cum splenduerit in vitro color eius, ingreditur blande, sed in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet.* Fel pro veneno, non solum sacri, sed etiam profani scriptores vsurpant. De sacris est illud *Deut. XXXII, 33. Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.* In posteriori hemistichio explicatio est prioris. Neque aliud est fel draconum, quam venenum aspidum. Apud profanos id multo frequentius. Plinius *lib. 11. cap. 37.* fel esse dicit aspidum venenum. Ouidius *libr. 1. de Ponto eleg. 2.* de Getis, qui venenatis vtebantur sagittis, ait:

Voluptatis amarus exitus.

Qui mortis sæuo geminent vt vulnere causas,
Omnia vipereo spicula felle linunt.

Quare qui peccatum biberit, quod nihilo difficilius facit impius, quam si poculum hauriat aquæ frigidæ, is Circæum haurit poculum, quo mutatur in belluam, aut venenum haurit viperinum, & in eo præsentissimam mortem. pag. 272. a

21. Vers. 15. *Diuitias, quas deuorauit, euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus.*] Eadem sententia aliter explicata, quæ dolorem indicit iniustæ voluptati. Dulce est tyranno, quocumque artificio aut modo diuitias congerere, & alienum, sanguisugæ more, sanguinem exugere, dum augeat suum. At durum est, extrahere de ventre imisque visceribus, quod cum suauitate vorauerat, & exanguem illum relinquere, qui infirmiorem turbam spoliatam bonis, vitæque subsidiis exanguem reliquerat. Hic simplicissimus est & germanus sensus: Neque enim hic aliud agit Sophar, quam docere, impiorum audaciam & vim iniustam non abituram impune. Sed Patres hic aliquid vident, minus quidem ad literam, sed valde ad rem moralem opportunum. Gregorius Magnus ad illos accommodat, qui doctrinæ magnas congregarunt diuitias, quibus cum rectam operationem non adiungunt, doctrinam perdunt: *Diuitias*, inquit, *sacrilegas, quas legendo deuorauit, obliuiscendo euomit, easque de ventre illius Deus extrahit, quia quod obseruare noluit, iusto iudicio de eius memoria euellit.* Nazianzenus *orat. 9. ad Iulianum: Ne ex aliorum egestate opes nostras comparare sustineamus, neque cum aliorum lacrymis misceamus, a quibus tanquam a rubigine ac tinea consumentur, aut, vt Scripturæ verbo vtar, euomentur.* Quam sententiam sic rursus scholiis explicat & illustrat Nicetas: *Quemadmodum*, inquit, *qui noxium*

Male parta male dilapsa.

noxium aliquem cibum sumpsit, vna cum eo probos etiam euomit: sic qui inique congerendis opibus studet, non solum ipsas, sed etiam quas iure possidebat, plerumque amittit.

22. *Aspidis venenum.* Vers. 16. *Caput aspidum suget, & occidet eum lingua viperæ.*] Eandem sententiam alia similitudine vehementius vrget, & dicit, illum, qui peccatum bibit & alienas deuorat facultates, perinde facere, atque illum, qui venenum haurit a sua propinatum auaritia, seu barbara tyrannide, a quo statim & cum summa dolorum acerbitate extinguitur. Esse autem in aspidis ac viperæ capite venenum, rei naturalis docent historici. Plinius de vipera *lib. 11. cap. 37. Viperæ*, inquit, *dentes gingiuæ conduntur. Hæc eadem prægnans veneno impresso dentium repulsu virus fundit in morsus.* Idem pene *ibidem* de aspide, vbi dicit venenum aspidum esse in dentibus: *Duo*, inquit, *aspidi dentes sunt in supera parte, dextra leuaque longissimi tenui fistula perforati, vt scorpionum aculei venenum infundentes. Non hoc aliud esse quam fel serpentinum diligentissimi auctores scribunt.* Hoc idem docet Nicander *in Theriacis:*

Quatuor huic intra maxillæ concaua dentes
Radices fixere suas, quas iuncta quibusdam
Pelliculis tunica obducit, triste vnde venenum
Effundit, si forte suo se approximet hosti.

23. De quodam aspidis genere, quod ab expuendo ptyas appellatur, tradit Plinius *lib. 28. cap. 6.* venenum, quod habet in ore, in hominum oculos expuere. Venenum autem esse dicit illius aspidis saliuam. Ex his constat, quid sit caput aspidis seu viperæ sugere. Quod nihil est aliud, quam venenum haurire, quod bibit auarus & prædo in opibus alienis, quas aut dolo, aut alio quouis artificio congessit. Et qui deliciis diffluit, & suæ tantum libidini
pag. 272. b & voluptariis sensibus intemperanter indulget, qui cum dulce aliquid ac vitale poculum hausisse se putet, ad extremum agnoscit venenum se bibisse propinatum ab aspide.

24. *Aspis a vipera diuersa.* Hic nobis nonnulla obseruanda, quæ ab huius loci explicatione aliena non sunt. Primum, licet hic aut nullum, aut exiguum videatur esse discrimen inter aspidem & viperam: nam Scriptura suo more hic per epexegesim in posteriori hemistichio prioris sententiam complexa est, eamque manifestius explicuit. Tamen in aspide Scriptores aliquid intelligunt a vipera diuersum: & hoc præcipue, quod viperæ morsus cum cruciatu maximo, aspidis vero cum voluptate enecat: & nemo ferme est, qui non alteram ab altera secernat. Notum est illud Diogenis, quod iam in prouerbium abiit; qui cum duas fœminas, malæ fortasse famæ, inter se colloquentes audiret, dixit in eo sermone aspidem a vipera sumere venenum. Ex quo sumpsit Tertullianus *lib. 3. contra Marcionem cap. 8. Desinat nunc hæreticus a Iudæo, aspis, quod aiunt, a vipera mutuare venenum.*

Obseruandum secundo, licet viperæ atque 25.
aspidis venenum præsentissimum sit, & omnino incurabile, in eo tamen differre maxime, quod vipera sic enecat, vt etiam cruciet, aspis vero sic extinguit, vt aliquid interea voluptatis instillet. Quare, vt auctor est Plutarchus *in Antonio*, Cleopatra ab Augusto victa, ne victoris oculos subiret, & captiua duceretur in triumpho, aspidem admouit lacertis, vt sine dolore exhalaret animam, & hostile ferrum, & turpem ignominiam anteuerteret. Ex his duo ego in morali interitu hominum genera considero, quibus venenum vitam eripuit. *Inuidi, ambitiosi & auari venenum hauriunt viperæ.* Alii viperino felle, quod non solum vim habet veneni, sed etiam amarum est, & cruciat vehementer. Hi sunt, quos ambitio perimit, qua nullum hominibus tormentum maius excogitauit tyrannica crudelitas, qua grauiter torqueatur ille, qui ad honores aspirat, quem multi exagitent curarum æstus, qui aliorum opinioni perpetuo seruit, qui aues sequitur altius volantes, quam vt illas possit in laqueos inducere, quos tetenderat, ipsi norunt, qui honores aucupantur, neque obscure fatentur, cum iam insanire desierunt, & meliora quam antea cogitare. In hoc numero pono auaros, & qui ad alienas inhiant pecunias, qui insomnes ducunt noctes, & dies agunt timoris ac sollicitudinis plenos; qui mari se dant temporibus etiam importunis; qui cum fluctibus & ventis perpetuo conflictantur. In hoc sunt inuidi, quos non minus, quam equuleus, quam catasta & rota cruciat inuidia. De qua quam verissime cecinit Horatius *lib. 1. epist. 2.* tyrannos Siculos, qui crudelissimi fuisse dicuntur, nullum exco-

gitasse tormenti genus, quod cum inuidentia conferri possit:

Inuidus alterius marcescit rebus opimis.
Inuidia Siculi non inuenere tyranni
Maius tormentum.

Quod sero agnouerunt illi, qui dixere ab eiusmodi vipera percussi *Sapient. V, 7. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis?*

26. pag. 273. a *Qui genio suo & libidini vacant venenum hauriunt dulce aspidis.* Alii sunt, qui caput aspidis sugunt, id est, blandas aucupantur voluptates, quales sunt, qui suo seruiunt abdomini, qui cutem curant, qui libidini vacant, & his voluptatibus, quas religio damnat & horret temperantia, illi suauitatem aliquam capiunt ex immoderatis naturæ blandimentis, dum suo sibi genio intemperanter obsequuntur. Sed est omnino voluptas illa, qualis quæ sumitur ex aspidis veneno, quæ blandiendo lactat & mulcendo perimit. Quod de viduis, quæ minus quod statum vitæ solitariæ decet, amplectuntur, dixit Paulus *1. Timoth. V, 6. Vidua, quæ in deliciis est, viuens mortua est:* In splendidis mensis & frequentibus poculis, in luxu immoderato, & in Veneris voluptatibus venenum esse dulce, indicat illud *Prouerb. XXIII, 31. Ne intuearis vinum, quando flauescit, cum splenduerit in vitro color eius. Ingreditur blande, sed in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet. Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur peruersa.*

27. *Aspidum, quæ somnum inducunt, negotiatio.* Aspidis genus esse quoddam dicitur, cuius venenum eam habet vim, vt somnum inducat, quæ ideo vocatur hypnale, quod sibi adhibuisse creditur Cleopatra, ne quid acerbitatis in morte sentiret. Ita Solinus *cap. 30.* quod ideo tradit pretio emi, ab his nempe, quos vitæ tædet, & qui morte suaui redimere cupiunt vitæ molestias. Quod vsque adeo olim vsitatum, vt publica instituta fuerit & lucrosa aspidum negotiatio: quæ ex Africa in regiones alias frigidas a mercatoribus conuehuntur. De quibus sic Lucanus *lib. 9.*

Ipsa caloris egens gelidum non transit in orbem
Sponte sua, Niloque tenus metitur arenas.
Sed quid erit nobis lucri pudor? inde petuntur
Huc Libycæ mortes & fecimus aspida merces.

De qua Rodiginus *lib. 27. cap. 14.* Quam vim pestilentissimi veneni in re morali experiuntur, proh dolor, nostra ætate quam plurimi, qui post haustum hoc exitiale venenum secure dormiunt, neque sentiunt angores conscientiæ & pungentes stimulos, & sicut somniculosi ignauam & inertem egerunt vitam; sic etiam somniculosi & nihilo saniores mortem obeunt ignauam & inertem. *Cui similes, qui in peccato dormiunt sine scrupulis.*

Cumque viperæ & aspides vsque adeo sint pestilentes belluæ, & humani generis inimicæ, non tamen defuerunt, qui vescerentur illis, & suauissimum putarent alimentum, vsque adeo ab humano in viperinum genus degenerarunt. Quique iam fortasse non minus venenum alunt, aut minus nocent cognato generi, quam ipsæ belluæ, a quibus hauserunt antea. Sane noxia quædam animantia innoxia reddi, his, qui venenatis assuescunt carnibus, docuit Plinius *libr. 11. cap. 53.* Victitasse certe venenatis belluis ac serpentinis carnibus Psyllos & Marsos, non pauci affirmant, & in his Galenus *lib. 2. ad Glauconem*, vbi Marsos vocat ἀσπιδοτρόφους, id est, qui aspidum carnibus aluntur. 28.

Illud ad extremum addo, quod ad rem moralem opportunum est, mirabile artificium, quo se ichneumon contra aspidem armat insidiosum hostem, & cuius virus est immedicabile. Ille ergo, vt docet Aristoteles *de historia animalium lib. 9. cap. 6.* & Plinius *lib. 8. c. 24.* hoc se modo ad certamen cum aspide communit. Audi Plinium, cui similia prorsus narrat Aristoteles: *Mergit se limo sæpius; siccatque sole. Mox vbi pluribus eodem modo se coriis loricauit, in dimicationem pergit.* Hoc eodem modo Deus armauit Adamum, quem inermem & imbecillum reddiderat ambitio, contra antiqui serpentis præcipuam machinam: quæ deiectum ab statu felicissimo a paradisi deliciis exturbauit. Conuestiuit enim & loricauit luto, vnde prius illum eduxerat, formaueratque, ac tandem iussit, vt cogitaret suam originem esse de terra, & in terram iterum esse reuersurum. Et quidem sicut vbi abest humilitas & propriæ vlitatis perfecta cognitio, vix aspis aditum inuenit, per quem sese ad animum insinuet: sic qui magnifice de se cogitat, neque hoc se a propria cognitione arma- 29. *Ichneumon quo modo se armat contra aspidem.* pag. 273. b *Humilitas magnum contra tentationes munimentum.*

armanit munimento, omni ex parte hostem callidum admittit, sicut vrbs patens, quæque nullum habet murorum ambitum.

30. Quia vero ראש *ros*, pro quo hic Vulgatus reddidit *caput*, cum dixit, *caput aspidis suget*, etiam significat *venenum*, aut quod idem est *fel*, vt *Deut. XXIX, 18.* & *XXXII, 33. Psalm. LXIIX, 22.* vbi noster Interpres *fel* reddit, aut *amaritudinem.* ideo quidam legunt, *venenum aspidis suget.* cumque sensus sit idem, modus tamen loquendi, quo Vulgatus vtitur, multo est significantior.

31. Vers. 17. *Non videat riuulos fluminis, torrentes mellis, & butyri.*] Abundabat Iobus, vt in principio vidimus, his maxime rebus, quas curant agricolæ, cum multos habuerit pecorum armentorumque greges, multa iuga boum & copiosam seruulorum familiam, quibus illarum tot rerum curam & administrationem commendauit; cumque mellificium inter rusticas curas extrema non sit, vt docent quoquot de agricolarum negotio præcepta tradidere, qui de apibus neque pauca dicunt, neque illarum studium segniter commendant: non est verisimile, hanc abiecisse curam Iobum, cum ex illa non exigua proueniant emolumenta, neque magni fiant in eius tractatione sumptus. Cum autem id tam huic Sophar, quam illius amicis videatur esse propositum, vt ad diaboli votum Iobum exagitent, & illa esse putent impietatis argumenta, quæ Iobo post tantam rerum abundantiam contigisse vident bonorum commoditatumque naufragia, defuturos esse dicunt impio atque tyranno mellis butyrique torrentes, quia illos iam Iobo exaruisse viderant.

32. Hic obseruo, quod alibi a me sæpius dictum est, & in Scriptura obuium, notam similitudinis iuxta Hebræorum idioma interdum omitti, deinde in torrente & riuulo rerum significari perennem abundantiam. Hoc posito, quod ignorare potest nemo, hanc ego huius loci sententiam informo; non videbit tyrannus & impius torrentes mellis & lactis, qui sic copiose ex aluearijs gregibusque fluunt, sicut e flumine decurrunt riuuli, quibus terra rigatur & redditur fœcunda. Sunt autem riuuli fluminis, riuuli aquæ, qui perpetuo fluunt; quasi dicat, fuerunt olim torrentes lactis, sicut riuuli aquæ, sed deinceps non erunt. Eadem metaphora in Scriptura sacra sæpe legimus terram manare lacte & melle, id est, in ea lactis & mellis maximos esse prouentus. Neque mihi dubium est, tam hæc, quam quæ proxime antecessere, esse prouerbialem quamdam & hyperbolicam dicendi formam, sumptam, opinor, ab Idumæis, quibus etiam pag. 274. b prouerbialis erat dicendi forma, *caput aspidis suget.* Est autem vsitatum, vt in quacumque lingua ex primo quoque libro sumantur prouerbia, quæ vulgus hominum celebrat & familiariter obseruat, quomodo adagiographus ex Homero multa sumpsit, qui Græcorum omnium existimatur esse primus, aut etiam cum primis numeratur. *Butyrum* porro sumi pro *lacte*, probat illud *cap. XXIX, 6. Quando lauabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi riuos olei.* Neque enim coagulato aut presso lacte lauantur pedes, sed fluente ac liquido. Porro eo loco docet Iobus, earum rerum fuisse sibi quondam abundantiam, quas Sophar illi defecisse indicat; vbi in *riuis olei* magnam olei abundantiam ostendit. Quod item significat ille loquendi modus, *lauare pedes butyro*, ex quo fortasse sumpserunt alii scriptores, qui Iobo successere, vt Moyses *Deut. XXXIII, 24.* in benedictione Asser: *Tingat in oleo pedem suum.* Et Dauid *Ps. LXVII, 24. Vt intingatur pes tuus in sanguine.* Illa enim, quæ calcantur, aut quibus lauantur pedes, copiosa sint oportet, qualis est aqua. Quare dum riuorum meminit fluminis, illic & hic pedum, qui lauantur, tantum significatur fuisse lactis, mellis, & olei, quantum est aquæ, quæ pedes lauat & per riuulos fluit.

Lauari lacte, vino, est *prouerbialis abundantia.*

Vers. 18 *Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur.*] Sententia est non obscura, sicut 33.
reliqua, quæ ad finem vsque capitis supersunt. dicitur enim tyrannus atque impius ad vnum luiturus omnia, quæ violenter aut flagitiose fecit. Illud *nec tamen consumetur*, aut supplicium indicat æternum, quod peccatori a Deo miserorum vindice decretum: quod re vera non consumetur. Aut certe, si Sophar nihil cognoscebat aut meditabatur æternum, significat, ea esse peccatoris opera, in quo Iobum non obscure designat, vt quantumcunque pœnarum luet, non tamen possit satis de-

 pendo-

pendere supplicii. Neque tamen temere & sine recta ratione supplicium iudex æquus imponet, sed iuxta scelerum mensuram erit plagarum pondus & modus. *Adinuentio* pro opere sumitur, & frequenter ponitur, vt nomen ipsum importat, pro eo, quod fit a nobis libere, cuius homini subdito nulla est a superiori potestate præscripta forma. Hic, vt res ipsa præ se fert, peccatum sonat, quod a tyranno atque impio non secundum legem a Domino præscriptam, sed pro sua libidine contra legem & humanitatem susceptum est.

Adinuentio quid.

34. Vers. 19. *Quoniam confringens nudauit pauperes, domum rapuit, & non ædificauit eam.*] Singulis peccatis singula designat supplicia illorum meritis attemperata. Attriuit tyrannus pauperem, & spoliauit eum, domo expulit, & eam sibi violenter applicuit: sed non assequetur, quod optabat, neque ædificabit sibi, eo videlicet modo, qui personam decet opulentam & lautam. Neque enim diues & potens domum pauperis incolit, nisi illum ad regium vsum & splendorem accommodet: quod non faciet, qui alienam per tyrannidem occupauit domum: cum ante a sua fortuna ab vltore Deo deturbetur, quam suo desiderio & voto satisfaciat.

35. Hic videtur sensus non alienus, sed addam alterum minus fortasse alienum. Notum est in Scriptura sacra & in profana frequentius id dici non factum, aut non esse, ex quo nullus capitur aut speratur vsus. Sic dicimus non esse medicinam, aut medicum, quando medicus est imperitus artis, quam profitetur, & medicina vim habet nullam contra morbum: neque esse ducem, aut prophetam, cum illi non paret exercitus, & hunc non audit populus fatuus aut incredulus: quia perinde fuit, atque si nihil horum fuisset. Quia ergo tyrannus non habitabit pauperis domum, quam eripuit; aut eam, quæ in pauperis solo, aut pauperis impendiis ædificata est, non immerito dicitur non ædificata. Quomodo *Isai. XXIII, 4.* Tyrus dicitur non peperisse, aut educasse filios, qui cum ab hoste premerentur, nullam attulerunt opem laboranti, cum tamen multos habuisset populos atque colonias, quæ iuxta Hebræorum idioma nominantur filiæ: *Erubesce Sidon* (hæc erat Tyri colonia) *ait enim mare* (hoc est, Tyrus) *fortitudo maris dicens: Non parturiui, & non peperi, non enutriui iuuenes, nec ad incrementum perduxi virgines.* vide quæ nos ad illum locum *in nostris Commentariis.* Non igitur ædificauit tyrannus, quia nullum ex ædificata domo vsum cepit.

REGVLA. *Id dicitur non esse, cuius nullus est aut speratur vsus.*

pag. 274. b

S. Thomas, quem alii nonnulli sequuntur, putat, non ædificatam domum a tyranno, qui pauperem, quem domo excedere iussit, vt illum ad suos vsus iniusta vi & barbara crudelitate traduceret; & cum magno eundem affecisset detrimento, aut ablata aut disturbata domo, non tamen ædificauit eam, id est, refecit, quod diruerat, aut ablata restituit. Sed quo minus hæc expositio placeat, est quod singulis peccatis siue iniuriis, singula opponit ex adverso attemperata supplicia, quod dixerat proxime, iuxta multitudinem adinuentionum suarum, sic & sustinebit. Quod manifeste consequentia probant, nam in singulis versibus peccatum aliquod proponitur, & eidem continuo accommodata subiicitur pœna. 36.

Alii domus qualemcumque ædificationem non ad tyrannum pertinere, sed ad pauperem putant, in hoc sensu; Euertit tyrannus pauperem suis fortunis: & eripuit domum, sibique vendicauit iniusta ac violenta manu, quam ipse non ædificauerat. Quæ explicatio non videtur dura. Sed illa ratio, quam adduximus proxime, nonnihil incommodat. Neque enim direptioni, aut vendicationi alienæ domus aliquod subiici videtur proprium & quasi naturale supplicium. 37.

Magis mihi placet illa sententia, quam adduxi secundo loco, vbi dixi, non ædificaturum domum tyrannum, qui alienam eripuit, quia nullum ex ea capiet fructum, licet in ea ædificanda magnos fecerit sumptus: Hoc meo iudicio optime explicuit Hispanica translatio, quæ vbi Vulgatus, *Et non ædificauit eam:* ipsa conuertit: *Casarobo, y no la fraguara.* Id vero Hispane dicitur *fraguar*, quando materia sic est temperata, vt partes sic inter se constringantur & coëant, vt solidam contineant structuram, & quæ multa sunt & genere diuersa, in vnum quasi corpus solidum & firmum coalescant. Id vero non conse- 38.

Quod ex furto construitur, durabile non est.

consequetur, qui alienis sumptibus, & pauperum labore domum ambitiosam & splendidam molitur, cui nulla ab omni materia, siue ærea fuerit, siue marmorea, accedet firmitudo. Id docuit sub eadem metaphora *Ecclesiasticus cap. XXI, 9. Qui ædificat domum suam impendiis alienis, quasi qui colligit lapides suos in hyeme.* Experientia didicere cæ-
pag.275. a mentarii, hyemale tempus ineptum esse fabricis: quia frigus non sinit cohærere & solidari materiam; Quare qui eo tempore operam dederit construendæ domui, sumptus perdit, & operam demolitur potius, quam molitur opus. Et ideo sub illud tempus intermitti solet inchoata fabrica, & ad vernale tempus differri.

39. His nonnihil incommmodare videtur tempus præteritum, quod se minus apte cum hac nostra explicatione conciliat. Sed nihil, opinor, hinc nobis oritur incommodi: nam vsitatum est Hebræis, idque non infrequenter, vt tempus præteritum vices obeat futuri. Quod obseruarunt non semel optimi quique diuinarum literarum interpretes. Hieronymus *in c. XXX. Ezech.* & *in c. II. ad Ephes.* Hanc regulam tradit Pagninus *l. 3. inst. c. 12.* Et quidem si textum consulas Hebraicum, sicut in singulis versibus, qui hunc vel antecedunt, vel consequuntur, minas, quæ in fine statuuntur, in futuro legimus: sic etiam in hoc loco in futuro inuenimus hasce minas, vnde alii Interpretes fere omnes futurum adhibuerunt.

40. Vers. 20. *Nec est satiatus venter eius.*] Si hæc ad præcedentem versum referas, & futuri temporis esse statuas, quod ratio grammatica non respuit; non est difficilis sententia: nempe neque ædificaturum esse domum sibi, qui alienam rapuit, neque satiatum iri illius ventrem, qui pauperem suis spoliauit ornamentis. Sed statuamus in præterito, quod fecit Vulgatus, & tunc sensus erit non difficilis, si dicamus, hic rationem reddi, cur tyrannus & impius, de quo totus hic sermo, facultates alienas diripiat & deuoret: quia nimirum explere cupiditatem non potest diuitiarum, neque sedare sanguisugas illas, quæ nunquam dicunt, sufficit. Deinde peccatum aliud adiungit, aut quod posuerat proxime, magis amplificat: & de more adhibet, quasi legitimum pro sceleris natura supplicium.

41. *Et cum habuerit, quæ concupierat, possidere non poterit.*] Sitis illa diuitiarum, quæ exiguo lucro aut præda satiari non poterat, impulit hominem, vt iniiceret ad illa manus, ad quæ prius oculos & animum adiecerat. Sed cum illorum compos fuerit, & sibi de fortunato rerum exitu prædaque fuerit gratulatus, efficiet Deus, ne fruatur rebus male partis, aut quia vita, vel potestas aberit, aut quia quæ male congesserat, male dilabentur, neque præter dolorem aut ignominiam quicquam relinquent.

Iustissimum tyranni supplicium.

42. Vers. 21. *Non remansit de cibo eius; & propterea nihil permanebit de bonis eius.*] Communis est omnium ferme Interpretum sententia, accusari hic hominis auari inhumanitatem & inclementiam, quem neque aliorum inopiæ miseret, neque ex suis bonis aliquid facit reliquum, quod ad subleuandam aliorum necessitatem impendat: Sed omnia, quæ vel accepit a parentibus, vel ipse malis congregauit artibus, in suas contulit delicias. & dum lautis indulget epulis poculisque frequentibus, quid alii patiantur, neque videt, neque si videat, quicquam habet doloris, aut pensi. Propterea Deus, ne tot opes vnius nebulonis abdomini ac libidini seruiant, iustissimo iudicio faciet, vt illæ male pereant, & ab auari atque inclementis tyranni potestate & sinu ad alienos vsus & potestatem abeant. Quibus verbis, vt notauit Hieronymus, Iobum vellicat Sophar, quasi aliena per vim & pag.275. b
fraudem vendicarit sibi, & totus contra miserorum, quos spoliauit omnibus vitæ subsidiis, necessitatem & fletus obriguerit. De quo sic Hieronymus hic: *Inhumanitatis Iobo notam inurit, eo quod de abundantia mensæ suæ nulli peregrino vel hosti refectionem præbuerit. Sed fallitur Sophar, quia sanctus Iob dicit, si comedi bucellam solus, &c.*

43. Aliæ ab aliis explicationes adducuntur, quas prudens omitto; illa non omnino displicet, quæ illud de cibo eius refert ad pauperem, quem nudauit necessariis vitæ subsidiis tyrannus; in hunc sensum: Quia nihil reliquit de cibo pauperis, id assequetur, vt de suis rebus nihil prorsus retineat, quod videtur

esse

esse quoddam ἀντίῤῥοπον auaræ & inclementis rapinæ, vt qui nihil alteri reliquit, amittat omnia tam dignitatis ornamenta, quam fugacis vitæ necessaria subsidia.

44. *Helluonis supplicium & angor.* Vers. 22. *Cum satiatus fuerit, arctabitur, æstuabit, & omnis dolor irruet super eum.*] Hic ego aliquid allegoricum intueor; cum enim proxime egisset de tyranni deliciis, & quomodo in ea blandimenta, quæ sunt a vino atque epulis, se totum effunderet, addit nunc dolores & æstus, quos affert secum immoderatus venter a ciborum abundantia, quibus infercitur, crudelitates patitur & angores, insomnes ducit & molestas noctes. Neque aliquid sonat ab homine, qui se intemperanter poculis expleuit, nisi ructus, sudor, & gemitus, & continens quoddam & amarum væ. in quo significantur belle ea incommoda, quæ abesse non solent ab illis, qui aliena rapiunt, & domus suas ornatas esse student aliorum exuuiis, & cibis se & poculis totos ingurgitant. Quod expressum habes optime *Prouerb. XXIII, 29. Cui væ, cuius patri væ? cui rixæ? cui foueæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? Nonne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?* & clarius *Eccl. XXXI, 23. Vigilia, & cholera, & tortura viro infrunito, somnus sanitatis in homine parco: Dormiet vsque mane, & anima illius cum ipso delectabitur.* Porro vi-
45. *Vinum, aut bibo, pro toto conuiuio.* num seu *bibere* tam apud sacros, quam apud profanos, pro toto sumitur conuiuio; atque ideo pro epulis etiam vsurpatur, vt multis probauimus ad illud *Dan. V, 1. Vnusquisque secundum suam bibebat ætatem.* Et *Nahum I, 10.* ad illud, *conuiuium eorum pariter potantium.* Quare quæ de vino in Scriptura dicuntur, illa eadem interdum de epulis intelligenda sunt. Quot tormenta afferat ciborum intemperantia, quot viscerum tormina, morbosque, & graues & turpes, docent sæpe Patres, quorum verba repetere longum es-
Abstinentiæ laus. set. Basilius *homil. de laudibus ieiunii*: *Vtrum ventri facilius est, tenui victu transmittere noctem, an copia ciborum grauatum iacere? imo ne iacere quidem, sed crebro huc, & huc verti distentum & gementem.* Hanc Basilii sententiam alii Patres pluribus amplificant. Ex profanis multi non minus copiose, qui sphacelum, podagram, & mille alia valetudinis incommoda, ex ingluuie prouenire dicunt. Quare habet ciborum immoderatus luxus suum secum vltorem, neque necesse est extrinsecus asciri. Hac ergo allegoria ostendit Sophar, quid sperare posset, qui rabidam pag.276.a
diuitiarum famem opibus vndecumque corrasis explere cupit: & cum tyranni describat ingenium, Iobum, quem tyrannum esse putat, digito demonstrat, & quod nunc patitur infortunium, supplicium esse indicat auaritiæ crudelis & mollioris indulgentiæ.

Vers. 23. *Vtinam impleatur venter eius, vt immittat in eum iram furoris sui.*] Commune 46.
est, & quasi naturale omnibus in tyrannum odium: quare illi omnia precantur aduersa, neque magis sibi bonam optant quam illi malam fortunam. Hoc, quod plerisque aliis in votis est, id sibi futurum esse voluptati significat, dum optat, vt sumptis e rapinis cibis, venter impleatur hominis tyranni atque impii: quia certo scit habiturum illum intra viscera, quod pœnas exigat alienæ prædæ & iniustæ tyrannidis: sicut podagra, sphacelus, insomnia, & viscerum quotidiana tormina, immoderatam vlciscuntur ingluuiem. Quod perinde est, atque si optaret, vt caput aspidis sugeret, & si qua est in illius veneno suauitas, illam ad satietatem hauriret: cum necessario dolor, & mors, eaque acerbissima consecutura sit. Nonnulla apud antiquos numeran- *Ex male partis successus tristis.*
tur, quæ putabantur bona, eaque non vulgaria, qualis fuit equus Seianus, & Tolosanum aurum, quibus tamen fatalis erat adiuncta pernicies. quare is, ad quem equus ille, aut aurum peruenit, tametsi primum noua illa accessione & lucro fortunatus haberetur, tandem miserandum in modum iactatus, & ad inopiam redactus extremam interiit. Vnde prouerbiali specie equum dicitur habere Seianum, aut Tolosanum aurum, cui miserandum imminet exitium. De quibus Aulus Gellius *libr. 3. Noctium Attic. cap. 9.* Qui ergo alicui optaret equum illum, aut aurum, exitium optaret & fatale malum. Sic qui auaro optat domum impleri aliorum spoliis, id omnino optat, vt horribilem subeat & execrabilem interitum.

Ille porro, qui bona sibi ascribit aliena, & 47.
illis

Qui bona rapit aliena, hostem inuehit domum. illis suæ blanditur auaritiæ, hostilem intra seipsum habet aciem quasi in insidiis, quæ suo tempore, occasione caprata, in iniustum possessorem irrumpet sicut cibus immoderatus & crudus morbos inuehit, & voracem, & lurconem sternit. Quare possessor iniustus timere debet ea, quibus & suam familiam alit, & domum exornat, tanquam occultam & domesticam inimicorum aciem: sicut qui immodicis se & intempestiuis onerauit epulis, ex auiditate morbum timet. Hoc enim indicat ipse dicendi modus, qui ex bello petitur; vbi de ventre pleno dicitur: *Vt emittat in eum iram furoris sui, & pluat super illum bellum suum.* Illud porro *pluere*, bellum indicat cœlitus illatum a Deo, qui thesauros niuis & grandinis præparauit in diem pugnæ. Infra *cap. XXXIIX, 22. Numquid ingressus es thesauros niuis, aut thesauros grandinis aspexisti, quæ præparauit in tempus hostis, in die pugnæ & belli.* Sed de his mox.

48. Vers. 24. *Fugiet arma ferrea, & irruet in arcum æreum.*] Prouerbium est illi simile, de quo supra *cap. VI, 16. Qui timent pruinam, irruet super eos nix.* quod nos ibi latius ex-
pag. 276. b plicuimus; & quæ ibi a nobis dicta, non minus in hunc locum faciunt. Quæ hic dicuntur *arma ferrea*, gladii sunt, & ea, quæ hostem cominus feriunt: *in arcu æreo* illa intelliguntur, quæ eminus vibrantur, neque leuiores habent petitiones. Qui præsentem declinant necessitatem, seu veram, seu quam ipsi sibi fingunt, illi arma fugiunt ferrea, id est, inopiam, ad aduersam fortunam propius imminentem: atque ideo vel aperte furantur, & spoliant infirmiorem turbam, vel callide insidiantur, & incautos suis commoditatibus euertunt, sed non effugiunt arcum æreum, qui ferit eminus: quem Deus habet, qui a peccatore abesse existimatur quam longissime. *Non ideo Deus dimittit, quia differt supplicium.* Sed licet aliquandiu remissum arcum habeat, quia vltricem manum suspendit a plaga: intendit tandem illum, & vibrat, & exigit a tyranno pœnas, quas iam se declinasse cogitabat. Est enim Deus patiens redditor, qui licet expectet, reddit tamen peccatori, quod illius meretur impudens audacia, *Ecclesiast. V, 4. Ne dixeris, peccaui, & quid mihi accidit triste? altissimus enim est patiens redditor.* Quod dixit Valerius *lib. 1. cap. 1. Lento*, inquit, *gradu ad vindictam sui diuina procedit ira, tarditatemque supplicii grauitate compensat.*

Arcus porro Dei, aut diuinæ iustitiæ instrumenta illa sunt, quibus a peccatore Deus pœnas exigit, quæcumque illa sint, de quibus *Sapient. V, 18. Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum.* 49.
Verum communiter illa arma dicuntur Dei, quæ de cœlo videntur esse demissa, qualia sunt fulmina & fulgura, & quæcumque in aërea regione concrescunt, quod docent, quæ proxime sequuntur, nam cum de armis Domini præcessisset sermo, mox subditur: *Ibunt directæ emissiones fulgurum, & tamquam a bene curuato arcu nubium exterminabuntur; & ad certum locum insilient, & a petrosa ira plenæ mittentur grandines.* Et hoc ipsum significauit proxime Sophar, cum dixit: *Et pluet super eum bellum suum.* Hæc autem arma vocari Dei, multi testantur loci, *Psalm. X, 6. Pluet super eos laqueos, ignis & sulphur, & spiritus procellarum. Habac. III, 11. In luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ.* vide quid nos ad illum locum. Ex his aliquid accipiet lucis versus, qui proxime succedit, qui satis apparet impeditus.

Vers. 25. *Eductus & egrediens de vagina sua, & fulgurans in amaritudine sua.*] Hic multa 50.
necessario supplenda, quod alii etiam fatentur, qui dum explere student has rimas, in varias ipsi cogitationes abeunt, a quibus ipse prudens abstineo, ne longus sim. Illud dico, quod satis videtur verisimile, neque a textu distortum; hæc duo referri ad duo armorum genera, quæ antecessere proxime: ad arma ferrea, in quibus gladius intelligitur, aut quodlibet aliud telum, quod vulnerat cominus, & arcum æreum, qui eminus ferit: in quo illa videntur significari, quæ communiter Dei arma dicuntur, id est, vt nuper diceba- pag. 277. a
mus: quæ in aere concreta ex nubibus in hæc inferiora vibrantur; vtraque sunt arma Dei, quæ effugere nemo potest, quia vtraque expromta sunt a Deo, & in peccatoris caput intenta. *Arma Dei illa dicuntur, quæ in aëre concrescunt.* Quod in priori parte gladius intelligitur, illud facile persuadet, quod de vagina dicitur exemptus: quod cadit in gladium aut solum, aut frequentius. Quod *fulgurans*

sumatur pro armis, quæ conflantur & torquentur e nubibus, tanquam a bene curuato arcu, ipsum nomen ostendit, & docet Habacuc *in loco proxime citato.* Quare peccator, quocumque se conuerterit, effugere non poterit diuinam iram.

51. Illud: *eductus, & egrediens de vagina sua,* Septuaginta ita conuertunt: *Pertranseat per corpus eius iaculum.* Sententia non est admodum diuersa: neque difficilis est metaphora, quæ corpus adhibet pro vagina. vt enim corpus animam continet, quæ exire dicitur de corpore, cum illud deserit exanime: sic vagina vocari potest corpus, quia gladium continet, aut pharetra, ex qua extrahuntur a sagittario iacula. Educet igitur Deus e vagina gladium, & e nubibus grandines, fulgura, & fulmina *in amaritudine:* vt videlicet peccatori amaritudinem inuehat, aut certe imbuta amaritudine & felle, vt citius peccatorem & cum maiore acerbitate conficiant: nam quædam sunt venena, quæ sic exanimant, vt etiam saucios vehementer excrucient. Illud *fulgurans* quidam gladio attribuunt, quem milites tergere solent, vt splendeat & fulgeat; vt diximus *in nostris Commentariis super Ezechielem* ad illud *cap. XXI, 9. Gladius, gladius exacutus est, & limatus.* Ideo autem limatum esse, vt splendeat & fulguret, docuit idem *Ezechiel* statim *vers. 28. Mucro, mucro euagina te ad occidendum, lima te, vt interficias, & fulgeas.* Sed non satis textum implet ista sententia.

52. *Vadent & venient super eum horribiles.*] De gladio & arcu, id est, de armis ferreis & meteoris hæc intelligenda sunt, quibus Deus peccatorem insectatur & punit. Hæc autem vadere & venire dicuntur, aut quia mutuo sibi continenterque succedunt, neque vnquam cessat peccatoris interrupta vexatio: aut quia terror & dolor perpetuo in peccatoris domo commorabitur, non quasi inquilinus & hospes, sed quasi Dominus, qui totam occupat & inhabitat domum, & neque inde a quoquam expellitur, & illo inuito domum ingreditur nemo. De supplicio, quod a peccatoris domo nunquam recedet, donec illam cum domino funditus excindat, est illud *Zachariæ V. 4.* de volumine, in quo erant inscriptæ maledictiones, aut, vt transtulere Septuaginta, falce volante: *Educam illud* (volumen) *dicit Dominus exercituum, & veniet ad domum furis, & ad domum iurantis in nomine meo mendaciter: & commorabitur in medio domus eius, & consumet eam, & ligna eius, & lapides eius.* Et sane ille dicendi modus, *vadent & venient,* assiduitatem indicat eorum, qui a dominorum suorum conspectu non recedunt, vt illorum mandata quam primum obeant. Sic Zacharias *cap. IX, 8.* vbi cum Hierosolymæ, & in ea Ecclesiæ custodes promitteret, qui nusquam abessent, dixit: *Et circumdabo domum meam ex his, qui militant mihi euntes & reuertentes.* Sic Centurio de seruis suis ait *Matth. IIX, 9. Dico huic vade, & vadit: & alii veni, & venit.* pag. 277. b

Aut fortasse melius his verbis explicatur imperium, quod gladius & arcus habet in tyranni domo. Notum est, vulgare esse in Scriptura sacra, vt in *ingressu* & *egressu*, & his similibus potestas summa significetur. Sic Moyses, cum ducem sui loco postularet a Domino *Numer. XXVII, 16.* ait: *Prouideat Dominus, &c. hominem, qui sit super multitudinem hanc, & possit exire & intrare ante eos:* vnde clauis imperii symbolum est, quia qui clauem habet, ingreditur & egreditur, quandocumque placet: & quos vult admittit, aut excludit, quod summæ potestatis est. Cum ergo arcus & gladius super impium horribiles dicuntur venturi, & vasuri, seu abituri, habitaturi etiam dicuntur domum illius tanquam domini ingressuri, & in illam horribilem in modum exitium allaturi. 53. *Ingressus & egressus summæ potestatis signum.*

Vers. 26. *Omnes tenebræ absconditæ sunt in occultis eius.*] In *tenebris*, vt a nobis sæpius obseruatum, terror intelligitur, & quæcumque calamitas, quæ animum contrahit. Dum autem in absconditis futuræ dicuntur esse tenebræ, nihil, vt reor, significatur aliud, quam nullum locum homini tyranno, qualem nunc exagitat Sophar, vacuum futurum a periculo & metu: cum latebras omnes atque regressus, ad quos, dum calamitas ingruit, confugiet peccator, occupaturus sit angor, sollicitudo & dolor, & ea tandem omnia, quæ in *tenebris* significari diximus. Quare dum in absconditis, quo irrupturus non putabatur hostilis furor, 54.

furor, salutem quærit & quietem, ibi paratum inuenit gladium & interitum.

55. *Deuorabit eum ignis, qui non succenditur.*] Hic ignis cœlestis est, fulmen videlicet, aut sulphur, de quo proxime, quod Deus vltor eiaculatur e nubibus; hic autem ab homine non succenditur, quia neque excutitur ex silice, aut excipitur in arida materia, aut aliquo artificio fouetur ab homine, sed mittitur e cœlo tanto potentior & acrior ad inflammandum, quanto ad vim igneam incitatior accedet, & a diuina manu maior impressio. Quidam hunc ignem gehennalem putant esse, neque hi pauci sunt aut ignobiles; sed superior explicatio magis videtur aliis expedita, nec immerito, vt probant sequentia, quæ se cum illa explicatione non apte conciliant. Neque fortasse toto hoc libro Sophar & eius socii æterni supplicii meminerunt. Neque desunt, qui negent, illis de suppliciorum æternitate quicquam esse compertum.

56. *Affligetur relictus in tabernaculo suo.*] Solitudo hic a domesticis & familiaribus indicatur: nam illum, quem cœleste afflauit & tetigit incendium, quasi aliquid odiosum & execrabile, omnes euitant, solumque relinquunt, quantumcunque afflictum & humani subsidii atque consolationis indigentem. Hæc ideo tam expresse ac late dicta sunt a Sophar, quia his omnibus Iobum perfunctum esse viderat, & illius his commemorandis patientiam prouocabat. Nam primum greges ab igne, qui non succenditur, consumpti sunt: & turbo pag.278. a vehemens inuasit, & subuertit domum, vbi filii familiare atque legitimum obiere conuiuium: relictus est ab omnibus, ab illo denique abfuit nihil eorum, quæ impiis imminere a diuino iudicio contendebat Sophar.

57. Vers. 27. *Reuelabunt cœli impietatem eius, & terra consurget aduersus eum.*] Sicut tyrannus atque impius cœlum & terram morum peruersitate lacessunt & offendunt, sic in illius exitium & ignominiam vtrumque conspirat: cœlum igne & spiritu procellarum; terra conuitiis & maledictis illum incessit, & immissis latrunculis ornamentis expoliat. Hoc autem iudicium quoddam est, quo peccatorem hominem cœlum & terra manifeste condemnant, & illius impietatem, quæ prius celabatur in tenebris, communi testimonio reuelant.

Vers. 28. *Apertum erit germen domus illius: detrahetur in die furoris Dei.*] Explicatio est superioris versus, & ostendit, qualis futura sit illa reuelatio, quæ fiet a cœlo & terra, quando in hominem impium ad diuinum imperium suas exerant vires. Reuelabitur enim, vndenam luculentæ domus germen prouenerit, id est, lauta atque pretiosa supellex & ornamenta alia, atque opes eximiæ, quæ tyrannos & principes eximunt a turba, & in herorum ordinem & splendorem euehunt. Tunc autem, vbi constiterit, quibus siue fraudibus, siue iniuriis comparata fuerit illa rerum abundantia & gloria, nemo erit, qui in illum spiritus non concipiat hostiles, & quasi naturæ monstrum & communem hostem non insectetur & exagitet. Quod tunc accidet, quando Deus, qui ad illud vsque tempus dissimularat, furoremque compresserat, suos in peccatorem aculeos exeruerit, & ab excelso ad infimum vsque gradum vana illius nomina & furtiua ornamenta detraxerit. 58.

Improborum tandem iniqua consilia reuelantur.

pag.278.b

Vers. 29. *Hæc est pars hominis impii a Deo: ea hæreditas verborum eius a Domino.*] Hæc dictorum omnium summa complexio est & epiphonema, quod docet, hunc exitum & tragicam catastrophen homini tyranno & barbaro deberi, qui alienis se pennis ornauit, & ambitioso fastu de pauperum rapinis & miserorum lacrymis triumphare voluit. Est autem in posteriori hemistichio sententia eadem, quæ in priori: nempe talem exitum paratum esse tyrannis, qualis toto capite late describitur: *Partem* porro idem esse, quod *sors*, aut *hæreditas*, res est certa, & in Scriptura sacra familiaris, vt nos pluribus ostendimus ad illud *Actor. IIX, 21. Non est tibi pars, neque sors in sermone isto.* *Hæreditas* autem & *sors* commune nomen habent apud Græcos, dicitur enim κλῆρος: *verba* deinde iuxta Hebræorum idioma, idem valet quod *res.* Quare *verborum hæreditas*, idem est, quod rerum male gestarum merces. Nisi dicas, quia Iobus ab amicis blasphemiæ accusabatur, impii sermonis nunc Domino pœnas dedisse. 59.

Pars idem quod sors, & hæreditas.

 ARGV-

ARGVMENTVM CAP. XXI.

ORat Iobus atque obſecrat amicos, vt ad verba ſua tantiſper aures atque animos aduertant, ſperatque futurum, vt ab errore, in quo antea fuerant, liberati multo aliter ſentiant, & ſuam ipſi vltro cogitationem damnent. Et primum illis a diuino iudicio terrorem indicit, qui hominum opinione fortunati cenſentur, quia opibus abundant, & nihil ab hominibus, ſeu a fortuna patiuntur aduerſi, qui feſtiuos ducunt & geniales dies, quid vero aut Deus iubeat, aut recta præſcribat ratio, non curant. Quos tamen ideo infelices putat, quia poſt mortem illis impendet ſeuerum æternumque ſupplicium: neque quæ in hac vita poſſident, propria ſunt atque perpetua bona: neque alius exitus manet eos, qui in deliciis, atque eos, qui in ærumnoſo ſtatu vitam egerunt inopem & ægram, cum vtrique & tabeſcant a vermibus, & ſolvantur in cineres. Quod ſi honeſtum poſt mortem conſequantur ſepulturæ locum, & in hominum memoria quam diutiſſime viuant, nihilo tamen ideo erunt fortunati magis, cum apud inferos in cocyti glarea illos expectent aſſiduus gemitus & ſempiterna domus.

CAPVT XXI.

1. REſpondens autem Iob, dixit:

2. Audite quæſo ſermones meos, & agite pœnitentiam.

3. Suſtinete me, & ego loquar: & poſt mea, ſi videbitur, verba ridete.

pag. 279. 4. Numquid contra hominem diſputatio mea eſt, vt merito non debeam contriſtari?

5. Attendite me, & obſtupeſcite, & ſuperponite digitum ori veſtro.

6. Et ego quando recordatus fuero, pertimeſco, & concutit carnem meam tremor.

7. Quare ergo impii viuunt, ſublevati ſunt, confortatique diuitiis?

8. Semen eorum permanet coram

PARAPHRASIS.

1. 2. Ad hæc Iobus: Adhibete, obſecro, tantiſper aures, & ad ſermones meos animos advertite. Spero enim fore, vt tandem edocti multo quam hactenus aliter ſentiatis, mutetiſque ſententiam, quam alte infixam animo retinetis.

3. Deuorate, dum ego loquor, aliquid moleſtiæ: & ad obiecta reſpondentem tantiſper audite. Neque recuſo, ſi minus reſponſio ſatisfaciat, quin rideatis, aut etiam irrideatis, quantum quiſque voluerit.

4. Neque mirum cuiquam eſſe debet, ſi tam pag. 279. *ego in hac cauſa laborem aut veſtram attentionem captare ſtudeam, cum diſputatio non ſit de nihilo, ſed de re grauiſſima; quæ ad Dei honorem & meam apud Deum gratiam ſpectat.*

5. 6. Attendite ergo, & obſtupeſcet, ſat ſcio, animus veſter, neque lingua, quæ tantum ſibi ad loquendum iuris & libertatis aſſumpſit, hiſcere deinceps audebit; vt autem de vobis id ſperem, ex meipſo coniecturam facio: quia obſtupeſco & tremo, cum earum rerum ſubit recordatio, de quibus mihi vobiſcum habendus ſermo. Neque dum ſum ab eo ſtupore atque tremore liber.

7. 8. Quare qui a ſe omne virtutum genus abdicarunt, & ex vitiorum colluuione videntur fuiſſe concreti, iucunde viuunt, diuitiis ac voluptatibus abundant, neque quicquam a quo-

eis, propinquorum turba & nepotum in conspectu eorum.

quoquam molestiæ patiuntur. Quos circumstant filii, quibus longa datur lucis vsura, & ex eis nepotum numerosa sylua, & cognatorum luculentus & copiosus numerus.

9. Domus eorum securæ sunt & pacatæ, & non est virga Dei super illos.

10. Bos eorum concepit, & non abortiuit: vacca peperit, & non est priuata fœtu suo.

9. 10. Illorum domus nihil aduersum patitur, a qua diuinæ correctionis virga procul videtur recessisse; & suas diuitias vbertim effudisse fortuna melior. Bos illorum sterilis non fuit, neque conceptus fœtus in vulua periit, aut statim a partu exanimatus est; sed vitalis, & felix in florentem ætatem adoleuit.

11. Egrediuntur quasi greges paruuli eorum, & infantes eorum exultant lusibus.

11. Sicut tenera pecudum atque armentorum soboles saltu ac lusu in prato lasciuiens, dominorum suorum oculos oblectat; sic filiorum numerosa atque festiua soboles in plateis lusitat, & cum parentum mirifica voluptate lasciuit.

12. Tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad sonitum organi.

13. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.

12. 13. Lætos semper ducunt & geniales dies, musicis se numeris & organis oblectant. Et cum omni diffluant voluptate atque otio, neque mors illis videri molesta potuit; quia neque grauis afflixit morbus, neque lenta consumpsit tabes, cum prius vitam absoluant, quam se in vitæ discrimen incidisse cognoscant.

14. Qui dixerunt Deo: Recede a nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus.

15. Quis est omnipotens, vt seruiamus ei? & quid nobis prodest, si orauerimus illum?

14. 15. Hi autem sic a Deo abiere procul, vt nihil cum eo voluerint habere commercii; imo iusserunt illum a se facessere longissime. Neque velle sibi ab eo viuendi legem modumque præscribi, sed pro lege ea tantum habere, quæ suo animo collibuissent. Sic autem illi secum ratiocinantur: Quis est Dominus, vt illius iugo liberas atque ingenuas ceruices summittamus? Ecquid illum orabimus, quod exoratum alicui nobis vsui esse poterit?

16. Veruntamen quia non sunt in manu eorum bona sua, consilium impiorum longe sit a me.

16. Veruntamen absit a me, vt illorum mihi rationes atque consilia placeant, cum ad eos eorum, quæ vera censentur bona, pars nulla pertineat: & quæ illi aut tenent, aut captant, neque in eorum potestate sint, neque possint esse diuturna.

pag.280. 17. Quoties lucerna impiorum extinguetur, & superueniet eis inundatio, & dolores diuidet furoris sui?

17. Facile ac sæpe impiorum obscuratur & deficit splendor, & illius loco immittet Dominus, pag.280. *quem ipsi contempserunt, exundantia calamitatum flumina, quæ dolores inuehant multitudine innumerabiles, acerbitate maximos. Quæ dum diuinus furor euomet, ab eo se æstu ac pondere leuabit, quæ iam diu in impiorum capita conceperat.*

18. Erunt sicut paleæ ante faciem

18. Neque magis erit stabilis impiorum tam laudata felicitas, quam stipula, quæ a vento vehe-

venti, & ſicut fauilla, quam turbo diſpergit.

19. Deus ſeruabit filiis illius dolorem patris: & cum reddiderit, tunc ſciet.

20. Videbunt oculi eius interfectionem ſuam, & de furore omnipotentis bibet.

21. Quid enim ad eum pertinet de domo ſua poſt ſe? & ſi numerus menſium eius dimidietur.

22. Nunquid Deum docebit quiſpiam ſcientiam, qui excelſos iudicat?

23. Iſte moritur robuſtus & ſanus, diues & felix.

24. Viſcera eius plena ſunt adipe, & medullis oſſa illius irrigantur.

25. Alius vero moritur in amaritudine animæ abſque vllis opibus.

26. Et tamen ſimul in puluere dormient, & vermes operient eos.

27. Certe noui cogitationes veſtras, & ſententias contra me iniquas.

28. Dicitis enim: Vbi eſt domus principis? & vbi tabernacula impiorum?

vehementi, aut fauilla, quæ ab incitato turbine diſpergitur.

19. 20. Neque grauiter mulctato patre conquieſcet prouocatus a peccatore diuinus furor, qui ſe etiam ad filiorum calamitatem & dolorem extendet. Quæ filiorum dura vexatio & immatura mors magno etiam erit parentibus dolori. Tunc autem impius, ſublatis filiis, ſuam funditus excindi familiam mœrens intelliget, & calicem bibet indignationis plenum ab eo, quem ante contempſerat, propinatum.

21. Vt grauior eſſet ex filiorum morte doloris acceſſio, ſuis illos oculis ſceleratus pater extinctos videbit. Quid enim parenti doloris afferret filiorum ſtrages, aut domus excidium, ſi poſt mortem accideret, cum iam ad illum de bonorum vſu, aut filiorum ſuauitate pertineret nihil, etiamſi in medio vitæ curſu, neque dum abſoluta domo defeciſſet, quando fruiturus erat, & partis bonis, & domo luculenter inſtructa?

22. Deum nemo, quid facto opus ſit, aut quid ſancte atque ex vſu fieri debeat, docere poteſt; aut quod ille factum eſſe velit, reprehendere, ſiue hos attollat, & illos deprimat; ſiue omnia contra hominum conſilia conturbet. Cuius imperio atq; iudicio ſubſunt, qui excelſi ſunt, ſiue acri ingenio valeant, ſiue humana potentia.

23. 24. Magna eſt hominum ſiue in vitæ modo, ſiue in mortis genere diſſimilitudo. Hic robuſtus viuit, neque vllo in tota vita morbo aut dolore tentatus, omento pinguis, medullatis oſſibus, ſucci plenus, & bene curata cute nitidus.

25. 26. Alius vero ad mortem vſque, quam miſeram obit & infortunatam, vitam agit ærumnoſam & ægram, indigentem opibus, & ab humano ſubſidio deſtitutam. Et tamen licet diſſimile fuerit & mortis genus, & vitæ conditio, omnes tandem, & tabeſcunt a vermibus, & ſoluuntur in puluerem.

27. 28. Non me latet, o amici, quo ſpectent veſtra conſilia: neque ignoro, me vnum veſtris verbis & criminationibus appeti. Quis enim dubitet, vt eſt mearum rerum afflicta conditio, quin mea fortuna vobis obloquendi ac conuitiandi materiam præbuerit, ſcopumque propoſuerit, in quem veſtræ increpationis tela torqueantur. Quid enim aliud ſuſpicer, cum a vobis ſæpe audiam excisam eſſe principis domum, & impiorum euerſa tabernacula.

29. 30. Hoc

pag. 281. 29. Interrogate quemlibet de viatoribus, & hæc eadem illum intelligere cognoscetis.

30. Quia in diem perditionis seruatur malus, & ad diem furoris ducetur.

29. 30. Hoc porro, quod proxime dixeram, daturos esse impios, qui in hoc sæculo fortunati censentur, suæ improbitatis pœnas, vsqueadeo certum est, vt ipsi etiam viatores, & alii, qui inculto sunt ingenio ac rudi, non ignorent. Quare quod ego nunc vos docere aggredior, ipsi etiam rogati respondebunt, dicentque, impios, licet nunc illis omnia ex voto contingant, vltori tandem gladio & diuino furori esse deuotos. pag. 281.

31. Quis arguet coram eo viam eius? & quæ fecit, quis reddet illi?

31. In hac vita cum se nemini subditos esse putent, sed auctoritate atque opibus omnibus sint terrori: nemo illis exprobrare audet, si quid crudeliter aut iniuste tentauerint; neque iniuriam vlcisci, aut vicem reddere, si quid ab illis patiatur iniquius.

32. Ipse ad sepulcra ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit.

33. Dulcis fuit glareis Cocyti, & post se omnem hominem trahet, & ante se innumerabiles.

32. 33. Neque solum illi, dum viuerent, existimati sunt fortunati & nobiles, sed etiam postquam ex viuorum consortio discessere: nam cum alii mortui lateant & dormiant in communi atque ignobili sepulcro, quorum memoriam iampridem obscurauit obliuio; illi tamen marmoreis inclusi tumulis, & anniuersariis exequiis honestati, viuere adhuc, & vigilare, sicut antea, videntur: Sed licet operosam extruxerint sepulcri molem ad glaream littoris, vbi honestior putabatur tumulus, magisque religiosus, erit tamen illis sempiternus ad littus glareamque cocyti, vbi neque dolor vnquam, neque gemitus abierit. Quem tartareus ille sinus excipiet non grauate, quia suo complexu non indignum. Tunc autem erit non in singulari aliquo Mausoleo, sed in confusa mortuorum congerie, qui præcesserunt ante, & qui postea eiusdem loci fortunæque consortes consequentur.

34. Quomodo igitur consolamini me frustra, cum responsio vestra repugnare ostensa sit veritati?

34. Quod si ita est, neque qui opibus abundant, & integra sunt existimatione ac valetudine, omnino suo angore cruciatuque perpetuo carent, frustra me consolamini, cum a vestra doctrina, quæ iustis humana omnino commoda promittit, absit quam longissime veritas.

Vers. 2. *Audite quæso sermones meos, & agite pœnitentiam.*]

1. ITa locuti sunt amici Iobi, vt plane non videantur intellexisse, imo neque audiisse, quæ ab illo dicta fuerant; alioqui neque illa toties reperterent, quæ iam ab aliis obiecta fuerant, & a Iobo confutata sapienter; neque tam se viro innocenti & tot exulcerato plagis infensos præbuissent. Orat igitur atque obsecrat Iobus, modeste quidem, licet iam eadem sæpius audiendo defessus, vt adhibeant tantisper aures, & animum aduertant, sperat enim fore, vt tandem edocti, multo aliter, quam hactenus

tenus sentiant, & sententiam mutent; quam hactenus a diabolo decepti mordicus imbiberant. Hic porro duo necessario obseruanda. Alterum est, Imperatiuum modum pro tempore futuro iuxta Hebraici sermonis proprietatem vsurpari frequenter; atque ideo illud *agite pœnitentiam*, idem valere quod *agetis*. Alterum est, *pœnitere* idem esse, quod damnare priorem aut mutare sententiam. Quod ex eo prouenit, quod illa, quæ nos fecisse pœnitet, si vere pœnitet, quamprimum possumus, mutamus & soluimus: vnde etiam fit, vt Deus, in quem cadere pœnitentia non potest, dicatur tamen pœnitentia tangi, cum facta dissoluit. Quare *Genes. VI, 6.* de Deo dicitur: *Pœnituit eum, quod hominem fecisset in terra.* & Deus ipse 1. *Reg. XV, 11. Pœnitet me, quod constituerim Saul Regem.* Multa enim Deo tribuuntur accommodate ad hominum sensum & ingenium, secundum similitudinem, non proprietatem, nec secundum affectum animi, sed effectum operis, quia Deus talia facit, qualia facere solent homines, quos subit pœnitentia. Quare hoc loco nihil aliud significat Iobus, nisi tres illos amicos, si modo patienter audiant, mutaturos esse sententiam.

pag.282. a REGVLA. *Imperatiuus modus pro futuro.*

Deo quo sensu tribuatur pœnitentia.

3. Vers. 3. *Sustinete me, & ego loquar: & post mea, si videbitur, verba ridete.*] Nil aliud orat vir modestissimus, nisi vt parum molestiæ devorent amici, & ad obiecta respondentem tantisper audiant: neque recusat, si minus responsa satisfaciant, aut placeant, quin rideant, aut irrideant, quantum volent, quasi sperent, si modo mediocrem adhibeant attentionem, & animos afferant minus quam hactenus offensos, nihil habituros amplius quod obiectent.

4. Vers. 4. *Numquid contra hominem disputatio mea est, vt merito non debeam contristari?*] Implet Iobus partes omnes oratoris optimi, adhibetque illa, quæ ad captandam beneuolentiam iudicantur grauia. primum modeste obsecrat, vt audiant; est autem modestia animorum conciliatrix mirifica: deinde causam docet intercedere grauissimam, quæ illum pene cogat, vt petat hanc sibi gratiam debere concedi, cum disceptatio non sit de nihilo, sed de re grauissima, in qua de sanguine ac vita concertatio est. Agitur enim Dei causa, quam dum tueri se putant hi Iobi consolatores molesti, verius oppugnant, dum dicunt, affligi tantum in hac vita sceleratos & improbos; quod de Deo minus decore ac vere dictum esse, multis probat. Deinde quia non de sua apud homines gratia sermo est, sed apud Deum, a qua excidisse tam est exectabile malum & horribile, vt excogitari maius nullum possit. Si de hominum gratia, aut de illorum de nostra sanctitate iudicio, sermo foret, non esset admodum laborandum: neque enim viri prudentes ac pii tanti faciunt, plurimi se haberi ab hominibus, aut ab illis amari & coli, vt si hæc absint, admodum sibi dolendum esse putent: quid enim magnum dari, aut auferri potest ab hominibus? At satagere homo maxime debet, ne Deum sibi infensum habeat: quod si Dei graue de se iudicium fore suspicetur, tunc vero mœret animo, æstuat, & magno atque assiduo timore concutitur. Cum ergo hæc grauissima sint, nil mirum, si attentos sibi postulet, & patientes amicorum animos, cum hac in disputatione magna volvantur rerum momenta. Qui locus magnam etiam vim habet ad attentionem captandam: cum nemo putet e sua re fore, aures auertere aut dormitare segniter, cum de magno siue compendio, siue periculo certamen instituitur. pag.282. b

De hominum opinione & gratia non admodum laborandum, de Dei maxime.

Vers. 5. *Attendite me, & obstupescite: & superponite digitum ori vestro.*] Adhuc attentionem captat, cum talia dicat se facturum esse verba, vt nemo illa sine stupore audire queat. Quare monet, vt silentio atque patienter audiant, neque dicenti obloquantur aut obstrepent, donec loquendi finem faciat. Hæc, opinor, vera est & genuina sententia, sed neque illa videtur durior, quæ in Imperatiuo futurum agnoscit, quod est Hebraico idiomati familiare, in hunc sensum: *Attendite me, & obstupescetis*, sat scio, & comprimetis prurientem linguam & immodice loquentem; talia enim audietis, quæ terrore concutiant animos, quos contraria hactenus imbuerat opinio: & silentium indicant nimium garrulæ ac maledicæ linguæ. Illud *superponite digitum ori*, prouerbiale aliquid olet, quo etiam vtuntur Latini, cum linguam proca- 5.

Prouerbium Digitum ori imponere.

cem

cem & liberam, aut cum imperio seuere, aut cum fastidio iracunde compescunt. Hoc eodem Principum in suo conspectu silentium indicauit *cap. XXIX, 9. Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo. Prouerb. XXX, 32. Si enim* (stultus) *intellexisset, ori suo imposuisset manum.* Hoc apud profanos sæpius audimus. Iuuenal. *satyra 1.*

Cum veniet contra digito compesce labellum. Harpocratis simulacrum, qui Deus putabatur silentii, sic exprimebatur ab Ægyptiis, vt digitum apprimeret labris, eaque ad silentium, quasi quibusdam claustris obsignaret.

6. Vers. 6. *Et ego quando recordatus fuero, pertimesco, & concutit carnem meam tremor.*] Ex eo colligit Iobus, fore, vt tremant & obstupescant socii, quia & ipse obstupuit & tremuit, cum earum rerum, de quibus acturus est, subiit recordatio: neque dum est ab eo tremore atque stupore liber, sed erit hoc sociis Iobi multo molestius, qui se viros putarent fortunatos & optimos, cum nihil illis accidisset aduersi, neque quicquam deinceps horribile metuerent, aut non ex voto. Hoc vero est, quod sociis timori futurum esse dicit, & toto capite explicat luculentius: quia illos, quibus omnia succedunt ex votis, exitus manet inopinatus, durus & aduersus. Id vero si sibi persuadeant homines, qui in hac vita existimantur felices, neque somnos poterunt ducere quietos, neque vitam agere sine sollicitudine ac metu. Id vero sibi contigisse docuit Iobus, & modo obscurius, & *cap. III, 24.* multo clarius: *Antequam comedam, suspiro, & tanquam inundantes aquæ, sic rugitus meus: quia timor, quem timebam, euenit mihi, & quod verebar, accidit.* In hanc sententiam multa nos ad illum locum diximus, quæ valde huc faciunt, illa tu vide.

7. Vers. 7. *Quare ergo impii viuunt, subleuati sunt, confortatique diuitiis?* Hæc grauis est obstuporis atque tremoris causa, his præcipue, qui vitam agunt otiosam & lætam, & omnibus commodis atque deliciis ad votum & satietatem abundantem. Hanc porro abundantiam & fortunam nunquam non arridentem, toto capite ita describit eleganter, pag. 283. a vt videatur tota vita eloquentiæ dedisse operam, & non adeo lentis atque acerbis doloribus in eo, quo loquebatur, articulo torqueri. Porro *viuere* apud sacros atque profanos idem interdum valet, quod vitam agere festiuam, abundantem, honestam, in qua nihil sit, quod cruciet, nihil quod non oblectet. Ex profanis multi, dum alios hortantur, vt se voluptati tradant, genio suo indulgeant, iubent, vt viuant, quia qui a se voluptates abdicauit, ille mortuus censetur. Sic sane David *Psalm. XXXVII, 19. Ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper. inimici autem mei viuunt.* Ac si dicat: ego, quia in dolore sum ac metu, numerari possum inter mortuos, illi viuere existimandi sunt, quibus omnia succedunt ex votis.

Vers. 8. *Semen eorum permanet coram eis: propinquorum turba, & nepotum in conspectu eorum.*] Commemorat ea, quæ communiter numerantur in bonis, propter quæ homines fortunati censentur. Et primo loco numerantur filii, quæ optima existimatur parentum possessio, maxime apud Hebræos, quod idem etiam arbitror apud eos, qui Hebræorum terminos attingunt, qui magnam esse putant infelicitatem & dedecus, nullam suscepisse sobolem, & quasi excisum & aridum lignum existimari. At qui vulgi opinione fortunati sunt, Iobi vero & prudentium iudicio longe infelices, filiis abundant & nepotibus, & suæ cognationis numerosa turba, quos viuos salvosque vident, illorum aspectu quotidie fruuntur, & mirificam suauitatem ex assidua consuetudine capiunt. Hos Dauid *Psalm. CXXVII, 3.* beatos dicit, & benedictos a Domino: *Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ: filii tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ.* 8.

Filiorum copia parentum felicitas.

Vers. 9. *Domus eorum securæ sunt, & pacatæ: & non est virga Dei super illos.*] Sicut tres amici, dum tyranni atque impii mores successusque describunt, Iobum intuentur, quem pungunt acriter & insectantur hostiliter, sic etiam Iobus, dum stultorum opinione fortunatos depingit homines, quos exitus manet ærumnosus & durus, in tres hosce amicos videtur intentus: quorum describit fortunam arridentem, & illa proponit, quæ iidem in posterum aut sperant, aut optant: domus Iobi neque secura fuit, neque pacata, quam 9.

concusſit turbo, & inuaſerunt hoſtes, virga denique Domini ſic percuſſit, vt nullæ videantur ſupereſſe reliquiæ. Hæc tres amici teſtimonium quoddam eſſe putabant impietatis Iobi, & indignationis diuinæ. Nunc contraria omnia contigiſſe indicat Iobus amicis, in quibus aliquid ineſſe meditaretur, quod facit, vt illorum capiti hoſtile aliquid imminere præſentiat. Porro ſicut in Hebraico idiomate *pax* omne bonum ſignificat, ſic *pacata domus* illam ſignificat, quæ bonis omnibus & ornamentis abundat.

10. Verſ. 10. *Bos eorum concepit, & non abortiuit.*] Hæc aperta ſunt. Summa cenſetur felicitas, maxime apud Idumæos, qui re pecuaria abundant, habere fœcundos greges, vbi fœmella nulla ſterilis: & quæ concepit, felici nixu vitalem edit fœtum. Tales fuerunt greges Laban, quo tempore illos pauit Iacob, de quibus Iacob ipſe ad ſocerum *Geneſ.* pag. 283. b *XXXI, 38. Oues tuæ & capræ ſteriles non fuerunt.* Quidam in *boue* marem intelligunt, non fœminam: atque ideo ita legunt, & interpretantur: *Bos eius grauidat vaccas, & non perdit genitale ſemen.* Et hæc probant omnes Hebraizantes: ſed multa ſunt, quæ illorum ſententiæ non fauent. Neque ratio, quæ illos in eam cogitationem adduxit, nimis vrget. Non enim ſi vox Hebraica שור *ſor* generis eſt maſculini: ideo neceſſario efficitur, hic in maſculino ſexu ſignificari taurum. Notum eſt enim, a maſculino genere fœmineum contineri, vnde fit, vt pro fœmineo genus adhibeatur maſculinum, vt *Pſalm. XXIIX, 9. Vox Domini præparantis ceruos.* Vbi communiter Interpretes *ceruas* intelligunt, & illud *Iſai. LIX, 11. Rugiemus quaſi vrſi.* Cyrillus, & alii de fœminis accipiunt. Quod etiam apud profanos vſitatum: Ariſtoteles *lib. 6. de hiſtoria animalium cap. 31* leones & *cap. 33.* lepores & *cap. 35.* lupos dicit vterum ferre, & parere, quod tamen de fœminis intelligendum. Adhibet autem ibi Ariſtoteles articulum maſculinum.

REGVLA. *Maſculinum genus fœmineum concipit.*

11. Verſ. 11. *Egrediuntur quaſi greges paruuli eorum, & infantes eorum exultant luſibus.*] Sicut fœcundæ vaccæ, oues, & capræ, quæ concipiunt, pariuntque ſobolem robuſtam, quæ in ætatem grandem adoleſcit, ſaltuque ac luſu in prato laſciuiens, dominorum ſuorum oculos oblectat: ſic etiam vxores illorum fœcundæ filios conſpiciunt, & enituntur ea multitudine, vt greges videantur hœdulorum aut vitulorum: neque aliter in plateis iam grandiuſculi ludunt atque laſciuiunt, quam in prato vituli atque hœdi. Hoc idem dixit Zacharias *cap. IIX, 5.* cum de meliori Hieroſolymæ ſtatu loqueretur: *Et plateæ ciuitatis complebuntur infantibus, & puellis ludentibus in plateis eius.* Et quidem parentum magna voluptas eſt, quæ capitur ex filiorum nugis & puerilibus luſibus, qui interdum ad infantium nænias ſuam grauitatem abiiciunt, viri ſcilicet nobiles, neque id eſſe putant indecorum aut indignum regio nomine, aut ſenili canicie. Quod feciſſe dicitur Ageſilaus, vt auctor eſt Plutarchus *in apophthegmat.* Laconicis, qui cum infantibus filiis in arundine puerilem in modum equitabat. Sane Virgilius *lib. 1. Æneid.* imitatus parentum in filios charitatem, Didonem inducit cupientem filium ex Ænea concipere, quem in aula ludentem ſpectaret:

Si quis mihi paruulus aula
Luderet Æneas, qui te tantum ore referret,
Non equidem omnino capta ac deſerta viderer.

12. Verſ. 12. *Tenent tympanum, & cytharam, & gaudent ad ſonitum organi.*] Hæc quidam ad infantes referunt, qui choris ſe in plateis & numeroſis ſaltibus exercent. Sed ſane infantilis ætas parum eſt apta, vt muſica tractet inſtrumenta, aut orbem obeat ſaltatorium: ſi autem de his eſſet ſermo, quorum ætati aliquid acceſſit roboris, non mihi hæc explicatio diſpliceret. Certe Ieremiæ *Thren. V, 14.* geniales illi chori, & tympani, ac cytharæ numeroſi concentus iuuenibus tribuuntur; pag. 284. a *Senes defecerunt de portis, iuuenes de choro pſallentium.* Sed ego de impiis ſermonem eſſe puto, quorum vita aut fruitur omni voluptatum genere, aut ſi abſint, illos ſtudioſe captant, neque aliquid occurrit, quod illorum gaudium magnopere conturbet. Et quod deinde ſequitur, non obſcure ſuadet: quod apte cum his contexitur, neque tamen cum infantibus æque coniungitur. Quænam ſint hæc inſtrumenta, non admodum refert explicare, quia iam a noſtri æui vſibus

eaci-

excidit, & illorum, vt opinor, vſus, & formæ a noſtris ignorantur. Egi de his pluribus *in Commentariis ſuper Danielem ad cap. II.*

13. *Malorum felicitas metuenda.* Verſ. 13. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.*] In vita exiſtimantur felices, quia nihil illis accidit aduerſi: quia dies exegerunt in bonis: in rerum videlicet abundantia, in deliciis, quas neque hoſtilis metus, neque morborum vis, neque aliorum odia, aut aduerſi caſus interruperunt. Neque mors videri potuit moleſta, quia neque grauis oppreſſit dolor, neque lenta conſumpſit tabes, neque aliquid aduenit vsque adeo durum, vt gemitus expreſſerit. Obierunt enim dies ſuos momento temporis: neque exiguum illud tempus, in quo vis illa morbi, ſi forte morbus anteceſſit, illos extinxit, plenum fuit angoribus ac moleſtiis, cum prius vitam finierit, quam ſe in vitæ diſcrimen incidiſſe cognoſceret.

14. *Subita mors exiſtimata felix.* Quemadmodum illi, quibus ſuum venenum infudit aſpis, qui ſubito ſine vllo dolore, imo cum aliqua voluptate moriuntur, aut quia ſomno capti, aut quia aliqua ſuauitate delibuti. Sane antiquis illud mortis genus putabatur optabile, quod cito conficeret homines; & prius ſe a morte opprimi ſentirent, quam a morbo tentari, neque conflictarentur cum doloribus, aut medicinis multo interdum morte ipſa gravioribus, neque diu mortis expectatione torquerentur. Hanc ſane mortem iucundiſſimam eſſe putabat Iulius Cæſar, cuius nulla præceſſiſſet expectatio, aut metus; & Dionyſius boui, quem momento temporis iugulari viderat, inuidebat, quod tam cito vitam amiſiſſet. Vtrumque *in Apophthegmatum libro* tradit Plutarchus. Porro *infernum* pro ſepulchro aliquando ſumi ac morte, nemo ignorat: & hic ſepulcrum eſt, vt fatentur omnes.

15. Verſ. 14. *Qui dixerunt Deo, recede a nobis: & ſcientiam viarum tuarum nolumus.*] Oſtendit Iobus, quales fuerint illi, quorum modo fucatam felicitatem accurate deſcripſerat: vt intelligant, quam errent longe, qui ſibi perſuaſerant, pios eſſe, qui in hac vita nihil patiuntur aduerſi; & illos eſſe impios, quos vrgent mala & varia quotidie attenuant infortunia. Ait ergo illos, qui iucunde viuunt, ſic a Deo receſſiſſe, vt nihil cum eo voluerint habere commune, & eo progreſſos impudentiæ, vt illum iuſſerint procul a ſe faceſſere. Neque velle ab eo legem accipere, aut viam noſſe, quam ipſe monſtrat atque præſcribit, ſed laxare habenas voluntati ſuæ atque libidini, & illa putare ſibi eſſe conceſſa, quæcumque animo ſuo vere exlegi & libero collibuiſſent.

Verſ. 15. *Quis eſt omnipotens, vt ſeruiamus ei? & quid nobis prodeſt, ſi orauerimus illum?*] 16.
Qui ſuo ſibi genio indulgere & abdomini ſervire meditabantur, voluntatem ſuam alligare pag. 284. b
diuinæ refugiebant dicebantque apud animum ſuum, neque Deum eſſe dignum, cuius imperio colla ſubiiciant. (Quod dixit poſtea Pharao *Exod. V, 2. Quis eſt Dominus, vt audiam vocem eius?*) neque præterea eſſe, cur orare illum putent prudentis eſſe conſilii, a quo opportunum nihil exorare poſſint: ita illi ſecum ratiocinabantur; impie quidem & ſtulte, non tamen ſuis rationibus ſtultis atque impiis importune. Quomodo enim illas captarent voluptates, & alienas opes ad ſuos vſus fraudulenter traducerent, cum contra ſtaret diuina voluntas, & indicta pœna, quæ voluptatibus & opibus eiusmodi indixiſſent bellum, & audaces atque auaras manus continuiſſent. Cum autem hoc abeſſet frænum, facile libidinem ſuam ad omnem intemperantiam & auaritiam, ad vim, & fraudem, & furta laxabant. Hoc idem apud Malachiam *cap. III, 14.* dicebant viri quidam impii: *Vanus eſt, qui ſeruit Deo: & quod emolumentum, quia cuſtodiuimus præcepta eius?*

Verſ. 16. *Veruntamen quia non ſunt in manu eorum bona ſua, conſilium impiorum longe ſit a me.*] 17.
Hæc omnia bona, quæ fugacia ſunt, quæque non poſſunt hominem facere beatum, non credo magni faceret Iobus, eorum bonorum comparatione, quæ animum exornant: quæque hominem reddunt iuſtum & gratum Deo. Sed quia illa bona, licet omnino vacua, in hominum poteſtate non ſunt, omnino illos infelices exiſtimat, quibuscum res, rationesque coniungere, & aliquid habere commune perhorreſcit, cum vera careant felicitate, quæ in animorum venuſtatę & ornamento conſiſtit: neque aliam

fallacem stabilem habeant & propriam, cum multi illam casus & varietates eripiant. Ille dicendi modus, *consilium impiorum longe sit a me*, magnam habet vim, quo significamus pessimum aliorum viuendi genus atque consilium, neque ex illorum societate posse nobis quicquam accedere, præter ignominiam & interitum. Quo modo vitamus eos, qui damnati sunt ab Ecclesia, & maledictis atque anathemate percussi: quibuscum neque mensam neque lectum communem nobis esse volumus, & a congressu & familiaritate, humanoque conuictu prorsus arcemus. Eo dicendi modo execratus est Iacob Simeonem & Leui, quos magni sceleris auctores fuisse doluit *Genes. XLIX, 6. In consilium eorum non veniat anima mea; & in cœtu eorum non sit gloria mea.* Et Dauid *Psalm. I, 1.* beatum appellat hominem, *qui non abiit in consilium impiorum*, id est, a quo impiorum consilium longe fuit, quia illud neque amplexus est, neque probauit: quod item facit hoc loco Iobus, qui impiorum felicitatem atque consilium auersatur & horret.

18. *Gloria impiorum breuis & vana.* Vers. 17. *Quoties lucerna impiorum extinguetur.*] *Lucerna* pro felicitate ponitur, sicut lux & dies: atque ideo *extingui lucernam*, nihil est aliud, quam mutari fortunam felicem prius, & postea illius loco aduersam succedere. Extinguitur autem lucerna, cum obscuratur splendor, quo tota illuminabatur & fulgebat domus: cum pereunt opes, gratia, & ornamenta, quibus nobilitata familia aliorum animos sui admiratione capiebat: sic Iobus accommodate, opinor, ad hominum sensus, cum ipse rebus omnibus abundaret, dicebat *cap XXIX, 3. Quando splendebat lucerna eius super caput meum?* Lucerna quidem Dei, quæ homines illuminat, facitque, ne offusis tenebris ad lapidem offendant, optari potest: at lucerna impiorum, quæ non accenditur a Deo, sed ab illorum calliditate & fraude, quibus ad suum splendorem & vsum alienos labores transtulerunt: & ab stultæ multitudinis opinione, assentatione, & metu, & ad exiguum flatum confestim extinguitur, non tam est optanda, quam timenda; de vtraque lucerna in supradictam sententiam loquitur Salomon *Prouerb. XIII, 9. Lux iustorum lætificat, lucerna autem impiorum extinguitur.*

pag. 285. a

Et superueniet eis inundatio: & dolores diuidet furoris sui.] Dixerunt impii, non esse, cur diuino imperio parere debeant: neque cur ad Deum supplices accedere, cum ab illo sperari nihil possit; nunc docet, quam se res aliter habeat, quam impii taciti secum meditantur, cum ipsi ignari, vnde inexpectatum infortunium proueniat, grauissimis afficiuntur incommodis. Ab illo enim lucerna, quæ non videbatur aduersis fortunæ flatibus lucem amissura, tenuissimo spiritu prorsus extinguitur. Et cum multis abundent bonis, quibus nullus casus videatur futurus esse superior, immittet Deus exundantia calamitatum atque dolorum flumina, quæ illas tot opes obruant inopinata fluctuum inundatione, & dolores inuehant multitudine innumerabiles, acerbitate maximos, quibus qui beati putabantur, iudicentur omnium opinione miserrimi: hæc est sors impii, neque meliora sibi polliceri potest, qui a Deo recessit, & in suo brachio industriaque confidit. *Flumina*, *inundationem*, *torrentes*, & similia abundantiam significare, & inopinatum impetum, qui obuium quodque sternit & dissipat, multa docent exempla, & a nobis sæpius obseruatum est. Hæc Deus tanquam armatos milites in aciem producet, vt impiorum bona facultatesque diripiant; & idem dolores, quos in diuino pectore thesaurizauit impius, pro peccatorum numero ac pondere distribuat, ita vt pectus, quod furoris æstu videbatur affligi, respiret effuso in impiorum capita furore. Et sicut stomachus, dolens & nauseans humore noxio & ciborum cruditate, vomitione leuatur, sic Deus, dum furorem euomit, suum pectus a dolore & offensione releuat. *Ezechiel. V, 13. Complebo furorem meum, & requiescere faciam indignationem meam in eis, & consolationem accipiam.* 19.

Magis grauia & subita imminent infortunia.

Vers. 18. *Erunt sicut paleæ ante faciem venti: & sicut fauilla, quam turbo dispergit.*] Ostendit, quam sit futilis impiorum potentia, quam inanis gloria, quæ ea facilitate dissipatur, qua paleæ a vento vehementi, aut fauilla arida & sine pondere ab incitato turbine; vide quales sint homines, qui tantum de sua poten- 20.

potentia sibi placent, vt nihil vel a Deo ipso timendum putent, aut sperandum. Quæ a viro propheta, & vsu atque experientia edo-
pag.285.b cto, cum minutissima palea, quæ gluma vocatur, & nihil pene distet a puluere, & cum
Prouerbium Palea *aut* puluis ante faciem.
fauilla, quæ ipsa quoque palea leuior est, cui nimirum pondus omne flamma consumpsit, comparatur. Deus autem cum vento ac turbine, qui grauissimas ac fortissimas moles conuellit & rapit. Hæc porro comparatio, vt reor, prouerbialis est, quam sumpserunt a Iobo posterioris ætatis scriptores sacri. David sæpe *Psalm. I, 4. Non sic impii, non sic, sed tanquam puluis, quem proiicit ventus a facie terræ*, vbi in hoc Psalm. *puluis*, Hebr. est מוץ *mots*, & eadem vox adhibita est hic a Iobo, vbi a Vulgato ponitur *fauilla.* Eadem vsus est comparatione *Psalm. XVII, 43.* & *Psalm. XXXIV, 5.* Oseas *cap. XIII. 3.* Isaias *cap. XLI, 15.*

21. Vers. 19. *Deus seruabit filiis illius dolorem patris, & cum reddiderit, tunc sciet.*] Sæpe Iobus audierat ab amicis, exiguum esse peccatoris gaudium, neque illius felicitatem futuram esse diuturnam, deinde aut negata, aut sublata sobole illius nomen extinguendum, quod a tribus amicis diuersis in locis inculcatum est. Idem nunc Iobus magis quam illi significanter exponit & amplificat, negat tamen illud incommodum subire solum sceleratum hominem, sed esse illi in hoc mortali statu cum iusto ac religioso commune; vtrique enim eadem patiuntur, diuerso tamen Dei consilio & exitu dissimili; reliqua docuit proxime *vers. 17. & 18.* Nunc etiam fatetur, viuentibus adhuc parentibus tolli de medio filios, & totam spem posteritatis elidi, quod ipse quoque passus fuerat, & obiectum a sociis, vt eo supplicio se impium & dominum sibi infensum esse cognosceret. Sed cum Deus aliis atque aliis de causis homines eiusmodi laboribus, aut puniat, aut probet & exerceat, Iobus tamen excidere a sua gloria impios, & talia pati, qualia nunc audimus detrimenta, eam inter alias dicit esse causam, vt discant experientia ipsa, quem prius non esse metuendum, neque orandum dicebant, horribilem esse Deum, cum ipsos & domesticis ornamentis expoliet, & publicis exauctoret, & sublatis filiis spem omnem posteritatis extirpet. Hæc de impiorum supplicio.

Nunc illud obseruandum, grauem esse parentibus dolendi causam, si filios, id est, alteram sui partem, ante oculos suos trucidari videant. Quod nouit Nabuchodonosor, cum *4. Reg. XXV, 7.* & *Ierem. XXXIX, 6.* non prius eruit Sedeciæ oculos, quam vidisset filios in suo conspectu trucidari. Dolorem ergo patris seruauit filiis, id est, occidit filios, vt pater peccator doleret magis. *Deus seruauit filiis illius dolorem patris*, vt cum reddiderit filiis parentum dolorem, id est, mortem, quæ futura erat parentibus dolori, cognoscerent, quis esset Deus, cuius prius neque timebant iram, neque præcepta curabant. Hæc expositio videtur optime cum antecedentibus consequentia contexere. Quomodo autem filii propter parentum errata puniantur, diximus *in nostris Commentariis* ad illud *Ezechielis cap. XIIX, 4. Anima quæ peccauerit ipsa morietur.* 22. *Grauis parentibus dolor e filiorum interitu.*

Vers. 20. *Videbunt oculi eius interfectionem suam, & de furore omnipotentis bibet.*] Hæc pars est supplicii non exigua, quam ipse quoque Iobus subiisse videbatur: intueri sublatis filiis, ipsam quoque familiam & parentum nomen funditus excindi. Hoc igitur impiis comminatur Iobus, interfectionem videlicet vniuersalem: quæ pars est calicis, quem in suo furore Dominus peccatori propinat. Cur *calix, vinum, ebrietas* pro magno supplicio, prouerbiali figura sumatur, idque frequentissime, diximus *in nostris Commentariis in Isaiam*, ad illud *cap LI, 17. Quæ bibisti de manu Domini calicem iræ eius;* vbi hac de re latissime. pag.286.a 23.

Vers. 21. *Quid enim ad eum pertinet de domo sua post se?*] Rationem reddit, cur Deus his, quos vult punire, aut exercere seuerius, viventibus filios eripiat, & familiam exscindat. Quia quid homini doloris afferret filiorum strages & domus subuersio, si post mortem accideret illa vastitas, quæ ex tanta familia, tamque florenti fortuna nil fecisset reliquum, cum iam ad illum de tot bonis pertineret nihil, neque de his, quæ in terra fiunt, qui iam e viuis excesserunt, quicquam agnoscant, aut curent. 24.

Et si numerus mensium eius dimidietur.] Qui 25.

 lon-

longam vixit ætatem, & diu rem curauit suam, quam filiis auctam lautamque relinqueret, satisfecisse suo muneri videtur, quandoquidem operam dedit longam ornandæ domui, quam filii post se honeste habitarent, & commode. Secus autem, qui in medio vitæ curriculo immatura morte sublatus est, quia nondum plane rem constituit domesticam, neque satis filiorum rationibus in posterum prouidit. Quare post mortem non videbatur depositurus illam curam & onus, quod parentibus ipsa natura imposuisset. Huic obiectioni respondet Iobus, quocumque tempore atque ætate moriatur pater, etiam si res inchoatas imperfectasque relinquat, non tamen iam ad illum amplius de pristinis curis quidquam pertinere: atque ideo cum adhuc spirat & viuit, domum Deus aufert & filios, vt doleat illa periisse, quorum ad illum cura pertineret, quod sane non faceret, si post mortem accideret, quam immatura ætate subiisset.

26. Spectabat, opinor, hoc loco Iobus ætatem suam non admodum prouectam, in qua sibi breui moriendum putabat: aut certe amicis moriturus videbatur, in qua illi domus constituenda fuit. Erat autem Iobus in medio ætatis cursu, in ætate videlicet virili inter senem virumque, sed propior viro, plus dimidio minor ætate illa, quam eo sæculo implebant viri robusti, quique dierum pleni decedebant e vita. Vixisse Iobus dicitur post plagam priori, imo meliori fortunæ restitutus, annos centum quadraginta, *cap. XLII, 16.* videtur autem ante plagam vixisse pauciores. Sub illud enim tempus aut nullus aut pauci illum annorum numerum duplicabant. Abraham, qui obiit ætate non immatura, sed valde senex, annos tantum impleuit centum septuaginta quinque *Genes. XXV, 7.* Isaac decem vixit annos supra ætatem parentis *Genes.*
pag. 286. b *XXXV, 28.* & Iacob, qui eodem, cum Iobo sæculo vixit, annos natus centum & triginta interiit, paulo nimirum postquam migrauit in Ægyptum: nam cum primum Pharaonem adiit, illum annorum numerum impleuerat, *Genes. XLVII, 9.* iuxta hæc si Iobus post plagam annos vixit centum & quadraginta, non videtur admodum ætate fuisse progressus, quando abiectus in sterquilinium credebatur statim moriturus. Septuaginta *cap. XLII. in fine*, dicunt, Iobum post plagam annos egisse centum & septuaginta, & totam illius vitam annos implesse ducentos & quadraginta; vnde id collegerint, non video.

Vers. 22. *Numquid Deum docebit quispiam scientiam, qui excelsos iudicat.*] Causam Dei agit Iobus contra illos, qui de Deo male cogitabant, quasi nihil posset, aut certe nesciret humanis consulere rationibus, atque ideo otiosas putabant esse preces, quæ ad illum funderentur, quasi nihil essent exoraturæ, docuit proxime, Deum non esse infirmum, aut inertem, cum potentes abiiciat, & illorum nomen atque familiam momento temporis aboleat: nunc docet, illum esse sapientem, neque egere, vt aliquis, quid facto opus sit, illum admoneat. Quare licet homines, quo sunt mentis stupore atque dementia, in diuinis consiliis aliquid minus probent, longe tamen abesse debent, vt facta illius & cogitata corrigant, cum ipse excelsos iudicet: neque vlla sit tanta sapientia, tam solers acutumque iudicium, quod non illius sapientiæ atque consiliis subesse debeat. Illi porro excelsi, quos Deus iudicat, aut Reges sunt, & iudices, qui rebus præsunt publicis, & tunc idem est ac si dicas, Deum esse Regem Regum, & iudicem iudicum, id est, illum optime iudicare ac regere. Aut certe angeli sunt, tunc vero sensus erit, si Deus angelos iudicat, qui tanto sapientiores hominibus, quanto magis homines? Quocirca necessarium non est, vt quisquam illum doceat, aut de hominum meritis, diuersoque atque æquo suppliciorum pondere instruat. 27. *Homo diuina consilia iudicare non debet.*

Vers. 23. 24. *Iste moritur robustus, & sanus, diues, & felix.*] Explicat exemplis, quemadmodum Dei varia sint, eaque iustissima iudicia, cum vitam longe dissimilem, similis consequatur exitus. Primum describit hominem, qualem hominum vulgus fortunatum iudicat. Qui sanus vixit atque robustus, atque ita humanis commodis abundans, vt nihil illi ad felicitatem summam deesse videatur: succi videlicet plenus, bene curata atque nitente cute, omento pinguis, medullatis ossibus; & sicut vitam nactus est fortunatam, & ab omni labore atque dolore vacuam, sic etiam mortem 28. *Hominis fortunati descriptio.*

tem

tem inuenit tam optabili vitæ non absimilem: robustus enim, sanus, & diues moritur, quia puncto temporis in infernum, id est, in sepulcrum descendit, pleno & succulento corpore, quod nulla tabes, aut morbi longitudo consumpsit, neque afflixit expectatio mortis, cum inopinata securum oppresserit, neque vllo vitæ articulo etiam extremo sanus esse desiit:
pag.287. a neque quidquam in curando ægro corpore, medicorumque sumptibus de diuitiarum cumulo decessit. Atque ideo sanus, diues, & felix e viuis excessit. Quomodo irrigatio ossium robur significet, & vigorem, diximus *cap. IIX, 11.* ad illud: *Numquid virere potest scirpus absque humore?*

29. *Infortunati descriptio.* Vers. 25. *Alius vero moritur in amaritudine animæ absque vllis opibus.*] Seipsum hac mortis descriptione designat, qui vitam ducit ægram & amaram, rerum omnium indigentem, quam morbus attenuat, tabes consumit & exhaurit, opes destituunt, neque commodum habet in suo dolore diuerticulum, solatur nemo, exagitant, & persequuntur omnes, & cum alienis in eius calamitatem cognati atque domestici conspirant. Sed licet suam intueatur conditionem, de omnibus tamen loquitur, quibus viuendi atque moriendi fuit difficilis & angusta conditio.

30. Vers. 26. *Et tamen simul in puluere dormient, & vermes operient eos.*] Cum dissimilis vita fuerit, eadem tamen vtrumque iam vita functum manet sepultura, tabes, putredo, verminatio. Quod sane Deus neque imprudenter fecit, neque iniuste, neque quemquam relinquit impunitum, si peccauit, aut si quicquam iustus sancte fecit, non muneratum. Neque ideo peccator felix, etiam si viuenti ex votis omnia contingant. Quia suorum scelerum aliquando debitas pœnas dabit: neque iustus infortunatus, quia destinatum est tempus, in quo suorum meritorum præmium cumulate recipiat. Quod autem illud tempus fuerit, satis ostendit manifeste *vers. 30.* nempe tempus, quod hominum mortem consequatur, in futuro sæculo: de quo fortasse Iobi tres amici nullam cognitionem habuerant: tempus porro, quod morti succedit, in quo exanimatum corpus deformatur, fœtet, & in saniem liquescit, incipit ostendere, qualis sit futura impii extrema sors: Et quia id etiam quodammodo ad vitam pertinet, quia vitæ proximum, & hominum potest oculis patere, docet, quomodo in hoc sæculo, & pene dixerim in hac vita, nullam suorum meritorum iustus mercedem expectare debeat, cum sciat in futuro sæculo paratam a Deo.

Hæc porro bona & mala æque in hoc mundo bonis & malis eueniunt; quia Deus iustorum opera in hoc etiam sæculo munerare incipit, & si quid egere impii, quod aliquam habuit honestatis speciem, illud humano aliquo & fugaci commodo compensat. Quare ex hac humana abundantia & gloria non licet cuiusquam sanctitatem, aut improbitatem expendere, quod dixit *Eccles. cap. IX, 2. Omnia in futurum seruantur incerta, eo quod vniuersa æque eueniant iusto & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas, & sacrificia contemnenti. Sicut bonus, sic & peccator,* &c. Sed quo cuique merito atque consilio eueniant, futuro meritorum examine constabit. 31. *Ex rerum abundantia, vel inopia non licet cuiuspiam sanctitatem, aut improbitatem iudicare.*

Vers. 27. *Certe noui cogitationes vestras, & sententias contra me iniquas.*] His verbis satis 32.
accommodate atque sapienter Iobus ad amicorum cogitata respondet, qui ex pœnis, quas in hoc mortali statu patiebatur homo, colligebant, illum esse impium, & quasi nullum esset aliud tempus, in quo peccata lueret, in hoc præsenti tam acerbe cruciari censebant. Neque ignorabat Iobus, quod etiam amici præ se ferebant non occulte, hæc omnia contra se a sociis esse comparata. pag.287.b

Vers. 28. *Dicitis enim, vbi est domus principis? & vbi tabernacula impiorum?)* Princeps erat Iobus, & Regum orientalium maximus, & idem ab amicis impius iudicabatur, & illis dignus infortuniis, quæ tunc patiebatur, eiectus domo, & in subdiale sterquilinium expulsus, quare neque domum habuit suam, ad quam diuerteret, neque tabernaculum, vbi commodum sibi pararet hospitium. Atque ideo cum tyrannidis illum & impietatis arguerent, spectare iubebant euersam domum, extinctam familiam, excisa atque direpta tabernacula: quod maximum putabant impietatis argumentum. 33.

34. Vers. 29. *Interrogate quemlibet de viatoribus, & hæc eadem illum intelligere cognoscetis.*] Hæc omnia, quæ Iobus proxime dixerat, nota erant etiam vulgaribus ingeniis, qualia sunt in viatoribus, in quibus homines significantur e confusa atque ignobili multitudine: tum præterea ex omni populo, quia illi non ex vna ciuitate ac gente, sed ex aliis atque aliis quocumque & vndequaque commeant. Quare illi, quid omnibus sit exploratum & cognitum, docere possunt. Credo autem Idumæorum prouerbio, cum aliquid nemini obscurum significare volumus, id dici ipsis etiam viatoribus esse compertum. Quomodo dicunt Latini, cum aliquid ostendunt esse vulgatum & ignoratum nemini, lippis & tonsoribus esse notum; quod ita est cum ratione atque æquitate summa coniunctum, vt docente nemine, ab ipso naturali lumine hominum animis videatur impressum. Iubet ergo Iobus, vt a quolibet ex turba, seu ex rure, quærant amici, qui tam de his infortuniis inique cogitant: an aliquando impii, qui modo censentur fortunati, scelerum suorum daturi sint pœnas; futurum enim putat, vt neget nemo.

Prouerbium: Viatoribus notum.

35. Neque hoc, opinor, ignorabant tres hi viri, & domestici, atque cognati Iobi, qui modo aliter sentiunt, & contrariam partem adeo tuentur mordicus, vt eo nomine Iobum insectentur, quia non putant eam plagam nisi in hominem sceleratissimum cadere potuisse. Hoc vero suasit dæmon, cui se illis nimis præbuere credulos, qui hoc modo putabat deiectum iri Iobum de sua constantia. Quare mutata sententia mutauerunt animos, & qui prius fuerant beneuoli, mutati sunt in hostes.

36. Vers. 30. *Quia in diem perditionis seruatur malus, & ad diem furoris ducetur.*] Sicut vituli altiles tenentur in sagina, vt cum magis fuerint adipati & pingues, trahantur ad macellum; sic impiis, quibus abunde omnia ad luxum & delicias suppetunt, gladius paratus est ad extremum, & sempiterna rerum omnium inopia. Hoc idem Ieremias *cap. XII, 1. Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus, qui præuaricantur & inique agunt. Plantasti eos, & radicem miserunt, proficiunt, & faciunt fructum*, &c. Sed statim, qui illos exitus maneat, docet, dum subdit: *Congrega eos quasi gregem ad victimam.* Eorum qui filii dicuntur alieni, qui nempe paternæ hæreditatis, id est, cœlestium bonorum hæredes non erunt, statum eodem prope modo, quo Iobus, descripsit Dauid *Psalm. CXLIII, 12. Quorum filii sicut nouellæ plantationes in iuuentute sua, filiæ eorum compositæ, circumornatæ vt similitudo templi. Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Oues eorum fœtosæ, abundantes in egressibus suis, boues eorum crassæ.*

Quis finis maneat malorum diuitias.

pag.288.a

37. Vers. 31. *Quis arguet coram eo viam eius? & quæ fecit, quis reddet illi?*] Cum hic finis tam miser ambitiosos illos spiritus & statum illum abundantem excipiat: neque de illo cogitent viri superbi atque impii, a sua fortuna atque inani opinione, aut subditorum adulatione decepti, & quo sunt mentis stupore, maiorem in modum insolescunt: & nemo illis institutum viuendi genus exprobrare audet: & multo minus si quid ab illis contra ius & fas violentum acciderit, iniuriam vlcisci, & paria paribus vicissim reddere. Quidam hæc ad Deum referunt, non hominem superbum & impium; quasi dicas, Dei summam esse de rebus humanis prouidentiam: & libere illum de rebus omnibus suo arbitratu statuere posse. Quem arguere, quasi in rerum dispositione & administratione errare potuerit, nemo debet ac potest: quantumlibet ab eo aduersa patiatur. Sed huic explicationi multa incommodant, quæ expedire promptum non est.

38. Vers. 32. *Ipse ad sepulcra ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit.*] Non solum ad mortem vsque impiorum fortuna producitur, si tamen illi fortunatum esse potest aliquid, ad quem nil iam pertinet, quod gloriæ esse, aut voluptati queat. Quia cum magno apparatu ac pompa ad sepulcrum effertur, & anniuersaria celebritate honoreque funereo illius renouatur memoria: ita vt cum magna aliorum, qui e viuis excesserunt, congeries ac multitudo penitus interiisse videatur, cum non iam amplius in posterorum memoria viuant; illi tamen non videantur excessisse prorsus, cum magna extet & splendeat sepulcri moles, & iteratæ ferales exequiæ ab obliuione vendicent eum, quem mors nostris oculis eripuit. Id

Quomodo monumentis & anniuersariis exequiis mortui viuant.

Id puto sibi volunt ea verba, *& in congerie mortuorum vigilabit*, id est, cum alii, ad quorum exequias nullus adhibetur apparatus, neglecti iaceant, aut insepulti, aut communi inopum polyandrio, vbi mortuorum est confusa congeries: illi tamen viuere censentur aut vigilare, quia aliis viui homines, qui sepulcralibus sumptibus aluntur, obsequium aliquod præstant, sicut olim viuentibus. Porro quemadmodum mortui dormire dicuntur, sicut etiam mors somnus vocatur, sic etiam vigilare dicuntur viui, aut qui perinde ac si spiritum ducerent vitalem, suum nomen in posterorum memoria, aut sepulcrali marmore immortale conseruant. Quanto apparatu & sumptu, quam ambitiose viri Principes apud Hebræos sepeliantur, diximus *in nostris Commentariis super Ieremiam* ad illud *cap. XVI, 5. Ne ingrediaris domum conuiuii, neque vadas ad plangendum*; vbi ea de re pluribus.

pag. 288. b

39. *Quid Cocytus & glarea.* Vers. 33. *Dulcis fuit glareis Cocyti, & post se omnem hominem trahet, & ante se innumerabiles.*] Hic locus difficillimus est, & in varias sententias trahitur ab Interpretibus. Ego priusquam aliorum cogitationes adducam, quid glarea sit & cocytus, explicabo. De glarea res est facilis, significat enim lapides minutos, quales in fluminum ripis & sabulosis locis reperiri solent. Quare hic *glarea* idem est quod arena, & quia hæc plerumque ripas sternit fluminum, pro littorali tractu frequenter vsurpatur. *Cocytus* inferorum fluvius est, qui nomen habet a fletu: siue quia circa ipsum damnati impii perpetuo lugent, siue quia ibi feralium volucrum funereus ingeminat gemitus, & inamœnus vlulatus. De quo Seneca *in Hercule furente Act. 3. scen 2.*

Palus inertis fœda cocyti iacet;
Hic vultur, illic luctifer bubo gemit,
Omenque triste resonat infaustæ strigis.

Siue cocytus ex stygia palude profluat, siue sit idem cum acheronte, hac de re mythologi non omnino consentiunt; glareosus tamen est, iuxta illud Virgilii *6. Æneid.*

Hinc via tartarei quæ fert acherontis ad vndas:
Turbidus hic cœno vastaque voragine gurges
Æstuat, atque omnem cocyti eructat arenam.

Cocytus porro pro inferno ponitur a Poetis, vt notauit Hieronymus, qui consulto hoc adhibuit proprium nomen, cum tamen in Hebraico textu sit commune נחל *nachal*, quod fluuium valet seu torrentem, aut etiam profundam vallem, per quam torrentes aut labuntur, aut labi consueuerunt. De quo sic Hieronymus hic: *Cocytum inferorum fluuium esse dicunt: nos autem in Scripturis diuinis eundem fluuium torrentem, puteum, caminum, ignem æternum, lacum, stagnum legimus, & gehennam.*

40. *Litteralis locus pro sepulturis existimatus honestus.* Deinde obseruo, moris esse antiquis, quod etiam puto Idumæos seruasse, vt maxime honestum existimarent pro sepultura littoralem locum, aut quia aliquid in iugi atque viuente aqua credebant esse sacrum & expiatorium; aut quia magis videbatur sepulcrum futurum esse mundum, & a syluestrium ferarum conculcatione liberum. Id multa probant antiquorum seu vera seu fabulosa exempla, quæ ad fluminum ripas virorum principum sepulcra constituunt. Quod nisi esset commune, & cum aliqua religionis specie coniunctum, neque verum proderent historiæ, neque ad veri similitudinem factum confingerent. *Qui prope flumina sepulti sunt.* Sepulcrum Hecubæ ad amnem Rhodium statuit Strabo *lib. 13.* Aryadis Philostratus ad Orontem. Pausanias multorum sepulcra variis fluminum littoribus adiungit. Aristoteles in Peplo ad Cephissum amnem tumulum statuit Penelei. A Poëtis multa sumuntur exempla, quæ ideo libentius adduco, quia illi a rerum natura, seu vulgari hominum consuetudine sua nobis commenta producunt. Silius Italicus Garamantes in arena, id est, in littorali tractu sepeliri tradit *lib. 13.*

pag. 289. a

Quid qui reclusa nudos Garamantas arena
Infodiunt.

Sepulcrum Aiacis fuisse in maris littore, docet clypeus, quem vnda maris ad illud aduolvit, quem iniuste Vlysses corrupto iudicio sibi vindicarat, cum de armis Achillis inter Vlyssem & Aiacem disceptatio foret. De qua re extat emblema apud Alciatum, cuius titulus est, *Tandem, tandem iustitia obtinet.* Apud Virgilium Æneas *lib. 6.* Deiphobo a se excitatum tumulum esse dicit in littore:

34. Vers. 29. *Interrogate quemlibet de viatoribus, & hæc eadem illum intelligere cognoscetis.*] Hæc omnia, quæ Iobus proxime dixerat, nota erant etiam vulgaribus ingeniis, qualia sunt in viatoribus, in quibus homines significantur e confusa atque ignobili multitudine: tum præterea ex omni populo, quia illi non ex vna ciuitate ac gente, sed ex aliis atque aliis quocumque & vndequaque commeant. Quare illi, quid omnibus sit exploratum & cognitum, docere possunt. Credo autem Idumæorum prouerbio, cum aliquid nemini obscurum significare volumus, id dici ipsis etiam viatoribus esse compertum. Quomodo dicunt Latini, cum aliquid ostendunt esse vulgatum & ignoratum nemini, lippis & tonsoribus esse notum; quod ita est cum ratione atque æquitate summa coniunctum, vt docente nemine, ab ipso naturali lumine hominum animis videatur impressum. Iubet ergo Iobus, vt a quolibet ex turba, seu ex rure, quærant amici, qui tam de his infortuniis inique cogitant: an aliquando impii, qui modo censentur fortunati, scelerum suorum daturi sint pœnas; futurum enim putat, vt neget nemo.

Prouerbium: Viatoribus notum.

35. Neque hoc, opinor, ignorabant tres hi viri, & domestici, atque cognati Iobi, qui modo aliter sentiunt, & contrariam partem adeo tuentur mordicus, vt eo nomine Iobum insectentur, quia non putant eam plagam nisi in hominem sceleratissimum cadere potuisse. Hoc vero suasit dæmon, cui se illis nimis præbuere credulos, qui hoc modo putabat deiectum iri Iobum de sua constantia. Quare mutata sententia mutauerant animos, & qui prius fuerant beneuoli, mutati sunt in hostes.

36. Vers. 30. *Quia in diem perditionis seruatur malus, & ad diem furoris ducetur.*] Sicut vituli altiles tenentur in sagina, vt cum magis fuerint adipati & pingues, trahantur ad macellum; sic impiis, quibus abunde omnia ad luxum & delicias suppetunt, gladius paratus est ad extremum, & sempiterna rerum omnium inopia. Hoc idem Ieremias *cap.* XII, 1. *Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus, qui præuaricantur & inique agunt. Plantasti eos, & radicem miserunt, proficiunt, & faciunt fructum*, &c. Sed statim, qui illos exitus maneat, docet, dum subdit: *Congrega eos quasi gregem ad victimam.* Eorum qui filii dicuntur alieni, qui nempe paternæ hæreditatis, id est, cœlestium bonorum hæredes non erunt, statum eodem prope modo, quo Iobus, descripsit Dauid *Psalm. CXLIII, 12. Quorum filii sicut nouellæ plantationes in iuuentute sua, filiæ eorum compositæ, circumornatæ vt similitudo templi. Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Oues eorum fœtosæ, abundantes in egressibus suis, boues eorum crassæ.*

Quis finis maneat malorum diuitias.

pag. 288. a

Vers. 31. *Quis arguet coram eo viam eius? & quæ fecit, quis reddet illi?*] Cum hic finis tam miser ambitiosos illos spiritus & statum illum abundantem excipiat: neque de illo cogitent viri superbi atque impii, a sua fortuna atque inani opinione, aut subditorum adulatione decepti, & quo sunt mentis stupore, maiorem in modum insolescunt: & nemo illis institutum viuendi genus exprobrare audet: & multo minus si quid ab illis contra ius & fas violentum acciderit, iniuriam vlcisci, & paria paribus vicissim reddere. Quidam hæc ad Deum referunt, non hominem superbum & impium; quasi dicas, Dei summam esse de rebus humanis prouidentiam: & libere illum de rebus omnibus suo arbitratu statuere posse. Quem arguere, quasi in rerum dispositione & administratione errare potuerit, nemo debet ac potest: quantumlibet ab eo aduersa patiatur. Sed huic explicationi multa incommodant, quæ expedire promptum non est. 37.

Vers. 32. *Ipse ad sepulcra ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit.*] Non solum ad mortem vsque impiorum fortuna producitur, si tamen illi fortunatum esse potest aliquid, ad quem nil iam pertinet, quod gloriæ esse, aut voluptati queat. Quia cum magno apparatu ac pompa ad sepulcrum effertur, & anniuersaria celebritate honoreque funereo illius renouatur memoria: ita vt cum magna aliorum, qui e viuis excesserant, congeries ac multitudo penitus interiisse videatur, cum non iam amplius in posterorum memoria viuant; illi tamen non videantur excessisse prorsus, cum magna extet & splendeat sepulcri moles, & iteratæ ferales exequiæ ab obliuione vendicent eum, quem mors nostris oculis eripuit. 38.

Quomodo monumentis & anniuersariis exequiis mortui viuant.

Id

Id puto sibi volunt ea verba, *& in congerie mortuorum vigilabit*, id est. cum alii, ad quorum exequias nullus adhibetur apparatus, neglecti iaceant, aut insepulti, aut communi inopum polyandrio, vbi mortuorum est confusa congeries: illi tamen viuere censentur aut vigilare, quia aliis viui homines, qui sepulcralibus sumptibus aluntur, obsequium aliquod præstant, sicut olim viuentibus. Porro quemadmodum mortui dormire dicuntur, sicut etiam mors somnus vocatur, sic etiam vigilare dicuntur viui, aut qui perinde ac si spiritum ducerent vitalem, suum nomen in posterorum memoria, aut sepulcrali marmore immortale conseruant. Quanto apparatu & sumptu, quam ambitiose viri Principes apud Hebræos sepeliantur, diximus *in nostris Commentariis super Ieremiam* ad illud *cap. XVI, 5. Ne ingrediaris domum conuiuii, neque vadas ad plangendum*; vbi ea de re pluribus. pag. 288. b

39. *Quid Cocytus & glarea.* Vers. 33. *Dulcis fuit glareis Cocyti, & post se omnem hominem trahet, & ante se innumerabiles.*] Hic locus difficillimus est, & in varias sententias trahitur ab Interpretibus. Ego priusquam aliorum cogitationes adducam, quid glarea sit & cocytus, explicabo. De glarea res est facilis, significat enim lapides minutos, quales in fluminum ripis & sabulosis locis reperiri solent. Quare hic *glarea* idem est quod arena, & quia hæc plerumque ripas sternit fluminum, pro littorali tractu frequenter vsurpatur. *Cocytus* inferorum fluvius est, qui nomen habet a fletu: siue quia circa ipsum damnati impii perpetuo lugent, siue quia ibi feralium volucrum funereus ingeminat gemitus, & inamœnus vlulatus. De quo Seneca *in Hercule furente Act. 3. scen 2.*

Palus inertis fœda cocyti iacet;
Hic vultur, illic luctifer bubo gemit,
Omenque triste resonat infaustæ strigis.

Siue cocytus ex stygia palude profluat, siue sit idem cum acheronte, hac de re mythologi non omnino consentiunt; glareosus tamen est, iuxta illud Virgilii *6. Æneid.*

Hinc via tartarei quæ fert acherontis ad vndas:
Turbidus hic cœno vastaque voragine gurges
Æstuat, atque omnem cocyti eructat arenam.

Cocytus porro pro inferno ponitur a Poetis, vt notauit Hieronymus, qui consulto hoc adhibuit proprium nomen, cum tamen in Hebraico textu sit commune נחל *nachal*, quod fluuium valet seu torrentem, aut etiam profundam vallem, per quam torrentes aut labuntur, aut labi consueuerunt. De quo sic Hieronymus hic: *Cocytum inferorum fluuium esse dicunt: nos autem in Scripturis diuinis eundem fluuium torrentem, puteum, caminum, ignem æternum, lacum, stagnum legimus, & gehennam.*

Deinde obseruo, moris esse antiquis, quod etiam puto Idumæos seruasse, vt maxime honestum existimarent pro sepultura littoralem locum, aut quia aliquid in iugi atque viuente aqua credebant esse sacrum & expiatorium; aut quia magis videbatur sepulcrum futurum esse mundum, & a syluestrium ferarum conculcatione liberum. Id multa probant antiquorum seu vera seu fabulosa exempla, quæ ad fluminum ripas virorum principum sepulcra constituunt. Quod nisi esset commune, & cum aliqua religionis specie coniunctum, neque verum proderent historiæ, neque ad veri similitudinem factum confingerent. Sepulcrum Hecubæ ad amnem Rhodium statuit Strabo *lib. 13.* Aryadis Philostratus ad Orontem. Pausanias multorum sepulcra variis fluminum littoribus adiungit. Aristoteles in Peplo ad Cephissum amnem tumulum statuit Penelei. A Poëtis multa sumuntur exempla, quæ ideo libentius adduco, quia illi a rerum natura, seu vulgari hominum consuetudine sua nobis commenta producunt. Silius Italicus Garamantes in arena, id est, in littorali tractu sepeliri tradit *lib. 13.* 40. *Litteralis locus pro sepulturis existimatus honestus.* *Qui prope flumina sepulti sunt.* pag. 289. a

Quid qui reclusa nudos Garamantas arena
Infodiunt.

Sepulcrum Aiacis fuisse in maris littore, docet clypeus, quem vnda maris ad illud aduoluit, quem iniuste Vlysses corrupto iudicio sibi vindicarat, cum de armis Achillis inter Vlyssem & Aiacem disceptatio foret. De qua re extat emblema apud Alciatum, cuius titulus est, *Tandem, tandem iustitia obtinet.* Apud Virgilium Æneas *lib. 6.* Deiphobo a se excitatum tumulum esse dicit in littore:

Tunc egomet tumulum Rheteo in littore inanem
Constitui, & magna manes ter voce vocaui.

Et *lib.3.* Andromache vxor Hectoris dicitur excitasse ad ripam fluminis sepulcrum:

Ante vrbem in luco falsi Simoëntis ad vndam
Libabat cineri Andromache, manesque vocabat
Hectoreum ad tumulum.

Quod item Romanis vsitatum docet idem Virgilius *lib. 6.* vbi Marcellum ad ripas Tiberis tumulatum indicat, & eius funus, & publicum gemitum describit:

Quantos ille virum magnam Mauortis ad vrbem
Campus aget gemitus! vel quæ Tiberine videbis
Funera, cum tumulum præterlabere recentem!

Hæc tot adduxi exempla, vt magis appareat probabile, quod nonnulli putant, sermonem hic esse de potentum ac superborum tumulis, qui tunc existimantur honestissimi, cum fluuialibus alluuntur aut humescunt vndis. Nunc iam ad textum.

41. *Improbi in inferno sepulti.* *Dulcis fuit glareis cocyti.*] Hebraicus textus habet: *Dulces illi fuerunt glareæ torrentis.* Vbi videtur Vulgatus interpres vsus esse hypallage Hebræis familiari. Iuxta hanc lectionem sensus est non difficilis. Optabat ille homo superbus & alienis opibus inflatus, sepulcrum habere honestum in sabuloso loco, secus aquarum iugem alluuionemque decursum: ne quid illi accideret non gloriosum. Sed si legas sine vlla vocum permutatione, sensus est, quem Patrum plerique probant, nempe illum, qui ad immortalitatem nominis excitare voluit monumentum stabile, habiturum apud inferos, vbi cocytus esse fingitur, æternum domicilium. Ita Hieronymus, Beda, Gregorius Magnus, S. Thomas, & e recentioribus alii non pauci. Dicitur futurus esse dulcis glareoso cocyto, quia illum cocytus, id est, impiis destinatus carcer iam dudum expectat. Quem cum gaudio (si quid iucundum esse potest infernis manibus) excipient alii, quos scelerati mores æternis addixere suppliciis. Quod Isaias *cap. XIV, 9.* dixit de Rege Babylonis: *Infernus subter te conturbatus est in occursum aduentus tui, suscitabit tibi gigantes. Omnes Principes terræ surrexerunt de soliis suis. Omnes Principes nationum, vniuersi respondebunt, & dicent tibi, & tu vulneratus es, sicut & nos.* pag.289.b

Ego ex his duabus explicationibus vnam compono, & vulgatam translationem cum Hebraico textu concilio. Et primum agnosco hypallagen, & dico cum Septuaginta & aliis plurimis, desiderasse hunc hominem superbum & impium sepulturam in glareis torrentis alicuius, quia ille locus magis putabatur religiosus, & ad sepulcri dignitatem magis idoneus. Cumque commune adhibuisset torrentis nomen textus Hebraicus; Vulgatus tamen interpres specialia posuit, & loco *torrentis*, aut *fluuii*, *cocytum* adhibuit. Quia recte nouerat, vt ipse hoc loco obseruauit Hieronymus, cocytum existimari torrentem inferni. Hanc igitur ex his verbis sententiam informo. Optabat impius ille glaream torrentis, vbi quietum habeat æternumque sepulcrum. Neque successus votis illius deerit: sepelietur enim in glareis torrentis, non tamen illius, quem ipse amabat; sed cocyti, vbi neque dolor vnquam, neque gemitus aberit. Quem cocytus excipiet non grauate, quia iam pridem se ad illius loci consuetudinem & incolarum ingenium comparauerat. Quomodo nomina quædam fabulosa sacris literis inserta fuerint, docuit Hieronymus ad illud *Amos V, 8. Facientem Arcturum & Oriona*, qua de re nos pluribus supra *cap. IX, 9.* ad eadem prope verba: *Qui facit Arcturum & Oriona.* 42. *Quod impius dignum monumentum.*

Et post se omnem hominem trahet, & ante se innumerabiles.] Hic locus non vno modo ab omnibus exponitur. quidam de malo exemplo Principis accipiunt, qui dum impie viueret, multos ad eandem traxit impietatem, quam ipse coluerat, & posteris reliquit alte impressa vestigia, per quæ ad idem vitæ genus ingrederentur; vsque adeo in omnem partem potentissima sunt Principum exempla. Alii de superborum hominum fastu hæc interpretantur, quasi in vita copiosum habuerint satellitium, quod latus clauderet, & obuiam condensatamque turbam submoueret, aliosque ministros & clientes, qui tanti Principis am- 43.

ambitioni seruirent. Et deinde hic quoque curauit diligenter, vt ad sepulcrum cum maiestate non minori ac pompa, quam cum in viuis ageret, efferretur.

44. Sed displicet minus expositio tertia, quæ si auctores haberet, placeret omnino, quia, & ipsa non inepta est; & est expositioni, quæ in altero hemistichio displicebat minus, magis consentanea. Faciunt homines plurimi, si in singulari aliquo & egregio opere, & laborato Mausolæo condantur: & ideo multi in sabuloso loco prope torrentes sepulcra sibi excitari iubent. Et si in commune sepulcrum, siue polyandrium inferri contingat, & cum aliis cadaueribus indiscrete confundi, magnum existimatur esse ludibrium. Quod Regi Babylonis minatur Isaias *cap. XIV, 18. Omnes Reges gentium vniuersi dormierunt in gloria, vir in domo sua: tu autem proiectus es de sepulcro tuo, quasi stirps inutilis, pollutus, & obuolutus cum his, qui interfecti sunt gladio, & descenderunt ad fundamenta laci, quasi cadauer putridum.* In commune autem sepulcrum, quod *Polyandrium* dicitur, seu commune cœmeterium, vbi vulgaria omnis sexus atque ordinis cadauera teguntur, qualia sunt, quæ *Ierem. XXVI, 23.* dicuntur *sepulcra ignobilis vulgi*, & *Matth. XXVII, 7. ager figuli*, qui pro peregrinorum sepultura comparatus est, aut quod apud Athenienses Ceramicum dicitur, quod idem sonat, atque *ager figuli*, de quo nobis pluribus *in capit. I. Actorum.* Tale fuit hoc sepulcrum, quod superbus & impius cum infinita sceleratorum & ignobilium turba commune habuit ad glaream cocyti, id est, in inferno: vbi sunt innumerabiles, qui virum antecesserunt ambitiosum & impium, & alii quam plurimi, qui illum deinde consequantur. Qui sicut eorundem scelerum fuerunt affines, sic in idem promiscue coniicientur barathrum, & æternum simul domicilium habebunt. Et post se omnem hominem trahet (nempe ad eiusdem tumuli societatem) & ante se innumerabiles (supple præmisit) quibuscum in æternum commoretur.

Indectores putantur, qui in alienum, aut commune sepulcrum inferuntur.

pag. 290. a

Viri locupletes & superbi parentes ad infernum sequuntur, & eosdem secum hæredes trahunt.

pag. 290. b

45. Vers. 34. *Quomodo igitur consolamini me frustra, cum responsio vestra repugnare ostensa sit veritati?*] Ex his omnibus infert Iobus, futile esse & vanum illud consolationis genus, quo vtuntur tres amici, cum dicunt, vt mutet mores, tyrannidem exuat, & superbos spiritus abiiciat: & omnia illi fluent ex voto: neque quicquam erit, si meliora cogitet, quod ipsius animum cruciet, aut exterreat. Quasi soli humanis vrgeantur incommodis, qui scelerati sunt: aut illi rebus ad vitam dignitatemque necessariis abundent, quibus iustitiæ ac religionis amor & studium. Illa igitur responsio, quæ consolationis specie, innocentis animum vrit, torquetque vehementer, frustra suscepta est, cum apud prudentes neque habeat pondus, neque fidem mereatur.

ARGVMENTVM CAP. XXII.

ITerat Eliphaz eandem cantilenam, docetque, Iobum adeo integro & sapiente iudice æquissimo iudicio torqueri. Quod vt probet, grauissima confingit scelera, eaque innocentissimo viro, non minus falso, quam impudenter impingit. Profligati autem pudoris religionisque contemptæ eam mentitur esse causam, quia in eo versabatur errore Iobus, vt crederet, inferiora hæc & humana neque curare, imo neque videre Deum, cum longe a nobis habitet in cœlorum culmine, & magnum intercedat chaos, & densarum nubium interfusa caligo. Ad extremum monet, si velit omnia sibi secunda contingere, vt de meliori fruge tandem cogitet, seque Dei vltro voluntati summittat, illumque supplex atque humilis veneretur atque oret. Ex quo id consequetur boni, vt domum habeat copiosam & stabilem, & ornamentis atque opibus instructam luculenter.

CAPVT XXII.

1. RESpondens autem Eliphaz Themanites, dixit:

2. Nunquid Deo poteſt comparari homo, etiam cum perfectæ fuerit ſcientiæ?

3. Quid prodeſt Deo, ſi iuſtus fueris? aut quid ei confers, ſi immaculata fuerit via tua?

4. Numquid timens arguet te, & veniet tecum in iudicium.

5. Et non propter malitiam tuam plurimam, & infinitas iniquitates tuas?

pag. 291. 6. Abſtuliſti enim pignus fratrum tuorum ſine cauſa, & nudos ſpoliaſti veſtibus.

7. Aquam laſſo non dediſti, & eſurienti ſubtraxiſti panem.

8. In fortitudine brachii tui poſſidebas terram, & potentisſimus obtinebas eam.

9. Viduas dimiſiſti vacuas, & lacertos pupillorum comminuiſti.

10. Propterea circumdatus es laqueis, & conturbat te formido ſubita.

PARAPHRASIS.

1. 2. Ad hæc ſic Eliphaz: Impudentis eſt, o Iobe, & audacis ingenii, velle, quod tute proxime dixiſti, cum Deo contendere, & cum illo componi & ab eo factorum omnium rationem exquirere, etiam ſi quis ſcientiarum omnium ſummum culmen attigerit.

3. 4. 5. Qui legitimo iudicio præſunt, iura ſæpe legesque contorquent & calcant, quia aut ſua captant in iudicando commoda, aut detrimenta atque odia declinare ſtudent. At Deus, cui ex probata cauſa nihil accedit commodi, neque ex damnata detrimenti, non timide iudicium exercet, neque magnorum Principum potentiam reueretur. Atque ideo, quia te, o Iobe, multis ſceleribus oneratum videt, ſeuero damnat æquoque iudicio. Quod non auderet mortalis iudex, tua potentia & auctoritate deterritus.

6. 7. Quæ porro in te Deus ſcelera punire voluerit, dum te tam duris exercet iactatque vexationibus, ex me nunc primum audies, & diſces, quam in te Deus æquus fuerit & clemens. Audi igitur, & quæ a me commemorantur attente recognoſce. Primum a fratribus tuis pignus abſtuliſti ſine cauſa, & vt tibi id licere aliis probares, falſum excogitaſti. Denique ea crudelitate obæratis tuis veſtimenta detraxiſti, vt reliqueris ab omni tegumento nudos. Neque famelicum cibo, neque ſitientem potu recreaſti. pag. 291.

8. Quia inferiorem turbam facile tua potentia ſuperabas, aliorum bona tuam eſſe prædam exiſtimaſti. Quare quia nemo tuis viribus repugnare audebat, & propria aliorum, & communia reipublicæ bona, vniuerſam denique terram ad tuum tibi vſum & dominatum vindicaſti.

9. 10. Viduas, quas ſolitudo ipſa & miſera conditio ab omni iniuria tutari debuit, omnibus vitæ ſubſidiis ſpoliaſti, & non minus inclementer & barbare eos, qui pupillorum cauſas fortunasque tuentur, quique illorum lacerti vocari poſſunt, terruiſti, ne contra tuam tyrannicam potentiam quidquam auderent, aut obſcure mutirent. Ideo te, & innumera circumdant mala & dolores aſſidui, & conturbat ſubita & inopinata formido: qualem tu pupillis ante ac viduis afferebas.

11. 12.

11. Et putabas te tenebras non visurum, & impetu aquarum inundantium non oppressum iri?

12. An non cogitas, quod Deus excelsior cœlo sit, & super stellarum verticem sublimetur?

11. 12. Et cum talia auderes, existimabas, impune te laturum tot scelerum monstra? Neque futurum aliquando in eo statu tenebricoso & duro, qualem nunc pateris? neque aliis atque aliis succedentibus malis oppressum iri, non aliter atque finitima fluminibus regio aquarum inundationibus obruitur. Quæ te mentis insania in tam deliram cogitationem induxit! an o hominum stultissime, tibi persuasisti, excelsum esse Deum, supraque cœlorum culmina stellarumque sedes locasse solium, neque se ad terrenarum humanarumque rerum administrationem demittere?

13. Et dicis: Quid enim nouit Deus? & quasi per caliginem iudicat?

14. Nubes latibulum eius, nec nostra considerat, & circa cardines cœli perambulat.

13. 14. Hinc tibi ortus error ille & vesana cogitatio, a Deo nihil esse metuendum, cuius oculi, quæ in tanta locorum distantia sunt, intueri non possunt, aut certe nonnisi obscure admodum & quasi per interpositam nebulam. Neque præterea considerare, aut curare nostra, cum in densissimis nubibus suum sibi secessum constituerit: vbi vitam agat otiosam, & ab omni cura atque sollicitudine vacuam: aut circa cœlorum cardines, in summo videlicet eorum fastidio, quasi laxaturus animum otiose perambulet, aut vt maiora tantum vniuersi momenta moderetur.

15. Numquid semitam sæculorum custodire cupis, quam calcauerunt viri iniqui?

pag. 292. 16. Qui sublati sunt ante tempus suum & fluuius subuertit fundamentum eorum.

15. 16. Numquid eo, o Iobe, progressus es stuporis & sceleris, vt illorum hominum renouare velis mores & ingenium, qui prima sæcu- Pag. 292.
lorum tempora nacti sunt; quorum est præter cæteros insignis improbitas, neque dum obliuione obscurata crudelitas, qui propter ferinum & impurum viuendi genus ab vltore Deo ante suum tempus sublati sunt, & inducto diluuio funditus euersi.

17. Qui dicebant Deo: Recede a nobis: & quasi nihil posset facere Omnipotens, æstimabant eum.

18. Cum ille impleßet domos eorum bonis: quorum sententia procul sit a me.

17. 18. Qui cum in Deo nihil putarent esse potentiæ, & ideo quasi otiosum aliquid & inane contemnerent (cum tamen ab illo omnium haberent bonorum affluentiam) dicebant impio & vesano consilio, vt a se quam longissime facesseret, neque velle se cum eo quicquam habere negotii.

19. Videbunt iusti, & lætabuntur, & innocens subsannabit eos.

20. Nonne succisa est erectio eo-

19. 20. Non dissimilis manet exitus illos, qui in suis moribus eorum expresserunt ferinum ingenium, quos tulit prima sæculorum ætas. Tunc autem viri innocentes & iusti abiectos videbunt maleque mulctatos, quorum experti sunt tyrannicam insaniam, subsannabuntque illos, & in eorum lacrimis effuse triumphabunt,

 cum

rum, & reliquias eorum deuorauit ignis?

21. Acquiesce igitur ei, & habeto pacem: & per hæc habebis fructus optimos.

22. Suscipe ex ore illius legem, & pone sermones eius in corde tuo.

23. Si reuersus fueris ad Omnipotentem, ædificaberis, & longe facies iniquitatem a tabernaculo tuo.

24. Dabit pro terra silicem, & pro silice torrentes aureos.

25. Eritque Omnipotens contra hostes tuos, & argentum coaceruabitur tibi.

26. Tunc super Omnipotentem deliciis afflues, & eleuabis ad Deum faciem tuam.

27. Rogabis eum, & exaudiet te, & vota tua reddes.

28. Decernes rem, & veniet tibi, & in viis tuis splendebit lumen.

29. Qui enim humiliatus fuerit, erit in gloria: & qui inclinauerit oculos, ipse saluabitur.

30. Saluabitur innocens, saluabitur autem in munditia manuum suarum.

cum antiquæ felicitatis & gloriæ nullas videant a cœlesti incendio superesse reliquias.

21. 22. Ergo, o Iobe, si vis omnia tibi secunda contingere, & quod superest vitæ agere pacifice, Dei te imperio ac voluntati subiice: legem ab illo suscipe atque viuendi modum, illumque in imo pectore religiose atque intime reconde.

23. 24. 25. Si reuersus fueris ad vitæ peræque felicitatis auctorem, familiam habebis & copiosam domum, eamque abunde & luculenter instructam. A qua omne aberit infortunium & labes, ipsa denique commoditati tuæ rerum natura benigne subseruiet. Pro terra enim, quod antiquæ domus fundamentum fuit, neque molem, cui suberat, diu sustinere potuit, silicum firmitatem supponet; & in illam eo impetu atque continuatione influet bonorum abundantia, vt aurei in illam torrentes illabi videantur. Quare firmam habebis domum contra hostilem impetum, & bonorum omnium commodis affluentem.

26. 27. 28. Tunc licebit tibi solidum & verum haurire gaudium, placato iam & tuis votis annuente Domino: & ad Deum magis benignum leuare faciem, quam pudor suffuderat, feceratque, ne spectare auderes, quem infensum tibi suspicari poteras: Orabis ad illum, neque repellet supplicem, & quasi ereptus e naufragio vota solues declinati periculi illustre documentum. Denique eueniet tibi, quidquid tuis siue consiliis, siue votis proposueris, neque quicquam tibi continget aduersum.

29. 30. Hæc est tandem, o Iobe, dictorum meorum summa complexio, illum in omnibus, quæ tentauerit, gloriosum futurum & incolumem, qui spiritus abiecerit arrogantes, & elatos oculos honesto pudore & vera humilitate demiserit. Hic autem ille est, qui in moribus suis amat & seruat innocentiam; & manus puras a rapina, cæde & ab omni denique continet iniuria.

Vers. 2. Nunquid Deo potest comparari homo, etiam cum perfectæ fuerit scientiæ?]

pag 293. I.

CVm nihil haberet nouum, quod Iobo obiiceret & exprobraret Eliphaz, ad antiquam se cantilenam refert, & docet hominibus propter peccata infortunia contingere: & Iobum peccatorem esse affirmat, & maiora confingit scelera, quam antea numquam, & grauioribus, quam disceptationibus aliis, conuitiis exa-

exagitat: Ait igitur impudentis esse ingenii, velle cum Deo contendere eum etiam hominem, qui scientiarum omnium summum culmen attigerit. Atque ideo nefas esse scrutari diuina consilia, & cur hos diuitiis cumulet, amplectaturque benignius, illos autem ornamentis omnibus & vitæ subsidiis necessariis expoliet, & insuper obscuret & aliorum sannis & ludibriis exponat; fœda tandem ac dura vexatione conficiat. Hæc autem inquirere hominis est, qui neque ingenii sui imbecillitatem, neque sapientiæ & scientiæ Dei diuitias & inscrutabilem altitudinem agnouit. Videtur autem Eliphaz in eam cogitationem venisse ex eo, quod Iobus dixit *cap. XXI, 4.* cum Deo sibi, non cum homine certandum: quæ verba cum non satis intellexisset, seueræ huius & inuerecundæ accusationis occasionem sumpsit.

2. Vers. 3. *Quid prodest Deo, si iustus fueris? aut quid ei confers, si immaculata fuerit vita tua?*] Verum est, non indigere Deum nostra iustitia aut sanctitate, cum ipse in se & a se habeat, quod est in sanctitate & iustitia, in omni denique felicitate summum. Quare cum nullum ab homine spectat suæ felicitatis incrementum, non facit, quod humani Principes ac iudices solent, qui dum suis obsequuntur studiis, & commodis inseruiunt, subditorum causas & illarum merita non admodum explorant, atque ideo sæpe innocentes damnant, & noxios absoluunt. Deus vero contra, cum ad seueram trutinam humanas exigat actiones, & earum pondera diligenter exploret, peccata suppliciis & præmiis recte facta æquo atque legitimo iudicio compensat. Quare cum quis mali aliquid patitur, non est cur extra seipsum causam inquirat, & si bonis cumulari se viderit, optimum habet suæ virtutis de cœlo testimonium. Quibus optime assonat, quod mox subditur.

Deus iustus index, quia nostris non indiget.

3. Vers. 4. *Nunquid timens arguet te: & veniet tecum in iudicium.*] Qui iudicio præest, omni affectu, qui mentem abripit & obscurat, vacare debet, qualis est timor, odium, pag. 293, b cupiditas, & similia, quæ transuertunt iudicia, debilitantque constantiam, faciuntque, ne quæ homo iudicat legitime decernat, libereque pronunciet; si homo, vt indicat Eliphaz, Iobi viri potentis causam disceptaret, tanti principis metu, licet sontem cognosceret, insontem pronunciaret, & illius improbitatem abire sineret impune. At Deus, qui nullum timet, peccata Iobi supplicio corripuit ita duto, vt scelerum immanitati pœnarum quoque immanitatem attemperaret: & quia multa ille & grauia peccauit, multa ab æquo atque constanti iudice, & grauia passus est. Hæc est huius loci sententia, quam sequens versus confirmat, qui docet, Iobum dum talia patitur, luere malitiam plurimam & iniquitates infinitas.

Vers. 6. *Abstulisti enim pignus fratrum tuorum sine causa.*] Multa toto hoc capite mentitur Eliphaz, aut potius dæmon, qui talem indidit mentem Eliphazi, vt hominem innocentem sic vrgeret ac premeret anguste, vt ad impatientiam, quod cupiebat maxime, aut ad desperationem adduceret. 4. 5.

Et nudos spoliasti vestibus.] Tam hæc, quæ obiicit Eliphaz, aperta sunt, quam apertum est, egregie illum esse mentitum. Quomodo enim hæc consentire possunt cum his, quæ verissime de se Iobus affirmat *c. XXXI.* vbi tam est in leuandis pauperum miseriis nota misericordia, quam in tolerandis malis illustris patientia. Hæc porro verba dupliciter explicari possunt: Aut tantam esse Iobi animi duritiem, barbaramque tyrannidem, vt non solum ab illis, qui vestibus abundant, tegumenta detraxerit, sed etiam a nudis, id est, ab illis, qui male sunt vestiti, qui communi iam ferme vocabulo *nudi* nominantur. Ita sane Seneca *libr. 5. de Beneficiis cap. 13. Quædam*, inquit, *etiamsi vera non sint, propter similitudinem eodem vocabulo comprehensa sunt. Sic illiteratum non ex toto rudem, sed ad literas altiores non productum: sic qui male vestitum & pannosum videt, nudum se vidisse dicit.* Fortasse nudum illum appellat, a quo pro pignore ab homine indigenti vestimenta detraxit sine causa, quia pag. 294. a nouum aliquod scelus, aut debitum excogitavit, propter quod licere sibi persuasit stultæ multitudini pignus accipere, quo sibi de debiti certa solutione caueret, aut certe quod fieri sæpe solet a fœneratoribus, plus in librum rationum retulerunt datum, quam esset acceptum, & tunc pro ære non impenso vsuras exigunt, & pi-

REGVLA. *Illud aliquis habere dicitur, a quo proxime abest.*

&pignus afferunt, quo sibi caueant de vsura non debita. vide Plutarchum *libr. de vitanda vsura*.

6. REGVLA. *Res interdum nomen accipit non ab eo, quod habet, sed quod habitura est.*

Altera explicatio est sumpta ex illa regula, quam nos adduximus *in nostris Commentariis super Oseam* ad illud *cap. II, 3. Ne forte expoliem eam nudam.* vbi diximus, rem perquam sæpe non ab eo, quod habet, sed ab eo, quod habitura est, seu certe a fine, quem actio aliqua spectat & consequitur, denominationem accipere. Exempla sunt plurima, tu pauca hæc accipe. *Isai. XLVII, 2. Tolle molam, & mole farinam.* cum tamen farina non molatur, sed granum, ex quo farina fiat, & *cap. XLIV, 15. Succendit, & coxit panes.* non coquitur panis, sed cruda massa, ex qua fit panis. *Dan. II, 21. Dat sapientiam sapientibus.* id est, rudibus, qui sapientes ea ratione redduntur. Exemplum, quod modo ex Osea produximus, huic nostro quam simillimum est: *Ne forte expoliem eam nudam.* id est, ne expoliando illam, nudam relinquam. Secundum hanc regulam explicui illud *cap. XLI, 12. Halitus eius prunas ardere facit:* neque enim ardere facit prunas, sed ligna, quæ in prunas conuertit. Iuxta hæc hanc ego explicationem informo; ea auiditate atque inclementia vestimenta detraxisti, vt nudos relinqueres.

7. *De pignoribus statim reddendis seuere cautum.*

Hic obserua, licet Idumæi de pignoribus sub hoc tempus nullum habuerint speciale mandatum, quia nondum Moysi ea de re quicquam fuerat a Domino præscriptum: neque si fuisset, Idumæorum gentem obligaret, quia ad Dei populum non pertinebant; Hebræi tamen seuere prohibebantur, aut ne pro pignore a paupere integumenta detraherent, aut si id aliquando necessario fieret, eodem redderent die. *Deut. XXIV, 10. Cum repetes a proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi, non ingredieris domum eius, vt pignus auferas: sed stabis foris, & ille tibi proferet, quod habuerit. Sin autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus, sed statim reddes ei ante solis occasum, vt dormiens in vestimento suo benedicat tibi.*

8. Vers. 7. *Aquam lasso non dedisti, & esurienti subtraxisti panem.*] Inuidum genus & durum fuisse arbitror Idumæum, quod neque facile ad misericordiam inflecteret aliena necessitas, & de alienis commodis suæ siue necessitati, siue voluptati prouideret. Id colligo ex *Numer. XX, 18.* vbi Rex Edom, neque per suos fines transire permisit Israëlem, neque aquam oblato pretio præbere voluit, cum tamen illorum laborem ac necessitatem agnosceret. Neque cum Iudæi, qui rerum omnium egeni Chaldæorum gladium effugerant, ad Idumæorum fines peruenissent, ab illis excepti sunt hospitio, aut alioquo humanitatis genere releuati. Ad quos Isaias *cap. XXI, 14. Occurrentes sitienti ferte aquam, qui habitatis terram austri cum panibus occurrite sitienti.* vbi, vt eo loco diximus, ostendit Propheta ab Idumæis, neque sitientibus aquam, neque esurientibus pa- pag. 274. b.
nem esse porrectum. Quod autem tunc fecerunt Idumæi, non est improbabile, id ab aliis ex eodem genere factum esse non infrequenter. Quare quod fecerunt alii & ipsi etiam Iobi amici non raro, id Iobo exprobrat Eliphaz; neque tam veritatem in dictis intuetur, quam ad maledicendum obuium quodque quantumuis alienum arripit conuitium.

Vers. 8. *In fortitudine brachii tui possidebas terram.*] Tyranni & qui immiti sunt & barbaro ingenio, eo suam potentiam & virtutem conferunt, vt aliena rapiant, & tenuiorum opes suam existiment esse prædam. Sicut leones non sunt admodum de suo alimento solliciti, quia quicquid habent obuium, suum esse putant, cum nulla ex inferioribus belluis, siue ex cicurum, siue ex ferarum genere leonis potentiæ repugnare audeat. 9.

Vers. 9. *Viduas dimisisti vacuas, & lacertos pupillorum comminuisti.*] Iactabat apud Ciceronem Verres, pupillos & viduas prædam esse prætorum, illorum videlicet, qui cum potestate prouinciam aliquam obtinerent. Quod credo, commune tyrannorum est vitium, qui eo adiiciunt auaros & inclementes oculos, vbi minus esse vident ad repugnandum virium. Et ideo Deus pupillorum viduarumque causam atque tutelam, iudicibus, principibusque commendat; & omnium manus seuere arcet ab illorum iniuriis. Pupillorum porro lacerti, quos comminuisse Iobus arguitur, sunt ipsa pupillaris 10.

Iudices pupillorum & viduarum brachia.

ætas

ætas infirma & rudis, quæ nobilium virorum ad eorum misericordiam & patrocinium inuitat; qui non audent se tyrannorum opponere potentiæ, neque illorum subire conspectum, cum euerti vident pupillorum fortunam, & illorum ætatulam haberi ludibrio. Lacerti item sunt leges, & iudices, qui legum custodes sunt & vindices, quique pupillorum dici possunt parentes. Sed hæc omnia conculcauit tyrannorum auaritia, & vis inique fregit. Denique regnante tyranno nullum pupillus habuit in sua calamitate perfugium.

11. Vers. 10. *Propterea circumdatus es laqueis: & conturbat te formido subita.*] Has tot laborum causas esse dicit Eliphaz, quas ille omnino fingit, aut oblatas a dæmone accipit, magis quam oporteret, excors & credulus. *Laqueos* porro vocat dolores, & languidi corpusculi exhaustas vires; deinde conceptam ex ea totius corporis tabe & horrida specie verecundiam, quæ quasi vincula constringunt homines, neque prodire foras sinunt, & hominum oculos subire. *Formido subita*, aut illa est, quæ homines incautos inuadit, qui cum omnia teneant, quid tamen certum timere debeant, non habent exploratum; atque ideo contra illud se mature communire non possunt. Sed credo hic formidinem pro illis incommodis vsurpari, quæ iam acciderunt Iobo: & a quibus etiam nunc acerbe ia-

12. ctabatur. Neque obstat, quod *formido* tempus importet futurum: nam actionem, seu passionem pro illarum termino, seu obiecto, aut materia sumi, in omni idiomate familiare est. Sic *spes* pro re, quæ speratur, *laus* pro re laudabili, *visio* pro re visa, & eiusmodi alia passim occurrunt. Et in hoc ipso nomine sunt exempla non pauca. *Timor* enim pro rebus timendis adhibetur, qualia sunt arma, minæ, fames, & similia. *1. Petr. III, 14. Timorem autem eorum ne timueritis.* Et *Isai. IIX, 13.* de Deo dicitur: *Ipse sit pauor vester.* Item de Deo *Genes. XXXI, 42.* ait Iacob: *Nisi Deus patris mei Abraham, & timor Isaac adfuisset.* & ibidem *v. 53. Iurauit ergo Iacob per timorem patris sui Isaac.* Sic ergo hoc loco *formido* pro rebus formidandis atque horribilibus vsurpatur, quales fuerunt plagæ, rerum omnium direptiones, & incendia, filiorum

REGULA. *Actio seu passio pro illius termino seu materia.*

pag. 295. a

strages. Quæ subito euenerunt omnia, conturbaruntque Iobum, sicut nunc etiam, vt putabat Eliphaz, vehementer conturbant.

Vers. 11. *Et putabas te tenebras non visurum.*] *Tenebras* pro vita angusta & tristi sumi, nemo est qui dubitet: sicut contra *lucem & diem* pro vita iucunda felicique fortuna. Attribuit Eliphaz Iobo quod viris potentibus, quos stultos facit rerum abundantia, frequenter accidit: qui sibi ita in sua felicitate blandiuntur, vt nullam metuant fortunæ conuersionem, sed sibi quod habent a fortuna, proprium esse putent atque perpetuum. Neque aliter fortasse de se suisque sociis censebat Eliphaz, qui se fortunatum videbat, & sanctum putabat, neque sanctis aliquid aduersum imminere a Deo non semel ostenderat. 13.

Et impetu aquarum inundantium non oppressum iri.] Inundantes aquæ grauem significant & subitam stragem: neque enim inundant aquæ, nisi quando flumina aut torrentes magnum accipiunt incrementum. Quia vero subito ingruunt tempestates, quibus augentur flumina, subito etiam aquarum impetus obuium quodque inuadit, populaturque. Hæc comparatio in Scriptura frequentissima est, quæ, vt dixi, graue indicat & repentinum malum. De qua nos pluribus ad illud *Isai. XXX, 28. velut torrens inundans.* 14.

Vers. 12. *An non cogitas, quod Deus excelsior cœlo sit: & supra stellarum verticem sublimatur.*] Hic Eliphaz egregie quoque mentitus est, aut certe dæmoni suadenti credidit, qui pater est mendacii, dum talia obiicit Iobo, qualia in illius mentem nunquam venerunt. Quasi Deus ex cœlo, vbi magis illustre ac notum domicilium habet, humana non videat, quia magnum quoddam intercedit chaos, & offusa caligo inferiora hæc diuinis oculis abscondit: *An*, inquit, *non cogitas, quod Deus excelsior cœlo est*, &c. quasi dicat: Tu ex illorum numero esse videris, qui putant, Deum sic alte supra nos & supra cœlos ipsos eleuasse solium, vt humana intueri non possit, aut non nisi obscure, & quasi per nebulam: & ideo additur. 15.

Vers. 13. *Et dicis: Quid enim nouit Deus? & quasi per caliginem iudicat?* Quasi dicat: quid mihi laborandum est, ne quid in Deum 16.

 agam,

&pignus afferunt, quo sibi caueant de vsura non debita. vide Plutarchum *libr. de vitanda vsura*.

6. Altera explicatio est sumpta ex illa regula, quam nos adduximus *in nostris Commentariis super Oseam* ad illud *cap. II, 3. Ne forte expoliem eam nudam.* vbi diximus, rem perquam sæpe non ab eo, quod habet, sed ab eo, quod habitura est, seu certe a fine, quem actio aliqua spectat & consequitur, denominationem accipere. Exempla sunt plurima, tu pauca hæc accipe. *Isai. XLVII, 2. Tolle molam, & mole farinam.* cum tamen farina non molatur, sed granum, ex quo farina fiat, & *cap. XLIV, 15. Succendit, & coxit panes.* non coquitur panis, sed cruda massa, ex qua fit panis. *Dan. II, 21. Dat sapientiam sapientibus.* id est, rudibus, qui sapientes ea ratione redduntur. Exemplum, quod modo ex Osea produximus, huic nostro quam simillimum est: *Ne forte expoliem eam nudam.* id est, ne expoliando illam, nudam relinquam. Secundum hanc regulam explicui illud *cap. XLI, 12. Halitus eius prunas ardere facit:* neque enim ardere facit prunas, sed ligna, quæ in prunas conuertit. Iuxta hæc hanc ego explicationem informo; ea auiditate atque inclementia vestimenta detraxisti, vt nudos relinqueres.

REGVLA. Res interdum nomen accipit non ab eo, quod habet, sed quod habitura est.

7. Hic obserua, licet Idumæi de pignoribus sub hoc tempus nullum habuerint speciale mandatum, quia nondum Moysi ea de re quicquam fuerat a Domino præscriptum: neque si fuisset, Idumæorum gentem obligaret, quia ad Dei populum non pertinebant; Hebræi tamen seuere prohibebantur, aut ne pro pignore a paupere integumenta detraherent, aut si id aliquando necessario fieret, eodem redderent die. *Deut. XXIV, 10. Cum repetes a proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi, non ingredieris domum eius, vt pignus auferas: sed stabis foris, & ille tibi proferet, quod habuerit. Sin autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus, sed statim reddes ei ante solis occasum, vt dormiens in vestimento suo benedicat tibi.*

De pignoribus statim reddendis seuere cautum.

8. Vers. 7. *Aquam lasso non dedisti, & esurienti subtraxisti panem.*] Inuidum genus & durum fuisse arbitror Idumæum, quod neque facile ad misericordiam inflecteret aliena necessitas, & de alienis commodis suæ siue necessitati, siue voluptati prouideret. Id colligo ex *Numer. XX, 18.* vbi Rex Edom, neque per suos fines transire permisit Israëlem, neque aquam oblato pretio præbere voluit, cum tamen illorum laborem ac necessitatem agnosceret. Neque cum Iudæi, qui rerum omnium egeni Chaldæorum gladium effugerant, ad Idumæorum fines peruenissent, ab illis excepti sunt hospitio, aut alioquo humanitatis genere releuati. Ad quos Isaias *cap. XXI, 14. Occurrentes sitienti ferte aquam, qui habitatis terram austri cum panibus occurrite sitienti.* vbi, vt eo loco diximus, ostendit Propheta ab Idumæis, neque sitientibus aquam, neque esurientibus pa- pag. 274. b
nem esse porrectum. Quod autem tunc fecerunt Idumæi, non est improbabile, id ab aliis ex eodem genere factum esse non infrequenter. Quare quod fecerunt alii & ipsi etiam Iobi amici non raro, id Iobo exprobrat Eliphaz; neque tam veritatem in dictis intuetur, quam ad maledicendum obuium quodque quantumuis alienum arripit conuitium.

Vers. 8. *In fortitudine brachii tui possidebas terram.*] Tyranni & qui immiti sunt & barbaro ingenio, eo suam potentiam & virtutem conferunt, vt aliena rapiant, & tenuiorum opes suam existiment esse prædam. Sicut leones non sunt admodum de suo alimento solliciti, quia quicquid habent obuium, suum esse putant, cum nulla ex inferioribus belluis, siue ex cicurum, siue ex ferarum genere leonis potentiæ repugnare audeat. 9.

Vers. 9. *Viduas dimisisti vacuas, & lacertos pupillorum comminuisti.*] Iactabat apud Ciceronem Verres, pupillos & viduas prædam esse prætorum, illorum videlicet, qui cum potestate prouinciam aliquam obtinerent. Quod credo, commune tyrannorum est vitium, qui eo adiiciunt auaros & inclementes oculos, vbi minus esse vident ad repugnandum virium. Et ideo Deus pupillorum viduarumque causam atque tutelam, iudicibus, principibusque commendat; & omnium manus seuere arcet ab illorum iniuriis. Pupillorum porro lacerti, quos comminuisse Iobus arguitur, sunt ipsa pupillaris ætas 10.

Iudices pupillorum & viduarum brachia.

ætas infirma & rudis, quæ nobilium virorum ad eorum misericordiam & patrocinium inuitat; qui non audent se tyrannorum opponere potentiæ, neque illorum subire conspectum, cum euerti vident pupillorum fortunam, & illorum ætatulam haberi ludibrio. Lacerti item sunt leges, & iudices, qui legum custodes sunt & vindices, quique pupillorum dici possunt parentes. Sed hæc omnia conculcauit tyrannorum auaritia, & vis inique fregit. Denique regnante tyranno nullum pupillus habuit in sua calamitate perfugium.

11. Vers. 10. *Propterea circumdatus es laqueis: & conturbat te formido subita.*] Has tot laborum causas esse dicit Eliphaz, quas ille omnino fingit, aut oblatas a dæmone accipit, magis quam oporteret, excors & credulus. *Laqueos* porro vocat dolores, & languidi corpusculi exhaustas vires; deinde conceptam ex ea totius corporis tabe & horrida specie verecundiam, quæ quasi vincula constringunt homines, neque prodire foras sinunt, & hominum oculos subire. *Formido subita*, aut illa est, quæ homines incautos inuadit, qui cum omnia teneant, quid tamen certum timere debeant, non habent exploratum; atque ideo contra illud se mature communire non possunt. Sed credo hic formidinem pro illis incommodis vsurpari, quæ iam acciderunt Iobo: & a quibus etiam nunc acerbe ia-
12. ctabatur. Neque obstat, quod *formido* tempus importet futurum: nam actionem, seu passionem pro illarum termino, seu obiecto, aut materia sumi, in omni idiomate familiare est. Sic *spes* pro re, quæ speratur, *laus* pro re laudabili, *visio* pro re visa, & eiusmodi alia passim occurrunt. Et in hoc ipso nomine sunt exempla non pauca. *Timor* enim pro rebus timendis adhibetur, qualia sunt arma, minæ, fames, & similia. *1. Petr. III, 14. Timorem autem eorum ne timueritis.* Et *Isai. IIX, 13.* de Deo dicitur: *Ipse sit pauor vester.* Item de Deo *Genes. XXXI, 42.* ait Iacob: *Nisi Deus patris mei Abraham, & timor Isaac adfuisset.* & ibidem *v. 53. Iurauit ergo Iacob per timorem patris sui Isaac.* Sic ergo hoc loco *formido* pro rebus formidandis atque horribilibus vsurpatur, quales fuerunt plagæ, rerum omnium direptiones, & incendia, filiorum

REGULA. *Actio seu passio pro illius termino seu materia.*

pag. 295. a

strages. Quæ subito euenerunt omnia, conturbaruntque Iobum, sicut nunc etiam, vt putabat Eliphaz, vehementer conturbant.

Vers. 11. *Et putabas te tenebras non visu-* 13.
rum.] *Tenebras* pro vita angusta & tristi sumi, nemo est qui dubitet: sicut contra *lucem & diem* pro vita iucunda felicique fortuna. Attribuit Eliphaz Iobo quod viris potentibus, quos stultos facit rerum abundantia, frequenter accidit: qui sibi ita in sua felicitate blandiuntur, vt nullam metuant fortunæ conuersionem, sed sibi quod habent a fortuna, proprium esse putent atque perpetuum. Neque aliter fortasse de se suisque sociis censebat Eliphaz, qui se fortunatum videbat, & sanctum putabat, neque sanctis aliquid aduersum imminere a Deo non semel ostenderat.

Et impetu aquarum inundantium non op- 14.
pressum iri.] Inundantes aquæ grauem significant & subitam stragem: neque enim inundant aquæ, nisi quando flumina aut torrentes magnum accipiunt incrementum. Quia vero subito ingruunt tempestates, quibus augentur flumina, subito etiam aquarum impetus obuium quodque inuadit, populaturque. Hæc comparatio in Scriptura frequentissima est, quæ, vt dixi, graue indicat & repentinum malum. De qua nos pluribus ad illud *Isai. XXX, 28. velut torrens inundans.*

Vers. 12. *An non cogitas, quod Deus excelsior* 15.
cœlo sit: & supra stellarum verticem sublimatur.] Hic Eliphaz egregie quoque mentitus est, aut certe dæmoni suadenti credidit, qui pater est mendacii, dum talia obiicit Iobo, qualia in illius mentem nunquam venerunt. Quasi Deus ex cœlo, vbi magis illustre ac notum domicilium habet, humana non videat, quia magnum quoddam intercedit chaos, & offusa caligo inferiora hæc diuinis oculis abscondit: *An*, inquit, *non cogitas, quod Deus excelsior cœlo est*, &c. quasi dicat: Tu ex illorum numero esse videris, qui putant, Deum sic alte supra nos & supra cœlos ipsos eleuasse solium, vt humana intueri non possit, aut non nisi obscure, & quasi per nebulam: & ideo additur.

Vers. 13. *Et dicis: Quid enim nouit Deus?* 16.
& quasi per caliginem iudicat? Quasi dicat: quid mihi laborandum est, ne quid in Deum

agam, aut cogitem impie? quid ab illo mihi timendum est, cuius oculi, quæ in tanta locorum distantia fiunt, assequi non possunt, aut certe distincte pleneque cognoscere, cum interfusæ sint nebulæ, quæ vel omnino, vel saltem clarum rerum conspectum oculis eripiant.

17. Vers 14. *Nubes latibulum eius, nec nostra considerat.*] Hæc eadem magis amplificat, dum dicit Eliphaz existimare impios, & in his Iobum, latere Deum, quasi in suo secessu atque conclaui in nubibus, & ibi agere vitam
pag.295.b otiosam & inertem: neque considerare, quid rerum in terris fiat: vt peccata suppliciis, & recte facta præmiis pro meritorum modo prosequatur.

18. *Et circa cardines cœli perambulat.*] Eodem hæc spectant, neque laborandum est, an hic recte ac scite secundum rationes astronomicas locutus fuerit Eliphaz: qui modo supra stellarum verticem sublimem dicit esse Deum, modo circa cœlorum cardines ambulare: quasi his in cœlestibus orbibus nihil foret excelsius. Nam neque magnus fuisse astrologus videtur, sicut neque Idumæorum gens his artibus non admodum exculta: & si foret, hæc tamen verba, non suo profert, sed alieno nomine. Repetit enim, quod homines impii ac stolidi multum habent in ore, dum suæ volunt libere ac largiter indulgere libidini. Imo & puto hunc esse Idumæis prouerbialem dicendi modum, cum significare volunt aliquid longe esse remotum; aut aliquem ab aliqua cura sic abesse procul, vt in alia omnia quam longissime abierit. Quomodo Latini dicunt cum admixtione ironiæ: *Id populus curat scilicet.* id est, nihil minus curat. & de suis Diis ex hominum consuetudine dixit Virgiliana Dido *lib. 4. Æneid.*

Scilicet is superis labor est, ea cura quietos
Sollicitat.

19. *Gentiles Deos suos hæc inferiora curare qui negant.* Quod dixit apud Virgilium Dido, id dicunt gentiles & impii de Deo vero, de quo sic cogitant atque loquuntur, quasi ad alias curas intentus, maioraque negotia, nihil habeat pensi, quid sub cœlo fiat a mortali natura. Ita sane senserunt inculti populi: imo & viri non indocti, qui apud alios magnam ingenii atque sapientiæ laudem consecuti sunt. Sic Lucretius clarus suo tempore Philosophus:

Omnis enim per se diuum natura necesse est
Immortali æuo summa cum pace fruatur,
Semota a nostris rebus, seiunctaque longe.

Dixit hoc idem Plinius *lib. 2. cap. 7.* Cicero *lib. 2. de natura Deorum*, imo idem videtur Aristoteles sensisse, vide Gabriel Vasquez *in 1. parte S. Thomæ tom. 1. quæst. 22. artic. 1. disputat. 87. cap. 1.* & Pinedam ad hunc locum hac de re copiose atque optime.

Ex hoc errore multa hominibus acciderunt 20.
incommoda. Primum, quia liberius homines atque impudentius peccant, cum suorum scelerum nullum putant esse testem, qui interna peruideat consilia, & quæ in occultis fiunt, nihil habitura sint supplicii ab irato Deo: impunitatis etenim spes, incredibile est, quantam in voluptariis animis alat audaciam. Hanc multorum scelerum esse causam docet Ezechiel *cap. IIX, 12. Certe vides,* fili hominis, *quæ seniores domus Israel faciunt in tenebris, vnusquisque in abscondito cubiculi sui: dicunt enim, non videt Dominus nos.* Eandem causam reddit Isaias *cap. XXIX, 15. Væ qui profundi estis corde, vt a Domino abscondatis consilium: quorum sunt in tenebris opera, & dicunt, quis videt nos?* Qua de re nos ad illa loca nonnihil. Est illud ad hanc cogitationem præclarum *Ecclesiast. XXIII, 26.* vbi stultum hominem sic loquentem inducit: *Quis me videt, tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me. Quem vereor? delictorum meorum non memorabitur altissimus. Et non intelligit, quoniam omnia videt oculus illius.* Vide plura ad citatum Ezechielis locum. *Multa homines peccant, quia se a Domino videri non putant.*

Circa hæc nonnulla obseruanda. Primum, pag.296.a
Idumæos, quorum ingenium in Iobo expres- 21.
sisse videtur Eliphaz, homines fuisse immisericordes & barbaros, vt supra diximus: qui omnium crudelissime aliquot post annos Israelitas tractauerunt. E quorum genere fuit Amalec, contra quem Dominus Saulis exercitum armauit, vt nos ostendimus *in nostris Commentariis* ad illud *1. Reg. XV, 2.* Neque mihi difficile est credere, illos sic contra omnem humanitatem obriguisse, vt neque lasso ac deficienti præ siti aquam porrexerint, aut etiam haurire permiserint e communi fonte. Id *Idumæi crudeles & immisericordes.*

mihi

22. *Iudæi in alienos inclementes.* mihi verisimile facit, quia id quoque, cum ingenio essent minus crudeli & barbaro, fecere Iudæi, qui minus erant truculenti ac barbari: idque adeo frequenter, vt ideo essent a gentibus notati, & in magna apud omnes offensione atque odio. Id vero tam erat Iudæis familiare, vt existimauerint gentes, a Moyse præceptum habuisse Iudæos, ne alienos a suo genere ad fontem deducerent sitientes. De quibus Iuuenalis *Satyra 14.*

Romanas autem soliti contemnere leges,
Iudaicum ediscunt, ac seruant, & metuunt ius,
Tradidit arcano quodcunque volumine Moses,
Quæsitum ab fontem solos deducere verpas.

Quod gentes vsque adeo execrabantur, vt certum dirarum atque execrationis genus invenerint, quo deuouerent illos, qui tanta se immanitate fœdauerint. ita de Atheniensibus Cicero *lib. 3. de officiis*, & hoc de communi fonte non prohibendo *lib. 1. de officiis.*

23. *Cardines cœli qui.* Qui sint illi cardines, supra quos Deus perambulare dicitur, non est difficile cognitu. Sunt enim duo illa puncta immobilia ac fixa, circa quæ vniuersa mundi circumagitur machina. dicuntur autem cardines, quia sicut ianua in suo circumuoluitur cardine, qui nunquam mouetur, cum tamen ianuam assidue circumuoluat & verset, sic duæ stellæ, quæ a vertendo poli nominantur, qui etiam ab astrologis vertices dicuntur, duas cœli portas (sic enim occasus atque ortus appellantur) assiduo circumactu conuertunt. Quidam quatuor esse putant cœli cardines, qui quatuor cœli plagas æqualibus diuidunt spatiis. Duo poli, borealis, qui nobis semper patet, & australis, qui ad nostros oculos nunquam emergit. Circa hos cardines putabant homines fatuo quodam errore decepti perambulare Dominum, qui superiora tantum curare existimabant, & ea, quæ ad vniuersalem rerum administrationem pertinebant; quia ille commodissimus putabatur locus, vbi sederet, qui mundi moderatur machinam, & pro rerum commoditate atque vsu cœlestem illam molem, quæ lucem caloremque dispensat, varie conuerteret.

24. Hæc porro tria, *caligo, nubes, cardines,* non male videntur ab Eliphaze coniuncta. Fortasse ex Idumæorum vulgari ac prouerbiali dicendi modo. Optime enim hæc tria in plagas mundi extremas & glaciales conueniunt, vbi cardines sunt & nebulæ, & pene sempiterna caligo. Sic sane de altero cardine dixit eleganter Solinus *in Polyhist. cap. 10.* nempe arctico, neque alia est ratio de antarctico: *Damnata, inquit, pars mundi, & a rerum natura in nubem æternæ caliginis mersa, ipsisque prorsus aquilonis conceptaculis rigentissima. Sola terrarum non nouit vices temporum, nec de cœlo aliud accipit quam hyemem sempiternam.* Videre porro per caliginem & nebulam, idem est atque aliquid obscure cognoscere, cum nebula interposita, offusa caligo aut eripiant prorsus oculis, aut certe inuoluant & obscurent obiectam imaginem. Quo dicendi genere vtuntur Latini satis significanter. Sic sane Cicero *in Antonium: Videbam equidem, sed quasi per caliginem: perstrinxerat aciem animi Bruti salus.* *Regiones, quæ sub polo, sunt nebulosæ & tristes.* pag. 296. b

25. *Secula ante diluuium impia.* Vers. 15. *Nunquid semitam sæculorum custodire cupis, quam calcauerunt viri iniqui?*] Quid sit *semita sæculorum*, diximus *in nostris Commentariis super Ieremiam*, ad illud *cap. XIIX, 15. Impingentes viis suis; in semitis sæculi.* Multi hic multa dicunt. Mihi certum est, *semitas sæculi* significare vias prauas, & sceleratum vivendi genus, quale secuti sunt illi gigantes; & viri famosi, qui diluuium in mundum & communem stragem inuexerunt. Illi autem & in Deum fuerunt impii, quia neque illum timebant, neque honore dignum arbitrabantur, vt ostendunt gigantes illi, qui bello tentasse dicuntur Deorum regnum, & illos de cœlo exturbare voluisse. Ex historia autem illa materiam fabulæ illius sumpsisse Poëtas, nonnulli existimarunt, & sane Philo *lib. de Gigantibus*, hoc aliquibus visum esse indicat; dicit certe Eusebius *lib. 5. de præpar. cap. 4.* Illa porro prima sæcula fœdissimis fuisse contaminata flagitiis, illa præsertim, quæ fuerunt proxima diluuio, grauissimæ docent coniecturæ. Fuit in primis, aut Dei obliuio maxima, dummodo paucos aliquot excipias, & diuinæ prouidentiæ ignoratio ingens, vnde ortum est, vt omnis caro corruperit viam suam. Id in-
26. *Cain impia de Deo cogitatio.* dicat Cain, qui de Deo sic cogitabat abiecte,

 vt

vt putauerit, quæ a nobis fierent, illius oculos latere posse, aut illum ab homine falli non esse difficile. Id indicat impudens illa & libera responsio, qua rogatus a Deo de fratre, quem occiderat, quasi Deus factum ignoraret, neque supra humanum captum cognitionem haberet, respondit *Gen. IV, 9. Nescio: num custos fratris mei sum ego?* Quod si magnam haberet fidem Targum Hierosolymitanum, res esset minus dubia: dicit enim, postquam fratrem in agrum euocauit Cain, sic ad illum fuisse locutum: *Non est iudicium, nec iudex, nec seculum aliud, nec merces bona pro iustis, nec pœna pro impiis: nec Dei misericordia regitur mundus: eo quod suscepta est oratio tua cum beneplacito, mea autem non est suscepta cum beneplacito.*

27. *Sæcula ante diluuium crudelissima.* Quod vero illi crudelissimi fuerint, & ferino prorsus ingenio, ita vt carnes comederent humanas, stillantes sanguine, quas e viuis corporibus abscinderent dentibus belluino more, diximus *in nostris Commentariis super Acta* ad illud *cap. XV, 29. Ab immolatis simulacrorum, & sanguine.* Hæc a nobis ibi disputata late. inde hæc pauca sume. Iosephus *lib. 1. Ant. cap. 4.* talia dicit patrata a gigantibus, quos ætas illa superior tulit, qualia suis etiam gigantibus in fabulis tribuere Gentiles. Hi vero, vt de Polyphemo tradit Homerus, & ex eo Virgil. *lib 5. Æneid.* de Lestrigonibus Plinius *lib. 7 cap. 2.* humanis carnibus vescebantur. *Ante diluuium homines carnibus humanis vescebantur.* Quod etiam aperte dicunt, qualicumque illi auctoritate sint, Berosus Annianus, *vastitate corporis, ac robore confisi inuentis armis omnes opprimebant, &c. manducabant homines, & procurabant aborsus, & in edulium præparabant.* & idem ferme de Lamec docet Philo, seu Pseudophilo *de antiquitatibus Biblicis.* pag. 297. a Exempla plura affert Annius *in locum Berosi proxime citatum.*

28. Neque id mirum, cum nostra ætate in regionibus ab Hispanis apertis, id factum audiamus. Sane suo tempore contigisse tradit Hieronymus *lib. 2. contra Iouinianum: Quid loquar, inquit, de cæteris nationibus, cum ipse adolescentulus in Gallia viderim, Scotos gentem Britannicam humanis vesci carnibus: & cum per syluas porcorum greges, & cum armentorum, pecorumque reperiant, pastorum nates, & fœminarum papillas solere abscindere, & has solas ciborum delicias arbitrari.* Aliquid simile suo tempore fecisse Heliopolitas tradit Greg. Nazian. *oratione 3. contra Iulianum.* Quod in antiquissimis illis sæculis ante diluuium accidisse, illud argumento est, quod cum Deus permisisset Noe, cum iam euasisset mundi commune naufragium, vt carnibus vesceretur: addidit tamen *Gen. IX, 4. Excepto quod carnem cum sanguine non comedetis.* quasi dicat, ne comederent ferino more: quod fecerunt illi, quos paulo ante communis inundatio demerserat. ita ad illum locum Abulens. Lyra, Cartusianus. Neque est improbabile, huius feritatis belluinæ sub hoc Iobi tempus aliquod superesse vestigium. de Madianitis refert S. Methodius *tom. 2. Bibliothecæ,* expresso ex viuis animantibus sanguine victitasse. Et quidam ex Hebræis dicunt crimen illud pessimum, de quo Iosephus accusauit fratres, fuisse, quia e viuis arietibus detractis testiculis vescebantur, vt refert Abulensis *in cap. 37. Genesis.* Quod licet verum non putet Abulensis, signum tamen est, similia antiquissimis illis temporibus contigisse. Ex his constat, cur toties in Scripturis sacris legamus, vesci alicuius carnibus, quod hostes faciunt, cum suum odium exsaturare volunt; quo dicendi genere non semel vtitur Iobus, vt *cap. XIX, 22. De carnibus meis saturamini.* & *cap. XXXI, 31. Quis det de carnibus eius, vt saturemur.* de his nos supra plura *cap XIX, 22.*

Vt ergo ad interrupta redeam, semitæ sæculi illæ dicuntur, quam tenuerunt viri illi feri aut semiferi, qui ante diluuium suam egerant ætatem, qui neque religione vlla tangebantur in Deum, neque vlla in homines humanitate. 29. Quæ, vt reor, *semita* dicitur, aut *via Cain,* quia Cain ad illa tempora pertinuit, vnde est illud *Iudæ vers. 11. Væ illis, qui in viam Cain abierunt.* Quod probat id, quod sequitur: *Quam calcauerunt viri iniqui.* id est, in qua viri impii impressa vestigia reliquerunt. His autem verbis Eliphaz iniquam indicat hactenus fuisse Iobi semitam. Quasi Dei omnino curam abiecerit, & illum cœcum aliquem stipitem esse censeat, qui nihil videat, neque ad illum spectet iudicium aut cura mortalium: & oppresserit pauperes, & illorum sanguine &

& carnibus, id est, opibus, immensam cupiditatem expleuerit.

30. Vers. 16. *Qui sublati sunt ante tempus suum: & fluuius subuertit fundamentum eorum.*] Ostendit illorum exitum, qui semitam calcaverunt sæculorum, id est, plenam rapinis, & miserorum sanguine redundantem: quos fuisse homines tam vastos immani corporis mole, quam stupore mentis, & ferino ingenio, exitus ipse docet. Nam illi antequam extingueret suo tempore naturæ necessitas, extincti sunt a manu Dei scelerum vltrice immisso fluuio, id

pag.297.b est, inundatione communi, quæ illos ad vnum, sola excepta Noë familia, funditus subuertit. Sunt, qui hos homines Ægyptios esse putent, quos Deus vexatos ante multis modis in mari tandem rubro demersit. Sed hic quicunque sunt, non vident longe post hæc tempora illam Ægyptiorum stragem contigisse, atque ideo ab Eliphaze, qui nondum natus fuerat, non potuisse cognosci.

31. Vers. 17. *Qui dicebant Deo: Recede a nobis: & quasi nihil posset facere omnipotens, æstimabant eum.*] Hæc aperta sunt, neque quicquam continent præter superiorum explicationem. Illi enim, qui viam calcauerunt iniquam, Deum a se facessere iusserunt: quia diuinæ legis iugum, aut alienæ voluntatis imperium intolerabile putabant: & omnipotentem quasi non posset aut punire peccata, aut pensare merita, quasi hominem de turba contemnebant. Tales erant illi, qui cum e vitiorum volutabris emergere nollent, hac eadem suam impietatem ratione tutabantur, de quibus ita Sophonias *cap. I, 12. Visitabo super viros defixos in fecibus suis: qui dicunt in cordibus suis: non faciet bene Dominus, & non faciet male.*

32. *Quidam suam manum, aut felicitatis instrumenta pro Diis coluerunt.*

Vers. 18. *Cum ille impleßet domos illorum bonis.*] Hi abundabant opibus, quas, cum a diuina largitate recepissent, suæ tamen industriæ atque fortunæ referebant acceptum: & quod sæpe post illa sæcula fecerunt viri insolentes ac fatui, suas manus, aut arma coluere pro numine, quasi a seipsis haberent, quod essent fortunati, & omnes in eo felici rerum euentu exortos esse ducerent. Sic Nabuchodonosor *Abac. I, 16.* reti suo sacrificabat, id est, suæ industriæ ac robori, cui adscribebat victoriam, quasi nihil aliud agnosceret Deum; *Propterea immolabit sagenæ suæ, & sacrificabit reti suo.* Quod proprium est superborum spirituum, qui a se omnia sperant; neque Deum curant, neque laudem cum alio communicare volunt, qualis a Virgilio inducitur Mezentius, homo vanissimus, & ingenio non minus stupido, quam feroci. Sic autem Maro *lib. 10.*

Dextra mihi Deus, & telum, quod missile libro,
Nunc adsint.

Huius rei exempla adduximus plura *in nostris Commentariis in Habacuc* ad illud *cap. I. vers. 11. Hæc est fortitudo eius Dei sui.*

Quorum sententia procul sit a me.] Hunc puto vulgarem esse dicendi modum, quo homines aliquid execrantur & horrent, & a se arceri quam longissime iubent. Qualia sunt illa Latinorum: *Apage, auertat Deus*, & similia. His verbis vsus est Iobus *cap. XXI, 16. Consilium impiorum longe sit a me.* a quo expressit Eliphaz sicut alia plura. vide quid nos supra ad illa verba Iobi. 33.

Execrandi peculiaris forma.

Videbunt iusti, & lætabuntur: & innocens subsannabit eos.] Iustos appellat, quos viri illi potentes oppresserunt, quos de suo sensu iudicat, & talia illis attribuit, qualia ipse in hostium suorum aduersitate sentiret. Qui enim iusti sunt & innocentes, licet eripi sibi humana subsidia ægre aliquando ferant, aliorum tamen calamitate lætari non debent, & multo minus insultare miseris, & quasi iacentes hostiliter vrgere. Qua de re est illud *Prouerb. XXIV, 17. Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas in ruina eius: ne exultet cor tuum.* Exultare quidem potest iustus, cum cadit, & deformatur impius, vt dixit Dauid *Psal. CVI, 42.* & *Psal. LVII, 11. Lætabitur iustus, cum viderit vindictam; manus suas lauabit in sanguine peccatoris.* Sed non tam gaudet, quod vexatur impius, ac dolet, quam quod virtutis apparet splendor & dignitas, & vitii se prodit turpitudo & dedecus? Quod peccatores timere incipiunt, & animos demittere insolentes, & in vno Deo spem suam & felicitatem collocare. Propter hæc lætari honestum est, neque procul a pietate & iustitia. Sed quis scit, an hæc considerarit Eliphaz, & non potius humano loquatur sensu, ita vt ideo iusto lætandum esse dicat, 34.

Quomodo, & quando de aliorum ruina gaudere liceat.

pag.298.a

dicat, quod is, a quo male fuerat acceptus, cum dura fortuna conflictetur.

35. *Impiorum felicitas futilis.* Vers. 20. *Nonne succisa est erectio eorum: & reliquias eorum deuorauit ignis?*] Iterum repetit, quod ante dixerat, nempe euertendum fundamentum impii, vel impium a fundamentis, ita vt antiquæ felicitatis & gloriæ nullæ supersint reliquiæ. Quicquid enim impiis subsidio esse aut ornamento potuit, id totum ab ultore Deo ita vastabitur, vt cœleste quoddam & dirum incendium illac bacchatum esse videatur. Erectio passiue sumi potest, & actiue. si actiue sumas, erit quod impiorum fortunam sustentat & erigit: quales sunt diuitiæ & opes, gratia & fauor, & quodcumque aliud est humanæ dignitatis & commoditatis ornamentum: si passiue, sublimitas ipsa, quæ sustentatur & erigitur. Sumitur, opinor, ab arbore metaphora, in qua radix est, quæ totam arboris luxuriem, ambitionemque sustentat, quæ si succidatur, necesse est marcescat & pereat totius arboris venustas & fructus. Quia vero quod ex stirpe pullulat & sursum attollitur, splendet maxime, extatque sublimius, si illud excidatur, aliquid tantum manet inuenustum, horridum, sepultum in terra, & si speciem intueare, nihil ab arido differt & mortuo. Hæc similitudo in hoc Iobi libro sæpius occurrit, quæ nomine ligni, arboris, radicis, rami, vatiam hominum fortunam significat.

36. Vers. 21. *Acquiesce igitur ei, & habeto pacem.*] Quæ supersunt ad finem vsque capitis aperta sunt, neque interpretis operam admodum desiderant: facit enim Eliphaz, quod in principio fecerat, neque aliud addit, quod magni intersit. Tantum enim hortatur Iobum, vt spiritus deprimat insolentes, & Deum agnoscat dominum, & ab illo accipiat legem, eamque caste religioseque custodiat. Quod si fecerit, secunda pollicetur omnia. Idem pene dixerat Eliphaz *cap. V.* & Sophar *cap. XI.* Et cum illa eadem a nobis supra tractata fuerint: possemus ab vlteriori expositione supersedere. Dicemus tamen aliquid, idque strictim, quantum res ipsa postulare videtur ab Interprete.

37. *Ædifico multa significat.* Vers. 23. *Ædificaberis, & longe facies iniquitatem a tabernaculo tuo.*] Quid sit *ædificare* proprie, nemo ignorat: habet autem migrationes metaphoricas ad alia plurima: apud Hebræos ædificari domum idem valet, quod prolem suscipere, quæ parenti succedat, & familiam sustentet atque propaget, & tam domus, quam homo ædificari dicuntur. Sic *Deuter. XXV, 9.* pœna proponitur illi, qui non ædificauerit domum fratris sui, id est, qui noluerit ducere vxorem defuncti fratris, & prolem ex ea suscipere, quæ fratris nomen perire pag. 298. b
non sinat. Et Deus *Exod. I, 21.* ædificasse dicitur domos obstetricibus, id est, filiis, & divitiis locupletasse. Ædificari item dicuntur homines, cum augentur filiis. Sic *Ierem. XII, 16. Ædificabuntur in medio populi mei.* Vtrumque coniunxit Hieronymus in traditionibus Hebraicis, exponens illud *Genes. XVI, 2.* vbi Sara cum Abrahamo loquitur: *Ecce conclusit me Dominus: ingredere ergo ad ancillam meam, vt habeam filios ex ea.* Textus Hebraicus habet, *vt ædificer ex ea.* vbi sic Hieronymus: Diligenter nota, quod procreatio liberorum in Hebræo, ædificatio scripta est. Dicitur enim hic in Hebræo textu: *ingredere ad ancillam meam, si modo ædificer ex ea.*

Ædificare præterea in Scriptura idem est, quod reædificare & instaurare collapsa. Sicut de Ierusalem ab hoste vastata dicitur *Ierem. XXXI, 4. Adhuc ædificabo te, & ædificaberis virgo Israel.* Ex his constat, quid sibi hac dicendi forma voluerit Eliphaz, nempe omnia, quæ Iobus in suo miserabili naufragio perdiderat, esse restituenda, ædificandum esse noua prole, qui nunc dolebat priores filios esse sublatos; & instauranda omnia, quæ repentinus turbo & dira tempestas dissiparat, opes puta, valetudinem, amicos, & apud omnes gratiam & auctoritatem. Erat autem Iobus eo tempore, quasi dissipata domus, multis locis a vermibus perforata, omnium ludibriis & iniuriis patens, cuius erant dispersi, imo contriti lapides, qui non videbantur in opus aliquod firmum coalescere posse: ædificari ab vno Deo poterat, qui fabricam illam subuertisse videbatur. Atque ideo sapienter monet Eliphaz, licet non ad illum rerum articulum accommodate, vt Iobus abiiciat fastum & ambitiosum spiritum, seque totum Deo, & omnino subiiciat, si velit ad priorem 38.

reuo-

reuocari fortunam, & mutato statu talis esse, qualis ante fuerat.

39. Et quidem nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam. Quod docuit Christus *Matth. XII, 30. Qui non congregat mecum, dispergit.* Quia vero Eliphaz tyrannum existimabit Iobum, quique domum suam opibus instruxisset alienis, monet, vt ita se gerat in posterum, vt idem, qui domum euertit, euersam instauret. Neque enim diu stare potuit domus, quam construxit & ornauit miserorum præda. *Ecclesiastic. XXI, 9. Qui ædificat domum suam impendiis alienis, quasi qui colligit lapides suos in hyeme.* Qua de re plura nos supra *cap. XX, 19.* ad illud: *Quoniam confringens nudauit pauperes: domum rapuit, & non ædificauit eam.*

40. *Et longe facies iniquitatem a tabernaculo tuo.*] Iniquitas non solum in Scriptura sacra significat quod proprie sonat, sed etiam figurate iniquitatis pœnam; sicut etiam impietas, & peccatum & similia, vt pluribus docuimus *in nostris Commentariis in Zachariam* ad illud *cap. III, 4. Ecce abstuli a te iniquitatem.* & *cap. XIV, 19.* ad illud: *Hoc erit peccatum Ægypti.* Si in significatione propria sumas, sensus est optimus: si modo illud *&*, non facias coniunctionem copulantem, sed rationalem, quod apud Hebræos infrequens non est, in hunc sensum: ædificaberis, quia procul a tuo tabernaculo aberit iniquitas, quæ domos euertit, neque opus vllum solidari atque constare sinit. Sed placet magis, si dicas, sumi figurate, pro peccati pœna, in hunc sensum: longe

pag.299.a aberit a tabernaculo tuo indigentia, squalor, & plaga, quam induxit & conseruat iniquitas.

41. Vers. 24. *Dabit pro terra silicem, & pro silice torrentes aureos.*] Hoc nescio quid olet prouerbiale: prouerbium fortasse erat apud Idumæos, quod quia alibi non reperitur, obscuram habet significationem & originem. Ego puto continuari metaphoram ædificationis domus, quam vt meditabatur Eliphaz, Iobus in terra soluta, qualis est arena, & leui, qualis est cinis, ædificasse videbatur: atque ita repente tota corruit, quia fundamentum friabile ac futile tantam molem sustinere non potuit; sicut domus illa, quam homo stultus ædificauit super arenam, de qua *Matth. VII,*

Forma domus, quam Deus ædificat.

27. Et descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit: & fuit ruina illius magna. Promittit ergo Iobo Eliphaz, si stultus esse desinat, & Deo se in omnibus audientem præbeat, futurum, vt non in terra, sed in silice & super firmam petram domum ædificet, quam non sicut priorem aliam, casus aliquis repentinus euertet. De qua eodem loco *v. 24.* Christus: *Qui audit verba mea, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram; & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit; fundata enim erat super petram.* Quod orauit aliquando Dauid, & quia illud exorauit, gratias agit *Psalm. XXXIX, 2. Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi. Exaudiuit preces meas, & eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fecis.* Firmitatem itaque domus & diuturnitatem promittit, quam firmat & sustinet suppositus silex. Sed quia non satis est, domum habere luculentam & firmam, si necessaria desint vitæ subsidia: hæc etiam ipsa pollicetur, dum ait, silicem illum non esse futurum infelicem & sterilem, sed abundaturum pecore & fructiferis plantis, ita vt lacte & oleo perpetuo manet; quæ auri significantur vocabulo, quia ex eo prouentu ingens colligitur pecuniarum vis. Porro eodem dicendi modo abundantiam olei significauit Iobus *cap. XXIX, 6. Petra fundebat mihi riuos olei.* Quid si hoc loco aurum pro purissimo ponitur & pretioso oleo, quia auri refert colorem? Saue יצהר *iisbar* vox est communis oleo atque auro, qua vsus est Zacharias *cap. IV, 2.* vbi de aureo agit candelabro.

Vers. 25. *Eritque omnipotens contra hostes tuos, & argentum coaceruabitur tibi.*] Explicatio est proximi versus. Domum promiserat Eliphaz in silice, id est, munitam, & riuos aureos, id est, vim pecuniarum maximam. Hæc iam explicat magis, & in silice robur ostendit, & arcem contra hostiles impetus & machinas, & in aureis riuis coaceruatum argentum ad domesticos sumptus & dignitatis ornamentum. 42. pag.299.b

Vers. 26. *Tunc super omnipotentem deliciis afflues: & eleuabis ad eum faciem tuam.*] Postquam 43.

quam aliter vitæ modum inſtitueris, vero frueris & ſolido gaudio, quod a Deo indulgetur iam miti, iam placato; quodque verum eſſe non poteſt, ſi contra ſtet obganniens & lacerans inimica conſcientia. Tunc poteris ad Deum iam magis benignum leuare faciem, quam pudor ſuffuderat: feceratque, ne auderes ſpectare, quem offenſum & indignatum noueras. Leuare autem faciem ad aliquem illius eſt, quem ab alicuius conſpectu ſcelerum conſcientia non deterret. Hæc idem dixit Sophar ſupra *cap. XI, 14. Si iniquitatem, quæ eſt in manu tua, abſtuleris a te, & non manſerit in tabernaculo tuo iniuſtitia, tunc levare poteris faciem tuam.* Ibi nos plura hac de re, tu locum conſule.

44. Verſ. 27. *Et vota tua reddes.*] Conſequens pro antecedenti ponitur. Non reddit vota, niſi qui obnoxius voto id conſecutus fuerit, quod precatus fuerit. Quare *vota reddere* idem eſt, quod exorare, quod oras, ſic qui in mari turbido naufragium timent, vota faciunt, ſi ſalui enatent, aliquid ſe facturos, quo beneficium ſibi a Domino datum fateantur. Hic porro dicendi modus, & oblati beneficii grata teſtificatio, ipſis etiam profanis familiaris eſt. Virg. *l. 1. Georg.*

Votaque ſeruati ſoluent in littore nautæ
Glauco, & Panopeæ, & Inoo Melicertæ.

Et *lib. 3. Æneid.*

Quin vbi transmiſſæ ſteterint trans æquora claſſes
Et poſitis aris iam vota in littore ſolues.

Sane vota ſoluta poſt euitata pericula & exauditas preces multa docent profanorum teſtimonia. Cicero *lib. 3. de natura Deorum: Tu qui Deos putas humana negligere, nonne animaduertis ex tot tabellis pictis, quam multi votis vim tempeſtatis effugerint, in portumque ſalui peruenerint.* De hac re nos late *in Commentariis Iſaiæ ad cap.* XXXIIX. *in principio Cantici Ezechiæ.*

Verſ. 28. *Decernes rem, & veniet tibi: &* 45.
in viis tuis ſplendebit lumen.] Eliphaz Iobo in ſuis conſiliis talem pollicetur euentum, qualem ipſe ſibi optaret, neque defuturum diuinum lumen, quod præluceat in viis ſuis, id eſt, in inſtituto viuendi genere, quod ſibi propoſuerit. Quod quidem peccatores ſibi promittere aut ſperare non poſſunt, de quibus *Pſalm. XXXIV, 6. Fiant viæ illorum tenebræ, & lubricum.*

Verſ. 29. *Qui enim humiliatus fuerit, erit in gloria.*] Concluſio eſt totius capitis. Neque aliquid habet difficile, in quo hærere debeat Interpretis labor.

ARGVMENTVM CAP. XXIII.

CVm adhuc amici in eodem errore obſtinato perſiſterent; iterat Iobus, quod ante dixerat, doloris tantam eſſe magnitudinem; vt quantumcumque acutus ipſius gemitus, longe tamen dolore videretur inferior, & plagam illam diuturnam & acrem non eſſe vitæ ſceleratæ ſupplicium, ſed vt medicæ manus medicamentum vtile, aut beneuolentiæ paternæ illuſtre documentum. Quare optare ſe dicit ea de re ad diuinum tribunal diſceptare, vt quo conſilio Dominus illas innocenti plagas inflixerit, ipſo Domino iudicante, omnes ſine errore ac dubitatione cognoſcant. Quod tamen ea conditione ſibi licere cupit, ſi Deus aliquid interea de ſua maieſtate remittat: alioqui enim homini mortali non ſolum loquendi facultatem eriperet, ſed etiam mentem. Deinde ſeipſum ſtultitiæ damnat, quod id cupiat, quod cum inviſibili Deo non poſſit iudicium inſtitui. Docetque, cur poſt tot plagas vehementer animo conturbetur & horreat.

CAPVT

CAPVT XXIII.

pag. 300. 1. Respondens autem Iob ait:

2. Nunc quoque in amaritudine est sermo meus, & manus plagæ meæ aggrauata est super gemitum meum.

3. Quis mihi tribuat, vt cognoscam & inueniam illum, & veniam vsque ad solium eius?

4. Ponam coram eo iudicium, & os meum replebo increpationibus.

5. Vt sciam verba, quæ mihi respondeat, & intelligam quid loquatur mihi.

6. Nolo multa fortitudine contendat mecum, nec magnitudinis suæ mole me premat.

7. Proponat æquitatem contra me, & perueniat ad victoriam iudicium meum.

8. Si ad orientem iero, non apparet: si ad occidentem, non intelligam eum.

9. Si ad sinistram, quid agam? non apprehendam eum: si me vertam ad dexteram, non videbo illum.

10. Ipse vero scit viam meam, & probauit me quasi aurum, quod per ignem transit:

PARAPHRASIS.

1. 2. Ad hæc Iobus: Vestra admonitione, huic rerum articulo prorsus importuna, magis augescit & crudescit dolor, quare iterum atque iterum cogor ingemiscere; neque tamen vt multum ingemiscam & querar, gemitus meus doloris & plagæ magnitudinem æquat. Minor est etenim doloris significatio, quam postulat ipsa doloris acerbitas. pag. 300.

3. 4. Studeo vehementer, quando non adeo eloquentia valeo, vt eam opinionem ex hominum animis euellam, qui peccatores tantum in hac vita cruciari putant, quid verum sit adeo æquissimo & sapientissimo iudice cognoscere. Quare vellem ad illius vsque solium ascendere, & meam apud ipsum causam disceptare, & concertantium more meas in eo iudicio querimonias obtendere.

5. 6. Non id agam eo iudicio, vt iniustitiæ Deum, aut crudelitatis arguam; sed vt ab illo discam, & alii hoc ipsum ab illius ore cognoscant, quid spectarit maxime, dum me tam longa ac dura vexatione cruciarit. Quæ dum opto ac molior, illud etiam desidero, precorque, vt dum defensionem meam in ipsius conspectu instituo, aliquid de sua fortitudine ac maiestate remittat: ne me magnitudine sua sic premat & horrificet, vt mentem adimat, aut me reddat elinguem.

7. Vt in eo iudicio Deus ostendat, a sua potius beneuolentia, quam ab offensione, a parente potius, quam ab hoste inflictam esse plagam: vt Deo iudice, vincam amicos supra modum infensos, efficiamque, vt mutata sententia discant in hoc sæculo honestis de causis iustos a Domino solitos esse vexari.

8. 9. Sed quid ego frustra mecum illa meditor, quæ fieri nullo modo possunt. Neque enim inuisibilem Deum videre possum, & cum illo legitimo certare iudicio. Si ad orientem perrexero, & inde me ad occasum mutata velificatione conuertero, si ad læuam, id est, aquilonarem, si ad dexteram, id est, ad australem plagam cursum mutauero, neque a mortali mea diligentia inueniri, neque ab humano oculo videri poterit.

10. Ipse vero videt me, & omnes vias meas, & sensus vbicumque locorum manifeste cognoscit. Et qua est benignitate, nisi meipsum fallo,

non me tam cruciare, quam purgare voluit: sicut aurifex in fornace probat & emundat aurum, redditque purius, quo durius est & diuturnius examen.

11. Vestigia eius secutus est pes meus, viam eius custodiui, & non declinaui ex ea.

12. A mandatis labiorum eius non recessi, & in sinu meo abscondi verba oris eius.

11. 12. Quod ex eo coniecto, quia nihil in vita mea deprehendo, quod tam acerbo dolore, tantaque rerum iactura puniri debeat. Cum numquam a diuina lege declinauerim, neque quicquam magis habuerim in animo, quam vt Deum obseruarem & colerem non externa atque fucata religione & cultu, sed vere ac serio, cum illius verba in corde meo penitus infixerim.

13. Ipse enim solus est, & nemo auertere potest cogitationem eius: & anima eius quodcumque voluit, hoc fecit.

14. Cum expleuerit in me voluntatem suam, & alia multa similia præsto sunt ei.

13. 14. Quod vt faciam, multa me hortantur, seu potius cogunt; primum, quia ipse solus Deus est, bonorum omnium largitor & auctor, cui omnes eo nomine amorem debent & obseruantiam. Deinde quia repugnare illi nemo potest, aut a suscepto consilio voluntatem auertere; faciet enim quod ipsi collibuerit, etiamsi contra steterit rerum vniuersitas. Quod si ex illius manu, quod fieri non potest, aliquod telum extorqueri contingat, quid homunculus inde commoditatis habebit; cum Deo, postquam in me puniendo, seu exercendo suam videatur exhausisse pharetram, præsto sint alia tela quamplurima, quæ pro sua voluntate ad hominum siue punitionem, siue probationem intorqueat.

15. Et idcirco a facie eius turbatus sum, & considerans eum, timore solicitor.

16. Deus molliuit cor meum, & Omnipotens conturbauit me.

15. 16. Eam ob rem vehementer animo conturbor, & horreo, cum videam auerti non posse, & frangi diuinam potentiam: & multas esse causas, cur Deus institutum vellet protrahere tormentum. Hæc consideratio, quæ diuinam meditatur consuetudinem atque potentiam, fregit animum meum, quem ad perferenda mala constanter obfirmaueram.

17. Non enim perii propter imminentes tenebras, nec faciem meam operuit caligo.

17. Neque sine causa tantopere conturbor, quia plura expecto a diuina manu, grauioraque tormenta. Nam si post tot plagas adhuc viuo, quæ mihi afferre possent mortis caliginem, ideo factum esse coniecto, quia me Deus duriori examini & acriori vexationi reseruat.

Verſ. 2. *Nunc quoque in amaritudine est sermo meus.*]

pag. 302. a 1. EXistimabat, opinor, Iobus, postquam talia dixerat, quæ frænare possent amicorum audaciam, & linguam coërcere maledicam, nihil illos deinde dicturos, quod innocentem affligeret; & iam illis excussam esse opinionem illam, nullum

nullum videlicet in hac vita a Domino cruciari, nisi qui se peccatorum sordibus inquinasset. Sed tam longe fuerunt, vt mentem orationemque mutarent, vt maiora Iobo obiecerint crimina, & suam illam cogitationem oblatam, & quasi suppositam a diabolo, foverent studiosius, & vrgerent vehementius. Quare dicit Iobus, recusari non posse, quin sermo suus aliquid habiturus sit aloës & fellis: cum ad dolorem suum & gemitum noua quædam accedat dolendi atque gemendi causa, orta ex illo obstinato iudicio, quo ideo ipsum cruciari putant vehementer, quia Deus in illo magnam videt peccatorum syluam, quam igne tribulationis, aut expiet, aut exurat.

2. *Et manus plagæ meæ aggrauata est super gemitum meum.*] Fortasse verus est sensus, quem modo adducebamus, nimirum ad alias dolendi causas illud etiam accedere, quod adhuc socii & consolatores molesti in priori sententia hærerent obstinato. Sed credo alium esse sensum, certe magis est communis, nunc etiam dolere se & gemere (id enim sermonis amaritudo significat) non tamen gemitu doloris & plagæ æquari magnitudinem: minus enim gemit & queritur, quam postulat doloris acerbitas & plagarum modus. in quem sensum accepimus supra illud *cap. VI,3. Quasi arena maris hæc grauior appareret.* Quem locum vide, quia huic lucis plurimum præfert.

3. Vers. 3. *Quis mihi tribuat, vt cognoscam, & inueniam illum, & veniam vsque ad solium eius?*] Non dubitabat Iobus, a Deo missam esse plagam, quam tunc in suo corpore patiebatur, & quam ante pertulerat, cum omnes sibi fortunæ perierunt, & ruente domo obtriti sunt filii, & extincta familia: sic enim ipse aperte manifestauit, cum dixit: *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Neque ideo suam causam a Deo legitimo iudicio disceptari cupit, vt cum illo expostulet, & suam apud Deum causam tueatur, & iniquum probet esse iudicium, quasi maiora quam pro meritis tormenta sustineat. Sed vt ab illo discat, cur ipsum tam duris cruciatibus exerceat; & alii cognoscant non solum in hoc sæculo peccatorem puniri, quod ita socii censuere tenaciter, vt ab eo errore nullo modo abduci potuerint, sed etiam iustos. Cum autem homines tam habeat suæ cogitationi & veritati contrarios, neque ipse tantum habeat eloquentiæ ac virium, vt ab eo liberet errore, quo tam stolide ac perniciose, suadente diabolo, laborant, optat, vt illas sibi partes assumat Deus: & quid in re vsque adeo graui existimandum sit, manifeste declaret. Sed ait ignotum sibi esse locum, vbi suum Deus solium constituerit, vt iudicium exerceret legitimum, quem tamen cognoscere, & illi se sistere vehementer desiderat.

Iobus cur suam causam cum Deo disceptare vult?

Vers. 4. *Ponam coram eo iudicium, & os meum replebo increpationibus.*] *Ponere iudicium coram Deo* nihil est aliud, quam sua Deo merita proponere. Sicut fecit Ezechias Rex *Isai. XXXIIX,3. Obsecro Domine, memento quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto: & quod bonum est in oculis tuis fecerim.* Et ipse statim facit Iobus *a versu 11.* & postea latius *cap. XXIX. Replere os increpationibus,* non est Deum increpare, quasi iniquum iudicem, sed commemoratis suis meritis, & posito coram Domino iudicio, numerare, quot sustineat mala; quibus excrucietur modis: quod non videtur optime in vitam religiosam & innocentem cadere. 4.

5.

Vers. 5. *Vt sciam verba, quæ mihi respondeat.*] Hoc tantum optabat Iobus, scire, quid a se diuinum illud & durum examen exigeret, quo spectaret tam longa, neque vnquam intermissa seuetitas, vt diuino ipse obsequeretur consilio, ne frustra videretur tanti artificis ac medici manus admota, & alios docere, quid Deus, dum innocentes exercet, spectare soleat.

Vers. 6. *Nolo multa fortitudine contendat mecum, nec magnitudinis suæ mole me premat.*] Accusarat in principio *c.XXII.* Iobum Eliphaz, quod cum Deo vellet iudicio contenderc, quasi cum æquali, aut cum homine, qui argui potest violatæ legis, & obiecti criminis interdum reus esse conuincitur. Huic accusationi respondet Iobus docetque, qualis esse debeat illa disceptatio. Neque enim ille esse studet in disputando pertinax, neque vrgere iudicem, quem ab homine mortali superari non posse certo scit: sed tantum doceri, tanquam 6.

quam a magistro, quem obseruat & colit. Longe etenim abest, vt cum fortiori, imo cum omnipotente velit disputando congredi, aut acriter premendo illius fortitudinem experiri, quam sustinere nullo modo posset, neque recusare, quo minus illius immensæ moli & ponderi succumberet.

7. Vers. 7. *Proponat æquitatem contra me, & perueniat ad victoriam iudicium meum.*] Æquitatem proponit, qui ostendit aliquo facto, in quo accusari posset iniustitiæ, se non fuisse iniustum. Quomodo medicus, qui vrit & secat, & amarum poculum propinat ægroto, censeri posset crudelis ab eo, qui medicum esse ignoraret, & hominem videret esse dissectum, aut a candenti ferro notatum & combustum: ille tunc æquitatem proponeret, qui hominis ægritudinem ostenderet, cui aliter occurri non posset vtiliter, & se esse medicum, qui probe nosset morbi naturam, qui hominem extingueret, nisi ipse se propugnatorem opponeret. Qui tam abesset longe, vt crudelis haberetur, quod secaret & vreret, etiam si in ea vexatione doleret & ingemisceret ægrotus, vt potius beneuolus censeretur & clemens, quod ea curatione male affectum hominem vendicaret a morte. Hoc petit Iobus, vt Deus ostendat, grauem illam plagam a beneuola prouenire, non ab hostili manu: a parente vt medico, qui sanare, non ab hoste, qui perdere & abolere nititur. *Vt perueniat ad victoriam iudicium*, id est, vt iudicante Domino, & vexationis causam afferente, vincat Iobus amicos, qui ex hoc iudicio mutent animos, & discant, etiam in hoc sæculo honestis de causis iustos homines a Domino vexari.

8. Vers 8. *Si ad orientem iero, non apparet*] Dixerat supra Iobus *v. 3.* cupere se venire ad solium Dei, & ibi discere, quid Deus in ipsius vexatione spectarit; nunc se ipsum videtur reprehendere, quod ad illa spiret, quo-
pag. 303. a rum esse compos nullo modo potest; cum enim Deus inuisibilis sit, quamcumque in partem se dederit, neque a mortali diligentia inueniri, neque ab humano oculo videri poterit: deinde in occasu & ortu, in sinistra & dextera omnes constituit locorum differentias, in quibus licet omnia compleat, videri tamen non potest inuisibilis Domini maiestas.

Vers. 10. *Ipse vero scit viam meam.*] Nullo modo mihi erit ex vsu, cum Domino iudicio aut alia quauis ratione contendere, cum ille a me videri non possit, ego vero illius oculis nunquam non præsens sim, qui vbicunque fuero, recusare non possum, quin illius subeam examen & aculeos; atque ita demum exercear & prober, sicut in fornace probatur aurum. seu aliter, licet ego illum videre nequeam; ille tamen sat scio, videt me: qui nouit vias meas, & nisi me ipsum fallo, non tam punire me voluit, quam purgare, & me ipso, dum angustius exercet, reddere meliorem: sicut aurifex in fornace probat & purificat aurum, & dum acrior est, & diuturnus ignis purius reddit aurum, & de meliori nota commendat. Quod autem id in hoc duro examine spectet Deus, ex eo probat, quia nihil in sua vita deprehendit eiusmodi, vt tam acerbo dolore ac bonorum omnium tam subita iactura puniendum videatur. In hanc explicationem magis inclinat animus.

Vers. 11. *Vestigia eius secutus est pes meus.*] 10.
Probat, in se nihil esse, quod tam acri seueroque supplicio mulctari debuerit, cum a via, id est, a lege & voluntate Domini nunquam recesserit, neque aliquid habuerit antiquius, quam vt Deum obseruaret & coleret, non externo tantum cultu, quod faciunt interdum, qui suæ magis student, quam diuinæ gloriæ, sed vere ac serio; id enim valet, *in sinu meo abscondi verba oris eius.*

Vers. 13. *Ipse enim solus est, & nemo auertere potest cogitationem eius.*] Duplex huius loci sese offert expositio. Altera est, vt tacitæ Iobus occurrat amicorum cogitationi, qui non probant, innocentem hominem potuisse tam dure vexari, maxime a Deo, qui iustus est, & magis ad miserendum benigneque faciendum, quam ad nocendum pronus. Quibus respondet Iobus, in hominibus non esse permittendum, neque probandum, vt in alios sæuiant, nisi priuata aut publica spectetur vtilitas, vt apparet in iudice, qui sontes punit capitali supplicio, quia id exigit publica ratio & communis vtilitas: & in medico, qui tunc secat & distorquet ægrotum, quando aliter esset moriturus. At in Deo longe alia est ratio, qui solus 11.

solus nouit, quid nobis expediat, neque nobis apparet causa, quæ illum adduxit, vt nobis illud conferat beneficium; quod nos ignari diuini consilii interpretamur iniuriam.

12. Sed placet magis illa expositio, quæ reddi rationem dicit, cur Iobus sic Deo adhæserit, vt semper illius legem custodierit: neque quicquam habuerit prius aut maius, quam animum suum diuinæ legis custodia consignare. Primum, quia ille solus est Deus, id est, creator omnium, & bonorum auctor, cui omnes homines vel hoc vno titulo amorem debent & obseruantiam. Deinde, quia cum nemo possit illius cogitationem auertere, id est, illius resistere voluntati, stulti esset consilii, illi non obedire, cuius etiam si velis, non possis non

pag.303.b subire iugum; aut illius cogitationes eludere. Et ideo subditur:

13. *Et anima eius quodcunque voluit hoc fecit.*] Explicatio est superiorum: Ac si dicas, frustra niti diuinam cogitationem impedire, aut retardare, quicquid enim Deo libuerit, faciet. *Animam* alicuius pro eo sumi, cuius est anima, res est nota: quare anima Dei Deus est.

14. Vers. 14. *Cum expleuerit in me voluntatem suam, & alia multa similia præsto sunt ei.*] Cum Deus in me suam exhausisse pharetram videatur, neque habere reliqua tela, quibus me petat atque configat: præsto sunt ei alia quam plurima, quibus pro sua voluntate vtatur in eos, quorum punire vult errata, aut probare virtutem, aut exercere patientiam.

15. Vers. 15. *Et idcirco a facie eius turbatus sum, & considerans eum timore sollicitor.*] Ex hac potentia Dei quam frangere nemo aut infirmare potest: ex multitudine earum rerum, quas habet suorum consiliorum administras, & quia occulta sunt diuina consilia, propter quæ homines exerceri solent, aut puniri, turbabatur Iobus, & timebat, etiamsi nulla pungeret scelerum conscientia, ne Deus vellet, quod iam ante inflixerat, protrahere tormentum, aut ne occulta hæreret in animo peccati labes, quam Deus expiatam vellet tribulationis igne.

16. Vers. 16. *Deus molliuit cor meum: & omnipotens conturbauit me.*] Nihil, opinor, addit noui, sed tantum versiculum præcedentem exponit, & aliis verbis cor suum infirmatum esse dicit & turbatum: quia videlicet, omnipotentem cognoscit esse Deum, & armis vndique innumeris instructum: neque præterea scit, an in se propositum habeat scopum, in quem aut furoris sui, aut medicæ solertiæ iaculum intorqueat. Vbi Vulgatus *molliuit*, Hebr. est הרך *herach* in hiphil, quæ vox significat molle aliquid & tenerum, quodque minus constanter ærumnosæ conditioni & aduersanti fortunæ resistit. Ait igitur Iobus, fecisse Deum, vt ipsius cor ad perferendam reflantis fortunæ inimicam auram adamantinum, & superioribus doloribus, quibus perfunctus est, & aliorum, qui instare videntur, metu remouescat quodam modo, & de sua constantia aliquid remittat; quam quidem infirmitatem patiebatur natura mortalis, quæ ex toleratis laboribus, quales essent alii, qui iam iam instabant, coniectabat. Sed licet mollis esset atque infirma caro, spiritus tamen strenuus & acer nihil de sua constantia ac firmitate remiserat.

Alii expositiones alias afferunt non ineptas, quas attingam strictim, quia fortasse alicui non displicebunt. Prima est, Iobum, qui ad perferenda vulnera, & varia fortunæ ludibria ferreum pectus ostenderat, & omnino sese præbuerat inuictum; timuisse tamen, & grauiter fuisse commotum, ita vt alius a seipso videretur, cum consideraret, quid possit Deus, & quomodo etiam amicos & innocentes versare soleat. Quasi diceret, quem non fregerunt labores, & aduersitatum omnium acies coniuratæ, fregit timor de Dei omnipotentia & seueritate conceptus. 17.

Secunda est, commolitum esse cor a Deo, quia molle illud & carneum formauit, quod ferre non possit tam graue atque diuturnum pondus. Quod dixit clarius idem Iobus *cap. VI, 12. Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est.* pag.304.b Tu ex his quas voles elige, mihi duæ priores minus displicent.

Vers. 17. *Non enim perii propter imminentes tenebras, nec faciem meam operuit caligo.*] 18. Hic etiam locus in varias expositiones patet. Prima est accommodata responsio præcedentis versus explicationi primæ, in hunc sensum: Deus molliuit cor meum, & conturbauit me: quia plura expecto & grauiora vulnera ab omnipotenti manu. Neque enim sine causa

Vitam Dominus interdum conceait, & homo plura patiatur.

ſa poſt tot plagas, quæ ſaxeas etiam moles diſfringere poſſent, adhuc viuo, niſi quia Deus duriori me examini & vexationi reſeruat. *Imminentes tenebras*, mortem imminentem interpretor, ſicut etiam caliginem, quæ faciem operit. Quod autem *nox* & *tenebræ* ſumantur pro morte, tam apud ſacros, quam apud profanos, certum eſt, & in vtriusque literaturæ Scriptoribus obuium; in Scriptura ſacra millies audimus; *dormire* pro *mori*, quod opus tenebras amat, & noctem. Vnde etiam ſomnus pro morte ponitur. vide quæ diximus *cap. III*, 13. ad illud: *Nunc dormiens ſilerem. Noctem* pro morte poſuit Horatius *lib. 1. Ode 4. Iam te premet nox*, id eſt, *mors*, & *lib. 4. Ode 8.*

Somnus, & nox pro morte.

Sed omnes vna manet nox,
Et calcanda ſemel via leti.

Virgilius *lib. 10.*

pag. 304. b

Olli dura quies oculis, & ferreus vrget
Somnus, in æternam clauduntur lumina noctem.

19. *Nec faciem meam operuit caligo.*] Aut idem eſt ſenſus, ſi illud *operuit*, idem ſit, quod *oppreſſit*, in hunc ſenſum: neque tenebræ corripuerunt me, & abduxerunt de viuentium numero, neque caligo oppreſſit merita: vt eadem iteretur ſententia. Notum eſt, neque a nobis ſemel vſurpatum, a facie hominem circumſcribi. quare *facies mea* idem eſt, quod *ego*, & *faciem meam*, quod *me*. Quod ſi *operuit* idem quod *protego*, vel *defendo*, ſenſus eſt paulo diuerſus, neque *caligo*, id eſt, mors adveniens, quam tot labores & plagæ in ſingulas horas aduocabant, liberauit me ab aliis plagis, quas multo grauiores venturas eſſe timeo.

Secunda explicatio confirmari poteſt, quod paulo ante dictum eſt, Iobum non tam timuiſſe dolores & plagas, licet experientia compererit eſſe grauiſſimas: quam Deum, quem eſſe omnipotentem nouerat, & cui creaturæ omnes præſto eſſent, quæ exigerent a peccatore pœnas, aut quæ hominem iuſtum iuxta Dei inſcrutabile conſilium exercerent. Quod probat, quia cum variis plagis affectus eſſet, atque adeo duris, vt in illarum qualibet mortis ſpectaret imaginem, perſtiterit tamen, & ſpiret adhuc, cum in tot moriendi cauſis non videretur ſpiritus locum habiturus. 20.

ARGVMENTVM CAP. XXIV.

TOtum hoc caput obſcurum non eſt, in quo Iobus in Deo fatetur eſſe prouidentiam, neque illius oculis quicquam eſſe clauſum eorum, quæ homines in tenebris faciunt, aut ſecum apud animum ſuum taciti meditantur. Eſt autem multus in commemorandis ſceleribus, quæ impii, & maxime tyranni, in infirmum hominum genus ſuſceperunt: Qui ſeuero a Domino miſerorum vindice deuoti ſunt ſupplicio: quod tamen eo conſilio Deus ſuſpendit aliquandiu, vt pœnitentiam agant, & de meliori fruge tandem cogitent. Qui tamen Dei patientia atque benignitate impudenter abuſi peiores fiunt, atque ideo acriores dabunt pœnas obſtinatæ perfidiæ.

CAPVT XXIV.

1. AB omnipotente non ſunt abſcondita tempora: qui autem nouerunt eum, ignorant dies illius.

2. Alii terminos tranſtulerunt, diripuerunt greges, & pauerunt eos.

PARAPHRASIS.

1. Conturbantur vehementer etiam iuſti, dum cogitant, nihil eorum, quæ in tempore fiunt, Dominum latere; & illi vni notum eſſe, quo tempore ac pondere plectenda ſint peccata. Quorum nihil homo, cuius obſcura eſt & debilis intelligentia, noſſe poteſt.

2. 3. 4. Varia ſunt hominum ſcelera, quorum diuinos oculos latet nullum. Alii dum habere

3. Asinum pupillorum abegerunt, & abstulerunt pro pignore bouem viduæ.

4. Subuerterunt pauperum viam, & oppresserunt pariter mansuetos terræ.

habere student latifundia, & agrorum suorum amplificare terminos, in alienas possessiones irrumpunt, aliorum sibi abigunt & vendicant greges, & alunt pro suis; neque alienis pepercerunt iumentis, & acceptis pro pignore viduæ bobus, domesticis illam commodis orbarunt. Et sublatis a pauperibus ac mansuetis, qui repugnare non audent artis quæstuariæ idoneis instrumentis; artem illorum, & victum euertunt; quod perinde est, atque illos longa fame, atque adeo lento morbo conficere.

pag. 305.

5. Alii quasi onagri in deserto egrediuntur ad opus suum: vigilantes ad prædam, præparant panem liberis.

6. Agrum non suum demetunt: & vineam eius, quem vi oppresserunt, vindemiant.

5. 6. Alii non magis legi atque pudori subditi, quam onager, qui vagus ac liber in deserto graditur, quasi nihil aliud habeant negotii quam aliena rapere, ad illud opus quasi omnino suum studiose se comparant & accingunt, & eo artificio, & sibi, & liberis alimenta parant. Et licet de facienda semente, aut vinea plantanda atque excolenda non curent, tamen messis, illis non deest, neque felix ac copiosa vindemia: metunt enim agros, quos alii seminarunt; & vinum exprimunt ex vineis, quas consiuerunt alii.

pag. 305.

7. Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore:

8. Quos imbres montium rigant: & non habentes velamen, amplexantur lapides.

7. 8. Ad hæc aliud addunt crudelitatis genus. Neque enim satis habuerunt miserorum demessuisse segetes: sed ab illis quo tempore magis est horrida tempestas, vestimenta detrahunt, nudosque relinquunt. Qui exclusi domo in montibus habitant, vbi imbribus madent atque nocturno rore; & pro molli strato & tegumento proprio nudos amplectuntur & rigentes lapides, vbi miseri cubant.

9. Vim fecerunt deprædantes pupillos, & vulgum pauperem spoliauerunt.

10. Nudis & incedentibus absque vestitu, & esurientibus tulerunt spicas.

9. 10. Per vim pupillos, & vulgari cœtu pauperes deprædati sunt, & his, quibus antea necessaria detraxerant, cum esurirent, neque pauculas spicas reliquerunt, quas vt extremam famem sustentarent, laboriose quæsierant.

11. Inter aceruos eorum meridiati sunt, qui calcatis torcularibus sitiunt.

12. De ciuitatibus fecerunt viros gemere, & anima vulneratorum clamauit, & Deus inultum abire non patitur.

11. 12. Quos vsque adeo erepta a pauperibus prædæ non pudet, vt more illorum, qui sua metunt atque vindemiant, inter alienos aceruos publice atque inuerecunde geniales ducant atque festiuos dies: & solitum cantent peragantque celeuma, bene poti atque ebrii, cum tamen illi interea sitiant, qui imperio tyrannico ereptam sibi vindemiam in torcularibus calcant. Neque vis hæc prædatoria in agris solum, vbi plerumque pauperes degunt, libera grassatur, sed etiam intra mœnia, vbi clamor auditur & gemitus illorum, quos aut bonis exuunt,

exuunt, aut pugnis concidunt prædones illi insolentes & barbari, sed Deus, qui vniuersa prospicit, horum vim tyrannicam barbaramque sævitiam impunitam abire non finet.

13. Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias eius, nec reuersi sunt per semitas eius.

13. Neque illi suis sceleribus possunt aliquam excusationis vmbram obtendere, cum ignorare nequeant, ipso docente naturali lumine, cui aperte resistunt, a suis conatibus non abesse scelus. Illum tamen vitæ tenuere modum, quasi nullam a Deo legem accepissent, aut a ratione dictante expressissent naturale lumen.

14. Mane primo consurgit homicida, interficit egenum & pauperem: per noctem vero erit quasi fur.

15. Oculus adulteri obseruat caliginem, dicens: Non me videbit oculus: & operiet vultum suum.

14. 15. Nullum tempus impii vacuum habent a scelere: diurnum miserorum cæde & sanguine funestant, ad quod immane facinus adeo mane consurgunt, vt nihil huic curæ prævertendum putent, nocturnum insidiis, furtoque contaminant. Qui suam sibi vult libidinem explere, & alieno toro insidias moliri, tenebras amat, additque, ne cui commune aut venereum furtum prodat, vultui suo velamen aut laruam.

pag.306. 16. Perfodit in tenebris domos sicut in die condixerant sibi, & ignorauerunt lucem.

17. Si subito apparuerit aurora, arbitrantur vmbram mortis: & sic in tenebris quasi in luce ambulant.

16. 17. Quod die deliberarant, constituerantque viri scelerati, id nocturno tempore perficiunt. Quare dum fauent tenebræ, neque lux impedit, quam vehementer execrantur, parietes perforant & claustra confringunt, vt tutius irrumpant ad illa, quæ claudit & continet dominorum custodia. Et assueti furtis, nocturnæque caligini, non minus expedite & facile in tenebris, quam in diurno lumine discurrunt. Imo aduenire metuunt auroram, & illam, cum incipit, instar mortis excipiunt, & diris execrantur, vt pote suis consiliis parum idoneam. pag.306.

18. Leuis est super faciem aquæ: maledicta sit pars eius in terra, nec ambulet per viam vinearum.

19. Ad nimium calorem transeat ab aquis niuium, & vsque ad inferos peccatum illius.

18. 19. Quocirca dum favent tenebræ, sic in suis furtis atque flagitiis discursant, tamque leuiter in terra figunt pedem præ ardore ac festinatione nimia, vt etiam super aquas videantur incedere potuisse. Qui sane digni sunt, qui grauibus confecti doloribus extabescant, & quibus terra, quæ illis in possessionem obuenit, aut quam ipsi sibi furto vendicarunt, nihil germinet vtile. Qui vitam agant in sylvis solitariam & horridam, neque ex vinearum hortorumque fructu & amœnitate vllam capiant voluptatem aut vsum; & qui aliis atque aliis vrgentibus & continentibus malis a calore vrente traducantur ad niuale frigus, neque vnquam ab hac

hac tormentorum assidua successione ad finem vsque vitæ recreentur.

20. Obliuiscatur eius misericordia: dulcedo illius vermis: non sit in recordatione, sed conteratur quasi lignum infructuosum.

20. Et cum miser sit, sic tamen omnibus sit odiosus & vilis, vt illius neminem misereſcat. Pro suauitate, quam omnibus modis impense captauit, succedant vermes, qui corpus exedant, & cum graui dolore fœtoreque conficiant; & contemnatur quasi syluestre & inutile lignum, cuius recordatur nemo, nisi cum instruendi foci necessitas adfuerit.

21. Pauit enim sterilem, quæ non parit, & viduæ bene non fecit.

22. Detraxit fortes in fortitudine sua: & cum steterit, non credet vitæ suæ.

21. 22. Neque sane id patietur immerito, cum sterilem, quæ filium non habet, qui matris suæ vlciscatur iniurias, degluberit, comederitque; neque vnquam de vidua fuerit officiose meritus, neque solum in fœmineum sexum solitarium, & debilem fuit acer & audax, sed tantum sibi iuris & spiritus assumpsit, & viros etiam fortes aggressus fuerit, deiecerit que, & cum in eo certamine superior extiterit, non tamen metu vacat, qui perpetuo illum consectatur & agitat.

23. Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in superbiam: oculi autem eius sunt in viis illius.

23. Timet suæ vitæ merito tyrannus; cum plurimos nouis quotidie lacessat iniuriis. Deus tamen illius aliquandiu distulit mortem, vt pœnitentia vitæque mutatione a seipso desciſceret. Quo tamen Dei in illum patientia maior, qua ipse temerarius abutitur, eo ipsius ferenda minus obstinata superbia, quæ impunitate alitur & augescit magis. Neque ideo existimandum est, non videre Deum, aut non curare, quid isti meditentur & faciant.

pag.307. 24. Eleuati sunt ad modicum, & non subsistent, & humiliabuntur sicut omnia, & auferentur, & sicut summitates spicarum conterentur.

24. Attollentur enim, viuentque cum gloria perbreui, eoque incerto tempore, non tamen in eo splendore subsistent diu; sicut reliqua omnia, quæ postquam pauxillum floruere, tabescunt & deficiunt. Neque magis erit constans ac firma illorum felicitas, quam arentes spicarum aristæ, quæ cum summum occupent locum, leui tamen attactu in tenuem puluisculum rediguntur. pag.307.

25. Quod si non est ita, quis me potest arguere esse mentitum, & ponere ante Deum verba mea?

25. Quod si impii non statim suorum scelerum pœnas luunt, neque illi soli in hac vita vexantur, quis me mendacem aut ignarum esse dicet, cum illa affirmo, quæ ipsa me experientia quotidiana docuit; aut impietatis esse reum ostendet, quasi locutus videar contra Deum, & illius prouidentiæ aliquid detraxisse?

Verſ. 1. *Ab omnipotente non ſunt abſcondita tempora : Qui autem nouerunt eum, ignorant dies illius.*]

pag.307.a HOc principium ſpectare videtur ad
1. finem præcedentis capitis. Certe cum illo ſatis apte contexitur, vbi aliam reddit rationem Iobus, cur timeri Dominus ab omnibus debeat, quia ille nouit omnia tempora, id eſt, quæcunque in quolibet tempore homo faciat. (Tempus enim pro his omnibus ſumitur, quæ in tempore fiunt, ea figura, qua locus pro illis adhibetur, quæ in loco continentur.) Deum igitur hominum tempora non latent, neque ille ignorat, quis rerum exitus hominem maneat, & quo tempore, quove modo ac pondere peccata ſint plectenda. Et hoc totum ignorat homo, cuius obſcura & debilis eſt intelligentia. Hinc fit, vt qui Deum non ignorat, & illum iuſtum, & ſcelerum vindicem eſſe cognoſcit, neque illi deeſſe vires, vt decreta compleat, cum omnipotentem eſſe fateatur, illius timeat indignationem & vltricem manum: & ita conturbetur, ſicut proxime de ſeipſo Iobus fatebatur, cum emollitum dixit ſibi eſſe, & conturbatum animum. Hæc autem eo dixiſſe Iobus videtur animo, vt cauſam ſuæ conturbationis oſtendat, & refellat, quod ipſi *cap. XXII.* obiecerat Eliphaz, quaſi negaret, hæc inferiora noſſe aut curare Deum. Sic autem ibi *v. 13. Et dicis, quid enim nouit Deus? & quaſi per caliginem iudicat.* Ignorari porro a iuſtis dies Domini, nihil aliud eſt, quam neſciri, quid, quove tempore a Deo in hominum puniendis erratis, aut munerandis virtutibus faciendum ſit.

2. Verſ. 2. *Alii terminos tranſtulerunt.*] Continuit iuſtos, qui Deum nouerunt, in pietate & officio, timor & obſeruantia Dei, ne
pag.307.b facerent, quod factum a Iobo exprobrabant amici animo non amico. At qui Deum non nouerunt, id eſt, qui illius voluntati ac legibus obſecuti non ſunt (tales enim Deum ignorare dicuntur, vt conſtat ex *1. Ioh. II, 4. Qui dicit, ſe noſſe eum,* (Deum) *& mandata eius non cuſtodit, mendax eſt.* qui, inquam, Deum non nouerunt, leges transgrediuntur, officium deſerunt, & dum ſibi compendium captent, aut voluntati indulgeant, quid alii aut vi, aut fraude patiantur, nihil habent penſi. *Transferri terminos*, nihil eſt aliud, quam in alienos fundos & poſſeſſiones irrumpere, qui plerumque terminali lapide, aut alio certo & familiari ſigno diſtinguuntur. Quod cum aſtuti & auari homines ſæpe faciant, faciunt tamen tyranni multo frequentius, qui quicquid ſibi vſui futurum eſſe putant, id ad ſe pertinere affirmant, & qua iure, qua iniuria, quod ſuum eſſe dicunt (ſic peruertunt omnia) ſuum eſſe faciunt; neque quieſcendum putant, donec aliorum diſpendio ſuas augeant opes, & terminos amplificent. Hoc autem omnes gentes graue pu- 3.
tabant eſſe ſcelus, neque ſolum iuſtitiam, ſed etiam religionem ea terminorum translatione violari. Qua de re grauiſſimas leges ſtatuere gentiles, quæ hos terminorum direptores non violatæ ſolum iuſtitiæ, ſed religionis proditæ reos eſſe declarant: & quaſi execrandos atque ſacrilegos ab omnibus impune mactari permittunt: De horum terminorum religione, & quibus cæremoniis & ſacris collocari ſoliti, multa dicunt profani, & quo ſupplicio tantum ſcelus expiari debeat. Tu vide Gyraldum *de Diis Gentium Syntagmate 1. de termino, ſacriſque terminalibus.* pag.308.a

Mutare terminos graue ſcelus, & ſacrilegii genus exiſtimatum.

Sic Dionyſius Halicar. *lib. 1. Iuſſit Numa vnumquemque fines ſuos circumſcribere, ſacroſque finibus lapides apponere. Lapides ipſos ſacrauit Ioui Terminali: ſtatuitque eis ſacra quotannis omnes die ſtata ac conſtituta facere, ſuper locum ipſum congregatos, &c. Quos lapides ſi quis occuliſſet, vel tranſtuliſſet, ſacrum* (*id eſt, execrandum*) *eſſe Dei lege ſtatuit, ita vt volenti eum occidere tanquam ſacrilegum, & ſecuritas adeſſet, & pollutionis expiatio.* Addit Feſtus: *Numa Pompilius ſtatuit, eum, qui terminum exaraſſet, & ipſum, & bouem ſacros eſſe:* id eſt, ferro deuotos.

In Scriptura ſacra de terminorum cuſtodia 4.
graues ſunt conſtitutæ leges, ex quo intelligitur, quam ſit execrabile illud furti, aut violentiæ genus. *Prou. XXIII, 11. Ne attingas paruulorum terminos, & agrum pupillorum ne introeas. Deut. XIX, 14. Non aſſumes, & trans-*

transferas terminos proximi tui, quos fixerunt priores in possessione sua.

5. *Diripuerunt greges, & pauerunt eos.*] Sicut sustulerunt terminales lapides, vt suos amplificarent terminos; sic etiam eadem impudentia aliorum greges prædati sunt, neque puduit illos coram aliis pascere, qui nouerant furto esse sublatos. Fortasse illud *pauerunt*, idem est quod *comederunt:* illud enim interdum significare *pasco*, diximus infra *ad versum 21.* Hæc *ad versum 17.* perspicua sunt, in quibus explicantur illa, in quæ grassata est illorum auaritia, qui neque nouerunt Deum, neque putarunt legem vllam, nisi suam libidinem, quæ non tam moderatur & dirigit, quam abducit & præcipitat animos.

6. Vers. 3. *Asinum pupillorum abegerunt, & abstulerunt pro pignore bouem viduæ.*] Hic duo inuenio inclementis animi argumenta maxima. Alterum est, genus illud hominum invadere, quod infirmum est, & hominum misericordiæ commendatum, quod vel ipso nomine animos emollit incitatos, & appetentes vindictæ ad lenitatem clementiamque traducit. Alterum est, quia pro pignore abigunt asinum & bouem, quorum vsus pupillis & viduis est valde necessarius; quia illorum fortasse opera suam tenuitatem sustentant. An apud Idumæos de hoc pignoris genere aliquid sit a legibus cautum, non constat: Est tamen verisimile ex hoc loco, aliquid esse aut lege, aut consuetudine receptum. Sane apud Hebræos de hac oppignoratione constituta sunt a lege non pauca. Lege *cap. XXIV. Deuter.* vbi lege cauetur, ne quædam a creditore sumantur pignoris loco. Et speciatim iubetur *v. 10.* ne creditor domum alterius ingrediatur, vt assumat pignus, quod voluerit, sed spectet foris, & illud accipiat, quod debitor obtulerit.

Quæ pignora a debitoribus accipi debeant.

7. Vers. 4. *Subuerterunt pauperum viam.*] Quidam hunc locum sic exponunt, vt a viis etiam communibus & publicis, pauperes & miseros prohiberi putent. Non quidem vllo mandato ac lege, sed quia viri potentes & barbaro ingenio, sic pauperes quocunque in loco accipiunt inclementer, vt miseri illi domi se contineant, ne forte in tyrannorum oculos incurrant, quorum vim & auaritiam experti cognouerant. Ego in via viuendi aliquod genus & institutum intueor. Pauperes enim artem aliquam quæstuariam exercent, quibus si accommodata instrumenta detraxeris, artem & quæstum relinquant, necesse est. In lege porro veteri *Deut. XXIV, 6.* cautum est, ne pro pignore abducatur mola superior & inferior, quia qui assidet molæ, his sublatis, non habet, quomodo artem exerceat suam, & ea vtcumque lucrum instituat laboriosum & tenue. Et humanæ leges artis instrumenta pignoratitiæ actioni subesse non permittunt. Tales autem censeri possunt, imo reuera censent illæ leges, asini & boues, si tamen hi ad obeundum ministerium aliquod necessarii sunt. Quomodo si quis lixa, id est, aquator sit, lignator, aut qui conuehendis sarcinis, aut aratione, aut rei plaustrali, seu aratoriæ operam dat: viam itaque pauperum subuertit tyrannus, cum illa detrahit, sine quibus ars, cui vacabat pauper, exerceri non potest.

Pro pignore res ad vitam necessariæ non sumendæ. pag.308.b

Et oppresserunt pariter mansuetos terræ.] vbi Vulgatus *mansuetos*, Hebr. est ענוים *aniuim.* 8.
quæ vox tam mansuetos & pacificos, quam humiles & pauperes significat. Pauperes enim, quia vident, iniquum sibi cum potentiori subeundum esse certamen, pacem optant & quietem, quia pro repetenda re, & iniuria legitimo iudicio vindicanda, nouam & multo fortasse grauiorem accipient. Quod si pauperes sunt, eadem iteratur sententia, quæ iteratio non vulgarem habet epitasim. Si vero id valet, quod apud Latinos proprie sonat *mansuetus*, aliqua fit ad barbaram crudelitatem accessio. Licet enim pauper sua se tenuitate & inopia defendat, cum nulla sit tanta crudelitas, tamque inflammatus furor, quem non flectat & molliat tenuis & afflicta conditio; fieri tamen potest, vt qui pauper est, turbulentus sit & seditiosus, quique merito in se aliorum exacuat & exerat aculeos. At eum, qui mansuetus est, neque vnquam alicui, aut re, aut verbo molestus fuit, opprimere, barbaram indicat naturam, totius consilii atque humanitatis expertem.

Vers. 5. *Alii quasi onagri in deserto egrediuntur ad opus suum.*] Aliud proponit hominum 9

 genus

genus æque aut fortasse perniciosum magis, qui nullis putant teneri se legibus, sed eo præcipites & temere feruntur, quo rapit libido, & quasi nullum aliud habeant negotium, quam aliena rapere, ad illud se quam ocyssime & studiosissime comparant & accingunt. Comparantur hi perquam apte cum onagris, quia hi in deserto, id est, antequam in hominum potestatem venerint, & eorum cura cicurentur, & iugum subeant, aut dorsuale pondus, liberi sunt, & ad explendam famem, seu sitim impotentes feruntur, & ad omnem libidinem vehementer pruriunt. Id

Onagri quale ingenium, & cur tyrannorum symbolum. totum ex Scriptura constat. Quod difficilem famem ferant & sitim, dixit Iobus *cap. VI, 5. Numquid rugit onager, cum habuerit herbam?* vbi ostenditur aut indicatur non obscure, tunc rugire, quando deficit pabulum. Et Ieremias *cap. XIV, 6.* cum famem & sitim vehementem describeret, ab onagro sumpsit similitudinem & exemplum: *Et onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventum, quasi dracones defecerunt oculi eorum, quia non erat herba.* Liberum esse onagrum, & accommodatum symbolum, eorum, qui suis impotenter studiis obsequuntur, docuit supra Sophar *cap. XI, 12.* vbi superbum hominem & tyrannum onagro similem esse affirmat: *Et quasi pullum onagri se liberum natum putat.* Cum vero libidinis inflammatur æstu, quod impotenter feratur, vt illam exaturet, dixit Ierem. *cap. II, 24.* dum Hieroso-

pag.309.a lymam, quæ suis cupiditatibus intemperanter obsequitur, reprehendit: *Onager*, inquit, *assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui.* Onagri porro intemperantiam & libertatem, vim habere prouerbii, maxime apud Idumæos, argumento est, quod tam a Iobo, quam ab illius amicis non semel vsurpatur. A quibus, vt opinor, in alias prouincias emanauit. Onagrum Hispanica translatio *cebram* vocat. Ad onagrorum igitur morem grassantur tyranni, neque vllis legum cohibentur repagulis, vt sibi ac suis de pauperum facultatibus abunde prouideant.

10\. Vers. 6. *Agrum non suum demetunt.*] Licet illi de facienda semente non curent, neque de plantanda ac putanda vinea sint solliciti, tamen neque messis illis deest, neque felix atque copiosa vindemia; metunt enim agros, quos alii seminarunt, cum interim alii fame pereant; redundant vino torcularia, neque tamen eorum, qui plantauerunt & coluerunt vineas, lætificantur animi. Hæc autem grauis est infelicium hominum maledictio, qua vsus est Iobus *cap. XXXI, 8. Seram, & alius comedat.* & *Michææ VI, 15. Tu seminabis, & non metes: tu calcabis oliuam, & non vngeris oleo: mustum, & non bibes vinum.* Quod spectaculum esse miserabile significauit Isaias *c. I, 7. Regionem vestram coram vobis alieni deuorant.* *Serere quod alieni metant, grauis dolor.*

Vers. 7. *Nudos dimittunt homines.*] Non satis sibi habent hi tyranni, si aliorum demetant agros, & aliorum fructibus impleant granaria, & pro sua libidine exculta ab aliis vineta vindemient, sed addunt aliud crudelitatis genus: nam quos frumento vinoque priuauerant, eosdem tegumentis spoliant, eo etiam tempore, in quo hyemali glacie, etiam bene vestitis intolerabilis videri solet horrida tempestas. 11.

Vers. 8. *Quos imbres montium rigant.*] Mouet pathos, dum illorum calamitatem exponit, in quos tyrannorum grassatur auaritia. Dicuntur autem irrigari pluuialibus aquis, quia dum agros ad satus subigunt, aut vineas colunt, quarum optima in montibus existimatur sedes, maxime apud Idumæos, qui regionem habitant confragosam & asperam, in montibus degunt plerumque, & nudis aut male vestitis corporibus nocturnum excipiunt rorem. Et dum exiguam percipiunt messem, aut tenuem vindemiam, nullam fugiunt loci cliuosi aut hyberni temporis inclementiam. Hunc autem, quem tamdiu æstus vrebat & gelu, & a cuius oculis necessarius fugiebat somnus, spoliauit tyrannus vindemiola tenui, & frugibus, in quarum cultu duros posuit dies, & infelices habuit & insomnes noctes. Hæc fortasse vera; sed placet magis, si dicas, pauperes spoliatos vestibus, & exclusos domo, quam per vim & fraudem abstulit tyrannus: habitasse in montibus, & quia tectum non erat, ad quod se in illa vexatione reciperent, commaduisse aut imbribus, aut nocturno rore. 12.

Vers.

13. Vers. 9. *Et non habentes velamen amplexantur lapides.*] Varie hic locus a variis exponitur; quidam ideo putant nudos pauperes amplexari saxa, vt quando vestimento non possunt corporis inhonesta & verenda velare, quia illud tegumentum tyrannorum abstulit auaritia crudelis, confugiunt ad petras: quibus appliciti illam declinant ignominiam, quam subire morte ipsa putant horribilius. Ita Stunica, cuius sententiam alii aut probant, aut non omnino fastidiunt. Alii melius existimant, homines spoliatos vestibus, & eiectos domo confugisse ad montes, & in saxorum cauitatibus sua sibi domicilia parasse. Quod quidem Idumæis non erat insolens, qui plurimum in rupium cauernis habitabant, vt constat ex *Abdia vers. 4.* & *Ierem. XLIX, 16. Qui habitas in cauernis petræ.* Mihi verisimilius est, eo adductos dici pauperes necessitatis, vt detractis vestibus etiam stragulis, quibus insternebantur lectuli, cogerentur cubare humi, super nudos lapides. Quo modo de Iudæis, qui abducti fuere captiui Babylonem, dicebat Ieremias *Thren. IV, 5. Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.* quia, vt nonnulli volunt, post antiquam munditiem patriasque delicias in sterquilinio ac fimeto infelices noctes cubando transegerunt. Quæ ita puto contigisse, vt tamen ab hac narratione hyperbolen abesse non putem; tametsi hæc tam barbara crudelitas a duro Idumæorum ingenio non admodum abhorreat.

pag. 309. a

14. *Tyrannorum crudelis exactio.* Vers. 10. *Esurientibus tulerunt spicas.*] Multa hic Interpretes, quia ad varios sensus patet sermonis textus. Quidam putant, non solum tyrannos in aliorum messes irrupisse, sed etiam fecisse, vt qui spoliari fuerant, ipsi meterent, curarentque omnino rem frumentariam, donec tandem conderetur in horreis. Alii dicunt, necessitate coactos illos, quibus detracta est messis, ad alienas messes accessisse, vt remanentes inde legerent spicas, quæ festinanti messori excidissent e manibus; cumque manipulos retulissent domum, vt ex re tantula exiguum sibi victum pararent, in illos etiam inuasisse tyrannos, vt ad extremum illud vitæ subsidium eriperent. Huic explicationi fauet textus Hebraicus, qui ita legit: *Et famelici portant manipulum.* Neque est improbabile, consuetudine fuisse receptum inter Idumæos, quod cautum fuit inter Hebræos lege, ne pauper prohiberetur spicas legere, quæ messorum effugerent manus. *Deuteronom. XXIV, 19. Quando messueris segetem in agro tuo, & oblitus manipulum reliqueris, non reuerteris, vt tollas illum, sed aduenam, & pupillum, & viduam auferre patieris, vt benedicat tibi Dominus.* Et idem ibidem præcipit de oliuis, pomis, vuarumque racemis, quæ in vindemia, aut fructuum collectione remanserunt. Idem habes *Leuitic. XIX, 9.* & *XXIII, 2.*

Alii magis adhuc premunt sordidissimam tyrannorum auaritiam, & dicunt extorsisse de miserorum manibus pauculas spicas, quas vrgente necessitate collegerunt, vt fricarent manibus, & excussis granis extremam famem sustentarent. Erat autem constitutum a lege, ne quis ab hoc tenui miseroque subsidio pauperes arceret, quia & res erat exigua, neque leuis videbatur esse necessitas, quæ homines ad illud alimenti genus adegisset. *Deut. XXIII, 25. Si intraueris in segetem amici tui* (id est, proximi tui) *franges spicas, & manu conteres, falce autem non metes.* Neque Scribæ & Pharisæi viri captiosi, neque amice in Christi discipulos animati, accusarunt illos, quod spicas manu fricuissent, sed quod illud fecissent in sabbato. Hæc explicatio non longe distat a proxima, & litera in vtraque non inuita venit, vtramlibet elige, aut vtramque coniunge, & hoc fortasse melius. 15.

pag. 310. a

Vers. 11. *Inter aceruos eorum meridiati sunt, qui calcatis torcularibus sitiunt.*] Hic etiam locus varias explicationes admittit. Et primum videndum est, quinam sint illi, qui dicuntur suas inter aceruos meridiationes habuisse. Quidam dicunt, meridiatos esse tyrannos inter aceruos miserorum, siue acerui sint frumenti iam purgati, siue vuarum, cum ad torcular calcandæ conuehuntur, atque ibi deliciari solitos antiquo atque vulgari more, cum tamen neque qui messuerunt segetes, purgaruntque frumenta, de suis frugibus aliquid accipiant, neque spicas quidem, quas confricent manibus: cum illas, qua erant auaritia, de manibus & quasi de faucibus extorqueant, & sitientes relinquant, cum tamen 16.

 suam

ſuam ipſi pauperes vindemiam calcauerint, vnde tyranni large ad ebrietatem vſque bibant. Huc Hieronymi & Bedæ inclinat expoſitio. Et ſane in vindemia & meſſe dies eſſe geniales & lætos inter Hebræos, ſatis ex Scriptura ſacra liquet. De meſſe eſt illud *Iſai. IX, 3. Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe.* De vindemia *Ierem. XLIIX, 33. Ablata eſt lætitia, & exultatio de Carmelo,* &c. *Nequaquam calcator vuæ ſolitum celeuma cantabit.* Inter delicias igitur, & lætitiam tyrannorum plorabunt, ſitient, & eſurient pauperes.

17. Alii eos putant eſſe meridiatos, qui meſſuerunt fruges, & tyrannorum calcauere vindemiam, qui æſtum pertulere, meridiano etiam tempore, quando calor eſt maximus, quod tempus poſuerunt inter aceruos, intenti videlicet metendis alligandiſque manipulis, ex quibus aceruus cogitur & teritur in area. Hos autem tyrannus neque a labore laxat tam moleſto ac longo, neque de vino, quod ſuis ipſorum pedibus expreſſerunt, aliquid propinat, aut mercedem ſoluit impenſi laboris, ſed ſitientes relinquit & hiantes.

18. Alii de his ſermonem eſſe credunt, qui plantarunt vineas, ex quibus tyrannus vindemiam collegit, & ſementem fecerunt, quam alius in ſuam ſibi commoditatem conuertit. Qui ſub meridie, quando in æſtate intolerabilis calor eſſe ſolet, ad aceruos frugum, ereptos ſibi per fraudem & violentiam, ſe recipiunt, vt ad vmbram illorum grauiſſimum illud tempus tranſigant. Sed neque e ſuis frugibus quicquam ſumere, neque ſpicas quidem licet, neque ex vuis, quas calcauere, vinum, vel in modica quantitate libare. Ex tribus elige quam malueris: omnes non grauate textus admittit.

19. Illud ad extremum addo, longe aliter alios omnes Interpretes hunc locum tranſtuliſſe. Septuaginta, *in anguſtiis inſidiati ſunt iniqui.* quaſi ſe tyranni in locis anguſtis occultauerint, vt inde minori negotio incautos pauperes opprimerent. Alii ferme omnes cum Chaldæo hoc modo, aut aliis huic affinibus legunt: *Intra muros eorum exprimunt oleum, & qui in torcularibus calcant, ſitiunt.* De horum expoſitione non laboro, quia vulgatæ editionis Interpretem ago, non Hebraici textus, qui illum forſitan non tam habemus purum, quam habuit olim noſter Interpres. Illud dico, ſi hi, qui oleum in trapetis, & vuas in torcularibus premunt & calcant, tyranni ſunt, oſtendi illorum nimis inuerecundam auaritiam, qui coram omnibus non in agris locisque deſertis, ſed in media ciuitate non verecundentur alienos calcare prouentus, & veros Dominos relinquere ſitientes & vacuos. Sin autem illi ſint pauperes, quos ſuis bonis viri potentes & auari ſpoliarunt, oſtenditur tam miſeris illis tantum eſſe metum, vt ſi quid reliquum fecerit ſceleratorum hominum inuerecunda cupiditas, illud non publice in agris, vbi res magis ſunt expoſitæ rapinis, ſed intra muros priuatosque parietes curent: tam exiguam eſſe vindemiam, vt in ipſis torcularibus ſitiant.

Verſ. 12. *De ciuitatibus fecerunt viros gemere, & anima vulneratorum clamauit.*] Non ſatis habuerunt graſſari prædatorio more in agris, vbi plerumque agunt pauperes, & qui ruſtica obeunt miniſteria, vbi leuius periculum, & maior prædandi facultas: ſed etiam intra murorum ambitum, vbi non cum vno aut altero, ſicut in deſertis locis, ſed cum tota multitudine pugnandum, quia vel illorum manus timendæ ſunt, qui opem ferent laboranti atque gementi pauperi: vel certe pudoris frangenda repagula, quæ audaces homines, & indecorum aliquid molientes retardare ſolent. In media tamen ciuitate clamor auditur, & querelæ illorum, quos aut bonis exuunt, aut pugnis concidunt inſolentes homines, & qui præter vim, fraudem, & prædam nihil moliuntur. 20.

Et Deus inultum abire non patitur.] Duas hic ego expoſitiones video: altera eſt, quæ diuinam prouidentiam agnoſcit & affirmat, quod proprie vox ipſa ſonat, horum hominum auaritiam crudelem, & audaciam non abituras impunitas, quia Deus, quem neque tyrannorum iniuria, neque pauperum latet dura vexatio, patietur, vt hic peſſundetur iniuſte, & ille, alienis opibus oneratus, in æternum exultet. Hæc explicatio communior eſt, & fortaſſe verior. Mihi alia non diſplicebat; quæ neque aliena eſt ab inſtituto Iobi, 21.

&

& multo melius hæc cum superioribus adaptat, ita vt ironice Iobus cum quadam irrisione verba repetat amicorum, qui sæpe dixerant in hac vita luere, quæ scelerate ac perfidiose gesserunt, cum constet esse plurimos, quales hoc capite a Iobo describuntur, qui ad extremam vsque senectutem iucunde viuunt, & alienis opibus vsque ad satietatem abundant. Quasi dicat Iobus, cum hæc ita se habeant, o socii, dicitis tamen, idque mihi persuadere conamini, omnes impios in hac mortali vita suorum scelerum dare pœnas, quibus multum est in ore, *Deus inultum abire non patitur.* Quasi dicat, videtis tot impios grassari in agris impune, triumphare in vrbibus, & non solum in fortunas, sed etiam in corpora miserorum irrumpere. Quos nemo contristat exultantes, nemo audentes iniqua atque indecora comprimit, & tamen dicitis, Deus inultum abire non patitur. Erratis, vehementer erratis, si in hac vita creditis in sceleratos omnes animaduerti, & nihil expiandum, aut sine vllo termino plectendum post mortem in futura sæcula reseruari. ita accipit hunc locum Eugubinus, & dicit:
pag. 311. a hunc esse communem Hebræorum sensum. Sane existimasse Iobi socios, impiorum neminem in hac vita suorum scelerum pœnas effugere, dixit Eliphaz supra *cap. IV.* & iterum *cap. XV.* & Baldad *cap. XIIX.* Sophar *cap. XX.*

22. *Quis rebellis lumini.* Vers. 13. *Ipsi fuerunt rebelles lumini.*] Neque illos a culpa liberare potest ignorantia: neque enim ignotum illis erat. vel ipso naturali lumine docente, malum esse, per vim & fraudem suis commodis & ornamentis spoliare pauperem, & pugnis conuitiisque concidere infirmam turbam, quæ referire non auderet, neque se vllo modo a quotidianis tutari vexationibus. Lumen, cui rebelles fuerunt viri illi truculenti & barbari, est illa notitia, quam non a magistro, aut nostra industria, aut humana disciplina didicimus, sed ab ipsa natura arripuimus, hausimus, expressimus. Quæ communi Scholasticorum sensu Synteresis dicitur, aut dictamen rationis, de qua Theologi.

23. Pineda hoc lumen proprio sumit, non figurato sensu, & de luce sumit diurna, quam inuehit solis ortus, & adimit terræ eiusdem occasus; quod probat, quia vt ex consequentibus liquet, hi tyranni ac prædatores lucem fugitant, quasi suis consiliis parum opportunam; & tenebras amant, quæ furta tegunt, & ad insidias præbent commoda, & omni pene loco opportuna latibula. Hoc autem luminis odium illam offensionem esse putat, & contradictionem, qua homines rebelles dicuntur esse lumini. Acute ille quidem, sed non video, quomodo rebellis ille dici debeat lumini diurno, qui contra illud nihil meditatur, sed tantum illius commoditate non vtitur: imo diurno atque solari vtitur lumine, quia in die prædam quærit, & locum ad illam capiendam magis idoneum, vt quod nocte aggreditur, successu non careat. Metaphorico autem lumini, id est, rationi dictanti, aut naturali siue externæ legi, rebelles sunt illi, qui contra faciunt, quam illa præscribunt; & quoad ipsi possunt, tacite condemnant atque dissoluunt. ita S. Thomas, Gregorius, & frequentes alii. Sunt qui in *lumine* Deum intelligant, qui lux est mundi, & sol iustitiæ, & quid fieri liceat mentibus inspirat, neque id displicet, quando tam naturali, quam cœlesti lumini peccator aduersatur.

Nescierunt vias eius, nec reuersi sunt per semitas eius.] Illud *nescire* dicimur, quod non probamus, aut cui obedire negligimus. quomodo Pharao dixit, se Deum nescire: quia quid ab illo præceptum esset, non curabat. de quo dicendi modo diximus supra *vers. 1.* Hi itaque nescierunt aut mandata Dei inspirantis, aut vias, id est, vitæ genus, quod natura ipsa rationalis ostenderat, quia rectam illam viam nunquam suis calcauere vestigiis: neque cum ab illa prorsus aberrassent, per semitas ad illam adducere gradum reuocarunt. Hic autem obseruandum, inter viam & semitam aliquod esse discrimen: Est enim vna plerumque via, multæ vero semitæ; & varia diuerticula, quæ a via deflectunt, & viatores ignaros alio atque alio diuersos abducunt. Qui autem errasse se cognoscunt, repetitis vestigiis ad viam, a qua deflexerunt auii, per eandem semitam reuertuntur, quæ semita vocatur relictæ viæ. Sed illi scelerati, qui viam deseruerunt, per auiam semitam obstinato consilio cursum ex- 24. *Nescire dicimur id, quod reprobamus, nec amplectimur.*

ten-

pag. 311. b tendentes, nunquam de reuocando gressu cogitarunt.

25. Vers. 14. *Mane primo consurgit homicida, interficit egenum & pauperem.*] Nullum tempus tyrannus vacuum habet a scelere: diurnum enim miserorum cæde & sanguine funestat, nocturnum furtis. Ad cædes autem sic inhiat auide, vt huic negotio nihil putet esse præuertendum, atque ideo, vbi primum illuxit, surgit e lecto, vt quæ nocte meditatus fuerat homicidia, re ipsa peragat. Cum autem nox aduenerit furtis magis idonea, aliorum opibus insidias parat; neque minus turpiter rapinis & clandestinis latrociniis vacat, quam quiuis e fæce plebis & ignobili vulgo. Faciunt harpiæ istæ rapaces & nocturni prædones, quod vespertini lupi, qui nocte prodeunt e cubilibus, & abigunt lacerantque prædam, sub luce vero, quam habent inimicam, in sua se rursus lustra recipiunt. Vide quid nos de lupis vespertinis ad illud *Habac. I, 8. Velociores lupis vespertinis.* Quod autem *mane, matutinum, diluculum* magnam in re procuranda festinationem studiumque significent, res est certa, & a nobis variis in locis obseruata.

26. *Prædator & bonorum pauperum euersor homicidæ similis.*

Sunt qui putent, homicidium, cædem, & similia sumi hoc loco a Iobo metaphorice, neque sibi aliud velle, quam calumniam & furtum, quibus suis pauperes bonis spoliantur. Neque hic loquendi modus in Scriptura sacra infrequens est, quæ hanc vim & calumniam cædem vocat, & letale vulnus: *Ecclesiast. XXXIV, 25. Panis egentium vita pauperum est; qui defraudat illum, homo sanguinis est. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt:* ita hunc locum accipit Hieronymus, & de iniquis accipit iudicibus: *Qui ad hoc*, inquit, *maturius surgunt, vt causam egeni & pauperis muneribus corrupti præuaricentur. Noctem vero ideo dictam puto, quia præuaricatores negotiorum secretum quoddam, quasi tempus nocturnum requirunt, quando minus pro causis præuaricatis accipiunt.* Idem *ad hunc locum* Beda: & addit: *Quos pauperes iniqui iudices non aperte quidem interficiunt gladio; sed dum spoliant eos, & totum ei auferunt, vnde viuebant, atrocius eos quodammodo, & grauius occidunt.* Hanc explicationem Pineda non improbat.

27. *Nox furtis & adulteriis opportuna.*

Vers. 15. *Oculus adulteri obseruat caliginem, dicens: non me videbit oculus.*] Quemadmodum adulteri, qui alienis toris insidiantur, nocturnas captant tenebras, ne a quoquam deprehensi pœnas subeant a lege constitutas, quæ vbique pene gentium grauissimæ sunt, sic etiam fures, de quibus proxime, qui per noctem sua captant lucra, caliginem obseruant. Et sicut illi cubilibus insultant alienis, & pudorem flagitiose furantur coniugati corporis, sic isti in alienas irrumpunt fortunas, & pauperum domus suis spoliant ornamentis, qualiacunque fuerint; & necessaria auertunt vitæ subsidia. Hæc mihi explicatio expedita videtur & facilis, quia non videtur de furibus omissus, aut interruptus sermo, quia continenti filo statim subiungitur; *perfodit in tenebris domus.* quod opus non est tam adulteri, qui plerumque solus, aut exiguo stipatus comitatu venereum illud furtum aggreditur, quam latronis, qui socios secum affert, & eiusdem instituti manipulares, consortesque non paucos. Sed quando eo incumbit pag. 312. a frequens aliorum consensio, vt hic nouus de adulteris inducatur sermo, & non ab adultero sumatur comparatio, id quoque nos dicamus. Porro obseruare noctem ad Veneris furta, satis est notum, & a profanis millies repetitum.

Et operiet vultum suum.] Non satis habet 28.
adulter, aut qui in adultero adumbratus est, latro, vt putabamus verisimile, quod nocturna incedat tectus caligine, ne cui furtum siue Veneris, siue diuitiarum prodat, sed artificiali aliquo velamine faciem tegit. Quare aut pallio obuoluit faciem, aut laruatus ingreditur, quia non adeo cum humanitate & religione pudorem abiecit, vt velit suam omnibus intemperantiam prodi: aut certe quia suis consiliis non arbitratur opportunum, si fur existimetur, aut alieni thalami temerator impurus. Et hunc puto viris, qui iam a se longe humanitatem & pudorem profligarunt, grauiorem esse causam obnubendæ faciei, aut assumendæ laruæ, quam honoris studium, aut religionis curam.

Vers.

29. Verſ. 16. *Perfodit in tenebris domus, ſicut in die condixerant ſibi: & ignorauerunt lucem.*] Hæc ego, vt dixi, libentius de latronibus quam de adulteris caperem: quia hoc latrones ſæpe faciunt, adulteri non niſi perquam raro. Aliis enim machinis ad alienum torum aditum aperiunt, nempe donis & pecuniis, quibus nihil eſt clauſum, nihil tam firmum, quod non expugnetur. Hæc adulterorum ſunt arma, multo illis potentiora, quibus perforantur muri, aut confringuntur portæ: latrones vero id faciunt commodius, quia multi ſimul ad illud nocturnum opus ſocietatem coeunt. Sane illis hoc eſſe frequenter vſitatum, Chriſtus ipſe docuit, *Lucæ XII, 39. Si ſciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non ſineret perfodi domum ſuam*, nempe a latronibus. Hi igitur latrones die ſpeculantur, & vnde petenda ſit præda, diligenter inquirunt, quo artificio ac tempore cogitata perficiant ſtatuunt, & rem aggrediuntur nocte, defenſi tenebris, & dono noctis opacæ. Si de adulteris intelligas, quod plerique faciunt, condicunt, nempe adulter & fœmina, quæ iam ſtatuerat prodere coniugalem fidem & thalamum, quem caſtum ſeruare voluit, adultero, & coniugi facere communem: aut adulter & ſocii, quos ſui ſceleris conſcios eſſe atque adiutores voluit, quo tempore res eſſet tentanda, & expugnandus, aut opprimendus coniugatæ fœminæ intra domeſtica clauſtra cuſtoditus pudor.

30. *Et ignorauerunt lucem.*] Hic dicendi modus aliquid infauſtum & odioſum ſignificat; ſic pater ignorare ſe dicit filium eum, a cuius ſtudio habet alienum animum, & quem libenter expellit domo, nec habere vellet ſuorum bonorum legitimum hæredem: & nos illum, a quo nullum accepimus beneficium, licet contubernalem habuerimus & longo conuictu familiarem, nobis ignotum eſſe dicimus. Sic ſane viri religioſi, quia a carne & ſanguine nihil ſperant boni, aut vnquam accepiſſe ſe meminere, ignorare ſe dicunt parentes ſuos; quorum typus fuit Leui, qui præcipua quadam religione ſe conſecrauit Deo; De quo Moyſes *Deuter. XXXIII, 9. Qui dixit patri ſuo, & matri ſuæ, neſcio vos: & fratribus ſuis, ignoro vos: & neſcierunt filios ſuos.* Sic puto hos ſiue latrones, ſiue adulteros, ignoraſſe lucem, quia illam ſuis conſiliis, non æque ac tenebras, idoneam eſſe putant. pag. 312. b.

Verſ. 17. *Si ſubito apparuerit aurora, arbitrantur vmbram mortis.*] Quia hi in nocte res ſuas agunt multo commodius, quæ vt indignæ ſunt luce, ſic etiam lucem habent minus fauentem, cum abeunte nocte lucifer matutinus affulſerit, illum execrantur, neque minus horrent, quam mortis horribile ſimulacrum. Quare vt alii, qui luce non indigna faciunt, lucem amant, & in luce ambulant, quia quid hominum oculis ſubducere debeant, nihil habent: ſic alii, quia honeſte nihil faciunt, neque placere poſſunt hominum oculis, in nocte diſcurrunt, & magnum eſſe putant beneficium, ſi longa fuerit & obſcura nox. Eodem ſenſu, quo veſpertini lupi, qui ex longioribus denſioribusque tenebris maiora ſibi captant compendia, hyemales noctes, quæ longæ ſunt & quæſtuoſæ, magis amant. 31.

Verſ. 18. *Leuis eſt ſuper faciem aquæ.*] Hic locus varias admittit expoſitiones, quarum adducam illas tantum, quæ minus a textu rerumque natura abhorrere videntur. Quidam notari hic arbitrantur peccatoris ingenium, quod nunquam quieſcit, ſed ex alia in aliam cupiditatem abripitur, perinde atque aqua ſumma, quæ facies dicitur aquæ, a quocunque vento, ſiue ab auſtrali, ſiue ab aquilonari plaga aſpiret, incredibili æſtu in alias atque alias partes impellitur. Sic ergo cum impius, quique ſuis cupiditatibus impenſe ſtudet, quæ innumeræ ſunt, in ſeipſo habeat, vt de Æolia rupe fabulantur Poëtæ, ventorum conceptacula, fieri non poteſt, quin turbetur aſſidue, & continuis agitetur fluctibus. Quod dixit Iſaias *cap. LVII, 20. Impii autem quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum.* vide quid nos *ad hunc locum.* 32.

In improborum animis perpetui motus & fluctus.

Neque raro contingit, vt in ſceleratorum animis varii excitentur, & ſibi viciſſim contrarii motus, qui conturbent & exagitent miſeros, in parteſque rapiant varias. Quemadmodum eodem tempore perflare ſolent contrarii venti, qui dum in contrarias partes fluctus impellunt, & incitato vortice circumagunt & rotant, horribiles excitant tempeſta- 33.

 tes,

tes. Id vero accidere frequenter, docent typhones, seu marini turbines, & ex illis quotidiana naufragia, vt tradit Aristoteles *lib. 2. Meteor. cap. 6.* quod ex eo, quod erat notum omnibus, sumpsit Maro *lib. 1. Æneid.* cum horribilem tempestatem describeret:

---Venti velut agmine facto
Qua data porta ruunt, & terras turbine perflant.
Incubuere mari, totumque a sedibus imis.
Vna Eurusque, Notusque ruunt, creberque procellis
Africus, & vastos voluunt ad littora fluctus.

34. *In improborum animis contrarii motus.* Magna sane tempestas est, quæ a ventis aduersa fronte pugnantibus commouetur in mari; sed longe maior atque frequentior est illa, qua contrarii motus hominum animos assidue conturbant, discerpunt, & lacerant. Est sane incredibile, quale subeat tormentum, qui ad gloriam aspirat, quemque varie versat ambitionis æstus, si alias etiam auaritiæ exagitatus œstro pecunias quærat, illis indormiat atque incubet, & tanquam aliquid sacrum supplex adoret; neque habeat quicquam, quod magis veneretur aut amet, quas largiter impendant necesse est; qui occupantur honores, & illos deinde conseruare student. Dixit hoc acute Horatius, quod de auaro dicebamus, quem totum absorbet pecuniarum amor, & quædam quasi religio tenet adoratorem & supplicem: sic autem ille *lib. 1. Satyr.*

pag. 313. a

—Congestis vndique saccis
Indormis inhians, & tanquam parcere sacris
Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.

Sed multo melius ac breuius Paulus *ad Ephes. V, 5.* auarum appellauit idololatram. Quod si hic auarus etiam sit delicatus & mollis, laborem horreat, & periculum timeat, neque tamen sine periculo atque labore parare possit, aut conseruare pecuniam, cum huc trahat secura quies & languida mollities, illuc distrahat pecuniarum violenta cupiditas, necesse est talia patiatur, qualia is, quem catastæ contraria pondera distorquent. Hæc pro priori sententia, quæ sane neque aliena videtur, neque leuis.

35. Alia explicatio est S. Thomæ, quæ docet sic ardere aut adulterum explendæ libidinis desiderio, aut auarum studio conquirendæ pecuniæ, vt si modo speret obtineri posse quod optat, nihil putat esse difficile, etiam si per summam aquam sine nauigio, frementi & omnia minanti vento, marinus cursus instituendus sit.

Mitto expositiones alias, quæ non longe abeunt a præcedentibus, & illam magis probo, quæ in auaris, seu adulteris singularem in agendo velocitatem agnoscit; nam cum furtum illud siue Veneris, siue diuitiarum commode in luce fieri non possit, curant diligenter, vt prius quam excedant tenebræ, totum absoluatur, atque ideo in opere faciundo discursant, volant, & tam leuiter in terra figunt pedem, vt etiam super aquas videantur incedere potuisse. Hanc explicationem indicat Symmachi translatio, quæ sic habet, ἐπιπλέων ὕδατι, id est, *supernatans aquæ.* Explicant autem Latini velocitatem summam hoc aut simili dicendi modo, quo significent, quæ mollia sunt, aut veloci pede sine vlla offensione calcari, aut certe sic a currentibus attingi leuiter, vt nulla remaneant in puluere calcato vestigia. Sic nos explicabamus illud *Daniel. IIX, 5. Hircus caprarum veniebat ab occidente super faciem totius terræ, & non tangebat terram.* & illud *Isaiæ XLI, 3. Semita in pedibus eius non apparebit.* Quod etiam sæpe dixerunt profani. Virgil. *lib. 7. de Camilla:* 36. *Summa celeritatis explicatio.*

Illa vel intactæ segetis per summa volarat
Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas.
Vel mare per medium fluctu suspensa tumenti
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.

Similia habet Claudianus *in consulatu Honorii panegyri 3.*

Nobis Ionia virides Neptunus in alga
Pascit equos, qui summa freti per cærula possent
Ferre viam, segetemque leui percurrere motu,
Nesciat vt spumas, nec proterat vngula culmos.

Hic vides, quomodo tam Camilla, quam equi dicantur ambulare posse super aquas, id est, leues esse super faciem aquæ, cum incitato feruntur cursu. Hispanus certe cum velocem hominem aut equum significare vult, hoc

hoc dicendi modo vtitur: *No asienta el pie en el suelo.*

37. *Maledicta sit pars eius in terra.*] Non precatur huiusmodi hominibus Iobus aliquid mali, sed prædicit, quid illis euenturum sit; pag.313.b quod sæpe in hac dicendi forma, quæ speciem habet imprecationis, obseruamus. Imo quod mihi videtur expeditum magis, ostendit, qua digni sint pœna, qui tam impurum, sordidum atque crudele instituerunt viuendi genus. Quam quia homines scelerati in hoc mortali statu non subeunt, consequens est, vt aliquid aut grauius, aut æquale in posteriori sæculo sustineant. Qua in re Iobus diuinam fatetur prouidentiam, quæ hominum culpas impunitas abire non sinit, & probat non solum in hac mortali vita puniri peccatores.

38. *Maledicta terra* dicitur, quæ nihil hominum vsibus parit opportunum, quæ sæpius subacta & complexa semen, spem tamen eludit agricolæ, & pro frumento tantum germinat aculeatas aut fœtentes herbas. Quales protulit terra post Adæ peccatum a Domino maledicta, & quales sibi precatur Iobus *cap. XXXI, 40. Pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo spina.*

39. *Nec ambulet per viam vinearum.*] Vinearum via grata est, quia arboribus hinc inde septa, & floribus, aut herbis, siue ab arte, siue a natura vestita, quæ suaue aliquid exhalant, & gratam speciem oculis obiiciunt. In *vineis* autem hortos etiam intelligo arboribus consitos omnium generum. כרם *cerem* enim, vt pluribus ostendimus ad *cap. I. Canticorum*, latius patet, quam vineæ nomen apud Latinos. Porro hæ vineæ seu horti non procul absunt a ciuitate, ad quos laxandi animi gratia diuertunt, quibus contigit fortuna felicior; dum autem hac amœnitate atque commoditate indignos Iobus peccatores affirmat, illos procul abigit a ciuitate, ad syluas & deserta loca, quasi fugitiuos & extorres, quibus non est tuta in ciuitatibus commoratio. Aut quia ferre non possunt suorum ciuium inuidiam: aut quia illos legitima censura publica luce iudicauit indignos. Aut certe, quia in terra maledicta senescunt plantæ, & arescunt herbæ, neque aliud est, quod exhilaret animos: aut cuius gratia velint per vinearum semitas ambulare. Hoc indicat Septuaginta translatio: *Appareant*, inquit, *plantæ eorum super terram aridæ.* Quæ sic exposuit auctor Catenæ: *Quandoquidem alienos agros demessuerunt, atque illorum vineas alii nulla accepta mercede excoluerunt, ne suis ipsi potiantur bonis: verum illorum segetes, ac plantæ priuatæ fructu penitus exarescant.* Hæc porro maledictio est *Deut. XXIIX, 39 Vineam plantabis, & fodies, & vinum non bibes, neque colliges ex eo quicquam.* Hoc accidit Nabuchodonosori *Dan. IV, 30.* qui excedens ab vrbe, hominumque congressu, in montibus sylvestrem egit vitam, eamque ferino victu & cultu propagauit.

Vers. 19. *Ad nimium calorem transeat ab aquis niuium.*] Hinc multi existimant, in inferno feruentissimum esse calorem, & frigus immane, & ex stagno ignis, ad stagnum niuis, & ab hoc rursus ad illud perpetua quadam vicissitudine transferri. Ita Hieronymus & Beda videntur sentire ad hunc locum Iobi, qui duas gehennas statuunt in damnatorum carcere, alteram ignis, alteram frigoris. Sed dicit hoc aperte Hieronymus *super Matthæum cap. X, 28.* ad illud: *Qui potest animam & corpus perdere in gehennam: duplicem*, inquit, *esse gehennam, nimii ignis & frigoris, in Iob plenissime legimus.* Neque negat Augustinus *lib de triplici habitaculo*, si tamen opus illud Augustini est, & non potius ab alio Augustino suppositum. *Principalia*, inquit, *duo sunt tormenta in inferno, frigus intolerabile, ignis inextinguibilis.* Neque ab hac sententia alienus est S. Thomas *in hunc locum.* Sed recentiorum plerique contrariam sententiam tenent, negantque, in inferno frigus esse, quo damnatorum torqueantur, & nunc animæ, & post finale iudicium excitata corpora. 40.

Gehenna a quibusdam æstimata duplex.

pag. 314. a

Quid in hac controuersia dicendum sit, nihil definio: vtrumque magnum est ab auctoritate pondus, & rationum momenta non leuia. Illud tantum dico, ex hoc loco hanc caloris & frigoris vicissitudinem aperte non colligi. Quod vt magis constet, repetendum est id, quod nuper dicebamus, proponi in hoc capite supplicium, quod accommodate impiorum peccatis imponendum fuit. Quare quia in alienas messes falcem misere, & alie- 41.

Ex libro Iobi non colligitur esse in inferno frigus.

alienos agros per vim & fraudem sibi vendicarunt, digni videbantur, qui ex suis agris nullum referrent fructum, sed terra a Domino maledicta, pro frumento & hordeo tribulos germinaret & spinas. Cum ergo auari illi atque tyranni homines pauperes, quorum nulla erat repugnandi facultas, expulissent domo, & in desertis locis subire cogerent sub aperto cœlo temporum iniurias, quales sunt æstus sub ætatem, & sub hiemem frigus, atque nocturnum rorem; sic enim explicabamus illud v. 8. *Nudos dimittunt homines indumenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore. Quos imbres montium rigant, & non habentes velamen amplexantur lapides.* Sic ergo isti magno suo merito, expelli possent domo, & amandari in montes, vbi vitam agerent ferinæ similem, & omnem subirent cœlorum ac temporum inclementiam, æstum videlicet & frigus, a quibus grauia patiuntur incommoda, qui in syluis agunt locisque desertis. Hoc de se fatebatur Iacob *Genes. XXXI, 40.* cum greges pascebat soceri Laban: *Diu noctuque æstu vrebar, & gelu,* quare a calore nimio traducebatur ad frigus, & a frigore rursus redibat ad calorem.

42. *In frigore & calore dolorum perpetua successio significata.*

Porro hoc dicendi genere labor significatur & dolor nunquam intermissus, quia finis alterius mali gradus est futuri, & labor labori perpetua vicissitudine succedit: sicut calor frigori, & frigus contra calori. Ducitur autem similitudo, vt putant *hoc loco* Hieronymus, Beda, & Philippus, ab his, qui febri laborant, qui modo frigore rigent, modo calore vehementer æstuant, neque si grauior sit febris, vllus datur quieti aut cessationi locus. Audi Hieronymum, & in eo alios: *Similitudinem quandam ex nostris corporibus possumus inuenire, in quibus rufi abundantia, quod est calidissimum in typicis motibus, intolerabilis rigor præcedit ignem febrium ardentissimum secuturum. Et dicuntur a medicis hæc duo, quæ sibi contraria dignoscuntur, ex vna fellis materia in homine procreari.* Hæc, opinor, Iobus præter alia vicissitudinis incommoda in seipso tamdiu expertus est, quamdiu concessa est in ipsum Satanæ a Domino facultas, id est, donec sanatus est a Deo, & pristinæ gloriæ & dignitati restitutus.

Et vsque ad inferos peccatum illius.] *Peccatum* hic, sicut frequenter alibi, pro peccati supplicio sumit: & *inferos* pro sepultura & morte; neque alium sensum esse puto, quam dignos esse illos, qui supra dicuntur amare tenebras, & aliorum bonis, siue coniugali toro insidias moliri, qui exules errent, & vagi in syluis ferino more: vbi perpetua successione subeant ætatis & hyemis familiare pondus, & hoc vsque ad mortem, quando illi quoque miseros & egenos ad mortem vsque insectantur hostiliter. Tam longe tamen absunt, vt illorum multi in hac vita talibus afficiantur incommodis, vt potius abundent opibus, fruantur deliciis, & illud ad extremum genus mortis inueniant, quod viri etiam prudentes fortunatum putant & optabile; inopinatum videlicet, & breue, in quo nulla præcedat mortis expectatio, neque doloris sensus, quale supra descripsit, *cap. XXI, 13. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* vbi *inferna* sepulturam esse diximus, vide quæ nos ad illum locum. 43.

pag 314. b

Vers. 20. *Obliuiscatur eius misericordia.*] 44.
Dignus hic est, cuius neminem misereat, qui tam immisericorditer vexauit innocentes. Quod illi, qui ægro est animo, & qui rebus ad viram necessariis indiget, grauissimum est. Quod docuit Christus, in cuius persona loquebatur Dauid *Psalm. LXIIX, 21.* cum dicebat: *Sustinui qui simul contristaretur, & non fuit: consolantem me quæsiui, & non inueni.* In diris autem execrationibus *in Ibin*, non postremo loco posuit Ouidius, aliquem esse miserum, neque vlli tamen esse miserabilem:

Sisque miser semper, nec sis miserabilis vlli,
Gaudeat aduersis fœmina, virque tuis.
Accedat lacrymis odium, dignusque puteris,
Vt mala cum tuleris plurima, plura feras.

Hoc ipse quoque expertus est Iobus, qui consolatorem habuit neminem, vt multis indicat locis, & qui consolationis specie aut gratia venerant, quibuscum tamdiu, tamque laboriose disceptat, sic sunt in diuersa mutati, vt illum non minus quam alii crudeliter exagitent. *Misericordia* pro *misericorde* ponitur hoc sensu, nullus eum misericors miseratione prosequatur.

Dulcedo illius vermes.] Pro ferculis & poculis, 45.

culis, quibus assidue, intemperanter, & impudenter indulget, succedere debuerunt tabes & vermes, non qui alant ignauum delicatumque corpusculum, sed qui illud exedant & atrenuent, denique cum graui dolore fœtoreque consumant.

46. *Non sit in recordatione, sed conteratur quasi lignum infructuosum.*] Sicut nemo recordatur syluestris atque infructuosi ligni, vt illud excolat, riget, addatque topiario more venustatem & speciem, sed sinit in montibus vasta mole deformique syluescere; neque recordatur illius, nisi cum ad instruendum focum putat necessarium, & tunc illud succidit & conterit: sic illius hominis, qui instar infrugiferæ arboris, aut syluestris feræ in syluis agit, recordari debuisset nemo, nisi vt illum stirpitus excideret, quasi aptam igni materiam, aut vt alios pasceret, quasi feram venabulo conficeret.

47. Vers. 21. *Pauit enim sterilem, & quæ non parit: & viduæ non bene fecit.*] Variæ sunt *hoc loco* Interpretum sententiæ, quas enumerare non est necesse. Quidam ab adultero, eodemque tyranno, sustentatam esse dicunt sterilem, id est meretricem, quam sterilem reddunt multorum amatorum permixti concubitus, & confusum genitale semen. Plutarchus *lib. 5 de placitis Philosophorum c. 9.* varias adducit causas, cur adulteræ ac meretrices steriles sint. Et addo ego, ideo spoliatas esse viduas, & eo adductas esse necessitatis, vt neque in sumptus habeant ad cibos, neque ad corporum integumenta: vt haberent scorta, quo vescerentur laute, & ornarentur splendide. Ad hunc sensum accommodate non nemo illud proximum *Dulcedo illius vermes*, interpretabatur, oblectatio illius cum scortis, quæ nihil sunt aliud, quam putredo & vermes. S. Thomas de illo hæc accipit, qui bona sua in sumptus inutiles expendit, ad similitudinem eius, qui vxorem sterilem inutiliter nutrit.

pag. 315. a

48. Ego aliter hunc locum accipio, & quod alii quoque sentiunt, noua auarorum, adulterorumque peccata hic videre videor, non noua supplicia. Confregit enim hic, de quo quærebat præses, non solum infirmorum vires, quibus nulla est, neque propria, neque a cognatis & domesticis ad resistendum accommodata facultas; neque exhorruit potentes, in quos etiam suam armauit audaciam, & lacertos infregit. Priorem partem explicuit Iobus, cum, *pauit sterilem*, vbi Vulgatus *pauit*, Hebr. est. רעה Quæ vox tam significat pastoris opus, qui regit & moderatur gregem, recreatque pabulo, quam greges ipsius, qui herbam comedit; quod opus per *tondeo* & *carpo* explicant Poëtæ. Sic sane profani sæpe. Virgil. *Eclog. 3.*

Tityre pascentes a flumine reiice capellas.

Et *Ecloga 4.*

Sponte sua sandix pascentes vestiet agnos.

Et clarius Ouidius *lib. 2. Fastorum:*

Pauit ouis pratum, verbenas improba carpsit.

Neque minus frequenter sacri *Psalm. XLIIX, 15. Mors depascet eos. Marc. V, 11. Erat ibi circa montem grex porcorum magnus pascens. Lucæ IIX, 32. Erat ibi grex porcorum multorum pascentium in monte.* Quare cum impius dicitur pauisse sterilem illam, dicitur deglubisse, dilacerasse, comedisse. Hunc sensum indicat Septuaginta translatio, quæ sic reddit: *Sterili non benefecit, & muliercula non est misertus.* Sterilem Augustinus *Annot. in Iob* ad hunc locum, illam esse dicit, quæ sine consolatione filiorum est; Auctor Catenæ: *Sterilis quidem, quia cum non susceperit liberos, omni est nudata auxilio: mulierculæ autem, quia ob naturæ imbecillitatem indiget opis. Nam fœminæ infirma est, & despecta conditio.* Ego illam etiam sterilem appellari arbitror, quæ licet filios habeat, eiusmodi tamen sunt, vt nullam ex illis commoditatem capiat, veluti si filii pusilli fuerint, si infirmi, si ita in parentes animati, vt neque illos respiciant ac curent, neque aliter accipiant, quam alienos. Sic apud Isaiam Tyrus *cap. XXIII, 4.* cum multas genuisset filias, id est, colonias, quæ ex ipsa prodierant, tamen quia illæ nullam tulerunt opem, cum obsideretur a Chaldæis, negat se filios suscepisse. *Non parturiui*, inquit, *& non peperi, & non enutriui iuuenes, nec ad incrementum perduxi virgines.*

Et viduæ bene non fecit.] Liptote videtur, 49.
quæ mitiori vocabulo rem significat grauiorem. Vt enim eam, quæ proxime appellatur sterilis, deuorarat impius ille, de quo in præsentia sermo: sic etiam viduam, quæ neque plus habet ad repugnandum virium, ne-

que minus est exposita tyrannorum prædæ. Quare non solum viduæ non est misertus, sed etiam illam spoliauit, & tractauit hostiliter.

50. Vers. 22. *Detraxit fortes in fortitudine sua.*] Non solum infirmum & solitarium fœminarum genus aggressus est, sed etiam qua erat audacia atque potentia, potens atque
pag.315. b robustum: neque a suo cessauit obstinato consilio, donec illum a suo statu & honesta conditione deiecit.

51. *Et cum steterit, non credit vitæ suæ.*] Qui tyrannus est, & multorum in se conflauit inuidiam, licet omnia illi succedant ex voto, non tamen metu vacat: qui nocentes perpetuo consectatur, & cum infensos sibi plurimos habeat, in quocunque loco paratas sibi suspicatur insidias. Atque ideo instimulante scelerum conscientia, suæ vitæ perpetuo timet, quam multorum telis magno suo merito videt esse propositam. Quomodo mala conscientia exagitet impios, diximus supra *c. X. ad vers. 20.* inde huc aduoca. Porro *stare* significat ex Latinorum vsu, priores partes tenere, & in quocunque certamine esse superiorem. Quemadmodum *iacere*, aut fortunæ aduersæ, aut virtuti maiori succubuisse.

52. Vers. 23. *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in superbiam.*] Timidos facit tyrannos & impios scelerum conscientia, vt pluribus diximus *cap. X.* proxime citato, & multo magis, cum multi sunt offensi, quorum maxime interest, tyrannum extingui. Atque ideo cum tyrannus quotidie mortem expectet, distulit illam Deus, vt pœnitentiam agat, & de meliori fruge cogitet: ille tamen Dei patientia temerarius abutitur, neque spiritus abiicit inflatos & crudeles, sed seipso quotidie fit superbus magis, & in aliorum caput inclementior. Quo vero Dei in illum patientia maior, & clementia benignior, eo ipsius ferenda minus obstinata durities, & maiori suppliciorum acerbitate plectenda.

53. *Oculi autem eius sunt in viis illius.*] Existimare posset infidelis aliquis, in Deo non esse prouidentiam, cum tamdiu patiatur peccatorem viuere cum offensione publica, & instimulatum a conscientia, cuius Deus acuit & infigit aculeos, nihil remittat de studio atque ardore congregandæ pecuniæ: aut de libidine, qua in alienum torum impotenter prurit, aut de crudelitate, qua innocentes exagitat. Hæc itaque cum nullo modo videantur esse toleranda, suspicari posset aliquis, a Deo talia aut non videri, cum fiunt, aut non curari. Et ideo affirmat diuinos oculos latere nihil, contra quam ipsi obiiciebatur ab amicis, quasi non obseruaret Deum cernentem omnia, & ideo auderet quiduis contra pietatem & legum sanctitatem moliri. Sic autem Eliphaz *c. XXII, 13.* ad Iobum: *Et dicis, quid enim novit Deus? & quasi per caliginem iudicat.* Significat ergo Iobus his verbis, ex impiorum in hoc mortali statu impunitate non continuo fieri, vt Deus res humanas ignoret, aut illarum prouidentiam abiecerit, & accommodate ad hæc statim subiicit.

Vers. 24. *Eleuati sunt ad modicum, & non subsistent.*] Diuinis oculis omnia sic esse subiecta, vt nihil illorum aciem effugiat, professus fuerat modo verbis minime obscuris, nunc divinam prouidentiam agnoscit Iobus, quæ hominum culpas impunitas esse non sinit. Nam si modico tempore florere videantur, & dominari inter alios, quos, aut bonis exuunt, aut pro suo arbitratu bacchantur impune, & quodcumque libuerit, id sibi licere existiment, id tamen illis proprium esse non potest atque perpetuum. mors enim cum aduenerit, illam obscurauit maiestatem & gloriam, & sic mortalium vitam, sic etiam opes & ornamenta, eodem temporis articulo consumet. Hæc est communis & nota conditio eorum omnium, quæ e terra sunt, & terram spectant, ne vltra mortem aliquid intueantur. Et sicut equi velocitas, leonis fortitudo, arborum viriditas, & species eorum, deficiente vita, omnino deficiunt: sic ista omnia, quibus se homines isti inclementes & molles oblectant & exornant, illorum deficiente spiritu deficient. 54. *Momentanea superborum felicitas.* pag. 316. a

Et sicut summitates spicarum contererentur.] 55.
Sumitates spicarum aristæ sunt, fragiles nempe, & quæ, vbi aruerunt, leui attactu sic comminuuntur, vt in tenuem puluisculum abeant: neque relinquant vllum sui loci figuræque vestigium. Sunt quidem illæ erectæ, quasi stent incolumes & inuictæ, & sursum attollantur in cœlum. Sunt in spicarum vertice

tice quasi murorum pinnæ, quæ & ipsæ fortes sunt, & quædam non solum ornamenta, sed etiam propugnacula ciuitatum. Sane Cicero spicam contra auium minorum morsum, aristarum vallo muniri dixit. Hæ autem tam erectæ, tamque sublimes, contra vim omnem minus habent firmitatis, quam res omnes, quas producit atque sustentat spicarum culmus. Dixit hoc idem quod Iobus, multis post sæculis Dauid *Psalm. XXXVI, 20. Inimici vero Domini mox, vt honorificati fuerint & exaltati: deficientes quemadmodum fumus deficient.*

56. Septuaginta aliter vertunt in eandem quidem sententiam, diuersa tamen similitudine. Pro eo enim, quod Vulgatus posuit: *Auferentur, & sicut summitates spicarum conterentur,* LXX. legunt: *Marcuit autem sicut malua in ardore, & sicut spica a calamo sponte decidens.* Quæ similitudines momentaneam esse ostendunt superborum hominum gloriam. Malva autem pro quauis herba ponitur, & in aliquibus codicibus, vt dicit auctor Catenæ, herba reperitur, quæ mane viriditatem ostentat ridentem & gratam, vbi autem incaluit dies, marcescit & sibi ipsi dissimillima redditur. Hoc idem in fœno & flore significauit Isaias *cap. XL, 6.* De spica e calamo demessa siue a falce, siue ab æstu, aut vento, dicit auctor Catenæ: *Contabescit spica, cum a ferente & sustinente eam culmo fuerit excussa, neque ex eo humorem amplius, adipemque, quibus nutriebatur, haurire potuerit.*

57. Eandem hominum superborum inconstantiam expresserunt paulo ante iidem Septuaginta alia similitudine. Nam vbi Vulgatus nuper legit *v. 19. Ad nimium calorem transeat*
pag. 316. b *ab aquis niuium;* ipsi reddiderunt: *Sicut nebula roris factus est non apparens.* Chaldæus autem: *Siccitas & calor rapuerunt etiam aquas niuis.* Quod communiter sic explicant Interpretes, tam facile consumendos impios, qui in sua sibi felicitate placent, quam cito nix soluitur ab æstu vehementi.

58. Explicatio illa, quam adduxi, communis est, &, vt arbitror, vera, quæ dicit impiorum felicitatem futuram non diuturnam. Sed fortasse hic aliquid admixtum est ironiæ, quasi dicat Iobus, tres illos viros errare vehementer, cum dixerint momento temporis impiorum vanescere felicitatem & gloriam. Sic sane dixit Eliphaz *cap. XV.* Sophar *cap. XX.* Baldad *cap. IIX.* Cum ergo Iobus probasset hoc capite, impios pro sua libidine grassari, neque ab illorum cupiditate quicquam esse liberum, qui tamen ad finem vsque vitæ nihil patiuntur aduersi: quod ipsum docet familiaris experientia: concludit tandem, dicitque ironice, *eleuati sunt ad modicum, & non subsistent.* Quasi dicat: *I nunc, & dicito illorum felicitatem esse momentaneam.* Quod idem est ac si dicat: ergo erratis, affirmando toties, momento temporis impiorum gloriam felicitatemque vanescere.

Vers. 25. *Quod si non est ita, quis me potest arguere esse mentitum?*] Dixerat supra Iobus 59.
a versu 18. dignum esse auarum & adulterum, qui talia patiatur, qualia ibidem ipse late persequitur, quæ negare potest nemo, quia id docet ipsa rerum natura. Cum autem talia non patiantur omnes, quorum vita multis est sceleribus delibuta, constat plane, neque errasse Iobum, cum dixit, non solum impios in hoc mortali statu, cum mala seu dura fortuna conflictari, sed etiam bonos & malos non semper affligi in hoc sæculo, quia illorum supplicium sic differtur in aliud tempus, vt tamen non auferatur omnino. Neque tres amicos vere fuisse locutos, qui omnino affirmauere contraria. Ait igitur, si ita est, si non impii statim suorum scelerum pœnas luunt, neque illi solum in hac vita vexantur, quis me ideo mendacem accusabit, qui illa affirmo, quæ nemini sunt ignota, aut ignarum ostendet, aut impietatis reum esse dicet, cum illa dico, quæ ipsa me experientia quotidiana docuit; qui neque res humanas diuinis oculis submotas esse dico, neque ab illis abesse diuinam prouidentiam? Illud porro *ponere verba contra Deum,* idem valet, atque statuere, aut iudicare, illis verbis diuinæ fidei, aut cognitioni, aut etiam potentiæ aliquid esse detractum.

ARGV-

ARGVMENTVM CAP. XXV.

Nihil hic nouum adducit Baldad, sed tantum iterat, quæ ab aliis sæpe, imo & a seipso prius fuerant obiecta; ait enim, potentem esse Deum atque terribilem, & vsque adeo iustum, & ab omni scelere & concretione purum, vt quæ iusta sunt & pura, nihil habere iustitiæ, nihil puritatis iudicari possint. Vnde tandem efficit, hominem a Deo toto cœlo distare.

CAPVT XXV.

1. Respondens autem Baldad Suhites, dixit;

2. Potestas & terror apud eum est, qui facit concordiam in sublimibus suis.

3. Numquid est numerus militum eius? & super quem non surget lumen illius?

4. Numquid iustificari potest homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere?

5. Ecce luna etiam non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu eius.

6. Quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis?

PARAPHRASIS.

1. 2. Ad hæc Baldad Suites; Deus, de quo, o Iobe, non satis videris religiose ac pie fuisse locutus, terribilis est, atque adeo potens, vt quæ in cœlo aëreaque plaga natura dissentiunt, eadem ad admirabiles suorum consiliorum effectus componat & societ.

3. Innumerabilis sunt diuinorum consiliorum administri, quorum in sua militia, manibus, & industria ad maximarum rerum momenta, sontesque plectendos vtitur Deus. Neque quicquam, est diuinis oculis clausum aut occultum. Quare peccatum nullum impunitum dimittet.

4. Qui vsque adeo iustus est, vt homo cum ipso comparatus, quantumcumque videatur iustitiæ studiosus & cultor, videri possit iniustus; vsque adeo mundus, vt natus homo de muliere nulla ratione cum illo debeat comparari.

5. Illius tantus est splendor, tanta mundities, vt luna cum eo composita, iudicetur obscura, & cœlestia sidera prorsus immunda.

6. Quanto magis homo, qui ab humano, id est, terreno semine traxit originem, qui nihil aliud est, quam putredo & sanies, nihil est aliud, quam tabes & vermis?

Vers. 2. *Potestas & terror apud eum est, qui facit concordiam in sublimibus suis.*]

pag. 317. a 1. In hoc capite, quod extremum continet colloquium trium amicorum, id agit Baldad, vt in Deo summam esse potestatem ostendat, quique omnibus terrori esse debeat, cum possit & soleat peccata punire, & quæ minus natura ipsa cohærent conciliare, & in suo ordine continere pacifice. Videtur autem Baldad eo consilio adductus, vt de Dei potentia ac maiestate disputaret, quia Iobus dixerat, sceleratos ad finem vsque vitæ impune bacchari, & non solum in hominum fortunas, sed etiam coniugalem thalamum violenter irrumpere. Quod ille sic interpretabatur, quasi Iobus sentiret, in Deo non esse facultatem, vt posset, aut æquitatem & prouidentiam, vt vellet impiorum audaciam comprimere, & ab illorum iniuriis miserorum fortunas & pudorem tueri. Quare illum nititur ab errore reuocare, in quo illum esse male suspicabatur, & interim in metum pertrahit, ne sibi infensum reddat Deum, qui terribilis est, & potest facile perdere,

dere, quem ſuo nomini ac maieſtati aduerſari viderit.

2. *Dei potentia oſtenditur in rerum diuerſarum & contrariarum concordia.*

Poteſtatem porro illi ſummam eſſe, ex eo probat, quia facit concordiam in ſublimibus ſuis. Quæ ſint iſta ſublimia, obſcurum eſt. Quidam cœlos intelligunt, qui cum varios habent inter ſe, imo & contrarios motus, quorum alii tardiſſime, alii velociſſime ſuos verſant atque conficiunt orbes, & cum vario ſe nutu in alias atque alias cœli plagas contorqueant, eſt tamen inter illos incredibilis concordia atque concentus: quod ſane niſi ab
pag. 317. b
omnipotenti manu fieri non poſſet. Alii angelos putant, inter quos, licet varii ſint ordines, neque natura eadem, ſiue ſpecies, ita tamen ſtudiis moribusque conſentiunt, vt idem ſapiant & velint, & illam ſummam ſibi libertatem eſſe putent, ſi a diuina voluntate nunquam recedant. Alii denique meteoras impreſſiones intelligunt: id eſt, illa, quæ in aërea regione concreſcunt, & ex ea vibrantur, qualia ſunt fulmina, venti, nubes, & alia, quæ cum fremere cœperunt, & aduerſis inter ſe frontibus concurrere, omnia videntur eſſe turbanda. Quæ tamen omnia ſedat Deus & mira conſenſione concordat. Quod de ſuo Ioue prædicabat deluſa gentilitas, a quo dicebat frænari ventos, diſcuti nubes, & quæ motus terris & exitium minabantur, momento temporis, leui tantum capitis inclinatione componi; De ſuo ſane Ioue cecinit Maro *lib. 1. Æneid.*

Vultu, quo cœlum, tempeſtatesque ſerenat.

Et ante illum Homerus *lib. 17. Iliad.* Omnes iſtæ cogitationes optimæ ſunt, & ad literam inſtitutumque conſentaneæ. Tu elige quam velis, niſi malis omnes ſimul in eadem explicatione coniungere.

3. Ego eo magis inclino in poſteriorem hanc explicationem, quia hominibus, maxime his, qui non ſunt rerum cœleſtium admodum gnari, qualis erat Baldad, & Idumæi reliqui, alia minus nota ſunt. Hæc vero meteora ignorare non poſſent, quæ quotidie vident, quibus ſe Deus hominibus potentem & horribi-
pag. 318. a
lem probat. Quemadmodum Deus meteoris his impreſſionibus peccatores terruerit ſtraueritque, exempla habemus plura. Lege *Pſalm. XVII.* & noſtros in illum commentarios. *2. Reg. XXII.* Hæc porro arma dicuntur Dei, & fortaſſe ſunt illi milites, quorum non eſt numerus, de quibus ſtatim, & *Iudicum V, 20. 1. Reg. VII, 10.* & hoc ipſum docuit Deus infra *cap. XXXIIX, 22. & 34.* vbi ſe hoc iudicio Deum eſſe probat. & idem docet Dauid *Pſalm. CXLVII.* Et fortaſſe ante hoc tempus ſimilia contigerant, licet Scriptura non tradat, quæ nota fuerunt Idumæis; vnde Baldad, vt probaret, Deum eſſe potentem ac terribilem, argumentum ſumpſit.

Verſ. 3. *Numquid eſt numerus militum eius.*] Hoc ad terrorem facit, quem Deo cum poteſtate ineſſe proxime dixerat Baldad; milites porro Dei dicuntur illi, quibus Dominus vtitur ad illorum ſupplicium, quos ſuæ voluntati nouit eſſe rebelles. In quorum numero ſunt angeli, ſiue boni, ſiue apoſtatæ; nam per vtrosque Deus ſuas ſuorumque vlciſcitur iniurias. Sunt præterea creaturæ omnes, tam illæ, quibus eſt motus & ratio, quam illæ, quæ expertes ſunt ſenſus & animæ. Habes hoc *Sap. V, 18. Armabit creaturam ad vltionem inimicorum. & v. 21. Pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos.* 4. *Dei contra peccatores arma quæ.*

5. *Per milites quaſi per carnifices inflictum capitale ſupplicium.*

Porro per milites, tanquam per carnifices, ſumi quondam a ſontibus ſupplicium, res eſt certa, & nos pluribus oſtendimus ſuper Danielem ad illud *cap. II, 24. Daniel ingreſſus eſt ad Arioch, quem conſtituerat Rex, vt perderet ſapientes.* Sic Salomon *3. Reg. II, 29.* præcepit Banaiæ, vt damnatum iam morte occideret Ioab; & *eodem capite v. 25.* iterum Adoniam. Sic Saul emiſſariis ſuis, nempe militibus, præcepit *1. Reg. XXII, 17.* vt ſacerdotes, quos morti deſtinarat, occiderent. Et Chriſtum Dominum multa poſt ſæcula Romani milites in crucem egerunt. Quocirca ſi innumeri ſunt milites, qui aſtant Domino, quibus capitalis ſupplicii executio mandatur, quo modo liber eſſe poteſt a metu, qui Deum, qui tot habet armatas manus & ad plagas intentas, inimicum habet & offenſum?

Et ſuper quem non ſurget lumen illius?] 6.
Hunc locum non eodem omnes explicant modo. Quidam ad Dei poteſtatem referunt, qui illuminat omnem hominem. Alii ad pag. 318. b
milites, in quibus apparet diuinum aliquid, id eſt, a Deo communicatum ad vltionem inimicorum,

micorum, siue angeli sint, siue meteoræ impressiones, siue creaturæ aliæ, quantumuis natura sua debiles & exiguæ, quæ assumptæ a Deo tanquam virtutis suæ instrumenta, aliquid faciunt supra suarum virium facultatem. Alii his verbis significari putant, nihil esse divinis oculis occultum, & id mihi magis apparet verisimile: quia neque a litera aliquid apparet extortum, & facit plurimum ad Baldad susceptum institutum. Nam si Deus potens est & terribilis, & qui omnia, quæ ab hominibus fiunt, penitus videt & expendit, satis sibi efficere videri potuit, quod agebat, nempe peccatorem in hac vita puniri, & ideo errare Iobum, quia proxime dixerat peccatorem, auarum nimirum & adulterum, vitam agere iucundam, & pluribus commoditatibus refertam.

7. Vers. 4. *Numquid iustificari potest homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere?*] Hæc nobis explicata sunt supra. Prior pars *c. IV, 17.* ad eadem ferme verba: *Numquid homo Dei comparatione iustificabitur?* Posterior *cap. XV, 14.* ad illud: *Quid est homo, vt immaculatus sit, & vt iustus appareat natus de muliere?* & *c. XIV, 4. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?*

Vers. 5. *Ecce luna etiam non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu eius.*] Hæc supra exposita sunt *c. IV, 18.* & *c. XV, 15.* Ex quo apparet nihil nouum adduxisse Baldad, sed tribus versibus eadem repetiisse, quæ dixit Eliphaz *cap. IV.* a *versu 17.* & iterum *cap. XV.* a *versu 14.* vbi totidem versibus eadem explicatur sententia. Hanc autem sententiam ideo bis posuit Eliphaz, quia se a spiritu accepisse dixerat *cap. IV, 12.* & quasi aliquid haberet diuinum, illam nunc repetit Baldad. Quare optime omittere potuisset, & quia minus opportuna contra Iobum, & quia ab Eliphaz semel atque iterum eodem pene modo atque ordine repetita.

Vers. 6. *Quanto magis homo putredo, & filii hominis vermis.*] Hoc etiam expositum est *c. IV. vers. 19.* & *c. XV. v. 16.* Hic finiuntur trium amicorum Iobi verba, quæ perquam optime confutauit Iobus, & deinde Deus *capite XLII.* reprehendit. 8.

ARGVMENTVM CAP. XXVI.

DVrius accepit Iobus orationem Baldad, cum potius exulceraret & affligeret, quam recrearet leuaretque ægrum atque mœrentem animum, & illum de Dei natura & æquitate ambitioso fastu docere voluerit, qui ipsius neque doctrinæ, neque admonitionis indigeret. Quare vt suam ipse de Deo intelligentiam ostendat, multo plura, eaque illustriora de Deo prædicat, quam a Baldad proxime, & ab eodem prius & ab aliis etiam sodalibus audierat. Enumerat enim, quæ a Deo creata sunt, animata prius & spirantia: deinde alia omnia, quæ spiritu carent & vita; quæ rerum vniuersitatem admirabili dispositione distinguunt & ornant. In quorum commemoratione mirificus est: & tandem addit, ea omnia, licet illustria & plurima, minimam esse partem illorum, quæ diuina solertia operata est.

CAPVT XXVI.

1. REspondens autem Iob, dixit:

2. Cuius adiutor es? numquid imbecillis? & sustentas brachium eius, qui non est fortis?

PARAPHRASIS.

1. 2. Post hæc Iobus ad Baldad, qui cum eo venisset animo, vt solaretur afflictum, eum tamen sermonem habuit, vt potius exulceraret & affligeret. Ecquem, inquit, adiuuare aggrederis? numquid imbecillum, & ægro animo ac corpore laborantem? At hæc vis est potius, quam officiosum & salutare leuamentum. Sustentare ne paras, & corroborare brachium confractum

ctum & debile? Sed illud potius hoc sustentationis genere debilitas.

3. Cui dedisti consilium? & forsitan illi, qui non habet sapientiam, & prudentiam tuam ostendisti plurimam.

3. Monuisti me, cum tamen non essem insipiens, neque mihi te monitore aut consiliario opus esset: neque tantum esset in te sapientiæ, quam tu ipse de te prædicas ambitioso præconio.

4. Quem docere voluisti? nonne eum, qui fecit spiramentum.

4. Mene docere vis, esse Deum iustum, potentem, terribilem? quasi id ego ignorem; de quo multo plura, quam tu, & longe maiora prædicabo. Et primum dico, quod spiret & viuat, habere ab illo quicquid spiritum habet & vitam.

5. Ecce gigantes gemunt sub aquis, & qui habitant cum eis?

5. Neque tantum qui spirando viuunt, quales sunt, qui aut in aëre volant, aut in terra gradiuntur, a Deo spiritum acceperunt & vitam, sed etiam qui sub aquis viuunt, neque tamen spirant, quales vasti pisces & marina monstra, qui marini gigantes appellari non immerito possunt; & reliqua minorum piscium genera, quæ cum illis in marina profunditate degunt.

6. Nudus est infernus coram illo, & nullum est operimentum perditioni.

6. Addo deinde, quod me ignorare putabas, o Baldad, Deo vsque adeo nihil esse clausum, nihil occultum, vt infernum ipsum, id est, partem illam, quæ medium tenet & centrum terræ, sic credam esse nudum diuinis oculis, ac si vasta terræ moles interiecta non esset, aut lacus damnatorum perditioni destinatus, nullum haberet tegumentum oppositum.

7. Qui extendit aquilonem super vacuum & appendit terram super nihilum.

7. Neque Deus solum animantes creauit naturas, sed etiam quæ sensu carent & motu, qualis est natura illa spirabilis, quæ ventus appellatur, quam sic diffudit extenuauitque, vt quod occupat spatium, vacuum ab omni corpore existimari possit; & in eo, quod instar videatur obtinere nihili, ingentem terræ molem suspendit.

8. Qui ligat aquas in nubibus suis, vt non erumpant pariter deorsum.

8. Qui vim aquarum ingentem illigatam nubibus ita attemperate dispensat, vt fœcundet terram, non euertat & dissipet: Atque ideo stillare iubet nubes pluuialibus aquis, non vomere illas torrentis in modum, vt exhilarent sata, non obruant, hiantemque relinquant agricolarum spem.

9. Qui tenet vultum solii sui, & expandit super illud nebulam suam.

9. Qui cum habitet in cœlis homini mortali prorsus inuisibilis, solio suo densas offundit nebulas, quæ solii sui aspectum humanis oculis eripiant.

pag. 320. 10. Terminum circumdedit aquis, vsque dum finiantur lux & tenebræ.

10. Qui terminum marinis aquis definiuit; & claustra opposuit tantæ, tamque violentæ pro- pag. 320.

 fundi

11. Columnæ cœli contremiſcunt,& pauent ad nutum eius.

fundi gurgitis moli, quæ dum dierum noctiumque viciſſitudo durabit, non tranſiliet.

11. Cœli ipſi, quantumcumque illorum ſolida ſit ſtabiliſque natura, contremiſcent tamen, & pauebunt: ſicut domus, aut moles, quæ columnis innititur, ſi illius columnæ concutiantur & tremant.

12. In fortitudine illius repente maria congregata ſunt, & prudentia eius percuſſit ſuperbum.

12. Qui ſua admirabili potentia temporis momento diuiſit aquas, vt terra, quæ operta fluctibus videbatur inutilis, humanis vſibus aperta ſeruiret. Tunc autem mare latiori dominatu ſuperbum, multis locis diuiſum atque percuſſum eſt.

13. Spiritus eius ornauit cœlos: & obſtetricante manu eius, eductus eſt coluber tortuoſus.

13. Qui ſua ſapientia ornauit cœlos, illoſque admirabili ſiderum varietate diſtinxit. Et ſicut obſtetrix ex vtero latentem educit fœtum; ſic ex cœlorum conceptaculo atque vtero Deus obſtetricante manu euocauit aſtra, & in his illuſtre ſidus, quod ſerpentem appellant aſtrologi, & duplici flexu vtramque vrſam amplectitur.

14. Ecce, hæc ex parte dicta ſunt viarum eius: & cum vix paruam ſtillam ſermonis eius audierimus, quis poterit tonitrum magnitudinis illius intueri?

14. Exprompſi paucula quædam diuinorum operum exili imperitoque ſermone, quod ſi ſonitum exiguæ ſtillæ, qualis oratio mea eſt, ſuſtinere vix poteſt homo, qui ſaperet; quomodo audire ac ſuſtinere poterit torrentis fragorem, ac tonitruum aliorum, quæ diuina manus operata eſt; aut tantæ potentiæ magnitudinem.

Verſ. 2. *Cuius adiutor es? numquid imbecillis? & ſuſtentas brachium eius, qui non eſt fortis?*]

pag.320.a
1. HIc laborant Interpretes in quærenda ratione, cur Iobus non affirmet, adiuuari Deum a Baldad contra Iobum ipſum, vt illius deprimat inſolentiam. Quod Deus hactenus non videbatur perficere potuiſſe, cum poſt tot plagas duroſque conflictus adhuc tamen ſpiritus retineat antiquos, & cum de ipſo conſerere audeat & tentet iudiciale certamen. Quaſi velit Baldad propoſita diuina virtute, cui obniti non poſſit hominum quantumcumque armata potentia, adiuuare Deum, & cum illo ſimul Iobum oppugnare, eoque adducere, vt tandem minus ſuperbe ſapiat, & Deo ſubeſſe, & eundem ſupplex venerari diſcat. Huc ſpectat & incumbit omnium ferme Interpretum conſenſio, a quorum ego ſententia non recedo; maxime ſi hic admixtum putes aliquid ironicum. Quaſi Iobus ſubamare ſubſannet Baldad ſapientiam, qui dum ſapientiſſimus videri vult, ſuam omnibus prodit ignorantiam: Neque enim quicquam docet, quod ignorent homines de me- pag.320.b
dia plebe, quodque non antea fuerit ab amicis, & ab ipſo etiam Iobo, quem impietatis & ignorantiæ coarguit, ſæpe atque copioſe repetitum. Quare neque cauſæ Dei, cuius videri vult patronus, aliquid addit firmamenti, neque aliquid affert noui, quo animum Iobi, ſi in errore eſſet, a ſua obſtinatione deiiceret.

Hæc, vt dixi, mihi ideo placent magis, 2.
quia pluribus placent; verumtamen addam explicationem aliam, quam expendat lector,

&

& si volet, me non repugnante, reiiciat. Putabam ego, reprehendi a Iobo Baldad, quod minus officiose ac pie consolatoris obiisset munus, cuius causa reliquisset domum, & ad stationem illam squalentem & solam diuertisset, cum ea diceret, non quæ solarentur ægrum animum & dolorem lenirent, sed quæ augerent potius, & abiectum opprimerent. Erant quidem vera, quæ Baldad de Dei potentia & maiestate protulerat: sed parum ad illum rerum articulum opportuna,
pag. 321. a cum alia de Deo potuisset afferre, quæ non minus diuinam naturam commendarent, & iacentem animum magis erigerent. Neque illa, quæ tunc Baldad & alii prius de Deo prædicauerant, ignorabat Iobus, quæ multo ante grauius & luculentius expresserat. Quare optime ab harum rerum commemoratione abstinere potuisset. Ad hanc ego cogitationem priorem partem capitis explicandam sic instituo.

3. *Cuius adiutor es? nunquid imbecillis?*] Eo consilio venerat Baldad, vt adiuuaret imbecillum & languentem, & pene exanimatum recrearet: ab hoc tamen scopo quam longissime aberrauit consolatio, quæ eiusmodi fuit, vt potius præcipitantem impelleret & iacentem opprimeret, quam sustineret pronum ad ruinam, & prostratum excitaret a puluere. Ad quem sic Iobus paraphrastice: *Ecquem adiuuare vis? nunquid imbecillum & languidum?* ad hæc vis est potius hostilis, quam amicum & officiosum leuamentum. Sustentare ne paras, & corroborare brachium confractum & debile? Sed illud potius hoc sustentationis genere debilitas.

4. Vers. 3. *Cui dedisti consilium? forsitan illi, qui non habet sapientiam, & prudentiam tuam ostendisti plurimam.*] Multa dixit Baldad, & nunc, & *cap. IIX.* & *XIIX.* quibus quasi ignorantem Iobum instruere voluit, qui illius non indigebat sapientia atque doctrina, cum multo quam alii tam humana, quam cœlesti sapientia foret instructior. Ad quem Iobus ait, se illius non egere consilio, cum sit omnino insipiens: neque tantum in Baldad esse sapientiæ, quantum ipse ambitioso præconio venditabat.

5. Vers. 4. *Quem docere voluisti.*] Illud *quem* Deum refert: non quem iuuare velit, vel instruere Baldad; sed de quo & illius maiestate Iobum velit instruere; ita vt Deus non accipiat instructionem & scientiam a Baldad, sed Iobus de Dei maiestate. Quasi dicat Iobus: mene docere vis esse Deum potentem, terribilem, cui adsit perpetuo numerosus exercitus? &c. Quasi ego id ignorem, & non potius meditatione atque adeo experimento cognouerim. Hanc explicationem ex parte tenet Eugubinus, dum docet, hic Iobum doceri, & eidem præberi consilium a Baldad. Neque omnino Chrysostomus abhorret *in catena: Non*, inquit, *hoc tibi crimini do, quod Dei sint tibi partes susceptæ: sic enim fieri oportebat omnino; sed tamen, cur me condemnares, nihil erat.*

Nonne eum, qui fecit spiramentum.] Ostendit iam Iobus, se de Deo & nosse plura, & 6.
sentire sublimius. Et vt alii intelligant, non temere hanc sibi Deo arrogare sapientiam, multa commemorat diuinæ cognitionis & potentiæ illustria documenta, quæ fortasse numquam audierant, qui videri voluere humanarum diuinarumque rerum scientissimi. Dum autem ipse tam multa, tamque minuta de Deo loquitur, satis ostendit, sibi necessarium non esse, vt ab alio de diuina natura ac potestate doceatur. Et primum docet, a Deo accipere animantes omnes, vt sint & viuant, id enim valet *spiramentum*. Tamdiu enim viuit animal, quamdiu spiritum haurit pag. 321. b
vitalem, quem auferre potest, cum ipsi libuerit, & cum eo vitam. Est autem allusum ad Adami creationem, quem, cum tantum esset terrena quædam moles, spiraculum vitæ animauit temporis momento, deditque illi sensum, motum, & intelligendi facultatem & vim: *spiraculum* autem, *spiritus*, *spiramentum*, & *anima* idem sunt. Valent enim idem, quod ventus, a quo animalis pendet vita, quem si præclusis faucibus ademeris, intereat statim necesse est. Hoc eodem modo Dei potentiam expressit Isaias *cap. XLII, 5. Hæc dicit Dominus* &c. *Dans flatum populo, qui est super eam*, (terram) *& spiritum calcantibus eam.* Hæc autem Iobus de Adami creatione & vitæ spiramento ab Abramo & Isaac accepisse credibile est. Qui vero hæc

 nouit,

nouit, ignorasse alia de Deo, quæ in Iobo tres amici desiderare se dicebant, credibile non est.

7. *Gigantes qui.* Vers. 5. *Ecce gigantes gemunt sub aquis, & qui habitant cum eis.*] Hic locus varie torsit & distraxit Interpretes: neque enim omnes in gigantum significatione conueniunt; de nomine, imo de nominibus multa diximus *in nostris Commentariis super Isaiam*, ad illud *cap. XXVI, 14. Morientes non viuant, gigantes non resurgant.* Cum alia sint apud Hebræos gigantum nomina, hoc loco dicuntur רפאים *rephaim.* de quorum significatione ac notatione ibi plus satis, quem tu locum consule, neque enim in re vulgata libet diutius immorari. Illud obseruo, mihi nullo modo placere, quod tunc apud Isaiam, & post *2. Reg. XXI.* alterius secutus coniecturam, non improbabam. Dixi enim videri verisimile, *rephaim* appellari gigantes, quasi essent Repha siue Harapha filii. Hic enim pater fuit Gobate, vt habes *2. Reg. XXI.* & *1. Paralip. XX.* & aliorum trium, qui prodigioso fuerunt & gigantæo corpore. Sed illa mihi sententia nullo modo placet, quia Rapha, seu Arapha, id est, quatuor gigantum pater, multis sæculis fuit post ætatem Iobi & Moysis, qui Hebraice scripsit, quod Iobus ante Idumæorum idiomate prodiderat. Quare Moyses ad Rapha deducere non potuit Hebraicum nomen Rephaim.

8. *Quinam gigantes, qui sub aquis gemunt.* Qui porro sint isti gigantes, qui sub aquis gemunt, obscurum est. Quidam apostatas angelos esse credunt, qui comparatione hominum, quorum est obscura & infirma conditio, gigantes sunt: hi autem e cœlo ad infima depulsi sub aquis gemunt, quia aquæ terram, & terræ centrum magna mole circumdant. Alii inanimata alia, quæ sub aquis nascuntur & crescunt, gigantum nomine significari credunt, quales sunt margaritæ, coralia, & frutices quidam, qui syluarum in modum marinos sinus occupant, faciuntque, vt maris profunda late syluescant. Qua de re Plinius *lib. 13. cap. 25.* Vide quid nos super Isaiam *cap. LXIII, 13.* Posterior hæc sententia leuis est, neque prior multum probabilitatis habet.

9. Duæ sunt aliæ, quæ minus videntur difficiles. Altera omnium pene Interpretum communis, quæ renouari putat Noëtici diluuii antiquam memoriam, quando gigantes, qui eo sæculo vixisse, & immania admi- pag. 322. a
sisse flagitia memorantur, communi illa inundatione demersi perierunt. Tunc vero gemuisse videri possunt sub aquis, cum illis diu colluctati sunt, & cum enatare in tutum aliquem locum desiderarent, illum inuenire non potuerunt. Hæc optime textum implet; & Dei potentiam satis ostendit, qui famosos illos & potentes a sæculo viros tam facile deleuit. Neque est verisimile, hanc totius mundi colluuionem, & gigantum mores insolentes & barbaros Iobum ignorasse.

Sed est mihi verisimilius, sermonem hic esse de animantibus illis, quæ gignuntur in aquis, quorum aliqua sunt ea vastitate ac mole, vt inter pisces alios illum locum obtineant, quem inter vulgares homines gigantes; quales sunt balænæ, lamiæ, orcæ, phocæ, & grandes aliæ belluæ, quæ dominantur in mari. Alii autem pisces iis verbis explicantur, quæ subiiciuntur statim: *Et qui habitant cum eis.* Cur autem in hanc sententiam potius abeam, rationes sunt aliquot, neque meo iudicio leues. Prima est, quia cum de his animantibus egisset, quæ in aëre volant & in terra gradiuntur, quibus Deus tribuisse dicitur spirandi, id est, viuendi facultatem, non videbatur magnus Philosophus Iobus omissurus animantia, quæ magno numero natant in mari. 10.

Secunda, quia cum dixit *spiramenta*, non videtur piscium meminisse: quia illi spiramenta non habent, id est, instrumenta, quæ spirationi seruiunt, vt multis docuit Aristoteles *de respiratione cap. 1.* Quare quando de omnibus animantibus agit Iobus, seorsum hic de piscibus actum oportuit, quando illi inter spirantia numerari non debent. Neque obstat, quod pisces in aquarum gurgite non gemunt, cum vocem non habeant, sine qua gemitus non est. ita Aristoteles *lib. 2. de anima cap. 8.* Quia gemere ille sæpe figurate dicitur, qui dolet, aut qui dolendi grauem habet causam, vt qui duro subest imperio, qui tenetur in vinculis. Quo sensu omnis creatura, etiam cui neque ratio est, neque sentiendi 11.

endi facultas, ingemiscere dicitur, dum peccatoris libidini seruire cogitur. De qua Paulus *Rom. IIX, 22. Scimus enim, quod omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc.* Cum ergo immanes illæ marinæ belluæ diuino premantur imperio, & sub aquarum gurgite clausæ littoribus, quasi quibusdam carceribus constrictæ videantur, si non gemunt, quia illis natura vocis negauit facultatem; & ea patiuntur, quæ ab illis, si suam conditionem & claustra cognoscerent, gemitum exprimerent.

12. Sed est adhuc, quod eleuet hanc obiectionem, & nostram cogitationem magis confirmet: nam vbi Vulgatus legit *gemunt*, Hebraic. est. יחוללו *iecholalu*, a radice, חול *chul*, quæ ita significat dolere & gemere, vt etiam valeat parturire. Quo dicendi modo significatur, quanta sit aquatilium fœcunditas, de qua multa naturalis historiæ scriptores.

pag. 322. b Porro vsitatum est, tam in Scriptura sacra, quam profana, vt rebus nomen imponatur ab eo, quod plerumque contingit, etiam si aliquando id absit, cuius gratia nomen inditum est. Iuxta hæc *cinis* pro cadauere sumitur, & *funus* pro morte, licet aliquando cadauer combustum non sit, nec ex illo relictus cinis: neque mortem sequatur funeris & sepulturæ honor. Et Deus, cum descenderit in terram, diruptururus dicitur cœlos, *Isai. LXIV, 1. Vtinam dirumperes cœlos, & descenderes.* cum tamen spiritualis illa substantia apertis seu diruptis cœlis non indigeat; quia communiter, qui per solidum egreditur corpus, illud dirumpit & diuidit. Sic ergo, quia a partu abesse non solet dolor & gemitus, gemere dicuntur pisces, licet muti sint, & vocis instrumentis careant. Sane dolere in partu pisces, docuit Plinius *lib. 19. cap. 16.* de balænis, quæ hoc loco appellari potuere gigantes; & fœtas, & proxime leuatas partu languere. Sic autem ille de balænis, quas orcæ inimicæ belluæ insectantur hostiliter, eo maxime tempore, quo grauidæ sunt, aut recentes a partu, quas multis modis aggrediuntur & fodiunt: *Balænæ*, inquit, *ad flexum immobiles, ad repugnandum inertes, & pondere suo oneratæ, tunc quidem ex vtero graues, pariendæue pœnis inualidæ, solum auxilium nouere in altum profugere, & se toto defendere Oceano.*

REGVLA. *Rebus interdum nomen imponitur ab eo, quod plerumque contingit, etiam si id absit, cuius gratia nomen impositum est.*

Spiramenta porro dicuntur instrumenta spirationis, quales sunt fauces, arteriæ, pulmones, & cor: denique quæcunque aut excipiunt spiritum, aut afflant. Sane Virgilius pro pulmonibus atque præcordiis posuit *lib. 9. Æneid.*

Alis allata sagita,
Et læuo affixa est lateri manus, abditaque intus
Spiramenta animæ letali vulnere rupit.

Vers. 6. *Nudus est infernus coram illo, & nudum est operimentum perditioni.*] Dixerat *cap. præcedenti* Baldad. *v. 3.* neminem esse in loco, qui coram Deo sit caliginosus. quia nihil est, quod illius non illustretur lumine, & sic appareat in tenebris, quasi sit in aperta & meridiana luce. Id ipsum fatetur hic Iobus, & vt intelligant alii, se huius veritatis ignarum non fuisse, illam adducto exemplo magis amplificat. Ait ergo, ipsum quoque infernum, id est, terræ medium & centrum nullis esse integumentis inuolutum, sed prorsus esse nudum a caligine, qua omni ex parte crasse circumfunditur, & a terræ vastissima mole, quæ non magis diuinos impedit & tardat obtutus, quasi foret purissimus & pellucidus aer. Est autem vtriusque hemistichii eadem sententia. Perditio etenim idem est quod infernus, quæ nullo dicitur operimento tecta coram Deo, sicut nudus vocatur infernus. vocatur autem perditio, quia ibi damnati ac perditi cruciantur, qui loquendi modus in Scriptura sacra infrequens non est. Quomodo sanctorum & beatorum locus dicitur gloria & beatitudo, quia ibi viri gloriosi & fortunati felicissimum agunt æuum. Neque hoc loco tantum infernus cum perditione coniungitur. *Prouerb. XV, 11.* eadem cum hoc loco sententia, & ab eodem, vt opinor, expressa. *Infernus & perditio coram Domino: quanto magis corda filiorum hominum:* Et iterum *cap. XXVII, 20. Infernus & perditio nunquam implentur.* Non nego, *perditionem* sæpe pro morte & sepultura sumi, quod ex eo videtur verisimile, quia perditio aliquoties cum morte & sepultura iungitur, quod per epexegesim non raro fit, in qua pars poste-

13.

Perditio idem interdum, quod infernus.

pag. 323. a

posterior versus, priorem & continet, & explicat, vt infra *cap. XXIIX, 22.*

14. Vers. 7. *Qui extendit aquilonem super vacuum.*] Postquam creaturas omnes animatas, quæ spirando viuunt, aut in aquis degunt, a Deo formatas esse dixit: nunc ad inanimata sermonem traducit, & præcipuas vniuersi partes connumerat, quæ diuina solertia architectata est. & primum agit de aëre, quem per synecdochen in aquilone totum concipit & intelligit; quem super vacuum extensum ac diffusum esse dicit, id est, super spatium illud, quod inter cœlum & terram interiectum est: illud enim vacuum appellatur, quia reuera, antequam Deus illud spirabili natura compleret, vacuum erat. Aut certe, quia vulgari hominum judicio, a quo in loquendo Scriptura sacra abhorrere non solet, vacuum existimatur, quod occupatur ab aëre, cuius ita est tenuis fluidaque natura, vt neque visu capi, neque teneri ac contrectari manibus possit. Vocari autem vulgo hominum vacuum, quod aëre plenum est, quia non est corpus solidum, docuit Aristoteles *cap. 6. de physica doctrina.* Quare vulgo hominum prouerbiali specie aër idem esse existimatur, quod nihil.

15. Cur vero aquilonis potius, quam aliorum ventorum meminerit, cum non magis in aquilonem, quam in ventos alios ista conueniant, ea ratio videtur non inepta; quia aquilo in ea regione, quam incoluerunt Idumæi, magis erat notus, quia magis infestus & assiduus. Denique, quia hemisphærium nostrum aquilonare est, quia arcticum intuetur polum, a quo spirat aquilo. Nam antarcticus, id est australis polus ignotus est nobis, licet auster, & reliqui venti, aquilonare hoc hemisphærium aliquando permeent. Quidam illam cœli partem intelligunt, quæ est ad aquilonem, id est, hemisphærium nostrum cœleste: alii terrestre, cui magis est assiduus aquilo. Quod ideo mihi probari non potuit, quia licet aquilo pro regione aquilonari sumatur, tamen vbi nullum, siue a litera, siue a veritate subest incommodum, non est, cur a propria significatione recedamus. Deinde, quia cum de aliis elementis locutus fuerit Iobus, & de cœlo & terra manifeste: non est, cur censeri debeat aëreæ regionis immemor, & bis memor cœli & terræ, omisit ignem, quia fortasse regionem igneam esse non putabat, sicut olim censuere non pauci, vt docet Augustinus *libr. 2. de Genesi ad literam*, & Aristoteles *libr. 2. de cœlo cap. 13.* & nostro tempore non est omnino antiquata sententia. Vel certe Iobus argumentum ab illis rebus sumpsit, vt diuinam probaret omnipotentiam, quæ magis hominibus erant experimento cognitæ. Quis enim aquam, quis cœlos, aërem & terram ignoraret, a quibus quotidie accipimus maximos ac familiares vsus: At elementarem ignem nemo vidit, neque illius vim vllam expertus est: atque ideo non erat, cur Iobus elementaris ignis meminisset; cum illius vim & naturam nouisset nemo, & ignorassent amici, qui vsque adeo sapientes non erant, licet magni vellent haberi Philosophi. pag. 323. b

Et appendit terram super nihilum.] Hunc locum satis, opinor, explicuimus supra *cap. IX, 6.* ad illud: *Qui commouet terram de loco suo, & columnæ eius concutiuntur. Nihilum* autem dicitur terræ centrum, quia adeo exiguum est, vt nihil instar obtineat. dicitur tamen super illud nihilum terra suspendi, quia omnes illius partes ad illud nihilum nituntur æqualiter; & terra ipsa suis vndique librata ponderibus, & in sese nutibus suis conglobata stat prorsus immobilis: quia illam naturalis grauitas, & ad mundi medium natiua propensio a centro recedere non finit. de hac re alii pluribus, nos pro nostro instituto plus fortasse satis. vide plura supra *ad cap. IX, 6.* 16. *Centrum terræ nihilum dicitur.*

Vers. 8. *Qui ligat aquas in nubibus suis, vt non erumpant pariter deorsum.*] Necessaria est ad terræ fœcunditatem aqua, aliter enim fructus non produceret, ad hominum victum & vitam necessarios. Quod si aqua tota se mole atque impetu diffunderet, obrueret agros, sterneretque sata læta boumque labores, neque plus faceret, quam lapsus montano e vertice torrens, qui non tam rigat & fœcundat, quam populatur & euertit terram. Quare Deus sic cœlestem aquam sua prouidentia dispensavit, vt non ingentem aquarum vim discissa nube, & quasi apertis cataractis in terram effunderet, & ruptis aggeribus fluuium late fluen- 17. *Dei prouidentia in dispensanda pluuia.*

fluentem in agros cum impetu & fragore laxaret, sed magnam illam aquarum molem ita contineret in nubibus, vt parce ac modice pluuiam largiretur hominibus, stillante cœlo pluuiales guttas, non mouente torrentis in modum cum fragore ac sonitu præcipitem fluuium: non aliter ac si solutam in stillas aquarum molem per cribri foramina transmitteret.

18. Hoc idem cecinit Dauid, dum diuinam prædicat potentiam, & singularem illius prouidentiam admiratur. *Psalm. XVII, 12.* nam vbi in psalterio LXX. legunt: *Tenebrosa aqua in nubibus aëris*; Hieronymus legit *2. Reg. XXII, 12.* vbi idem ponitur Psalmus: *cribrans aquas de nubibus cœlorum*; & Pagninus: *colligantia aquarum nubes cœlorum*; vide quæ nos ad illum locum Psalmi *in nostris Commentariis in libros Regum.*

19. Est autem hoc diuinæ potentiæ non leue documentum, potuisse magnum aquarum pondus pertenui & fragili natura, ex terræ vaporibus concreta cohibere, & ita percolare, vt molle sit stillicidium, quod fœcundet, non rapidus torrens, qui sternat & populetur terram. Quemadmodum opus est omnipotentis dexteræ, pertenui filo Leuiathan extrahere, quocumque velit, & marinas aquas intra definitos terminos continere. Hoc Iobus iterum *cap. XII, 15.* argumentum esse voluit diuinæ potentiæ: *Si continuerit aquas, omnia siccabuntur, & si emiserit eas, subuertent terram.* vide quid nos ad illum locum. pag. 324. a Huc credo spectabat Salomon, cum dixit *Proverb. XXX, 4.* *Quis colligauit aquas, quasi in vestimento?* vt enim qui in lacinia aut sinu aliquid portat, illudque, vt libuerit, suo arbitratu dispensat & diuidit, sic Deus aquas pluuiales, quas in nubium complexu, non aliter, quam in sacco ac vestimento conclusit. Qua similitudine exprimitur, quo modo e nubibus stillet imber, eo nimirum modo, quo e vestimento seu colo stillatur aqua, guttatim nempe, non effusa tota, quasi ex capaci atque inuerso vase.

20. *Deus habitat in caligine.* Vers. 9. *Qui tenet vultum solii sui, & expandit super illud nebulam suam.*] Adhuc Iobus in aërea versatur regione, neque ad superiores cœlos, astriferos videlicet, assurgit. Millies audimus, Deum habitare in nebula, in caligine, illis denique locis ac modis, quibus videri non possit ab hominibus, sicut pluribus ostendimus ad illud *2. Reg. XXII, 12.* *Posuit tenebras in circuitu suo latibulum.* Quod in psalterio *Psalm. XVII, 12.* sic legunt LXX. *Posuit tenebras latibulum suum, in circuitu eius tabernaculum eius.* Et fusius ad illud *3. Reg. IIX, 10.* *Nebula impleuit domum Domini.* Hoc autem loco in solii vultu cœlum intelligo non aëreum, sed superius, vbi Deus sæpe dicitur suum habere thronum, seu domicilium, vt diximus ad illud *Isai. LXVI, 1.* *Cœlum mihi sedes est.* Illas igitur nubes, de quibus proxime, ex quibus ad fœcunditatem terræ hominumque delicias cribrantur aquæ, expandit in aërea regione Deus, offunditque cœlo, tegitque solium suum aut solii faciem, ne facies cœli, id est, externas species homines videant. Quod tunc accidit maxime, quando nigræ concrescunt nubes, & tempestates ingruunt vehementes. In quibus sæpe legimus eripi cœlum naufragantium oculis. Sic Maro *lib. 1. Æneid.*

Eripiunt subito nubes, cœlumque diemque
Teucrorum ex oculis; ponto nox incubat atra.

Ouidius *lib. 11. Met.*

—Inducta piceis e nubibus vmbra,
Omne latet cœlum, duplicataque noctis imago est.

Vers. 10. *Terminum circumdedit aquis, vsque dum finiantur lux & tenebræ.*] A nubibus aëreoque cœlo Iobus ad aquas, id est, proximum elementum descendit. In quo illud præcipue considerat, quod maxime mirantur homines, quod tantam illam tamque sævientem molem, eo præsertim tempore, cum a ventorum rabie hinc atque inde turbatur & tumescit, non excedat littora, id est, definitos a Domino terminos, intra quos diuinum præceptum illam ineluctabili firmitate coercuit. quod sane maioris est admirationis, si mare, quod nonnulli putant, supra littora, quæ maris sunt claustra, sursum attollitur. Qua de re hoc loco mihi disceptandum non est, quia res est longior, & salua commentationis lege omitti potest, imo & debet ab Interprete. Interim vide nostrum Perei- 21. *Qualis terminus circumdatus mari.*

ram *lib. 1. Commentariorum in Genesim*, & Conimbricenses *lib. 2. de cœlo quæst. 4.* Illud dico, sicut proxime mirabilem se Deus ostendit, cum in nubibus, ne impetu defluerent in terram, aquas ligauit: sic etiam nunc, cum littoribus clausit marinas aquas, ne ex suis se carceribus effunderent, & aridam terram fluctibus obruerent, sterilemque redderent, & hominum habitationi parum idoneam.

pag. 324. b

22. Hæc maris claustra in Scriptura sacra ad explicandam diuinam potentiam sæpe producuntur. infra *cap. XXXIIX, 8. Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens, circumdedi illud terminis meis, & posui vectem, & ostia, & dixi, vsque huc venies, & non procedes amplius*, &c. *Prouerb. IIX, 27. Certa lege, & gyro vallabat abyssos.* Et *v. 29. Legem ponebat aquis, & ne transirent fines suos.* Et in oratione Manasse legimus, cuiuscunque illa auctoritatis sit: *Domine omnipotens, qui ligasti mare verbo præcepti tui, qui conclusisti abyssum, & signasti eam terribili & laudabili nomine tuo.* Quod vero sequitur, *vsque dum finiantur lux & tenebræ*, nil aliud significat, vt opinor, quam in æternum præceptum illud duraturum. Sic sane Ieremias explicuit *cap. V, 22.* qui ad hunc Iobi locum videtur respexisse: *Qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum, quod non præteribit.* Vide quid nos *in Commentariis ad illum locum.* Et quidem eiusmodi locutiones aliquid in æternum duraturum significant. Quale est illud *Psalm. LXXI.* de regno Christi *v. 5. Permanebit cum Sole*, & *v. 7. Donec auferatur Luna.*

Duratio perpetua quibus modis explicata.

23. Vers. 11. *Columnæ cœli contremiscunt, & pauent ad nutum eius.*] Nihil est tam solidum & firmum, quod obniti possit diuinæ voluntati, & quod non contremiscat & ruat, iubente & innuente Domino. Quæ sint cœli columnæ & vniuersi sustentacula, obscurum est. Quidam, neque hi pauci aut vulgaris notæ, angelos esse putant, qui etiam virtutes cælorum a Matthæo *cap. XXIV, 29.* nominantur, quia hi ratos atque constantes cœlorum motus moderantur. Ita Hieronymus, Gregorius, Beda, Sanct. Thomas, & Latinorum plerique. Angeli autem dicuntur tremere ad Dei nutum, non quia ibi aliquid metuant, aut sibi cauendum putent ab irato Deo, sed quia ita reuerentur & obseruant, quasi si contra faxint, aut impositum sibi mandatum negligenter obeant, supplicium essent subituri grauissimum; licet ardorem illum & impetum a nobiliori causa capiant. Sumit autem Iobus similitudinem a seruis, quorum amicis exempla non poterant esse non assidua, cum seruili vterentur opera, & quotidiano experimento nossent seruiles spiritus supplicii metu ad promptum ministerium & officium adigi. Hæc autem sententia probari potest, quia quemadmodum orbis terrarum tremunt, curuanturque columnæ coram Deo, id est, viri potentes & Principes, quibus regnorum habenæ traditæ sunt, de quibus est illud *cap. IX, 13. Deus, cuius iræ nemo resistere potest, & sub quo curuantur qui portant orbem:* Sic etiam qui cœlum portare ac sustinere existimantur tanquam columnæ, nempe angeli, siue, vt Philosophi loquuntur, intelligentiæ, contremiscunt & pauent.

Sane vsitatum est tam in sacra, quam in profana literatura, vt qui suo consilio ac studio rem aliquam publicam aut priuatam regunt, & quodammodo fulciunt, columnæ vocentur. Sic Apostoli columnæ a Paulo vocantur Ecclesiæ ad *Galat. II, 9. Petrus & Iacobus, qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi.* Et Gregorius de Apostolis, Prædicatoribus, & Prophetis explicat illud *Apocal. III, 12* | *Qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei.* In eundem sensum accipit Augustinus illud *Psalm. LXXIV, 4. Liquefacta est terra, & omnes, qui habitant in ea. Ego confirmaui columnas eius.* Plura occurrent mediocriter attento, neque pauciora apud profanos, de quibus postea nonnihil. 24.

Columnæ dicuntur, quæ rem aliquam sustentant & regunt.

pag. 325. a

Hic obseruandum, existimasse Bedam, quod sumpsit ex Philippo seu Hieronymo, cœlestes spiritus dici columnas, non tam quæ cœlos regant atque sustentent, quam quæ illustrent & ornent. *Quia ad ornatum*, inquit, *solummodo ædificiorum plerumque columnæ permagnificæ erigi solent, vt ædes opere pulcherrimo ædificatæ speciosis columnarum decorentur ordinibus; sicut & duæ illæ columnæ, quas in templo Salomonis fuisse legimus.* Sed 25.

est

est sane dura & parum opportuna translatio; opus enim columnarum proprium, non est ornare, sed sustentare domum, aut aliam quamcumque molem. Neque ad alium vsum, quod ego viderim, columnæ nomen ab aliquo siue sacro, siue profano scriptore traducitur: neque translationes fiunt nisi ab eo, quod rei alicuius proprium est, & maxime notum, vt constat.

26. *Quibus visum est cœlum non esse sphæricum.* Alii in *columnis* montes intelligunt, quorum opinio non tam in rerum natura ac proprietate, quam in vulgari hominum cogitatione suam habet firmitatem & fundamentum. Quod licet leue sit, si rerum naturam & veritatem spectes, est tamen in Scriptura sacra nonnunquam vsitatum, quæ se hominum cogitationibus frequenter accommodat: neque ab hominum abhorret vsu quotidiani sermonis. Existimat hominum vulgus, quod iudicium sequitur oculorum, cœlum sphæricum non esse, sed semisphæricum, & in extremis terræ finibus deficere, quibus inniti videtur cœlorum extremitas. Extremæ vero terræ partes videntur esse montes, in quos etiam videtur cœlestium orbium tota moles incumbere. Neque solum homines e vulgo ita existimarunt, sed viri etiam antiqui cum sanctitatis, tum ingenii acumine, & iudicii maturitate præstantes. Sic sane Chrysostomus *homil. 14. & 17. ad Hebræos*, non bene accipit illos, qui cœlos sphæricos esse dicunt, cum Scriptura cœlum appellet fixum a Deo tabernaculum. Augustinus *lib. 2. de Genesi ad literam cap. 2.* dubitare se dicit, an terra cœlo vndique circumfuso contineatur. Lactantius *lib. 3. diuin. instit. cap. 24.* deridet eos, qui cœlum rotundum, & in omnes partes deuexum esse crediderunt. Ad hanc cogitationem videtur spectasse Isaias *cap. XIII, 5.* cum dixit: *De terra procul a summitate cœli.* Quod clarius expressere Septuaginta, dum ita reddunt: *In summitate fundamenti cœli*, id est, ab ea parte, vbi cœlum videtur fundari, & semisphæricus circulus inniti. Plura sunt in Scriptura, quæ cogitationem istam aut spectant aperte aut innuunt obscure. *2. Esdræ I, 9. Etiam si abducti fueritis ad extrema cœli, inde congregabo vos.* *Deut. XXX, 4. Si ad cardines cœli fueris dissipatus, inde te retrahet Dominus,* & *cap. IV, 32. A summo cœlo, vsque ad summum eius.* In hunc ego sensum accipio illud *Matth. XXIV, 31. Congregabunt electos a quatuor ventis a summis cœlorum vsque ad terminos eorum.* pag. 325. b Vt autem extremæ terræ partes cardines dicuntur cœli, sic etiam dici possunt cœli columnæ, quæ, vt est vulgarium hominum communis opinio aut sensus, cœlestem machinam sic versant, vt cardines, vt etiam sicut illius firmamenta sustentent.

27. *Qui dicantur cælorum columnæ.* Adde his, quod in commouendis aut transferendis montibus Dei in sacris literis ostenditur, amplificaturque potentia. Exempla sunt obuia, sufficiat vnum Iobi supra *cap. IX, 5. Qui transtulit montes;* ad quem locum nos multa, quæ hic repetere necesse non est. Tu illa huc aduoca. Erit ergo sensus iuxta vulgi communem concipiendi modum: Concutiet Deus montes, quæ columnarum instar cœlorum machinam sustentant, & tunc cœli ipsi, qui montium insedere fastigiis, contremiscent, & de sua firmitate pauebunt. Hæc explicatio mihi grauis, &, vt reor, aut vera, aut veritati propior. Sed addam ego tertiam, de qua lector statuat, vt volet.

28. Ego hic de cœlorum columnis non laboro: quia hic similitudinem quandam esse puto, omittique iuxta Hebræorum idioma illius notam, & quasi formam. Quare hanc arbitror esse facilem & proximam veritati sententiam. Cœli ipsi, quantumcumque illorum sit solida stabilisque natura, contremiscent tamen & pauebunt, sicut domus, aut moles, quæ columnis innititur, si illius columnæ concutiantur & tremant. Quemadmodum de terra dixit Iobus *cap. IX, 6.* eodem sensu: *Qui commouet terram de loco suo, & columnæ eius concutiuntur.* Quod nihil est aliud, quam terram esse concussam. Vt enim necesse est, concussis fundamentis & fulcris, in qua tota domus aut moles inclinatur, ipsa quoque moles concutiatur & nutet; sic etiam optima translatione, si fingas aut cogites, cœlo aut terræ columnas fuisse suppositas, cum illas commotas esse dicis, aut graui concussu tremuisse, cœlum & terram aut corruisse, aut contremuisse significas. Samson columnas, quæ Dagonis templum sustinebant, *Iudic XVI, 29.* Et templum eodem

tempo-

temporis momento collapsum est. Vnde sæpe audimus, cum hac vtimur metaphora, aliquo cadente, qui similis columnæ dicitur, totam molem aut gloriam cecidisse. Sic Seneca *in Troade* de Hectore chorum inducit sic plorantem:

Columen patriæ, mora fatorum
Tecum cecidit, summusque dies
Hectoris idem, patriæque fuit.

29. Vers. 12. *In fortitudine illius repente maria congregata sunt.*] Egerat paulo antea de superioribus aquis, de his videlicet, quæ concrescunt in aëre; nunc iam de marinis, in quibus est magnum diuinæ virtutis argumentum. Et illud primum, quod cum in principio terram Deus vndique fluctibus operiret, quia illum situm & ordinem rerum ipsarum natura postulabat, Deus tamen aquas perpetuo tractu continentes diuisit, & illis in destinatum

Aquarum congregatio diuinæ virtutis opus.

pag. 326. a sibi locum confluentibus, apparuit terra iam arida & hominum habitationibus idonea, quæ prius circumfusa fluctibus, neque habitari poterat ab hominibus aliisque animantibus, qui in terra gradiuntur & serpunt, neque plantas producere, quæ magno terræ atque adeo vniuerso ornamento sunt. In hac porro aquarum diuisione plurima apparent diuinæ potestatis argumenta: nam primum formati sunt, & supra aquas exaggerati atque sublati montes, effossæ atque depressæ valles, in quas defluentes aquæ terram desererent, aridamque mortalium vsui atque habitationi relinquerent. Qua de re non plura, quia alii pro sui instituti ratione disputauere copiosius.

30. *Et prouidentia eius percussit superbum.*] Quis fuerit superbus iste, obscurum. Quidam diabolum putant, spiritum nempe apostatam, quem Dominus deturbauit e cœlo. Quod Iobus non videtur ignorasse, etiam si multo post hæc tempora prodita fuerit a Moyse historia, in qua aliquid de casu diaboli traditum videtur, licet obscure. Nam & ipse accepisse potuit reuelante Domino, sicut alia plurima eodem inspirante cognouit, aut per manus ab Abrahamo, e cuius ipse genere propagatus est. Sed non videtur commodus hic locus, vt de diabolo importunus inducatur sermo, quando de rerum aspectabilium dispositione atque ordine differitur. Alii in superbo piscem intelligunt, qui vasto sit corpore, & inter aquatilium greges dominatur, qualis est balæna. Hic autem, in quo alii etiam significari videntur, percussus est, quia diuisis aquis coangustatus est locus, in quo ille vagari libere & late dominari videbatur, aut quia, cum sese ad decliues sinus depressasque valles aquæ reciperent, in arido loco magni illi pisces atque superbi relicti moriebantur. Sicut magnus ille piscis, a quo deuorandum se timebat Tobias *cap. VI, 4.* qui extractus in aridum locum vitam amisit. Sane quotidie videmus in magnis fluuiorum inundationibus, cum aquæ in suum se referunt alueum, exanimari pisces, & palpitantes aut mortuos in arena capi. Hoc modo cum diuisæ sunt aquæ, videntur pisces illi superbi & magni fuisse percussi.

Alii meo iudicio aut verius, aut veritati propius dicunt, *superbum* esse mare, quem Deus tunc percussit, cum, aquis in certos quosdam sinus anguste contractis, terras amisit, quarum tunc videbatur imperium habuisse, cum illas operiebat fluctibus, neque caput sinebat sursum attollere. Quotquot autem apparent terræ, quotquot extant supra fluctus insulæ, tot sunt maris vulnera, quæ tunc inflixit Deus, cum diuisis aquis terras variis in locis apparere iussit. Vt autem mare inflari dicitur & tumere, tumidum & turgidum, cum exaltantur fluctus; sic etiam eodem modo superbire dicitur, & superbum, cum secure tumet, neque habet obiectos scopulos ac littus, ad quos allisi frangantur fluctus, & feruor ille seu furor indomitus prior saxorum oppositu sedetur & vanescat. Illæ vero nouæ plagæ sunt, quas non subiret mare, nisi extaret terra sublimior, aqua in depressiora loca defluente. Vocari autem ma- pag. 326. b
re fluuiumque superbum, cum intumuit, neque nouum est, neque dura metaphora. Sane eam ob causam Iordanis appellat superbiam Ieremias *cap. XII, 5. Cum autem in terra pacis securus fueris, quid facies in superbia Iordanis?* vide quid nos ad hunc locum. Eandem vocem iterum cum Iordane coniungit *cap. XLIX, 19. & cap. L, 44.* 31.

Vers. 13. *Spiritus eius ornauit cœlos.*] Aliud iam 32.

iam producit argumentum diuinæ virtutis, quæ maxime elucet in admirabili cœlorum ornamento, de quo *Genes. I.* De hoc ornatu multa Patres & Philosophi. Quæ si hic referre velim, longus sim. Vide Ciceronem *lib. 2. de natura Deorum*, vbi cœlorum speciem & ornamenta accurate describit. *Spiritus* porro *Dei*, pro Deo ponitur Hebræorum idiomate, qui per faciem & animam Dei Deum circumscribunt. Sane spiritum Dei pro Deo posuit Isaias *cap. LXIII, 14. Spiritus Dei ductor eius fuit.* Et quem hic spiritum dicit Domini, aliis locis simpliciter Deus appellatur. *Deut. XXXII, 12. Dominus solus dux eius fuit.* & *Exod. XV, 13. Dux fuisti in misericordia populo, quem redemisti.*

33. *Et obstetricante manu eius, eductus est coluber tortuosus.*] Hic miri sunt Interpretes, & varii. Est, qui ex meteoris aliquid hic significari putet, fulgur videlicet, aut fulmen, quæ sic emicant aut vibrantur e nubibus, vt flexus imitentur & spiras, in quas se sinuant conuoluuntque serpentes. Et quidem fulmen a Lucretio igneus dicitur vortex *lib. 6.*

Cadit igneus ille
Vortex, quod patrio vocitamus nomine fulmen.

34. *Angeli lapsus Iobo cognitus.* Alii Luciferum esse putant, qui in sacris literis coluber ac serpens dicitur, tortuosus nempe, quia habitus ille colubro familiaris est: neque est verisimile, ignotum esse Iobo lapsum angeli: & quomodo serpentis specie parentes primos ad peccandum induxerit. Neque est improbabile, eo tempore diabolum ab Idumæis serpentem vocari tortuosum, tum quia serpens sinuat sese multiplici volumine, tum quia callidus est, & suas fraudes variis spiris & flexibus occultat. Ita putant S. Thomas & Gregorius, & cum his e recentioribus plurimi. Dicitur autem, vt ait S. Thomas, & ex eo alii, eductus ille coluber obstetricante diuina manu, quia sicut obstetrix mortuum fœtum sic ex maternis vberibus extrahit scienter & caute, ne quid ex illo infelici partu mater patiatur incommodi: sic Deus e cœlo cœtuque sanctorum spiritus depulit apostatas, vt tamen bonorum angelorum maneret intemerata societas, neque ex cœlorum ornamento, quod angelos esse putabat S. Thomas, quicquam cadente colubro decideret. Hæc explicatio contemnenda non est, quia magnos habet patronos, neque ipsa videtur a textu violenter extorta, & docent non obscure LXX. dum vertunt: *Præcepto autem peremit draconem desertorem.*

Neque tamen est improbabilis illa, quæ in 35.
colubro illustre aliquod cœlorum ornamentum agnoscit: quod per synecdochen alia complectitur ornamenta, quibus cœlorum pag. 327. a
variatur & illuminatur species. Quod tamen illud sit, obscurum est. Vatablus viam lacteam esse meditatur, in qua stellarum multæ sunt & speciosæ formæ, & ipsa sua longitudine & flexu serpentis refert aliqualem imaginem. Vallesius *cap. 47. de sacra Philosophia* de Zodiaco sermonem esse putat, qui obliquus est, & illustribus excolitur ac distinguitur signis. Sed alii communiter constellationem illam esse credunt, quæ vtramque diuidit, & duobus sinibus vrsam amplectitur. Quæ constellatio nota est valde, tum quia nunquam absconditur, & nobis, & his, qui Syriam incolunt, id est, eam regionem, quam colunt Idumæi; tum etiam, quia speciosa est, & in illa cœli plaga, quam homines obseruant maxime, quia in ea duæ sunt vrsæ, Cynosura & Helice, quæ nocturno tempore horarum discrimina distinguunt. Quare ratio non defuit, cur huius constellationis Iobus meminerit, qui astrologiæ non erat ignarus, vt est verisimile, & quotidianos maximosque ex Borealibus signis capiebat vsus. Sane astrologum fuisse Iobum, ne- 36.
mo putabit incredibile, qui nouerit, astrologum magnum fuisse Abrahamum, imo & astronomicæ scientiæ nobilem doctorem. De quo sic apud Eusebium *lib. 9. de præpar. cap. 4.* Eupolemus auctor antiquus: *Vixit* *Abraham astrologus.*
Abraham in Heliopoli cum sacerdotibus, a quo illi astrologiam didicerunt: quam tamen ille non se inuenisse, sed ab Henoc per successionem traditam esse fatebatur. Idem tradit Iosephus *lib. 1. Antiquit. cap. 9.* Quod si externos a suo genere astrologiam docuit Abrahamus, non est verisimile, commissurum illum, vt sui posteri illius scientiam & vsum ignorarent. Quare ab illo didicit Isaac, & ab hoc Iacobus, & Esau, qui fuit Idumæorum pater, & ab

ab hoc vsque ad hanc Iobi ætatem per manus acceperunt Idumæi. Sane alia ſidera notaſſe Iobum, & illorum virtutem & proprietatem agnouiſſe, probat illud eiusdem Iobi *cap. IX, 9. Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyades, & interiora Auſtri.* Et quaſi de re Iobo non ignota dixit ad illum Deus *cap. XXXIIX, 31. Numquid coniungere valebis micantes ſtellas Pleiades, aut gyrum Arcturi poteris diſſipare?* Vt autem hic per ſynecdochen pauca hæc pro omnibus ſumuntur, ſic etiam per eandem figuram in ſerpente tortuoſo, qualis in boreali cœli plaga deſcribitur, omnia ſidera, & cœli ſpecies tota deſcribitur; deinde ſicut alibi illuſtria & ſpecioſa commemorantur ſigna, quæ ſua conformatione ac luce magis cœlum illuminant: ſic modo ſerpentis borealis, qui tortuoſus eſt, nomen auditur, quia pulcher, neque vnquam ſub orizonte demergitur. De quo audi, quid ex Arati Phænomenis Cicero *lib. 2. de natura Deorum*, qui cum duas deſcripſiſſet vrſas, ſubiecit:

Has inter veluti rapido cum gurgite flumen
Toruu' draco ſerpit ſubter ſupraque revoluens
pag. 327. b *Seſe, conficiensque ſinus e corpore flexos.*
Eius cum totius eſt præclara ſpecies, inprimis ſuſpicienda eſt figura capitis, atque ardor oculorum.
Huic non vna modo caput ornans ſtella relucet,
Verum tempora ſunt duplici fulgore notata.
E trucibusque oculis duo feruida lumina flagrant,
Atque vno mentum radianti ſidere lucet.

37. Dicitur autem obſtetricante diuina manu eductus ſerpens, Idumæorum, opinor, familiari ac prouerbiali forma: quia cœlum, quod primum a ſideribus vacuum creatum eſt, deinde peperiſſe ac produxiſſe videri potuit ſtellas, quaſi germina quædam, aut filios, quos in ſuo contineret & foueret amplexu. Quos vt in lucem ederet, acceſſit Dei, quaſi obſtetricis, aut, vt Poëtæ nugantur, Lucinæ magnus, quæ eu[illegible] in lucem ho-minumque conſpectum, id quod tanquam in ſemine cœlorum virtus, & tanquam vterus a principio conceperat. Hic porro loquendi modus Idumæis in eadem materia inuſitatus non eſt, qui pariendi, gignendi, aut etiam parentum vocem, in rebus etiam inanimatis vſurpat: vnum *cap. XXXIIX. Iobi* plura nobis exempla ſuppeditat, in quo *v. 28.* ſic ad Iobum loquitur Deus: *Quis eſt pluuiæ pater? vel quis genuit ſtillas roris? de cuius vtero egreſſa eſt glacies? & gelu de cœlo quis genuit?* Cum autem hic *generationem & vterum* ſpectemus, quid mirum, ſi obſtetricis nomen & manum audiamus?

Verſ. 14. *Ecce hæc ex parte dicta ſunt viarum eius.*] *Via* in Scriptura idem eſt, quod opus: quare viæ Domini opera Domini ſunt. Cum multa Iobus diuinæ virtutis documenta prodiderit, quorum vim ac ſpeciem admirantur homines, comparatione tamen illorum, quæ ſilentio premit, perinde ſe habere dicit, atq; ſtillam cum magno flumine, aut etiam oceano, aut ſcintillam exiguam, cum ignea regione, aut cum toto cœlo tonante & fulgurante comparatam. *Stilla ſermonis* vox eſt exilis & breuis, quam vix audire poſſunt aures proximæ: quæ metaphorica locutio eſt. Sicut enim *ſtillo* interdum idem eſt, quod loquor, vt conſtat ex *Ezech. XX, 46. & XXI, 2.* ſic etiam *ſtilla* ſermo eſt, breuis tamen, vt dixi, & aliquid ſonans obſcurum & exile. Neque aliena eſt duraque translatio, cum ſtilla non a ſono & tonitruo, ſed a materia liquida & fluida ſumatur. Quia tonitruum plerumque nimbus comitatur, ſeu procelloſus imber, & hunc reſpexit ſtilla potius, quam fragorem & horribilem ſonitum, qui quaſi Dei gemitus eſt, parturientis, & edentis, atque vibrantis fulmen, ſuæ indignationis monſtroſum & a Deo alieniſſimum partum. Eſt enim a miti liberalique natura alienum ac peregrinum opus, in alios ſæuire, & acerbe mulctare, vt dixit Iſaias *cap. XXIIX, 21. Dominus iraſcetur, vt faciat opus ſuum, alienum opus eius, vt operetur opus ſuum, peregrinum eſt opus eius ab eo.* 38.

Deus quaſi inuidus Gulnemi & punit.

ARGVMENTVM CAP. XXVII.

PErſequitur adhuc Iobus, quem inſtituerat ſermonem & iuriſiurandi interpoſita religione confirmat, ſe nihil de priori ſententia mutaturum:

rum: Quod videlicet tam iusti in hac vita, quam scelerati dura patiantur a Domino, qui illos punire tanquam scelerum reos vult, aut duris probare, & exercere experimentis. Quod vt probet, a seipso sumit argumentum, qui cum nullius pungatur sceleris conscientia, duros tamen a diuina manu sentit aculeos. Deinde quam grauia in hac vita, quamque insperata patiantur iniusti, & eorum posteri, & quid post mortem timere debeant, eleganter docet.

CAPVT XXVII.

1. ADdidit quoque Iob, assumens parabolam suam, & dixit:

2. Viuit Deus, qui abstulit iudicium meum, & omnipotens, qui ad amaritudinem adduxit animam meam.

3. Quia donec superest halitus in me, & spiritus Dei in naribus meis.

4. Non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium.

5. Absit a me, ut iustos vos esse iudicem: donec deficiam, non recedam ab innocentia mea.

6. Iustificationem meam, quam cœpi tenere, non deseram: neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.

7. Sit vt impius, inimicus meus: & aduersarius meus quasi iniquus.

8. Quæ est enim spes hypocritæ, si auare rapiat, & non liberet Deus animam eius?

9. Numquid Deus audiet clamorem

PARAPHRASIS.

1. Cum amicorum responderet, aut obstreperet nemo, pertexuit Iobus, quem instituerat sermonem auctoritatis plenum, dignumque, ne vnquam ex posterorum excideret memoria, aut ex hominum familiari congressu.

2. 3. 4. Per Deum viuum & immortalem iuro, qui durius se gessit mecum, quam cum aliis, quorum in hac vita temporali pœna peccata castigat, quique me voluit vitam agere ægram & amaram, quia donec vitalem hausero spiritum, neque erepta fuerit respirandi facultas, quod neque quicquam loquar in materia, de qua nobis disceptatio, quod ab æquo iustoque deficiat, aut meditabor, quod a vero sinceroque recedat.

5. 6. Non committam, vt vos recta sentire aut iudicare dicam, dum obstinato & frequenter affirmatis, a Deo non nisi sceleratos & impios acerbe vexari. Quare, quia ex dolorum, quos patior, grauitate sceleratum me esse tam constanter asseritis, ad mortem vsque innocentiæ meæ defensionem persequar, in qua iustorum omnium causam suscepisse videor, quos aliquando exercet & vexat in hac vita fortuna seuerior. Probabo itaque, quod facere institui, omnem a me abfuisse malitiam, neque id insipienter dixisse videor, aut temerarie, cum nullius me sceleris conscientia reprehendat aut pungat.

7. 8. Vos quidem, o amici, illos putatis esse iustos, qui humanis commodis abunde circumfluunt, cum tamen constet illorum multos esse sceleratos. Quorum is tandem erit exitus, vt si optare velim, aut liceret inimicis magnum aliquod malum, non aliud precarer, quam quod fortunatis hisce ad extremum impendet. Quid enim sperare potest, qui sub fucata religionis specie eo præceps rapitur, quo vocat auaritia. Qui cum Deum infensum habeat, ab illo impendentis mali nullum obtinebit effugium.

9. 10. Numquid huiusmodi simulatorem

Deus,

eius, cum venerit super eum angustia?

10. Aut poterit in omnipotente delectari, & inuocare Deum omni tempore?

11. Docebo vos per manum Dei, quæ omnipotens habeat, nec abscondam.

12. Ecce, vos omnes nostis, & quid sine causa vana loquimini?

13. Hæc est pars hominis impii apud Deum, & hæreditas violentorum, quam ab omnipotente suscipient.

14. Si multiplicati fuerint filii eius, in gladio erunt, & nepotes eius non saturabuntur pane.

15. Qui reliqui fuerint ex eo, sepelientur in interitu, & viduæ illius non plorabunt.

16. Si comportauerit quasi terram argentum, & sicut lutum præparauerit vestimenta.

17. Præparabit quidem, sed iustus vestietur illis: & argentum innocens diuidet.

18. Ædificauit sicut tinea domum suam, & sicut custos fecit vmbraculum.

Deus, cum calamitas ingruat, clamantem exaudiet, aut illum recreare poterit, aut consolari diuina benignitas? aut inuocare audebit patronum & vindicem, cum nihil afferat, quo demereri sibi possit diuinam clementiam, aut inire gratiam ab offenso Deo?

11. 12. Quando loquendi mihi otium & facultatem datis, ne illa abusus esse videar, docebo vos, quod a Domino aspirante didici: nec abscondam quod Dominus probet & commendet. Et quidem vos optime nostis, quæ de diuina prouidentia a me dicentur, in eo tamen vehementer erratis, quod oratio vestra parum est opportuna & prorsus inutilis.

13. Discite iam igitur a me, quam sortem sperare possint impii a Deo. Et quis ab illo maneat exitus illos, qui per vim & fraudem in pauperum iura & possessiones irruperunt.

14. 15. Videte, quam sit illorum momentanea incertaque felicitas, quam tristis exitus, quam dira & execranda calamitas. Si abundauerint impii numerosa sobole, & rebus omnibus ad domesticos vsus & domus ornamenta necessariis, his omnibus tandem spoliati contrariam experientur fortunam. Nam & filii gladio cadent hostili, & eo necessitatis adigentur nepotes, vt ad explendam famem panis deficiat. Si qui ex impiorum filiis reliqui fuerint ab hostili ferro, non tamen magis honestam consequentur sepulturam. Sic enim sepelientur, vt videri possint omnino periisse, cum non inferantur pretioso tumulo, qui illorum ad posteros memoriam transmittat, neque comitetur vxorum iam viduarum lugubris planctus; sed vt in bellica strage, aut pestilenti clade aceruatim cum aliis cadaueribus proiiciantur in foueam, vbi sine vllo funeris honore putrescunt.

16. 17. Si eam vim ac pondus argenti congesserit, vt cum puluere comparari possit; & cum vestimentorum instructum, luculentamque supellectilem, vt luti proluuies nihilo sit maior, ipse quidem in illis congerendis laborabit moleste, iustus tamen fruetur argento, quod alienus sudor comparauit, & illis induetur vestimentis, quæ aliorum sumptibus contexta sunt.

18. Cuius domus non aliam habebit firmitatem, quam domus tineæ, quæ dum ædificatur, illius arroditur perforaturque materia; aut vmbraculum, quod vineæ aut cucumerarii custos

stos excitauit; quod peracta vindemia, aut collectis fructibus statim ab eo, qui construxit, custode dissolvitur.

19. Dives cum dormierit, nihil secum auferet: aperiet oculos suos, & nihil inueniet.

20. Apprehendet eum quasi aqua inopia, nocte opprimet eum tempestas.

19. 20. Diues cum diem obierit extremum, & mortis somnus tandem obrepserit, ex tot opibus, hauddubie, nihil auferet secum; Aperiet tunc oculos, quos ad illum vsque articulum stupor & auaritia clauserant, & cum euigilauerit ex illo profundissimo veterno, vacuum se ab omnium diuitiarum aceruo deprehendet. Et cum se ab omni aduersitate securum esse putet, quasi subitus nimbus in nocturna caligine viatorem incautum, sic illum repentina comprimet egestas.

21. Tollet eum ventus vrens, & auferet, & velut turbo rapiet eum de loco suo.

22. Et mittet super eum, & non parcet: de manu eius fugiens fugiet.

21. 22. Auferet eum de suo statu ac loco ventus præceps & vrens, qualis est ille, qui spirat a deserto, & turbinis in modum circumactum abripiet. Quæ omnia in impiorum caput immittet Dominus infensâ manu, qui si quam potuerunt celerrime fugiant vltorem Deum, non tamen effugient, insequetur enim illos & assequetur diuina maledictio.

23. Stringet super eum manus suas, & sibilabit super illum, intuens locum eius.

23. Tunc autem Deus, videns, quem in locum ceciderit superborum hominum arrogantia, manuum complosione & subsannante sibillo illorum lacrimis insultans, quam illorum ruina delectetur, ostendet.

Vers. 1. *Addidit quoque Iob assumens parabolam suam.*]

pag. 330. a 1. Cessarat, vt apparet, Iobus aliquamdiu absoluto sermone, de quo proxime, expectabatque, donec aliquis amicorum, sicut antea fecerant, aut noua obiiceret, aut ad ea, quæ modo dixerat, responderet. Sed nemo ausus est rursus ad stadium redire, & cum athleta strenuo toties debilitatos conserere lacertos, & explorare vires, quas iam sæpe expertus fuerat superiores. Quare cum modice Iobus respirasset a contentione dicendi, neque vllus obstreperet, sermonem pertexit, & assumptis viribus nouam etiam parabolam assumit. Est autem *parabola* oratio grauitatis & auctoritatis plena: Hebraice משל *masal*, quæ vox dominari significat, & præcipuum aliquem locum inter alios tenere. Tales autem sunt, quæ parabolæ dicuntur, quæ etiam prouerbia vulgus appellat, quæ quia graues sunt sententiæ, & plerumque ad mores & prudentem rerum vsum accommodatæ, frequentes sunt in hominum ore. Quales fuerunt Salomonis Prouerbia, quæ præcepta sunt ad conformandos honeste mores opportuna. Licet autem parabolæ similitudinem aliquam & comparationem importent, inuoluantque plerumque aliquid obscurum & affine ænigmati, non tamen illud necesse est, dum modo grauis sit vtilisque sententia. Quales multæ sunt in Salomonis Prouerbiis, & in hoc Iobi libro, ex pag. 330. b quo multæ videntur in vulgus emanasse proverbiales formæ; quia omnium librorum antiquissimus, certe crebræ ad illum in Scriptura allusiones sunt. Sicut ex Homero Poëtarum primo, aut saltem ex primis, multa in vulgus prodiere prouerbia. Quare optime Iobus dicitur assumpsisse, id est, sicut antea sæpe continuasse parabolas, quibus liber totus

respersus est, id enim valet illud: *Addidit assumens*, id est, iterum assumpsit. de quo loquendi modo sæpius a nobis dictum est.

2. *Quis sit sensus huius iuramenti,* viuit Dominus.

Vers. 2. *Viuit Deus, qui abstulit iudicium meum.*] Hanc iurisiurandi concipiendi formam videntur Idumæi a suis progenitoribus accepisse: certe cum Hebræis habuisse communem, quibus tale iuramentum familiare fuit. Iurabant per Deum viuentem, quo iuramento significabant, Deum solum, quem ipsi colebant, viuere: reliquos vero, quibus diuinum nomen tribuit delusa gentilitas, mortuos esse, & tantum hominum ex ligno & marmore ficta simulacra. Aut certe dum viuentem Deum testem aduocant, illud hoc interposito augusto & sacrosancto nomine confirmant, tam esse verum, quod ipsi asserunt, quam est verum, immortalem Deum in æter-
pag. 331. a
num viuere. Quod vero Iobus affirmat interposita iurisiurandi religione, non est quod proxime sequitur, sed quod deinde versu 3. & 4. continetur.

3. *Qui abstulit iudicium meum.*] Hic locus a nobis explicatus supra *cap. VI.* vbi diximus, Deum durius se gessisse cum Iobo, quam cum aliis, quorum in hac vita temporali supplicio peccata castigat, cum alii multo peccarint frequentius & turpius, & tamen illorum nemo tamdiu fuerit ac tam dure vexatus, aut certe Deum in exercendo Iobo non iudicem egisse, qui peccata puniat, sed patrem, qui filiorum vtilitati prudens atque beneuolus inuigilat. Quare iudicium, quod, si vulgarem sequeretur puniendi modum in hoc mortali statu, egisset multo mitius, abstulit; quia reuera iudex non est in hac carnificina, sed pater, qui filium exercet, vt instruat & ornet: non vt reum confundat, obscuret, & excruciet. Vide plura *ad citatum locum.*

4. *Quid spiritus in naribus.*

Vers. 3. *Quia donec superest halitus in me, & spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem.*] Vt hæc Iobus amicis persuadeat, iurisiurandi religionem obtendit. Affirmat autem, se nunquam commissurum, quamdiu communi atque vitali spiritu fruatur, vt aliter loquatur ac sentiat: & sciens ac prudens dicat, in quo deprehendi ab aliis possit iniquitas, & quod meretur, alii impietatis aut iustitiæ violatæ coarguant. Ille porrò dicendi modus, quo vita significatur, vsitatus est tam sacris, quam profanis: halitus enim, aut vitæ causa est, quæ spirando ducitur, aut vitæ in corpore latentis, & illud animantis indicium. Quare sæpe audimus, *dum spirare dabitur*, id est, dum vitæ mihi dabitur vsura. Æneas sic ad Didonem apud Virgil. *lib. 4.*

---Neque me meminisse pigebit Elissæ
Dum memor ipse mei, dum spiritus hos reget artus.

Porro *spiritus* dicitur esse in *naribus*, quia licet per os frequentius, sæpe tamen per nares, idque plerumque manifestius efflatur.

Vers. 4. *Non loquentur labia mea iniquitatem: nec lingua mea meditabitur mendacium.*] 5.
Non de qualibet materia loquitur Iobus, vt apparet, sed de illa tantum, de qua cum amicis disputatio suscepta; dixerat autem confirmaratque multis, non solos impios in hoc mortali statu vexari duriter, aut solos iustos liberali manu a Deo cumulari bonis, sed etiam bonis mala, & impiis bona aliquando contingere. Quod vt affirmauit ante constanter, sic nunc se tenere mordicus affirmat (quia oppositum iniquum esse putat; & falsum) vsque adeo, vt nullam esse dicat tantam vim, quæ cogat, aut tantam eloquentiam, quæ suadeat, se prius dixisse aut sensisse falsum, aut ab ea sententia, quam amplexus fuerat, esse recedendum. Quod si manus daret his, qui contra sentiunt, & dum Dei causam tueri se putant, aut simulant, illam oppugnant potius, & produnt, & cum illis in ea disceptatione sentiret, iniquus prorsus esset & mendax, cum aliter de Deo iudicaret, quam quotidiana docet experientia: vnde optime sequitur.

Vers. 5. *Absit a me, vt iustos vos esse indi-* pag. 331. b
cem, donec deficiam, non recedam ab innocentia 6.
mea.] Iusti non erant, qui de Deo falsa, & de iustis iniqua cogitabant, cum dicebant, a Deo non nisi sceleratos & impios acerbe vexari, qua cogitatione iustis non leuem irrogabant iniuriam, quorum e numero non pauci vrgentur inopia, cum morbis ac plagis conflictantur assidue, ab impiis denique nonnunquam tyrannicum in morem conculcantur. Hi autem iam illorum iudicio graui inuruntur

nota,

nota, qui a iuſtis remouent, quicquid hominum opinione iudicatur aduerſum. Et contra, illos iuſtos faciunt, Deoque non ingratos, qui quantumuis viuant ſcelerate ac barbare, viribus tamen pollent, opibus abundant, fortunati denique hominum iudicio exiſtimantur. Hi porro quomodo iuſti iudicari debent a ſano incorruptoque iudicio? cum dicant bonum malum, & malum bonum, quod omni legi atque æquitati repugnat. Cum autem ad iudicii huius iniqui confirmationem exemplo vterentur ipſius Iobi, qui non videbatur tam eſſe cruciandus vehementer, niſi talia admiſiſſet ſcelera, qualia illi obiiciuntur ab amicis a dæmonis ſuggeſtione deluſis. Quod argumentum, vt diſſoluat Iobus, quam poteſt conſtanter & ſtudioſe, ſuam tuetur innocentiam, dicitque, iniuſtis ſuæ virtutis oppugnatoribus dandam eſſe prius vitam, quam manus. Hoc enim valet, *donec deficiam, non recedam ab innocentia mea*, ſcilicet defendenda, id eſt, donec extremum halitum efflauero. Quod ſtatim explicuit magis, cum dixit: *Iuſtificationem meam, quam cœpi tenere, non deſeram.* In quo, vt opinor, Iobus non tam voluit ſuam, quam iuſtorum innocentiam ab hac iniuſtiſſima calumnia tueri: quorum multi grauia patiuntur incommoda ab illis, quorum vita turpiſſima, & magis nihilominus lætioris fortunæ commodis abundant.

7. *Iobus nullius peccati ſibi conſcius.*

Verſ. 6. *Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.*] Non negat Iobus ſe peccaſſe; ſed nulla ſe compungi peccatorum conſcientia. Fieri enim poteſt, vt teſtem aliquis habeat Deum ſcelerum multorum; neque ipſe tamen vllius conſcius ſit. Quod dixit Iobus ipſe perſpicue *cap. IX, 28. Verebar omnia opera mea, ſciens, quod non parceres delinquenti.* & *cap. X, 4. Numquid oculi carnei tibi ſunt, aut ſicut videt homo, & tu vides?* Neque ſemel petit a Deo ſibi peccata dimitti. Quod multis poſt ſæculis dixit Paulus *1. Corinth. IV, 4. Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum: qui autem iudicat me, Dominus eſt.* Sed ſane magnum eſt, aliquem, qui modo in profligata vita non obduruerit, & in belluinum furorem non degenerarit, nullam alicuius ſceleris habuiſſe conſcientiam; vnde colligere Iobus non temere potuit, ſe non eſſe inter illos numerandum, quorum vita eſt ingentibus onerata flagitiis, quique ſummi cenſentur peccatores, atque ideo ſe grauius, quam communis & vſitata lex ferebat, a Domino torqueri.

8. Verſ. 7. *Sit vt impius inimicus meus.*] Multis explicationibus patet hic locus. Illa placet minus, imo omnino diſplicet, quæ putat, Iobum ſuis inimicis, illis nimirum, qui in hac pag.332. a contentione contrarias tuentur partes, aut qui ipſum ludibrio habent, aut opprimunt iacentem, aliquid precari durius, nempe vt talia patiantur, qualia illi, qui iniqui iudicantur & impii, & magnorum criminum aguntur rei. Ita Græci Patres *in Catena*, ſecuti LXX. translationem, qui ſic legunt: *Veruntamen ſint inimici mei, & qui ſuper me inſurgunt, ſicut perditio impii.* Quos ex Latinis aliqui, neque vulgaris notæ ſecuti ſunt. Sed, vt bene notauit Beda, non eſt credibile, illum inimicis imprecaturum eſſe malum, qui illorum infortuniis potius condoluit, vt ipſe docuit *cap. XXXI, 29. Si gauiſus ſum ad ruinam eius, qui me oderat, & exultauit, quod inueniſſet eum malum; Non enim dedi ad peccandum guttur meum, vt expeterem maledicens animam eius.* Quare potius exiſtimat, hoc a Iobo ſpiritu prophetico, quam maledicentis voto dictum eſſe.

9. Alii contra omnino ſentiunt: & in *iniquo* atque *impio* Iobum ipſum ſignificari cenſent, cum aliqua tamen ironia; in hunc ſenſum: vos me iniquum appellatis & impium, vtinam huic impio & iniquo, mihi videlicet, ſimiles eſſent omnes inimici atque aduerſarii mei. Iuxta quem ſenſum non tam aduerſariis precatur malum, quam optat bonum, bonam nimirum mentem & religioſum animum.

10. Alii retorqueri exiſtimant in amicos illuſores & impugnatores acerrimos illud conuitium, quod de ſe Iobus ab illis non ſemel audierat. Ac ſi vos me iniquum appellatis, quia a Deo in hac vita ornari dico, item vexari dure iuſtos & iniuſtos: Ego contra in iniquorum & iniuſtorum loco, numero illos, qui contra ſentiunt, nempe ornari tantum bonos, malos puniri; vbi notanda Iobi prudens modeſtia: non enim abſolute hos impios & iniquos

quos vocat, ſed cum adiunctione, quaſi impios, quo modo *cap. II, 10.* vxorem non ſtultam appellauit, ſed quaſi ſtultam: *Quaſi vna,* inquit, *de ſtultis mulieribus locuta es.*

11. Ego ad has explicationes, aliam adiungo, meo iudicio, non difficilem, ſi tamen hic particulam conditionalem intelligas. Dixerat Iobus ſæpius, impios in hac vita cumulari bonis, & a ſtulta multitudine haberi fortunatos, cum tamen illos ad extremum durus exitus maneat, & ſi ad extremum vsque halitum duret afflantis fortunæ lenis atque fœcunda aura, quod non vsque adeo perpetuum eſt, reflauit tamen poſteris, & in familia tandem omnino deficiet. Hoc optime & late *cap. XXI.* quod argumentum *hoc* etiam *capite* eodem prope modo perſequitur. Significat ergo Iobus, ſe non inuidere impiorum fortunæ, quantumcumque illa leniter aſpiret, & quicquid eſt in rerum natura ſpecioſum, cumulate circumferat: quia exitum habet, qualem qui recte ſapiunt, execrantur & horrent: & quod de Moyſe prodidit Paulus *ad Hebr. XI, 25.* magis eligere affligi cum populo Dei, id eſt, cum bonis, quam temporalis peccati habere iucunditatem. Dixit ergo Iobus: Vos, o amici, illos putatis eſſe iuſtos, qui humanis commodis abunde circumfluunt, cum tamen conſtet, illorum multos eſſe vitæ profligatæ ac perditæ. Quorum is tandem erit exitus, vt ſi optare velim, aut liceret inimicis magnum aliquod infortunium, non aliud ego precarer, quam quod fortunatis hiſce ad extremum impendet: de quorum moribus ac vita non fortuna prior, ſed ſupremus dies iudicare debet, qui longe differre ſolet a primis.

pag 332. b

12. *Hypocritæ vana ſpes.* Verſ. 8. *Quæ eſt enim ſpes hypocritæ, ſi auare rapiat, & non liberet Deus animam eius.*] Hæc referri poſſunt ad Iobum, quaſi ſignificare velit, ſe vsque adeo non eſſe ſtupidum, vt velit ſpeciem nudam habere ſanctitatis, non veram ſanctitatem. Et dum alienam accipit imaginem, qua ſe humanis oculis religioſum venditat, diuinis talis apparet, qualis re vera eſt: Neque Dei meretur beneuolentiam, qui non externo capitur fuco, ſed vera & ſolida virtutis ſubſtantia, cuius animam non liberat a morte, videlicet æterna, quam non effugiet, dum externa ſanctitatis imagine contentus auare tamen furatur; & dum ſuam domum per vim ornat & fraudem, alienas ſuis ornamentis & commodis expoliat. Sed licet de æterna hypocritarum morte intelligi poſſit præſens hic locus, tamen de humanis incommodis potius capiendum arbitror, & temporaria morte, a quibus Deus non liberabit hypocritam, qui illudere ſe poſſe credit diuinis oculis, & in illam induci fraudem, in quam homines falſa rerum imagine trahuntur. Hoc probant omnia, quæ deinde ſuccedunt, quæ aliquid olent temporarium & humanum, vt eſt illud, quod proxime ſubiicitur: *Numquid Deus audiet clamorem eius, cum venerit ſuper eum anguſtia?* Porro *animam eius*, idem eſt quod *ipſum:* vt enim a nobis dictum eſt ſæpe, *anima hominis*, idem eſt, quod *homo.*

Sed credo, hæc referenda eſſe ad impios illos, qui ab amicis Iobi putabantur eſſe fortunati, qui humanis commodis & ornamentis abundabant, & inani religionis vmbra contenti, quocunque illos libido aut auaritia vocaret, ſine vllo rationis aut pudoris fræno rapiebantur. Quibus tanta ab offenſo Deo impendebat calamitas, tam acerbus exitus, vt nihil hoſtibus optari poſſet durius, nihil a Deo impetrari moleſtius. Horum autem infelicitatem ex eo probat eſſe maximam, quia Deum ſibi infenſum habent, neque cum durum aliquid patiantur, aut timeant, ab illo impendentis mali conſequentur effugium. Sane ille quantumcumque diuitiis atque deliciis affluat, dicaturque ab imperito vulgo fortunatus, non poteſt a prudentibus rerum æſtimatoribus non vocari miſerrimus. Quia dum fortuna ridet, conſcientia pungit & inter humanæ vitæ delicias mordet & lacerat conſcium animum: & dum amicos habet plaudentes aſſentatione fallaci ac blanda, Deum timet, quem ſibi propter male corruptos mores infenſum ſuſpicatur. Neque ſperat in anguſtia ab illo patrocinium, quia Deum non aduocat, & allicit virtutis & religionis vmbra, ſed pondus. Ex hoc patet duorum verſuum, qui ſuccedunt proxime, ſententia. 13.

Verſ. 9. *Numquid Deus audiet clamorem eius, cum venerit ſuper eum anguſtia*] Hic verſus a nobis explicatus eſt proxime, qui valde pag. 333. a 14.

impii

impii atque hypocritæ miseriam amplificat, cum ad diuinam misericordiam accessum facilem non habeat, neque in rebus angustis omnipotentis sperat patrocinium.

15. *Hypocritæ molesta vita, qui a Deo consolationem non habet.* Vers. 10. *Aut poterit in omnipotente delectare, & inuocare Deum omni tempore?*] Viro hypocritæ atque impio non potest esse vita non molesta, cum quotidie occurrat durum aliquid, quod quietem turbet, animum contrahat, & omnem ad bene sperandum aditum occludat. Quem oblectare benefactorum conscientia non potest, quæ, vbi absunt cætera, mœrentem animum consolatur & hilarat, cum multorum scelerum reum se esse non ignoret. Quem spes non confirmat & erigit, qui ad offensum Deum orare non audet; aut si quando se dederit in preces, exorare, quod orat, non sperat. At iustum sic premit, vt non opprimat dolor; sic laborat, vt non deficiat: sic orat, dum rebus vrgetur angustis, vt non desperet suarum calamitatum leuamentum. Denique vbi cætera vel vitæ subsidia, vel mœroris solatia defuerint, adest recte factorum præsto conscientia, quæ molestiam detergit, & bene in duro malorum conflictu sperare nos iubet, cum a nobis stare existimemus diuinum auxilium, quod iam diu vita nostra honeste & religiose conformata sollicitat. Hoc sane Ioannes *1. epist. III, 21.* magnum in omni aduersitate solatium putabat: *Charissimi*, inquit, *si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: & quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quia mandata eius custodimus.*

16. *Deus spectator & testis iusti in conflictu consolator.* Sed habent præterea iusti suas in ipsa laborum tolerantia delicias, seque in Deo vehementer oblectant, vel hac vna consideratione, quod Deum spectatorem habent, qui probe nouit, quo quisque animo stadium sit ingressus, quam constanter & legitime certet, quo præmio muneret strenue certantes, denique quam gratum sit Deo spectaculum, intueri de cœlo robustum & alacrem athletam, cum mala fortuna compositum: neque tamen illius succumbentem oneri: quod de suo Ioue illustrati tantum naturali lumine docuere Gentiles. Sic sane Seneca *de prouidentia cap. 2.* Quam sententiam nos late tractauimus supra *cap. IX.* ad illud, *vers. 23.* *Et non de pœnis innocentum rideat.* Certe Habacuc *cap. III, 16.* in illis rerum angustiis, in quibus nunc iacebat Iobus, aut certe non longe dissimilibus, gaudendum sibi, & exultandum canebat in Deo: *Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat*, vbi subaudio conditionalem *si*, id est, *si ingrediatur putredo.* Quod tunc patiebatur Iobus in suo stadio atque sterquilinio: *Si abscindatur de ouili pecus*, quod itidem illi accidit a Chaldæis, &c. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo*, id est, in hoc rerum adversantium conflictu, Dei me conspectus & memoria consolatur. Quod item meditabatur Iobus, cum angeretur maxime, ex quo mirum capiebat doloris leuamentum. Qui *cap. XIX.* illustratus a Deo, & mysterium resurrectionis edoctus, dixit *vers. 27.* *Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* pag. 333. b

17. Vers. 11. *Docebo vos per manum Dei, quæ omnipotens habeat: nec abscondam.*] Hæc credo a Iobo fuisse dicta, vt amicos doceret, qui temporalia commoda magnum aliquid esse arbitrabantur; quam hæc longe absint, vt faciant homines fortunatos; cum & illa leuia sint, quantumcumque durent, & instar fumi tandem repente vanescant. Quare neque ex horum bonorum abundantia prudenter colligunt amici Iobi, homines esse sanctos, & ex illorum defectu aut amissione peccatores, cum in illis nihil momenti sit, & interdum irati Dei potius quam beneuoli argumentum non leue. *Humana commoda longe sunt vt homines beent.* Quam igitur parum censeri fortunati isti possint, & quam alii parum infelices, docet *toto hoc capite* Iobus eleganter & late: & id se dicit accepisse a Deo speciali aliqua inspiratione ac lumine, prophetico videlicet, aut eo, quod non longe distat a prophetico, id enim indicat illud *per manum Dei.* Qui loquendi modus afflatum, vim, & impetum significat diuinum; vnde sæpe audimus, factam esse Dei manum super aliquem. Quare hoc dicendi modo, ardor quidam significatur & audacia, aut noua lux accepta, quibus Iobus vere & constanter docuit, quod audire maximopere expediebat illos, quos perniciosus ille error imbuerat.

18. Vers. 12. *Ecce vos omnes nostis.*] Nihil hic docet Iobus, quod tribus amicis fuerit oc-

cultum, cum hoc ipsum ab illis non semel audierit. De felicitate impii egerunt multis Eliphaz *cap. XV.* Baldad *cap. XIIX.* Sophar *cap. XX.* eodem pene modo, quo Iobus, sed spiritu longe diuerso. Interest enim maxime, veritatem eandem a dæmone vel a Deo doceri. Nam veritas eadem, & lux a Deo tradita oculos illuminat: eadem a dæmone oblata perstringit & obscurat. Hac veritate tres amici Iobum in errorem inducere student, inducti ipsi prius a dæmone: eadem Iobus amicis eripere conatur errorem, & in mentem meliorem adducere.

19. *Et quid sine causa vana loquimini?*] Vera dixerunt tres amici, importune tamen, neque suo loco ac tempore, in quo etiam dixisse videntur sine causa & vane, quia quæ antea dixerant, & quæ modo dicuntur a Iobo, non solum peccatoribus accidunt; sed etiam iustis, ex quo colligit Iobus: hæc humana commoda, quæ homines admirantur & captant, non esse tanti, vt censeri posſint seruatæ religionis argumenta: quando promiscue aut dantur, aut negantur iustis & iniustis. Neque illi existimari debent fortunati, si habeant, aut infortunati, si habuerint nunquam, aut si ab illorum bonorum possessione deciderint. Sine causa præterea de harum rerum inconstantia & futilitate disputauerant, quia cum deberent mœrentis animi dolorem consolando leuare; sic ista commemorant, vt magis augeant, cum ex eo efficiant, peccatorem esse Iobum, & illius fucatam sanctitatem. dixissent tamen non sine causa & vane, si quemadmodum facit hoc loco Iobus,
pag. 334. a affirmarent, de his bonis, quæ Iobus amiserat, & de his plagis, quibus tunc erat cum ingenti dolore deformatus, non esse admodum laborandum, cum neque faciant hominem fortunatum humana commoda; neque illorum iactura violatæ religionis argumentum sit, neque illa esse admodum quærenda & anxie conseruanda, quæ sua ipsorum natura defluunt & vanescunt: neque quantouis studio atque solertia retineri posſint.

20. Verſ. 13. *Hæc est pars hominis impii apud Deum.*] Incipit iam connumerare Iobus, quis impiorum felicitatem exitus excipiat: quod etiam fecerat *cap XXI.* Et describit elegantissime, qualis sit impiorum sors & hæreditas; instabilis nempe: quæque leui inclinatione, interdum sine vi extrinsecus illata deflorescit, & suapte natura, nullo pulsante aut impellente, corrumpitur.

Qualis impiorum hereditas, quam misera conditio.

Verſ. 14. *Si multiplicati fuerint filii eius, in gladio erunt, & nepotes eius non saturabuntur pane.*] Abundant interdum impii numerosa sobole, abundant opibus & rebus omnibus non solum ad necessarios vsus, sed etiam ad delicias & dignitatem affluentibus. Sed deficiet tandem illa quæ videri poterat fœcunda felicitas. Nam primum filii hostili cadent gladio: & res prius copiosa & lauta, sic attenuabitur, vt nepotes, id est, illorum nati, qui ferro ceciderunt hostili, non habeant in bonis, quo extremam famem vtcumque sustentent: Hæc est prima maledictio, quam in locupletes & fœcundos impios Iobus intorquet. 21.

Qui reliqui fuerint ex eo, sepelientur in interitu.] Omnes impiorum filii gladio peribunt: neque incommodat, quod loquendi modus, filiorum neminem indicat futurum reliquum a gladio, quia iuxta Scripturæ sacræ consuetudinem, cum ex magno numero pauci excipiuntur, omnes dicuntur aliquid operati, vel passi. Exempla sunt obuia, vnum accipe huic quam simillimum *Ierem. XLIV, 27.* *Consumentur omnes viri Iuda, qui sunt in terra Ægypti, gladio & fame, donec penitus consumantur.* Non poterat significari clarius, neminem a gladio & fame e Iudæorum numero fuisse relictum: nihilominus statim ostendit, nonnullos ex illa clade fuisse superstites: *Et qui fugerint*, inquit, *gladium, reuertentur de terra Ægypti in terram Iuda viri pauci.* Hi porro, quos hostile non attigerit ferrum, sepeliendi dicuntur in interitu. Quid porro hoc sit, obscurum est. Quidam *interitum* esse dicunt, aut sepulturam nullam; ita vt cadauer inhumatum putrescat: quæ ab Ieremia *sepultura* vocatur *asini.* Hæc autem, interitus vocari existimatur, quia qui eiusmodi sepulturam consequitur, totus perit, quia illius memoriam penitus obscurat obliuio. Nam qui nobilem nactus fuerit sepulturam, quæ defuncti memoriam ab obliuione vendicet, ille non videtur omnino periisse, quia quodammodo in saxo vivit, & in monumento, quod cineres claudit, & quotidie testatur, illum aliquan-

REGULA. *Cum ex magno numero pauci excipiuntur, omnes dicuntur aliquid operati, vel passi.*

23. *Mali quomodo dicantur omnino perire.*

aliquando vixisse; ita Interpretum nonnulli, quod mihi non displicet. Ego putabam, *interitum* idem esse, quod cladem, aut pestem: aut denique illud mortis genus, quo multi pariter moriuntur, vt in bello, quo tempore ea solet esse multitudo cadauerum, vt aceruatim proiiciantur in foueam, aut eodem, quo ceciderunt, loco inhumati tabescant.
34. Tunc autem neque honos illis exhibetur sepulturæ: neque est, qui vero, aut venali, & simulato planctu sacra peragat parentalia: quia nemo tam est a metu, aut periculo vacuus, vt funus curet alienum, & aliis impendat lacrymas, quas in proprio dolore deplorando consumsit. Hic autem, vt aliis sæpe locis obseruaui, *in interitu* subaudienda est similitudinis forma. in hunc sensum: Sepelientur, sicut fieri in interitu solet, id est, in magna clade, aut in bello, vbi confusa cadauera proiiciuntur in foueam, aut insepulta manent, vt coruos pascant, vultures & canes. Talia descripsit funera, aut tales sine funebri honore clades Ieremias *cap. XVI, 4. Non plangentur, & non sepelientur, in sterquilinium super faciem terræ erunt.* & iterum *cap. XXV, 33.* Non alius honor sequetur illorum interitum, qui parentibus impiis nati sunt.

24. *Indeplorata quorundam mors.* In *viduarum* planctu lugubrique ploratu duo ego considero. Viduæ autem illæ sunt, quæ violentorum atque impiorum nupsere filiis. Hæ vero non plorabunt, quæ licet cupiant coniugum funeri pias impendere lacrymas, non tamen audebunt, quia alii, quibus defuncti coniuges odiosi fuerant, plorare non sinent. Quod accidit Iudæis, qui captiui eo tempore tenebantur apud Babylonios, quo capta est & excisa Hierosolyma. Tunc enim licet grauem ex patriæ vastitate cepissent dolorem, tamen Chaldæorum metu, quos exultare eo tempore ac triumphare videbant, nullam ausi sunt publice doloris significationem ostendere; sed potius vt a victoribus dominis gratiam inirent, dolentibus animis, coronati, & ficto ad hilaritatem vultu, Chaldæorum victoriam celebrabant. Quod Ezechiel actione quadam hieroglyphica prædixit *cap. XXIV, 16.* cui præcepit Dominus, ne in vxoris morte lugeret; sed potius coronatus, nuptiali videlicet, aut triumphali more, triumphum potius celebraret alienum, quam domesticum plangeret interitum. vide quid nos *in nostris Commentariis ad illum locum.* Iuxta hæc vxores viduæ in maritorum morte non plorabunt, quia timebunt, ne in se illorum concitent odium, quos exultare cernunt, sceleratis ac violentis hominibus morte sublatis, ac ne tandem accidat, quod de Horatia Romana prodit historia, quæ dum sponsi luget cædem, ipsa quoque eam ob rem eodem, quo sponsus, gladio confecta est.

Hæc videntur mihi non improbabilia, sed 25. probo magis, imo omnino *in planctu* non significari lacrymas & gemitus; sed funebrem honorem, qui exhiberi solet in parentalibus sacris, in quibus gentes magnos faciebant, & interdum supra facultatem immodicos sumptus. *Planctus pro funebri honore.* *Planctum* porro pro funerea pompa sumi; & eo honore, quo familiares & cognati defunctorum funus prosequuntur, docuit Hieronymus *epist. 25. ad Paulam de obitu Blasillæ*: *Planctus*, inquit, *non in plangentium exanimatione, sed in pompa funeris & exequiarum frequentia intelligendus est.* Et talem dicit esse planctum, quo Ægyptii sub hoc ipsum tempus, quo hæc a Iobo dicebantur, Iacobi funus prosecuti sunt *Genes. L.* Neque enim Ægyptii, quorum magna frequentia interfuit sepulturæ, ita erant animo in Iacobum molli, vt illacrymari ac plangere debuerint. Neque cum habitatores terræ Chanaan dixerunt, pag. 335. a *Planctus magnus est iste Ægyptiis*, audiebant illorum vlulatus, aut videbant lacrymas; sed videbant currus & equites, & ex Ægyptia nobilitate aliquos pullatos, qui septemdiales exequias magno apparatu Iacobi cineribus impenderunt. Illi vero sumptus fiebant ab Hebræis (quod etiam cum Idumæis habuisse commune verisimile est) in pompa funebrique epulo; vt multi, ne huic officio defuisse viderentur, ad inopiam fuerint redacti, de quibus sic Iosephus *lib. 2. de bello c. 1. in principio* de Archelao: *In funebri honore magni Iudæorum sumptus.* *Diebus*, inquit, *septem in lugendo patrem consumptis, epulisque feralibus prolixe populo exhibitis (hic autem mos apud Iudæos necessario multos ad inopiam redegit, nam qui eum neglexerat, impius æstimabatur) candida veste indutus procedit ad templum.* His positis viduarum ploratum & planctum, pro feralibus

ralibus sacris, & funeris impensis accipio: quas facere non poterunt vxores viduæ, quia pro illis non satis habebant facultatis, quia, vt proxime dixerat, impiorum nepotes, quorum istæ viduæ vxores fuerant, eo erant necessitatis adducti, vt neque pane saturari possent. Quæ necessitas vrgebit quoque viduas, quæ cum in necessarium victum sumptus non habeant, verisimile est, neque in funeris honorem habituras.

27. Vers. 16. 17. *Si comportauerit quasi terram argentum: & sicut lutum præparauit vestimenta: præparabit quidem, sed iustus vestietur illis,* &c.] Hæc aperta sunt, quorum ea est sententia, non solum opes, quas magno numero ac pondere congregabit violentus & impius, defecturas post mortem, neque venturas ad nepotes: sed etiam ante mortem ablatum iri, ita vt Irus fiat, aut Iro pauperior, qui modo Crœsus erat, & ideo ægrius ferat paupertatis incommoda, quo prius magis diuitiarum commodis abundabat. Porro terram & lutum pro rerum abundantia sumi, notum est, eorum enim neque numerus est, neque pondus, neque aliud est, quod occurset oculis, aut vilius, aut copiosius. Vnde sumi posset similitudo. Quod si ita est, quid tantum habent momenti ea bona, quæ breui deficient, vt ideo pessimi vocari debeant fortunati, aut existimari sancti, quia illa acceperunt a Domino. Aut quid mali eorum iactura, vt ideo qui illorum commodis caruere, iudicari debeant infelices & impii, maxime cum illorum opes, qui tyrannico & fraudulento pararunt artificio, ad iustorum vsum tandem transferantur. Quod licet non semper, sæpe tamen experimento accidisse cognouimus.

28. *Prouerbium domus tineæ aut aranearum tela pro re fragili.*

Vers. 18. *Ædificabit sicut tinea domum suam.*] Aptissimis comparationibus explicat Iobus, quam parum habitura sit firmitatis domus, quam sibi ex alienis sumptibus & rapinis molitur impius, quæ non erit diuturnior, quam domus, quam sibi in ligno aut in laneo vestimento construxit tinea. Est autem tineæ domus tenuis quidam folliculus, vbi conditur, quasi in suo sepulcro tinea, quæ paulo postquam ædificata est, a tinea moriente deseritur. Aut certe ideo conparatur impiorum domus cum tinearum domiciliis, quia sicut tinea, cum domus construit, illius fundamenta corrodendo debilitat, nam si in lignis habitat, ligna corrodit & perforat, facitque, vt labante domo non possit esse diuturna commoratio. Sic impius non tam ædificat, quam euertit domum, vt re vera, dum bene acquisitis male acquisitas facultates adiungit, tineas inducit, quæ si quid est solidi, corrumpit & euertit. Dixit idem pene *Ecclesiast. XXI, 9. Qui ædificat domum suam impendiis alienis, quasi qui colligit lapides suos in hyeme.* Nam qui hyemali tempore collocantur in fabrica, non apte conglutinantur lapides, aut firmitatis aliquid habere possunt, vt cementariorum docuit experientia. Septuaginta aliam addiderunt similitudinem, quæ satis indicat, quanta sit eorum futilitas, quæ impiorum comparat & molitur solertia. Sic autem illi: *Euadet domus eius, sicut tineæ, & sicut aranea.* Quam sit futilis domus, quæ ex aranearum tela construitur, quamque soluatur facile, res ipsa loquitur, quæ etiam iam apud Heb. in prouerbium abiit: Vide, quæ diximus supra ad illud *cap. IIX, 14. Sicut tela aranearum fiducia eius.*

pag. 335. b

29. *Prouerbium, Tabernaculum seu vmbraculum pro re momentanea.*

Et sicut custos fecit vmbraculum.] Vmbraculum, seu tugurium, quod excitat custos, verbi gratia cucumerarii, aut vineæ, tamdiu durat, quamdiu necessaria videtur cucumerarii vinearumque custodia, quorum gratia, a custode, leui manu atque opere excitatum fuerat, quamdiu nimirum fructus sunt in suis plantis maturi & esculenti, id est, exiguo tempore, & mense plerumque non amplius vno: quia statim dissipatur; & si custos iste pecorum sit, multo soluitur transferturque facilius, quia sicut pastores, sic etiam eorum tabernaculum sequitur gregem, qui alia subinde atque alia loca mutare solent, neque in vno commorari, nisi vnum, aut alterum diem. Sicut faciunt Cedareni, qui rei pecuariæ assiduam dant operam, & quia pascua mutant, quotidie figunt & refigunt tabernacula. Quare tabernaculum huiusmodi prouerbiali specie pro re sumitur momentanea, quæque ita dissoluitur, vt illius nullum supersit vestigium. Sic Isaias *cap. I, 8. Relinquetur filia Sion, vt vmbraculum in vinea:*

nea: & sicut tugurium in cucumerario. Hæc enim peracta vindemia, collectisque fructibus, sic dissipantur, vt neque speciem habeant vllam, neque vsum. idem *cap. XXIV, 20. Agitatione agitabitur terra, sicut ebrius, & auferetur quasi tabernaculum vnius noctis.*
30. Hoc tabernaculum aut pastorum est, qui non eodem sæpe loco pernoctant, sed vt mutant pabula, sic etiam alio atque alio transferunt vmbracula, aut certe viatorum: nam viri delicati atque potentes cum domo exeunt, tabernacula secum gestare solent: cum enim non raro contingat, vt nox obrepat, antequam commodum inueniant hospitium, ne cogantur pernoctare sub dio, mobile secum tectum circumferunt, quod statim, atque illuxit, dissoluunt. Tabernaculorum certe pastorum meminit Ezechias apud *Isai. cap. XXXIIX, 12.* dum suæ vitæ curriculum confectum jam esse meditabatur: *Generatio mea ablata est, & conuoluta est a me, quasi tabernacula pastorum. Præcisa est, velut a texente, vita mea, dum adhuc ordirer, succidit me.*

Tabernacula pastorum sunt aut viatorum.

31. Vers. 19. *Diues cum dormierit, nihil secum auferet: aperiet oculos suos, & nihil inueniet.*] Hic versus nihil habet obscurum, & ex parte iam a nobis explicatus est. Nihil enim aliud valet, quam cum morte finiri diuitum gloriam, & diuitiarum possessionem, transacta quippe vita, nisi aliquid accedat aliud superioris ordinis, nihilo melior est aut fortunatior Crœsus, quam Irus: Rex & monarcha, quam homo vilis ac sordidus de fæce plebis, quæ sententia ab ipsis etiam gentilibus frequenter vsurpatur. diuites autem, dum in suis sibi diuitiis & honoribus placent, letargo quodam videntur oppressi, aut cœcos habere oculos, qui non vident, quam sint fugacia ac leuia, tanto captant studio, & tanta sollicitudine retinere volunt, cum dicantur tunc aperire oculos ad illud vsque tempus cœcos & clausos, in quo mors adueniens illos aperiat. Dixit hoc idem Dauid *Psalm. XLIIX, 17.* ad hunc, opinor, respectans Iobi locum: *Ne timueris, cum diues factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus eius.*
pag. 336. a *Quoniam cum interierit, non sumet omnia: neque descendet cum eo gloria eius.*

Qui in suis sibi diuitiis placet aut cœcus est, aut somniat.

32. Vers. 20. *Apprehendet eum quasi aqua inopia: nocte opprimet eum tempestas*] Dubium est, an comparatio sumatur a tempestate, quam excitant in mari venti, quæ, dum nauis secundum teneret cursum pretiosis onerata mercibus, repente conturbat mare, & illam aut allidit scopulis, aut in profundum demergit; ita vt mercator, qui modo se diuitem putabat, & quod vitalem ac liberum hauriret spiritum, suæ fortunæ gratulabatur, repente a marinis aquis cingeretur vndique; idque nocte, quando horribilis videri solet repentinus casus, & subita tempestas: neque contra illam adhiberi solent opportuna remedia. Sed communiter omnes de nimbo intelligunt, qui excitari solet sereno cœlo, cum nihil eiusmodi timeret incautus viator, neque contra vim illam inopinatam quicquam comparasset. Solet autem id frequenter accidere, vt cum serenum tempus sibi viator, & securum exitum promittat, obscuretur repente aër, & tonante ac fulgurante cœlo, talis ingruat tempestas, vt mortis vbique periculum intentet. Quæ si nocte accidat, multo est horribilior, cum non appareat locus vllus tutus, in quo viator sibi a mortis necessitate caueat. Talis ergo inexpectata diuiti obrepet inopia tanto grauior, quanto a securo animo timebatur minus: præsertim si nocte accidat, id est, eo tempore, quod obscurant tenebræ: quando nihil est lucis, quod viam ostendat, aut malorum effugium: Id est, quando in perturbato animo nihil est consilii, sed ipsa repentina turbatio, sicut pacem & quietem, sic etiam mentem perturbat & eripit. An hæc intelligenda sint de mortis tempore, quod aquarum multarum potest appellari diluuium, quia tunc excitari solet a variis flatibus grauissima tempestas, vel de alio rerum articulo, in quo a suis fortunis spoliatur diues, incertum est. De morte accipit S. Thomas, sed vt alii aut docent, aut indicant, de alio etiam rerum articulo hæc exponi possunt. nam etiam impii viuentes adhuc & incolumes spoliari solent, & ex magna rerum abundantia insperato & subito in magnam calamitatem & inopiam adduci. Sane Paulus de morte extremique iudicii tempore dixit in eandem sententiam *1. Thessal. V, 2. Dies Domini sicut fur in nocte veniet: cum enim dixerint*

Improborum repentina mors & rerum iactura.

ralibus sacris, & funeris impensis accipio: quas facere non poterunt vxores viduæ, quia pro illis non satis habebant facultatis, quia, vt proxime dixerat, impiorum nepotes, quorum istæ viduæ vxores fuerant, eo erant necessitatis adducti, vt neque pane saturari possent. Quæ necessitas vrgebit quoque viduas, quæ cum in necessarium victum sumptus non habeant, verisimile est, neque in funeris honorem habituras.

27. Vers. 16. 17. *Si comportauerit quasi terram argentum: & sicut lutum præparauit vestimenta: præparabit quidem, sed iustus vestietur illis,* &c.] Hæc aperta sunt, quorum ea est sententia, non solum opes, quas magno numero ac pondere congregabit violentus & impius, defecturas post mortem, neque venturas ad nepotes: sed etiam ante mortem ablatum iri, ita vt Irus fiat, aut Iro pauperior, qui modo Crœsus erat, & ideo ægrius ferat paupertatis incommoda, quo prius magis diuitiarum commodis abundabat. Porro terram & lutum pro rerum abundantia sumi, notum est, eorum enim neque numerus est, neque pondus, neque aliud est, quod occurset oculis, aut vilius, aut copiosius. Vnde sumi posset similitudo. Quod si ita est, quid tantum habent momenti ea bona, quæ breui deficient, vt ideo pessimi vocari debeant fortunati, aut existimari sancti, quia illa acceperunt a Domino. Aut quid mali eorum iactura, vt ideo qui illorum commodis caruere, iudicari debeant infelices & impii, maxime cum illorum opes, qui tyrannico & fraudulento pararunt artificio, ad iustorum vsum tandem transferantur. Quod licet non semper, sæpe tamen experimento accidisse cognouimus.

28. *Prouerbium domus tineæ aut aranearum tela pro re fragili.* Vers. 18. *Ædificabit sicut tinea domum suam.*] Aptissimis comparationibus explicat Iobus, quam parum habitura sit firmitatis domus, quam sibi ex alienis sumptibus & rapinis molitur impius, quæ non erit diuturnior, quam domus, quam sibi in ligno aut in laneo vestimento construxit tinea. Est autem tineæ domus tenuis quidam folliculus, vbi conditur, quasi in suo sepulcro tinea, quæ paulo postquam ædificata est, a tinea moriente deseritur. Aut certe ideo conparatur impiorum domus cum tinearum domiciliis, quia sicut tinea, cum domus construit, illius fundamenta corrodendo debilitat, nam si in lignis habitat, ligna corrodit & perforat, facitque, vt labante domo non possit esse diuturna commoratio. Sic impius non tam ædificat, quam euertit domum, vt re vera, dum bene acquisitis male acquisitas facultates adiungit, tineas inducit, quæ si quid est solidi, corrumpit & euertit. Dixit idem pene *Ecclesiast. XXI, 9. Qui ædificat domum suam impendiis alienis, quasi qui colligit lapides suos in hyeme.* Nam qui hyemali tempore collocantur in fabrica, non apte conglutinantur lapides, aut firmitatis aliquid habere possunt, pag. 335. b
vt cementariorum docuit experientia. Septuaginta aliam addiderunt similitudinem, quæ satis indicat, quanta sit eorum futilitas, quæ impiorum comparat & molitur solertia. Sic autem illi: *Euadet domus eius, sicut tinea, & sicut aranea.* Quam sit futilis domus, quæ ex aranearum tela construitur, quamque soluatur facile, res ipsa loquitur, quæ etiam iam apud Heb. in prouerbium abiit: Vide, quæ diximus supra ad illud *cap. IIX, 14. Sicut tela aranearum fiducia eius.*

Et sicut custos fecit vmbraculum.] Vmbraculum, seu tugurium, quod excitat custos, verbi gratia cucumerarii, aut vineæ, tamdiu durat, quamdiu necessaria videtur cucumerarii vinearumque custodia, quorum gratia, a custode, leui manu atque opere excitatum fuerat, quamdiu nimirum fructus sunt in suis plantis maturi & esculenti, id est, exiguo tempore, & mense plerumque non amplius vno: quia statim dissipatur; & si custos iste pecorum sit, multo soluitur transferturque facilius, quia sicut pastores, sic etiam eorum tabernaculum sequitur gregem, qui alia subinde atque alia loca mutare solent, neque in vno commorari, nisi vnum, aut alterum diem. Sicut faciunt Cedareni, qui rei pecuariæ assiduam dant operam, & quia pascua mutant, quotidie figunt & refigunt tabernacula. Quare tabernaculum huiusmodi prouerbiali specie pro re sumitur momentanea, quæque ita dissoluitur, vt illius nullum supersit vestigium. Sic Isaias *cap. I, 8. Relinquetur filia Sion, vt vmbraculum in vinea:* 29.

Prouerbium, Tabernaculum seu vmbraculum pro re momentanea.

nea: & sicut tugurium in cucumerario. Hæc enim peracta vindemia, collectisque fructibus, sic dissipantur, vt neque speciem habeant vllam, neque vsum. idem *cap. XXIV, 20. Agitatione agitabitur terra, sicut ebrius, & auferetur quasi tabernaculum vnius noctis.*

30. *Tabernacula pastorum sunt aut viatorum.* Hoc tabernaculum aut pastorum est, qui non eodem sæpe loco pernoctant, sed vt mutant pabula, sic etiam alio atque alio transferunt vmbracula, aut certe viatorum: nam viri delicati atque potentes cum domo exeunt, tabernacula secum gestare solent: cum enim non raro contingat, vt nox obrepat, antequam commodum inueniant hospitium, ne cogantur pernoctare sub dio, mobile secum tectum circumferunt, quod statim, atque illuxit, dissoluunt. Tabernaculorum certe pastorum meminit Ezechias apud *Isai. cap. XXXIIX, 12.* dum suæ vitæ curriculum confectum jam esse meditabatur: *Generatio mea ablata est, & conuoluta est a me, quasi tabernacula pastorum. Præcisa est, velut a texente, vita mea, dum adhuc ordirer, succidit me.*

31. *Qui in suis sibi diuitiis placet aut cæcus est, aut somniat.* Vers. 19. *Diues cum dormierit, nihil secum auferet: aperiet oculos suos, & nihil inueniet.*] Hic versus nihil habet obscurum, & ex parte iam a nobis explicatus est. Nihil enim aliud valet, quam cum morte finiri diuitum gloriam, & diuitiarum possessionem, transacta quippe vita, nisi aliquid accedat aliud superioris ordinis, nihilo melior est aut fortunatior Crœsus, quam Irus: Rex & monarcha, quam homo vilis ac sordidus de fæce plebis, quæ sententia ab ipsis etiam gentilibus frequenter vsurpatur. diuites autem, dum in suis sibi diuitiis & honoribus placent, letargo quodam videntur oppressi, aut cœcos habere oculos, qui non vident, quam sint fugacia ac leuia, tanto captant studio, & tanta sollicitudine retinere volunt, cum dicantur tunc aperire oculos ad illud vsque tempus cœcos & clausos, in quo mors adueniens illos aperiat. Dixit hoc idem Dauid *Psalm. XLIIX, 17.* ad hunc, opinor, respectans Iobi locum: *Ne timueris, cum diues factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus eius.* pag. 336. a *Quoniam cum interierit, non sumet omnia: neque descendet cum eo gloria eius.*

32. Vers. 20. *Apprehendet eum quasi aqua inopia: nocte opprimet eum tempestas*] Dubium est, an comparatio sumatur a tempestate, quam excitant in mari venti, quæ, dum nauis secundum teneret cursum pretiosis onerata mercibus, repente conturbat mare, & illam aut allidit scopulis, aut in profundum demergit; ita vt mercator, qui modo se diuitem putabat, & quod vitalem ac liberum hauriret spiritum, suæ fortunæ gratulabatur, repente a marinis aquis cingeretur vndique; idque nocte, quando horribilis videri solet repentinus casus, & subita tempestas: neque contra illam adhiberi solent opportuna remedia. *Improborum repentina mors & rerum iactura.* Sed communiter omnes de nimbo intelligunt, qui excitari solet sereno cœlo, cum nihil eiusmodi timeret incautus viator, neque contra vim illam inopinatam quicquam comparasset. Solet autem id frequenter accidere, vt cum serenum tempus sibi viator, & securum exitum promittat, obscuretur repente aër, & tonante ac fulgurante cœlo, talis ingruat tempestas, vt mortis vbique periculum intentet. Quæ si nocte accidat, multo est horribilior, cum non appareat locus vllus tutus, in quo viator sibi a mortis necessitate caueat. Talis ergo inexpectata diuiti obrepet inopia tanto grauior, quanto a securo animo timebatur minus: præsertim si nocte accidat, id est, eo tempore, quod obscurant tenebræ: quando nihil est lucis, quod viam ostendat, aut malorum effugium: Id est, quando in perturbato animo nihil est consilii, sed ipsa repentina turbatio, sicut pacem & quietem, sic etiam mentem perturbat & eripit. An hæc intelligenda sint de mortis tempore, quod aquarum multarum potest appellari diluuium, quia tunc excitari solet a variis flatibus grauissima tempestas, vel de alio rerum articulo, in quo a suis fortunis spoliatur diues, incertum est. De morte accipit S. Thomas, sed vt alii aut docent, aut indicant, de alio etiam rerum articulo hæc exponi possunt. nam etiam impii viuentes adhuc & incolumes spoliari solent, & ex magna rerum abundantia insperato & subito in magnam calamitatem & inopiam adduci. Sane Paulus de morte extremique iudicii tempore dixit in eandem sententiam *1. Thessal. V, 2. Dies Domini sicut fur in nocte veniet: cum enim di-*

xerint pax & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperueniet interitus.

33. Verſ. 21. *Tollet eum ventus vrens, & auferet.*] Hebraic. קדים *cadim*, Septuaginta καύσων. Hic porro ventus vehementiſſimus eſt & calidus, quia regiones perflat calidas & ſiccas, quare a noſtro interprete *vrens* vocatur, qui ſic afficit regiones, quas ſpirando permeat, vt illas non ſpiritus vitalis, ſed peruaſiſſe potius videatur incendium. Hic porro ventus, qui ab orientali plaga aſpirat, & ſubſolanus appellatur, & Eurus, vehemens eſſe dicitur *Exod. XIV, 21. Cumque extendiſſet Moyſes manum ſuper mare, abſtulit illud Dominus flante vento vehementi, & vrenti tota nocte, & vertit in ſiccum, diuiſaque eſt aqua.* Hebr. eſt קדים *cadim.* pluribus aliis locis occurrit hoc nomen, vbi vrens vocatur, & vehemens: quia hic ventus calidus eſt & vrens, & ſine dubio hominum valetudini noxius. Exiſtimant nonnulli, hic de morte ſermonem eſſe, quam peſtilens ille ventus inducit. Sed mihi videtur longe probabilius, continuari metaphoram, & adhuc ſermonem eſſe de tempeſtate, quam ventus ille vehementem excitat; quæ a ſuo ſtatu deiiciet hominem violentum & impium, & abripiet, vt antiquam gloriam, vt ablatas ſubito diuitias intueri non poſſit. Ac tandem domum ornatam magnifice & luculenter inſtructam a fundamentis euertet, ſicut feciſſe dicitur domum, in qua Iobi filii familiare obiere conuiuium, quam diruit ventus, veniens a deſerto. Quod magis explicat, quod proxime ſequitur, in quo non tam ſpiratio peſtilens, quam vehemens impetus ſignificatur.

pag. 336. b

34. *Et velut turbo rapiet eum de loco ſuo.*] Turbo aliquid prouerbiali ſpecie ſonat vehemens & horribile: cuius admirabiles apparent effectus, & niſi oculis ſpectaremus, incredibiles: nam in terram arbores a radicibus euulſas, & ſaxa ingentia circumactu rotat, & eiaculatur procul, in mari non ſolum disiicit, disrumpitque vela, ſed ipſas etiam naues contorquet & abſorbet, & nonnunquam in altum abripit, & ſecum refert vaſtum illud & immenſum pondus. Quare dum abripiendus dicitur diues, velut a turbine, & procul, & breui a ſuo loco & ſtatu dimouendus oſtenditur. De vi atque impetu turbinis, plura diximus ſupra *cap. IX, 17. In turbine enim conteret me.* tu inde pete, quæ ad hunc etiam locum maxime faciunt.

35. Verſ. 22. *Et mittet ſuper eum, & non parcet: de manu eius fugiens fugiet.*] Obſcurum eſt, quis ille ſit, qui miſſurus eſſe dicitur. nam verbi illius ſuppoſitum eſſe poterat turbo, qui proxime præceſſerat, qui mittet, nempe ſeipſum, & irrumpet in locupletem impium, neque quicquam relinquet, quod non conuellat, diſſipet, & perdat. Ita indicat Septuaginta translatio: & nonnulli putant ex Hebraizantibus, vt Iſidor. & Vatabl. Septuaginta hoc modo conuertunt: *Æſtus tollet, & ventilabit, & proiiciet ſuper eum, & non parcet.* Alii Deum eſſe putant, & hoc verius. Eſt autem hic aut longum hyperbaton a *v. 13.* vnde incipiunt commemorari infortunia, quæ expectant impios, & quos tandem ad extremam comprehendent. dixerat autem ibi: *Hæc eſt pars hominis impii apud Deum, & hæreditas violentorum, quam ab omnipotente ſuſcipient.* Deinde cum alia connumeraſſet quam plurima impiorum incommoda, quæ Deus immiſit in impiorum domum atque fortunas, addit: *Et mittet ſuper eum, & non parcet.* Id nimirum quod ſtatim obſcure ſubiicitur. Aut certe, quod mihi multo probatur magis, ſine vllo hyperbato, illa, quæ a *v. 13.* ad hunc vſque locum producuntur, verbo *mittet.* ſubiicienda ſunt, in hunc ſenſum: Mittet Deus, a quo talia dicuntur impii atque violenti ſuſcepturi, *v. 13.* hæc quæ dicta ſunt, & non parcet. Tunc autem impius, in quem Deus, ſcelerum vindex, illa tot immittet infortunia, effugere conabitur armatam & fulminantem manum, ſed etiam ſi fugiens fugiat, id eſt, quam potuerit celerrime, non tamen effugiet, inſequetur enim] illum, & aſſequetur diuina maledictio: hæc mihi videtur expoſitio facilis. Expoſitiones aliæ nonnihil habent impeditum, in quo hæret ſtudioſi lectoris attentio.

36. Verſ. 23. *Stringet ſuper eum manus ſuas, & ſibilabit ſuper illum, intuens locum eius.*] Hic etiam obſcurum, ad quem ſpectet illud *ſtringet*, & *ſibilabit.* Quidam nullam hic exiſtimant definiri perſonam, ſed eſſe illos, qui muta-

mutationem illam subitam admirati, tum præterea impiorum exaltantes ruina, voluptatem suam manuum complosione & sibilante lingua, quæ irrisionis indicium est, significabunt. Quomodo *Thren. II, 15.* de Ierusalem iam e suo gradu depulsa cecinit Ieremias: *Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per vias, sibilauerunt, & mouerunt* pag.337. a *caput suum.* Et facit ad hanc explicationem, quod vox Hebr. שפק seu ספק *saphac*, *plaudere* significat, seu manus manibus percutere. Alii hæc Deo tribuunt, qui exultare videtur in malorum ruina, & suæ lætitiæ illa præbere documenta, quæ homines solent, cum de inimicorum suorum strage, aut calamitate triumphant, qui manuum complosione, lætari se, & subsannante sibilo insultare illorum mœrori ac mutationi significant. Deus autem, cui humani non semel tribuuntur affectus, aliquando triumphans inducitur, & exultans in peccatorum pœnis. *Ezech. V, 13. Complebo furorem meum, & requiescere faciam indignationem meam in eis, & consolabor, & scient, quia ego Dominus locutus sum in zelo meo, cum impleuero indignationem meam in eis.* Et *Deut. XXIIX, 63. Sicut ante lætatus est Dominus super vos bene vobis faciens, vosque multiplicans, sic lætabitur disperdens vos, atque subuertens.* Hæc est Interpretum explicatio communior, quam ego non improbo; imo lubens amplector, quia non lubens soleo a communi discedere sententia. Nihilominus addo, quod mihi videtur non improbabile, sed tantum addo, non persuadeo.

37. Notum est illis, qui Hebraice mediocriter sciunt, idem pronomen relatiuum tertiæ personæ aliquando esse reciprocum, aliquando secus: quare *eum* aliquando idem valet, quod *se*; & contra, quod in aliis numeris & casibus obseruandum est. Ego pronomen *eum*, *illum*, & *eius* suspicabar exponi potuisse reciproce, in hunc modum: *Stringet super se manus suas, & sibilabit super se intuens locum suum.* & illorum verborum suppositum arbitrabar impium hominem, qui de suo statu cecidisse dicitur, qui suam sortem dolet, & doloris impatiens collisione manuum, & frendente atque exanimata voce, cum locum respectat, vnde cecidit, & in quem tandem collapsus est, dolet & gemit, & tunc demum, licet sero, se pueriliter deceptum esse cognoscit. Hæc mea cogitatio est, quam etiam indicat Pineda. pag. 337. b Neque a duobus verbis, quæ huic sententiæ parum videntur fauere, quicquam est incommodi. Stringere enim manus, signum est 38.
dolentis, quique suo iam edoctus periculo *Collisio manuum doloris signum est.* priorem mentem atque consilia detestatur & damnat. Siue enim cum Vulgato verbum שפק seu ספק *saphac stringere* conuertas, stringunt dolentes, & in seipsos sæuientes manus suas, concellant digitos, conserunt manus, infringunt articulos, quæ omnia aut indicat, aut significat manuum constrictio. Si vero sit manuum collisio, cum vna videlicet percutit aliam, hoc etiam signum est doloris, vt docuit Ezechiel *cap. XXI*, vbi *v. 12.* iubetur in dolore *plaudere super femur.* & *v. 14. percutere manum ad manum.* Isai. *cap. XXV, 11.* in allisione manuum Moab, illius euersionem ostendit: *Humiliabit*, inquit, *gloriam eius*, (nempe Moab) *cum allisione manuum eius. Sibilare* præterea vocem indicat exanimatam & exilem, qualem habent, qui in metu aut in humili conditione sunt; qui neque mutire audent, & si quid sonant, mugire potius, aut gannire putes, quam humano more loqui. Hoc vero tunc impius non iam diues, sed omnium egenus faciet, & dicet, cum locum viderit suum, illum videlicet, quem reliquit, & illum, quem in ea rerum vicissitudine nactus est. Porro hominem, cum in metu est, & a potentiore premitur, non loqui libere, sed exili atque confusa voce opprimere potius, quam exprimere verba; & stridorem videri potius, quam humanam vocem, ostendit Isaias *cap. XXIX, 4.* vbi cum ageret de illo statu, in quo hoc loco a Iobo impius homo describitur, ait: *Humiliaberis, de terra loqueris, & de humo audietur eloquium tuum. Et erit quasi Pythonis de terra vox tua, & de humo eloquium tuum mussitabit.* Plura nos ad illum locum *in nostris Commentariis* de hac exili, neque tam loquente, quam stridente & sibilante voce diximus. Inde tu huc accerse.

ARGVMENTVM CAP. XXVIII.

PRæcedenti capite docuerat Iobus, ſtultos illos eſſe, qui toto animi corporisque conatu eo incumbunt, vt illa acquirant, neque pie, neque iuſte, quæ vana ſunt atque fugacia, eorum omnino immemores, quæ fortunatos faciunt homines, & ſapientiæ laude egregie nobilitant. Nunc oſtendit, cur homines illi impii ſapientiam non inuenerint, aut etiam non quæſierint, quia vnde petenda ſit, turpiter ignorent, cum tamen loca, vnde pretioſa effodiuntur metalla atque nitentes lapilli, ſtudioſe didicerint, & optime cognoverint. Recenſet primum plurima, quæ hominibus habentur in pretio, quæ licet in ipſis lateant terræ viſceribus, aut in profundiſſimo aquarum gurgite; illa tamen inuenit atque eruit auarorum hominum indefeſſa ſolertia. Deinde quantæ ſit ſapientia venuſtatis & pretii, pretioſiſſimarum rerum comparatione ſignificat. Qua in re mirificus eſt Iobus, & inſigniter eloquens. Cumque neget, veræ ſapientiæ aut venam aut locum ab homine mortali demonſtrari poſſe, docet tandem, illius ſolum Deum eſſe magiſtrum, qui & omnia creauit, & iuxta ſuam naturam in ſuo quæque loco atque ordine diſpoſuit, quique in ipſo mundi naſcentis initio, quomodo acquiri poſſit ac conſeruari vera ſapientia, primum humani generis parentem edocuit.

CAPVT XXVIII.

1. HAbet argentum venarum ſuarum principia: & auro locus eſt, in quo conflatur.

pag. 338. 2. Ferrum de terra tollitur: & lapis ſolutus calore, in æs vertitur.

3. Tempus poſuit tenebris, & vniverſorum finem ipſe conſiderat, lapidem quoque caliginis, & vmbram mortis.

4. Diuidit torrens a populo peregrinante, eos quos oblitus eſt pes egentis hominis, & inuios.

PARAPHRASIS.

1. Stultorum hominum conatus & ſtudia proxime vidiſtis, quæ quam longiſſime abſunt a ſapientia. Quam ideo ignorant plurimi, neque illius capiuntur ſtudio, quia vnde hauriri debeat, obſcurum eſt. Habet argentum venas, vbi conſletur, & aurum certum neque ignoratum locum, vnde illud effodiat hominum immenſa cupiditas.

2. De terra ſumitur ignibus ante diligenter excocta durior illa natura, quæ ferrum appellatur. Ex lapide item in fornace ſoluto æs eliquatur Cyprium. pag. 338.

3. Hæc dudum latuerunt in tenebris, vbi illa Deus ab humanis oculis abſcondit. Fecit tandem definito tempore, vt ea terra parturiret foraſque produceret, quæ in ſuo complexu ante conceperat. Idem dico de lapillis pretioſis, quæ latuerunt in tenebris & vmbra mortis, qui alte defoſſi ſunt in terræ viſceribus, aut marinis conchis, quo penetrare nequit quantumcumque acuta oculorum acies.

4. Hæc autem metalla, lapideſque nitentes atque pretioſos, diuidit interfuſum mare; in eorum tamen conceptacula adducit auaros homines e natali ſua terra peregrinantes immenſa atque

que vęsana cupiditas. Ab illis autem pauperes diuisi sunt, quia ad regiones illas auriferas aspirare non audent, neque auios illos viros comitari aut sequi, qui ad loca pergunt vsque adeo dissita, quę illorum pedes numquam calcarunt.

5. Terra, de qua oriebatur panis in loco suo, igni subuersa est.

5. Fecit autem ignis, qui metalla vel aperuit primum, vel purgauit, conflauitque postea, ne terra deinceps ferax esset frumenti, quę illius antea magnos referebat agricolę prouentus.

6. Locus sapphiri lapides eius, & glebæ illius aurum.

6. Pro lapidibus, qui minus erant rei frumentarię noxii, successere sapphiri, qui culturam & vomerem ab illa regione submouerunt; & pro glebis aurum, quę terram pinguem atque feracem reddiderunt sterilem, aut certe rusticorum operę minus idoneam.

7. Semitam ignorauit auis, nec intuitus est eam oculus vulturis.

7. Tam longe distat locus ille, vbi pretiosa reconduntur metalla nitentesque lapilli, vt ipsis etiam auibus ignotus sit, quo penetrare non possunt: & ipsi etiam vulturi, cui inest maxima & in volando pernicitas, & in labore tolerando constantia. Sed quo peruenire non potuere volucres, eo penetrauit auari hominis inexplebilis diuitiarum & immensa cupiditas.

8. Non calcauerunt eam filii institorum, nec pertransiuit per eam leæna.

8. Transmisit enim mare, fluidum nimirum, & liquidum elementum, quod hominum suspendere non potest, aut sustentare vestigia. Atque ideo numquam ab homine, si negotiator esset & institor, neque etiam a leęna calcatum est.

9. Ad silicem extendit manum suam, subuertit a radicibus montes.

9. Cum ipsis quoque silicibus luctatur, quę sunt in ipsis montium fundamentis, terręque visceribus; vt venas aperiret, in quibus pretiosa durescunt, conduntur que metalla.

pag. 339. 10. In petris riuos excidit, & omne pretiosum vidit oculus eius.

10. Eo vsque excauantur saxa, & tam alte pag. 339. *demittuntur metallorum sectura, vt ad aquarum vsque profunditatem descendant, ne pretiosum illud, quod intus latet, auari hominis auidos aculos effugiat.*

11. Profunda quoque fluuiorum scrutatus est, & abscondita in lucem produxit.

11. Abditissimos quoque fluuiorum sinus & latebras, solis piscibus notas, scrutatur audacter: & quę vastissimi celarant aquarum gurgites, ad humanos vsus atque delicias in lucem euocarunt.

12. Sapientia vero vbi inuenitur? & quis est locus intelligentiæ?

13. Nescit homo pretium eius, nec inuenitur in terra suauiter viuentium.

12. 13. Cum hominum diuitiarum & lucri inflammatum studium, metallorum omnium pretiosorumque lapidum locum inuenerit, sapientię tamen verę atque intelligentię locum neque inuenit, neque vero scrutatus est. Quia neque illius pretium & splendorem nouit, neque

pro illa existimauit suscipiendum sibi esse laborem, cum tamen in eo loco aut hominum cœtu inueniri non possit, vbi homines se luxui ac voluptati tradunt.

14. Abyssus dicit: Non est in me: & mare loquitur: Non est mecum.

14. Mare iterum atque iterum negat, in sua abysso, vnde mercator pretiosas piscatur margaritas, esse sapientiam.

15. Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione eius.

16. Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi sardonycho pretiosissimo, vel sapphiro.

15. 16. Sapientiæ vero tantum est pretium, vt illius comparatione vilescant omnia, quæ admirantur homines, captantque cum immenso labore vitæque periculo. Quæ cum auro summæ notæ, quale est obrizum, comparari non debet, neque cum argento, aliove pretioso metallo permutari, neque cum sardonicho vel sapphiro, aliisque lapidibus pretiosis, qui variis tincti notatique coloribus aduehuntur ex India.

17. Non adæquabitur ei aurum vel vitrum, nec commutabuntur pro ea vasa auri.

18. Excelsa & eminentia non memorabuntur comparatione eius: trahitur autem sapientia de occultis.

17. 18. Longe erit, vt aurum, vel alia quæcumque pellucida materia, quale est vitrum; aut aurea vasa, præclaro opere elaborata, in contentionem de splendore & pretio, cum sapientia veniant. Denique quæ excelsa putantur, & reliquis prælata deliciis, si sapientia cum illis comparetur, eo erunt in numero ac pretio, ac si omnino non essent. Denique quæcumque de occultis terræ visceribus eruuntur, & in varias distrahuntur regiones, longe sunt inferiora sapientia.

19. Non adæquabitur ei topazius de Æthiopia, nec tincturæ mundissimæ componetur.

19. Nulla esse potest topazio, nulla lapillis vario colore radicantibus aut stragulis, quæ nitentibus infectæ coloribus, ex longinqua regione transportantur, cum sapientia de pretio ac venustate contentio.

20. Vnde ergo sapientia venit? & quis est locus intelligentiæ?

21. Abscondita est ab oculis omnium viuentium; volucres quoque cœli latet.

20. 21. Quando tantum est sapientiæ pretium, tam rara tamque digna omni inquisitione venustas, vnde illam accersere poterit illius studiosus & amans? Res sane difficilis, cum illam hominum oculi intueri nequeant, neque assequi, si longa permeent spatia volucrum modo, quibus acutior est oculorum acies, & volatus incitatus & liber.

pag. 340. 22. Perditio & mors dixerunt: Auribus nostris audiuimus famam eius.

23. Deus intelligit viam eius, & ipse nouit locum illius.

22. 23. Ab oculis omnium, qui nunc in viuis agunt, sic est abscondita sapientia, vt nemo de illa quicquam audierit præter nomen & famam. Quod idem etiam dico de illis, qui iam dudum e viuis abierunt, licet magnam apud omnes sapientiæ laudem obtinuerint, qui aperte negabunt ignotum esse sibi, quonam in loco suum sibi sapientia domicilium habeat. Vnus est Deus, qui viam nouit, & locum sapientiæ: neque alius potest illius esse magister, & ductor. pag. 340.

24. 25.

24. Ipse enim fines mundi intuetur, & omnia, quæ sub cœlo sunt, respicit.

25. Qui fecit ventis pondus, & aquas appendit in mensura.

24. 25. Ille enim ad vltimos vsque fines, quos cœli complexus circumdat & cohibet, late omnia dispicit; & quicquid in illis boni vel mali lateat, perfecte cognoscit. Qui enim credibile est, vt illa quis ignoret; quæ ingenio designavit & arte perfecit? ille dimensus est ventorum spatia, illosque ita ponderauit, & iuxta suam quemque naturam ita dispensauit sapienter, vt nulla pars sit in vastissimo ventorum spatio, quam ille non viderit atque firmauerit, & in suo loco atque ordine digesserit. Eodem etiam modo, certa mensura, & pondere creauit aquas, suisque littoribus definite conclusit.

26. Quando ponebat pluuiis legem, & viam procellis sonantibus.

27. Tunc vidit illam, & enarrauit, & præparauit, & inuestigauit.

26. 27. Cum Deus legem posuit mitioribus salubribusque pluuiis, ne deessent & terræ sitienti, & agricolarum votis; & procellosis ac turbidis, ne sæuirent, & agros popularentur & sternerent, quos fœcundos fecerat pluuia benignior, (hoc est in ipsius mundo nascentis exordio) tum veram ostendit, docuitque sapientiæ viam, & quomodo essent inuestiganda præcepta tradidit homini, quem omnium primum de terra formatum euocauit in lucem.

28. Et dixit homini: Ecce timor Domini, ipsa est sapientia: & recedere a malo, intelligentia.

28. Et dixit Adamo, quem vera salutarique sapientia instructum esse voluit, timorem Dei, & religiosam ipsius obseruantiam veram esse sapientiam, & cum peccato nullum habere commercium, sed potius ab illo recessisse procul sanam intelligentiam.

Vers. 1. *Habet argentum venarum suarum principium, & auro locus est, in quo conflatur.*]

1. DIfficile est statuere, quid sibi in hoc capite proposuerit Iobus, & quid hoc caput cum proximo cognationis habeat. Multi multa dicunt, quæ difficilia sunt, neque omnino studioso Lectori satisfaciunt. Ego paucis di-
pag. 341. a cam, quid magis mihi videatur ad veritatem & continens filum. Et primum hoc caput a præcedenti argumento ac filo non dissocio. Stultorum hominum supra studia & exitus descripsit: tales enim sunt violenti atque impii, qui eo toto animo ac viribus incumbunt, vt diuitias congerant, domus instruant, demum illa vndecumque conuerrant, quibus potentes sint, & ab imperito & admirabundo populo censeri possint fortunati: sed horum studiorum exitus plane docuit, illos non esse eo censendos nomine, qui tantum adierunt laboris ac periculi, vt fugaces illas opes acquirerent, quæ tandem euanescerent, & possessores suos hiantes relinquerent. Neque præterea hi sapientes fuerunt, quia aliam curarunt magis, quam doctrinæ laudem & veræ sapientiæ ornamenta maxima.

Hæc ex proximo capite. Nunc ostendit, 2.
cur homines illi impii, & prioribus annis locupletes & inclyti sapientiam non inuenerint, aut etiam non quæsierint: in quibus illos etiam comprehendisse videtur, quibuscum longam & acrem disputationem inierat. Nam sapien-

sapientiæ locum ignorarunt, atque ideo neque illam quæsierunt ibi, vnde accersiri debuit, nempe a Deo, a quo solo indulgetur hominibus, vt ipse docet Iobus infra *v. 23.* vbi nos postea ea de re pluribus, neque in ea investiganda admodum laborarunt, cum alio tota corporis animique contentio deflexisset, eaque immoderate conquirerent, quæ sese cum vera sapientia non optime conciliant. Nouerunt auri atque argenti venas, & locum, vnde æs & ferrum effoditur, vbi lapides pretiosi latent: atque hæc adeunt loca, instimulante auaritia, neque illos aut obuia pericula, aut interiectum mare, aut alia valetudinis incommoda retardant, quominus eo aduolent, vnde spes affulserit lucri.

3. Hunc sensum fortasse continet totum caput. Sed communiter Interpretes dicunt, hic doceri homines, quomodo Deus latentes opes & pretiosos terræ fœtus, ex illius visceribus eruerit, viamque hominibus ostenderit, qua ad suos vsus, illas mundi delicias & ornamenta sine errore inueniant, & arte perficiant. Prior sensus apparet non ineptus, neque a textu distortus posterior, quia communior, & quia illum offert non inuita litera, non improbandus. Quare cum aliquid occurrerit obscurius, iuxta vtramque cogitationem exponemus, vt studiosus lector illam eligat, quæ ipsi aut apta magis, aut minus videbitur inepta.

4. Totum autem caput in eo consumitur, vt ostendatur, locum esse certum, vbi humana continentur commoda, & illa cognita esse atque lustrata ab hominibus, quos diuitiarum abripit immensa cupiditas; ac tandem vnde peti possit atque doceri solida sinceraque sapientia. His principio positis expedita ad reliqua incumbit commentatio.

5. *Habet argentum venarum suarum principia.*] In textu Hebraico est particula כִּי *ki*, quam noster omisit Interpres, neque id sine causa, quia tam illa apud Hebræos, quam *quia* vel *quoniam* (nam id valet כִּי) apud Latinos, otiose ponitur aliquando, & tantum adhibetur ornatus gratia. Quod docuimus, exemplisque probauimus *in nostris Commentariis super Zachariam* ad illud *cap. X,3. Quia visitauit Dominus exercituum.* Si vero hic

pag. 341. b

vox illa rationalis particulæ vsum obtineat, hic erit sensus: Quia argentum venarum suarum principium habet & aurum certum, neque ignoratum locum, vnde petatur; multi hæc inquirunt & inueniunt: sed quia incertus est locus sapientiæ, nullus est, qui ad illius se inquisitionem accingat.

Agit hic de argento prius, & auro, quia hæc magis amat & quærit humana cupiditas. Neque hic disputo, cur argenti prius, quam auri meminerit, quia & incerta ratio, & parum ad institutum necessaria. Dicuntur autem argenti venæ; puto etiam & auri: quia licet separatæ inueniantur horum metallorum micæ & grana, imo & interdum glebæ, & quidam quasi ramusculi, vt produnt, qui de re metallica accuratius disputant; tamen plerumque in lapidum venis concrescunt hæc metalla, & ex secturis ærariis exciduntur saxa, ex quibus artificio quodam metallum educitur. Habeo ego apud me lapidem e Peruana regione, quem variæ metallorum venæ, & quasi lineæ notant atque distinguunt. Principia autem venarum sunt vapores quidam apti ad argenti auriue generationem, qui dum certo cuidam terrarum generi miscentur, fiunt argenti, vel auri vena, aut certe in pretiosi lapidis duritiem concrescunt: ita hic Sanctus Thomas. 6.

Aurum & argentum vbi conflatum.

Vers. 2. *Ferrum de terra tollitur.*] Licet ferrum magis sit humanis vsibus necessarium, quam aurum & argentum, est tamen vilius, quia maior illius copia & magis obuia materia. De terra tollitur, quæ purgatur ignibus, & in duram illam naturam concrescit & cogitur, quam ferrum appellamus. Quod terræ genus ex colore norunt, qui rem tractant metallicam, & aliis notis, quas hic sigillatim exponere necessarium non est. Vide Plinium *lib. 34. cap. 14.* & Hieronymum Magium *lib. 2. cap. 8.* & Georgium Agricolam *de re metallica.* 7.

Et lapis solutus calore in æs vertitur.] De ære Cyprio videtur esse sermo, licet nonnulli de chalybe, quæ ferri dicitur nucleus, hæc interpretentur, in quibus est Vatablus. Sed quicquid illud sit, lapides, aut terræ duriores glebæ calore excoquuntur, & ex illis eliquatur illud æs, de quo hic sermo. Plura de hoc 8.

ære

ære excoquendo, aut purgando, non est mearum partium differere. Lege Georgium Agricolam *lib. 10. & 11. de re metallica,* qui aliis sæpe locis de eadem re copiose disputat. De æris differentiis multa Plinius *lib. 34. cap. 1.* ait, æs fieri ex lapide æroso, quem vocant Cadmium, & igne perfici, & *cap. 2.* ait, ex alio quoque lapide fieri, quem Chalcitem vocant.

3. *Metalla quomodo abscondit Deus & protulit.*

Verf. 3. *Tempus posuit tenebris & vniuersorum finem ipse considerat.*] Hæc, vno aut altero excepto, communiter Deo tribuerunt Interpretes. Quod ego etiam lubens amplector. Sed quæ sint istæ tenebræ, non eodem omnes modo definiunt. Quidam illas esse statuunt, quæ diem obscurant & noctem efficiunt, quæque nocturnum tempus a diurno distinguunt. pag. 342. a Quod sane verum est, sed instituto Iobi non satis accommodatum, cuius tota disputatio est de his, quæ in terræ visceribus latent, & inde hominum industria in familiares vsus eruuntur. Placet magis illorum sententia, qui hic genus quoddam considerant metonymiæ, & in tenebris illa vident, quæ in illis latent, quæ nimirum ibi generantur, vt metalla, lapides, quæ latuerunt diu hominibus occulta; donec Deus, qui vniuersarum rerum finem statuit, tempus definiuit, in quo hæc, quæ in suo complexu, & quasi in vtero terra conceperat, tandem parturiret; & rationem hominibus ostenderet, qua quæ occulta erant, inuestigarent, inuenirentque, & quæ rudia & impolita, terra mater genuerat, polirent arte, ingenio perficerent, ac illum tandem adderent splendorem, quo maxime commendantur, & cuius gratia expetuntur ab omnibus. Hæc de metallis intelligo, quorum proxime præcesserunt nomina: neque alia est consideratio eorum, de quibus postea.

10. *Lapidem quoque caliginis, & vmbram mortis.*] Hactenus de metallis, nunc de lapillis pretiosis, quæ terræ cælat sinus, aut marinæ conchæ. *Vmbra mortis* ex Hebræorum idiomate densissima caligo est, & per metonymiam ponitur pro his, quæ ab hominum oculis submouent offusæ tenebræ, & terræ moles interposita. Lapis caliginis ille est, quem humanus oculus videre non potest, quia alte defossus est, quo penetrare nequit tametsi Lyncea oculorum acies.

11. Verf. 4. *Diuidit torrens a populo peregrinante eos, quos oblitus est pes egentis hominis, & inuios.*] Hæc iuxta duos sensus nuper indicatos, duobus etiam modis explicanda, & iuxta communem sententiam videndum, quomodo hic modus aliquis ostendatur, quo diuina prouidentia abditas in terræ visceribus naturæ delicias aperuerit. Et primum non probo, quod nonnulli senserunt, hic a Iobo afflatu diuino fuisse prædictum, transmarinas regiones Hispanorum nauigatione fore lustrandas, quas diuidebat interiectus Oceanus. Quæ sententia satis indicat suorum auctorum in suam patriam inflammatum studium; sed longe ab hac cogitatione, vt apparet, aberat Iobus, qui modos videtur tradidisse notos suis amicis, quibus Deus hominibus occulta reuelat; neque hæc exempla vim haberent, nisi illa experientia aut fama amici didicissent. Sed quî illi de re, quam proxima sæcula visura non essent, audire possent?

12. *Metalla pretiosa quomodo inuenta.*

Est igitur sensus iuxta priorem cogitationem, reconditas auri argentique venas, metalla varia, pretiososque lapides efferri a torrentibus, quia magna mole atque impetu labuntur e montibus, & excauari terram, nudarique, & oculis ostendi, quæ ad illud vsque tempus nunquam apparuerant. Sic explicat ad hunc locum auctor Catenæ: *Lapides*, inquit, *qui in profundo sunt conditi, & propemodum radicibus nixi, torrentis impetus in apertum protulit, vbi sub certam materiam diuellit, & nullo firmamento fultam terram abripuit.* Neque infrequens est, cum ab aquarum torrentium impetu terra exeditur, apparere pretiosa metalla, & illa inuestigari alicubi audio in ipsis aquarum eluuionibus.

13. Hæc obscura non sunt, sed illa, quæ sequuntur, iuxta hanc cogitationem sic sunt implexa, pag. 342. b vt nullus ex illis appareat opportunus exitus, & incommoda sententia. Quid alii dicant legi, quid tamen sibi velint, vt mei ingenii tarditatem fatear, omnino non assequor, Sanctus Thomas, & alii plerique existimant, sic a torrente, qui medius interfluit, locum esse diuisum, vt ad eos, qui in vlteriori parte sunt

sunt egeni & pauperes transmeare non possint, idque diu. Hoc enim valet illud: *Quos oblitus est pes egentis hominis.* quia nimirum iam dudum locum illum diuisum & alienum, quem torrens occupauit, calcare desiit: sed quid hæc explicatio ad argenti atque auri venas, & lapillorum inuentionem conferat, non video. Hieronymus sic explicat, & eisdem omnino verbis Beda: *Hoc dicit, inuios, id est, errantes, & illos, quos oblitus est pes egentis hominis, superabit tamen a populo peregrinante, eo quod oblitus sit gressus.* Tu si potes, hæc, & alia his affinia ad illam explicationem accommoda: mihi enim id facere promptum non est.

14. Facilius hæc attempero, ad alteram cogitationem, quæ putat, hic exponi a Iobo, quanto studio ad illa aspirent viri locupletes & pessimi, quos stultos prius appellauerat, quæ ab insipientibus numerantur in bonis, neque de vera sapientia quicquam meditantur, & curant. In *torrente* autem mare intelligo, sicut etiam in manu scriptis putabat Legionensis, quod ab Idumæis & Syris diuidit regiones varias pretiosi metalli lapillorumque feraces: ad quas auari homines conuolant intrepidi, seque ventis audacter pelagoque committunt, vt transmarinas conuehant delicias, & lucrosa exoticarum mercium negotiatione rem suam quam maximis incrementis augerent. Porro pauperes ab illis diuisi sunt; quia ad regiones illas auriferas aspirare non audent, neque sequi, aut comitari viros illos inuios, id est, auios a suis, & in alienas regiones peregrinantes, quas illorum pedes nunquam calcarunt. Peregrinationes istæ & nauigationes maxime diuitiarum amorem & studium amplificant, cum homines vitam suam committant dolato ligno, quatuor digitis crasso, in quo ingruentes spectent procellarum motus. Quod autem in transmarinis plagis nobilissima gignantur metalla, & magni splendoris ac pretii lapilli, res est nota. Quod autem illas suo tempore adierint Idumæi, vel vicinæ aliæ nationes, ipse docet Iobus *hoc capite v. 16.* cum Indicorum colorum meminit.

15. Vers. 5. *Terra, de qua oriebatur panis, in loco suo igne subuersa est.*] Iuxta priorem explicationem ostendit hic Iobus alium modum, quo Deus aperit latentes in terræ visceribus thesauros. Vt enim aquis vtitur torrentibus, vt terram excauet, & inde metalla pretiosa nitentesque lapillos effodiat; & ventis, vt terra graui concussa motu suas humanis oculis diuitias ostentet: sic etiam igne, qui vbi sylvas corripuit, suo ardore liquefecit metalla, quæ ab illius calore soluta defluxerunt, non secus atque aquarum riuuli, vt de Pyrænesis montibus tradit Diodorus *lib. 6.* vnde nouerunt homines ibi metallorum latere venas. Quas deinde variis modis scrutati sunt. Quare terra frumenti ferax, & agricolarum vomere ante subacta; ab igne subuersa non iam frugum extulit, sed auri argentique prouentus. pag. 343. a

Si iuxta cogitationem alteram hæc interpretere, dices, terram antea agricolarum studio cultam, excoquendis conflandisque metallis, quo dum opus ab igne fit, exustam esse, & frugum sementi prorsus inutilem, vt ipsa nos docet experientia. Videmus enim terras agricolarum vsibus quondam opportunas, metallorum purgamentis & cineribus plenas, quas neque vomer subigit, neque carpunt armenta.

Vers. 6. *Locus sapphiri lapides eius: & glebæ illius aurum.*] Rationem reddit, cur terra illa ferax olim frumenti, ab igne serendis frugibus dicatur inutilis, quia pro lapidibus, qui minus erant frugibus noxii, successere sapphiri, & pro pingui gleba, aurum sterile, neque hominum ardens auaritia finit agros illos agricolarum operi seruire, cum a sapphiro atque auro maior, quam ab alia quacunque semente, possit sperari prouentus. De sapphiro multa Marbodæus *in libro de lapillis*, in quo anilia videbis & fabulosa non pauca; illum vide, & Pictorium eius scholiastem; item Plinium *libr. 9. cap. 19.* 16.

Vers. 7. *Semitam ignorauit auis: nec intuitus est eam oculus vulturis.*] Iuxta priorem cogitationem, aperuit Deus illas terræ marisque delicias, quæ in illis locis latuere reconditæ, quæ omnino fuerant hominum oculis occultæ: quarum viam ignorauit auis, quia ad illam non peruenit, quantumcunque pernici & infatigabili volatu: ignorauit item vultur, cuius perspicacissimi sunt oculi & odorandi sensus 17.

ſus acutiſſimus. Quia hæc aut in terræ viſceribus latent, ad quæ nullus hominibus patet acceſſus, aut in aquarum profunditate, quæ neque humanis oculis videri, neque vlla artificum ſolertia captari potuiſſent. Aut certe, qui trans mare ſunt in alio orbe, quem qui adire velit, neceſſe, vt interpoſitum mare volando transmittat; quod quia latiſſimum eſt, etiam ſi ſit mediterraneum, neque vultur quidem, cui ineſt maxima, & in volando pernicitas, & in labore tolerando conſtantia, ad illum locum aſpirare potuit.

18. Sed iuxta poſteriorem cogitationem, tanta auari atque impii hominis ſignificatur auri cupiditas, tam inflammatus ardor, vt quo peruenire non potuerunt volucres, eo ille proficiſcatur & penetret. Quod ſtudii ardoriſque vehementis mira amplificatio eſt.

19. Verſ. 8. *Non calcauerunt eam filii inſtitorum: nec pertranſiuit per eam leæna.*] Inſtitores mercatores ſunt, quos lucri cupiditas ad quiduis audendum præcipites agit. Illi tamen non ingreſſi ſunt ſemitam, per quam ad theſauros illos abſconditus aditus aperitur. Nihilominus Deus illos aperuit, tradiditque modum, quo illis homo frueretur. Sed iuxta aliam cogitationem dicendum eſt, auarum hominem tentare omnia, & nihil, ſi ſe ſpes oſtentet lucri, inacceſſum videri: cum viam, quam non cognouit auis, aut propter altitudinem, aut aſperitatem: neque vultur vidit, qui in arduis habitat, neque leæna calcauit, quæ in cauernis & latebris ſua parat cubilia, vbi catulos alat, ipſe tamen adire audeat & ſcrutari latebras, & abſconditos penitus theſauros eruere. Hæc facilia ſunt & expedita, neque ſine hyperbole, a qua Scriptura ſacra non abhorret.

Nihil auaritiæ non peruium.

pag. 343.b

20. Sed ego eo magis inclinabam, vt illa ſemita, quam ignorat auis, & vultur non videt, neque inſtitor calcat, aut leæna, eſſe marinum tractum, id eſt, torrentem, de quo *verſu 4.* qui a peregrinis & inuiis pauperes diuidit & egenos. Peregrini enim & egeni illi ſunt, qui vt aurum, argentum, pretioſoſque lapides, & exoticas merces in ſuam referant regionem, maria nauigant, quæ neque calcare poteſt inſtitor, ſeu mercator aut leæna, neque aues volando transmittere, quia nec hominum poteſt elementum illud fluidum ſuſpendere veſtigia, neque aues audent immenſum illud ſpatium aggredi, cuius neque terminum vident, neque vbi in medio curſu defeſſæ conquieſcant.

Porro gentiles ſæpe mirantur hominum 21.
auaritiam, quæ tantum hominibus attulit audaciæ, vt lucri deſiderio mari ſe committant, & manifeſtum adeant vitæ periculum. Et quæ natura interiecto pelago diſſociauit, illa homines nauigatione coniungant, de quibus ſic Horatius *lib. 1. Ode 3.*

Nequicquam Deus abſcidit
Prudens Oceano diſſociabili
Terras, ſi tamen impiæ
Non tangenda rates tranſiliunt vada.

Et idem *libr. 1. epiſt. 2.*

Impiger extremos currit mercator ad Indos
Per mare, diuitias quærens, per ſaxa, per ignes.

Vbi Vulgatus *filii inſtitorum.*] Hebr. eſt בני 22.
שחץ *bene ſachas.* quod Septuaginta reddunt *filii ſuperborum*, alii *filii ſuperbiæ.* Hos vero ſuperborum, ſiue ſuperbiæ filios auctor Catenæ immanes & vaſtas beſtias eſſe putat. Translationes aliæ recentiores, *belluas rapaces, & feras.* Quod maxime exprimit vim auaritiæ omnino tyrannicam, quæ homines habitare facit illis in locis, vbi neque belluæ commode poſſunt; atque ideo illa horrent & fugiunt.

Verſ. 9. *Ad ſilicem extendit manum ſuam,* 23.
ſubuertit a radicibus montes.] Iuxta priorem explicationem, Deus ſicut ex ſilice percuſſo aquarum ſcatebras expreſſit, ſic etiam produxit pretioſa metalla & lapillos ſplendentes, dum terræ motibus diffringit ſaxa, & ab imis interdum fundamentis conuellit. Tunc autem apparent illæ hominum deliciæ, quæ ad illud vſque tempus inuiſæ latuerant. Sed iuxta poſteriorem oſtenditur, quo peruenerit lucri cupiditas, quæ adegit mercatorem auarum, vt cum ſaxis luctaretur, vt venas aperiret, quæ continerent, quod in hominum oculis ſplenderet, & oblectaret animos. Quemadmodum in ſaxis duriſſimis concreſcant nobile metallum, & pretioſi lapides, audimus quotidie; & ego apud me habeo ſaxum, in quo venæ ſunt, quas implent metalla probatis-

batissimæ notæ, quod in duritie silici non cedat, & tamen in eo cædendo & conterendo multorum hominum exercentur vires, & membra lassantur.

24. Vers. 10. *In petris riuos excidit, & omne pretiosum vidit oculus eius.*] Si de Deo sit sermo, diuisis saxeis montibus, tremente terra, aquæ eruperunt, quæ aut ibi conclusæ tenebantur, & cum cœcos aliorsum haberent, subterraneosque meatus, mutato ea montium conuulsione cursu, in alias terrarum plagas deflexerunt. Sed si de hominum studio in eruendis metallis sermo sit, ostendit Iobus, eo vsque excauari saxa, & tam alte demitti metallorum secturas, vt ad aquarum profunditatem descendant, quæ ea copia interdum manare solent, vt studia operarum retardent, & opus illud licet inuitos, omittere compellant. Quam altæ demittantur terræ voragines, docuit Plinius *in proœmio lib. 33. Persequimur,* inquit, *omnes terræ fibras, viuimusque super terram excauatam, mirantes dehiscere aliquando, aut intremiscere illam. Imus in viscera eius, & in sede manium opes quærimus.* Idem Ouidius *lib. 1. Metam.* ex quo sumpsisse videtur Plinius: pag. 344. a

Itum est in viscera terræ,
Quasque recondiderat, Stygiisque admouerat vmbris,
Effodiuntur opes, irritamenta malorum.

25. Vers. 11. *Profunda quoque fluuiorum scrutatus est, & abscondita in lucem produxit.*] Aut de Deo hic sermo est, a quo quicquid pretiosum latebat in aquarum gurgite, ostendit hominibus, deditque solertiam, vt illud inuestigaret, & ad rerum ornamenta atque vsus foras produceret. Seu verius de homine, qui nihil non audet & tentat, vt expiscetur, quæ aquæ gignunt & celant; quod auaritiæ summæ & incredibilis audaciæ argumentum est. Quid aquæ in suo sinu gignant, quotidieque parturiant, docent Scriptores de natura rerum. Margaritas & vniones e mari sumunt mercatores: atque ideo margaritarum piscatio dicitur. Sicut etiam coralliorum, quæ cum frutices sint, cum in mari, id est, cum in sua sede manent, extracta inde in lapides durescunt, & magno habentur in pretio, de quibus ita Marbodæus:

Quæ metalla, aut lapilli pretiosi eruantur ex aquis.

Corallus lapis est: dum viuit in æquore vimen,
Retibus auulsus, vel cæsus acumine ferri.

Gagates, vt docet Plinius *lib. 36. cap. 19.* fluuii Gagis Lyciæ partus est, quem expelli etiam a mari in Leucola idem docet *eodem loco.* Sapphirum præterea a mari Libyco eiectari circa Syrtes, & inde appellari Syrtitem, docet Marbodæus *cap. 53.*

Hic & Syrtitis lapis a plerisque vocatur,
Quod circa Syrtes Libycis permixtus arenis
Fluctibus expulsus feruente freto reperitur.

Aurum præterea in fluuiorum alueis inueniri, & in fluminum ripis inuestigari, quotidie videmus in nostro Tago, neque aliter existimo de Pactolo, aliisque fluminibus, quæ ab aureis arenis commendantur.

Vers. 12. *Sapientia vero vbi inuenitur, & quis est locus intelligentiæ?*] Dixerat prius, quanto homines studio atque ardore ad diuitias inhient, & ad illa, quæ insipientes & cœci numerant in bonis: & cum sapientes videri studeant, toto tamen cœlo aberrant a sapientia, cuius ignorant locum & pretium, atque ideo neque illam quærunt, quia non tanti faciunt, quanti oportet: neque si suo arbitratu atque consilio quærant, inuenient; quia neque illius cognouerunt venam, neque, dum in suo sibi iudicio placent, digni sunt, quibus illam Deus aperiat & indulgeat. 26.

Vers. 13. *Nescit homo pretium eius; nec inuenitur in terra suauiter viuentium.*] Eo spectant superborum consilia, quique suo indulgent genio, ne quid aut honori suo, ac voluptati aduersum patiantur, atque ideo in bonis tantum computant, quæ dignitatem augent apud homines, vt vigenti & sentienti naturæ blandiantur. Cum hoc autem studio bene se illa sapientia conciliat, quæ terrena est, qua filii huius sæculi, id est, filii tenebrarum sapientiores esse dicuntur, quam filii lucis, de quibus Christus *Lucæ XVI, 8. Quia filii huius sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.* Sed qualis sit hæc humana sapientia, quæ appellari potius insipientia potest, docuit Iacobus *in epist. c. III, 15.* vbi humanam sapientiam & terrenam, quæ desursum non est, *animalem* vocat & *diabolicam.* Animalem quidem, quia voluptates captat, & sensuum 27. pag. 344. b

Humana sapientia qualis.

suum affectionibus intemperanter obsequitur; diabolicam vero, quia gloriæ studet, & superbe de se sapit & magnifice loquitur. Hic autem suauiter viuit; non quia non patiatur invitus, quæ auersatur & horret natura mortalium; sed quia id agit, curatque præcipue, ne quid vel a rerum inopia, vel ab aliorum de se iudicio molestum patiatur. Hæc est terrena diabolicaque sapientia. Quæ vero desursum est, quamque hoc loco Iobus tantopere
28. commendat, eodem Iacobo teste *vers. 17. Primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordiæ, & fructibus bonis*, &c. dixit hoc idem Baruch *cap. III, 15.* quia videtur in suam prophetiam transtulisse, quæ nunc ex Iobo verba commentamur. nam cum dixisset: *Quis invenit locum eius?* (nempe sapientiæ) *& quis intrauit in thesauros eius?* Negat in illis inueniri, *qui argentum thesaurizant & aurum, in quo confidunt homines, & non est finis acquisitionis eorum. Qui argentum fabricant & solliciti sunt, nec est inuentio operum illorum.* Et *vers. 21.* verba pene repetit Iobi, *neque intellexerunt semitas eius.* Et tandem expresse negat, hanc sapientiam tenuisse Themanitas, eos nimirum, quibuscum hæc Iobus disceptando conferebat; *Non est*, inquit, *audita in Chanaan, neque visa in Theman.* Hos porro, de quibus Baruch, eosdem esse cum his, de quibus Iobus, id est, suauiter viuentes, qui nempe voluptates captant, ex eo constat, quia hi dicuntur dominari super bestias, & in auibus cœli ludere, quod nihil est aliud, quam aucupio & venatione delectari, & vitam traducere suauiter.

Quæ vera sapientia.

29. Vers. 14. *Abyssus dicit, non est in me: & mare loquitur, non est mecum.*] A partium distributione probat, sapientiam veram non esse ex terra, neque in his locis inueniri, vnde homines expiscantur & eruunt illa, quibus omnia inesse ornamenta existimantur. Et primum dicit, non esse in mari, vnde, vt nuper dicebamus, pretiosas mercator piscatur margaritas. Porro eadem sententia cum epitasi geminatur, quasi dicat, mare iterum atque iterum dicit, & constanter asserit, in suo abysso ac finibus non esse sapientiam, & homines admonet, ne in ea quærenda stulto se labore conficiant, cum tam a mari distet, quantum a cœlo secernitur abyssus.

Vers. 15. *Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione eius.*] Nunc agit de sapientiæ veræ inæstimabili pretio, quod tantum est, vt illius comparatione vilescant omnia, quæ omnes homines admirantur & quærunt cum immenso labore vitæque periculo. Quod item aliis multis post sæculis, ad hæc, opinor, loca respectans dixit Salomon *Prouerb. IIX, 10. Accipite*, inquit, *disciplinam meam, & non pecuniam, & doctrinam magis, quam aurum eligite; melior est enim sapientia cunctis opibus, & omne desiderabile non potest ei comparari.* *Aurum obrizum*, nobilissimum est, aut natura sua (nam aurum aliud alio generosius, & purius, quale est illud, quod aduehitur ex Ophir, vnde nonnulli putant obrizum appellari, quasi ophirizum) aut certe aliquo artificio & examine, quo multipliciter excoquitur, & ab omni scoria & aliena concretione purgatur. Quod examen extremum & perfectissimum obrusa vocatur: & ab eo fortasse aurum appellatur obrizum: quia obrusæ subiit seuerum examen. De hoc auro ita Plinius *lib. 33. c. 3. Aurum quo magis arsit, eo magis proficit ad bonitatem, aurique experimentum ignis est, vt simile colore rubeat, vt ignis, atque ipsum obrizum vocatur.* *Appendi argentum*, idem est quod dari. olim enim, &, vt opinor, Iobi tempore æs, aurum & argentum nullo charactere signabantur; sed erat rude quoddam informeque metallum, quod appendebatur, non numerabatur, cum non a signo, sed a pondere valorem acciperet.

30. *Veræ sapientiæ incomparabile pretium.*

pag. 345. a

Aurum obrizum quid.

31. Vers. 16. *Non conferetur tinctis Indiæ coloribus.*] Hæc obscura non sunt, adducuntur enim illa, quæ maximo apud homines habentur in pretio, quibus multo est nobilior pretiosiorque sapientia. *Tincta* illa dicuntur, quæ alienis imbuta sunt coloribus: quare vestimenta dicuntur tincta, aut absolute & solitarie tincta, quæ alieno infecta sunt colore ac succo, quales sunt omnes ab albo & nigro. *Colores* autem dicuntur *tincti*, aut quia inde aduehuntur ad lanarum, aut imaginum, vasorumque tincturam, qualis esset, verbi gratia, vermiculus, coccus, purpurissum, minium,

Indiæ tincti colores qui.

um, sandix, & hoc fortasse verum: Aut quia inde vestimenta & stragula nitenti ac viuido colore comportantur infecta: Ego potius hæc acciperem de lapillis, quæ variis notata coloribus ex Indica regione mercatores conuehunt, alios virides, vt smaragdos; alios sereno cœlo similes, vt sapphiros; alios pallentes & fuluos, vt topazios; alios violaceos, vt amethistos. Hi lapilli pretiosi sunt, & pulchri, sed nihil ad pretium, pulchritudinemque sapientiæ. Textus Hebraicus habet *cum auro Ophir.* Fortasse alios codices habuit noster interpres, emendatos magis. Noster Pineda diligenter & acute Vulgatam translationem cum Hebraico textu hac ratione conciliat: Quia aurum Ophir optimum habet colorem, qui cum auro Ophir sapientiam comparat, illam comparat cum tinctis, id est, rubentibus Indiæ coloribus, quia Ophir ad Indiam spectat.

32. *Nec lapidi sardonycho pretiosissimo, vel sapphiro.*] Hi lapides olim magno habebantur in pretio, quia fortasse alii, qui nostro æuo pluris æstimantur, erant ignoti. Sardonychem tradit Plinius *l. 42. c. 6.* apud Indos a torrentibus detegi; sane multa a torrentibus nudari, quæ terra celauerat, supra a nobis dictum est; de sardonyche ita Solinus *cap. 36.* & Plinius *loco citato*, de illius colore satis accurate: paucis complexus est Marbodæus *cap. 56.*

Sardonychen faciunt duo nomina, sardus onyxque,
Tres capit ex binis vnus lapis iste colores,
Albus, & hinc niger est, rubeus superemi-net albo.

De sapphiro diximus aliquid supra *ad versum*
pag. 345. b *6.* & *versum 11.* vide item Marbodæum *cap. 53.* vbi sicut de sardonyche supra, sic etiam ibi de sapphiro multa tradit, quæ anilem olent superstitionem.

33. Vers. 17. *Non adæquabitur ei aurum, vel vitrum, nec commutabuntur pro ea vasa auri.*] Hæc obscura non sunt. Illud explorandum, cur, cum vitrum res sit vilis, quia fragilis, inter illa numeretur a Iobo, quæ vilia non sunt, sed potius omnium communi hominum æstimatione pretiosissima. De vitro multa Plinius *lib. 36. cap. 26.* quia multa adducit vitri genera, & in illis aliqua, quæ inter ornamenta pretiosa ac maxima numerari poterant. In quibus refert, Tiberii tempore inuentum fuisse talem vitri temperandi modum, vt lentum esset atque flexibile: cumque Imperator ille consideraret, si genus illud increbesceret vitri, plurimum de argenti atque auri pretio detractum iri, iussisse artificis illius officinam euerti. Et idem ibidem docet, Nerone regnante artem esse repertam, quæ sic conflaret ex vitro vasa, vt impenso venirent pretio non minori, quam si ex pretiosissimis gemmis essent elaborata. Ego hic duo meditor: Alterum est, ætate Iobi vitrum inter pretiosos lapides censeri solitum, quia rarum tunc esset, & recens inuentum. Deinde, nondum esse lapillos alios cognitos, qui postea vitri splendorem obscurarunt, reddideruntque vilius, quod prius inter regias delicias statuebat antiquitas. Hebr. pro *vitro* est זכוכית *zechochit*, quod varii varie vertunt; alii *crystallum*, alii *berillum*, alii *adamantem.* Chaldæus *speculum;* & quidem nomina hæc lapidum obscura sunt, neque quid proprie significent, ipsi etiam norunt Hebræorum magistri.

Vitrum olim eo artificio temperatum, vt pretiosum esset & flexibile.

Vers. 18. *Excelsa & eminentia non memorabuntur comparatione eius.*] Quæcumque excelsa sunt, & supremo in loco hominum iudicio collocata, neque nomen habent, aut illud saltem obscurum & ignobile, si cum sapientia comparentur, quæ nomen meretur habere sapientiæ, de qua statim Hebræi, & qui Hebræis plus satis sunt addicti, in excelsis & eminentibus, non commune aliquid; sed gemmarum proprium nomen agnoscunt, licet in illo non omnino conueniant. Sicut neque in lapidibus aliis, de quibus sæpe numero diuinant, quia res est omnino incerta. Vbi Vulgatus *excelsa*, Hebr. est ראמות *ramoth*, quod recentiorum plerique vertunt, *corallium:* alii *carbunculum:* alii *rubinum:* alii *smaragdum.* vbi *eminentia* Hebr. גביש *gabis.* in quo proprium nomen aliquod lapidis agnoscunt, non commune, neque in eo genere lapidis omnes conueniunt. Quidam vnionem esse dicunt, alii crystallum. Noster interpres cum de hac propria lapidum significatione nihil esset exploratum & certum, communem adhibuit. Quod etiam ex parte fecerunt Septuaginta, dum 34.

dum ita vertunt: *Sublimia & gabis non erunt in memoria.* Hæc tantum admonuisse sat fuerit: nam de re tota certum aliquid definiri longi esset laboris, &, vt opinor, irriti.

35. *Trahitur autem sapientia de occultis.*] Locus apparet primum difficilis. Sed si singula verba accuratius expendas, minus videtur habiturus esse negotii. Quæ occulta dicuntur, illa sunt, quæ aut in terræ visceribus, aut saxorum venis claudebantur, aut in aquarum profundo gurgite latebant: nempe aurum,
pag 346. a argentum, pretiosi lapides, & ita omnes pene Interpretes exponunt. Chaldæus: *Attractio sapientiæ melior est margaritis.* Pagninus: *pretiosior est sapientia margaritis.* Eodem modo Isidorus Clarius, Tigurina: *Sapientia quoque margaritis præponderat.* Vatablus: *Margaritis multo præstantior.* Hebræus apud Caietanum: *tractus sapientiæ, plus quam margaritarum.*

36. *A, ab, de, ex, præ, comparationem aliquando significant.*

Vbi Vulgatus *de occultis*, Hebr. מפנינים *mipeninim.* vbi obseruandum, particulam מן vel מ apud Hebræos significare plerumque idem quod *de*, & adhiberi loco comparatiuorum nominum, quibus carent Hebræi: & valere idem quod *præ* apud Latinos, in his dicendi modis, *doctus præ aliis: præ his omnia sordent.* Obseruandum item, Vulgatum interpretem seruare aliquando Hebræorum idiotismos, quod ignorat nemo, cum occurrant passim.

REGVLA. *Vulgatus aliarum linguarum idiotismos seruat.*

Cum ergo particula מן *min* significet *a, ab, de, ex, præ,* seu *magis:* solet Interpres alias significationes pro aliis vsurpare. Quod item faciunt optimi quique interpretes, qui in vertendo ex peregrino idiomate in Latina lingua alienas retinent dicendi formas. Quare vbi in Hebraico textu occurrit מן quod sæpe comparationi seruit, & idem valet quod *præ*, interdum reddit *de*, interdum *a*, vel *ab*, aut *ex*, quæ voces sicut מן idem omnino in illis locis valent, quod *præ*, vel *magis.* Exempla sunt plurima, ex his pauca dabimus. De *a*, seu *ab*, est illud *Ecclesiastic. XXIV, 39. A mari abundabit cogitatio eius, & consilium illius ab abysso magna*, id est, plus quam mare, & abyssus. *Ezech. XVI, 52. Vicisti sorores tuas peccatis tuis sceleratius agens ab eis*, id est, præ eis. *Lucæ XIIX, 14. Descendit hic iustificatus ab illo*, id est, magis quam ille. Plura nos adduximus *in Commentariis super Oseam*, ad illud *cap. X, 9. Ex diebus Gabaa peccauit Israel.*

Hoc ipsum probant translationes omnes, 37.
quas nuper adduximus, vbi apparet manifeste comparatio. Quibus adde translationem LXX. *Attrahe sapientiam super intima.* & Aquilæ: *Dulcis est sapientia præ his rebus, quæ conspicuæ sunt.* Sed est locus non tam similis, quam idem, *Proverb. III, 15.* vbi de sapientia dicitur, *pretiosior est cunctis sapientia.* Hebr. מפנינים *mipeninim.* Septuaginta, *pretiosior est lapidibus.*

Vbi Vulgatus *trahitur*, Hebr. est משך 38.
quod nomen est, quare alii *tractionem* reddunt: sed est sententia aut eadem, aut non longe diuersa, quæ significat, comportationem aut acquisitionem sapientiæ pretiosiorem esse cunctis opibus & gemmis. Et operam multo melius in illius inquisitione poni, quam in illorum comparatione, quæ admirantur homines, & quorum gratia difficultates subeunt ingentes, & vitæ adeunt manifesta pericula.

Vers. 19. *Non adæquabitur ei topazius.*] 39.
Quidam *smaragdum* vertunt, sed in his lapidibus, vt diximus, pleraque sunt incerta. *Topazius quid.*
Quare de his non admodum laboro, quia non magnum esse video operæ pretium. Mihi satis est, quicquid alii sentiant, aut dicant, topazium reddidisse Vulgatum interpretem. de topazio multa Plinius *libr. 37. cap. 8.* Epiphanius *de inuent. topazii.* Strabo *libr. 10. in descriptione Arabiæ.* Albertus *libr. 2. cap. 18.* Marbodæus *cap. 59.* plurima hi de topazio, quæ ad lapidarios spectant potius quam ad Scripturæ Interpretes. Hic porro in Æthiopia nascitur, orientali videlicet, quæ non pag.346.b
longe abest ab Idumæa, & ideo non ignota Iobo: neque illa pretiosa, de quibus hactenus, quæ ex regione vicina, Arabia videlicet Felice, videntur comportari potuisse.

Nec tincturæ mundissimæ componetur.] De 40.
tinctis Indiæ coloribus diximus supra *vers. 16.* idem puto dicendum de tinctura; siue sit de coloribus, quibus splendent infectæ vestes, & pretiosa stragula; siue vestes ipsæ exoticis infectæ coloribus, aut lapilli qui variis coloribus radiant. Hæc autem omnia venire cum sapien-

ſapientia non poſſunt in contentionem, de venuſtate & pretio.

Verſ. 20. *Vnde ergo ſapientia venit, & quis eſt locus intelligentiæ?*] Hic locus expoſitus eſt a nobis ſupra *verſ. 12.*

41. Verſ. 21. *Abſcondita eſt ab oculis omnium, volucres quoque cœli latet.*] Significat Iobus ſapientiam, quæ hoc nomine digna eſt, quamque tantopere commendat, non eſſe partum aut opus terrenæ ſubſtantiæ, neque in terræ viſceribus aut aquarum finibus, aut ſaxorum venis occulte concreſcere; ſicut lapilli ſolent lucentes & nitidi, & metalla, quæ magno inter homines habentur in pretio. Quare non eſt, cur homines viſuros ſe in terra ſperent, aut inventuros ſapientiam, licet ſe quærendo conficiant & frangant, & aſſumptis pennis, ſicut volucres, omnia terrarum luſtrent & pervolent ſpatia.

42. *Sapientia raro cognita.* Verſ. 22. *Perditio & mors dixerunt, auribus noſtris audivimus famam eius.*] Ab oculis omnium, qui tunc erant in viuis, ſic erat abſcondita ſapientia, vt nemo de illa quicquam audierit præter nomen & famam. Quod idem etiam dicendum eſſe ait de illis, qui iamdudum ſunt vita defuncti, licet magnam apud omnes ſapientiæ laudem obtinuerint. Quod ſicut affirmat Iobus de illis, qui ætatem ſuam præceſſerunt, quorum non pauci, egregii fuerunt Philoſophi & aſtrologiæ peritiſſimi: ſic etiam affirmare poſſet de aliis, qui ad noſtrum vſque ſæculum vixerunt perdiu, & nunc etiam, quantumcumque ſibi de ſuo ingenio atque ſapientia placent, niſi id larga Dei liberalitas indulgeat, qui fons eſt ſapientiæ, a quo quod eſt ſincerum & purum ab errore, haurimus. Nam qui ſuis viribus, & ingenii acumine atque præſtantia, obtinere ſe ſperat ſapientiam, de qua nobis hic ſermo, ille profecto neque modum nouit, quomodo oporteat eum ſcire. Habebit quidem vacuum nomen, & inane ſapientiæ ſimulacrum, ſapientiæ tamen animam & pondus non habebit.

43. *Perditio & mors.)* S. Thomas his verbis ſignificari putat eos, qui iam exceſſerunt e vivis, quos humana ſuperſtitio tanquam rerum occultarum conſcios conſulit, & illorum reſponſa ſic accipit, quaſi diuina forent oracula, vnde dicta eſt necromantia; quia mortuos conſulit. Sed poſtea in *perditione & morte* angelos intelligit malos, ſive dæmones, qui & ipſi perierunt, & alius perditionis atque ruinæ cauſa ſunt. Qui audierunt, audiuntque quotidie ſapientiæ famam, non tamen illius vnquam fuere compotes, quia longe fuerunt a timore Dei, a qua ſapientiæ ducitur initium: & quæ infra *verſ. 28. timor* dicitur *Dei.* Idem putant Hieronymus, Beda, & Gregorius, & e recentioribus non pauci. Ego dæmones intelligo, & homines, qui æternis ſunt alligati tormentis, qui ſero cognouerunt ſe fuiſſe pag. 347. a
ſtultos, neque veræ lucis ſplendorem aut tenuiſſimum radium accepiſſe. De quibus *Sap. V, 6. Ergo errauimus a via veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis. Laſſati ſumus in via impietatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus.* Porro vſitatum eſt in Scriptura, vt abſtracta ponantur pro concretis; vnde *perditio* pro perditis, & *mors* pro mortuis adhibetur. Quales fuerunt Socrates, Ariſtoteles, & alii eiusdem farinæ, qui cum magnam ſibi arrogarent ſapientiæ laudem, veræ tamen ſapientiæ neque nouerunt vmbram.

Verſ. 23. *Deus intelligit viam eius, & ipſe nouit locum illius.*] Ignorat homo, vbi ſit ſapientia, licet non ignoret, vbi confletur argentum & aurum, & vnde ſint petendi pretioſi lapides, & vſque adeo eſt in eius acquiſitione cœcus, vt neque ſemitam norit, quæ ad veræ ſapientiæ ſcholam deducit. Vnus eſt Deus, qui viam nouit, & locum, neque alius poteſt illius eſſe ductor & magiſter. Quare qui illius doctrinæ ſeipſos informandos tradiderunt, ſapientiam veram conſecuti ſunt: qui autem ingenii ſui atque laboris opus eſſe putarunt, neque adhibuerunt aliud præter ingenii vires, & laborem aſſiduum, non magis ex eo expreſſere ſapientiam, quam ex aqua ignem, aut aquarum venam ex arida ſpongia. Quocirca ſæpe audimus in Scriptura, a Deo poſtulandam eſſe ſapientiam, *Prou. IV, 11. Viam ſapientiæ monſtrabo tibi: & ducam te per ſemitas æquitatis;* & *Iacob. I, 5. Si quis veſtrum indiget ſapientia, poſtulet a Deo.* 44. *Sapientia vera a Deo eſt.*

Verſ. 24. *Ipſe enim fines mundi intuetur, & omnia, quæ ſub cœlo ſunt, reſpicit.*] Nemo melius 45.

lius docere poteſt cœcos atque errantes homines, quam qui perſpicaces habet oculos, quique omnia videt, & quid in illis boni vel mali lateat, perfecte cognoſcit. Hic autem Deus eſt, cuius oculos nihil latere poteſt eorum, quæ cœli complexus circumdat & cohibet. Qui videt, quid in quolibet loco abundet, aut deſit. Qui nouit in terræ viſceribus metalla, pretioſosque lapides gigni, & eorum ſplendorem, & pretium expendit; ſapientiæ vero locum nuſquam intuetur, neque in terræ ſinu, neque in aquarum gurgite. Atque ideo veræ ſapientiæ amatores a terra auocat, vbi ſapientiæ locus non eſt, & ad cœlum attollit, cœleſtemque magiſtrum, a quo tamquam à ſuo fonte ſtillat veræ immortaliſque ſapientiæ ſuauiſſimus atque perennis riuus.

46. *Quod ventorum pondus.* Verſ. 25. *Qui fecit ventis pondus.*] Probat, quod modo dixerat, nempe Deo nihil in terræ ſinu, cœlorumque complexu occultum eſſe, aut quod non ipſe penitus & omnino cognoſcat. Quod hoc modo probat, quia ipſe omnia fecit atque diſpoſuit: quæ cœlorum continet ambitus, & totus quàm late patet vniuerſi circuitus: qui autem fieri poteſt, vt opifex ignoret, quod ipſe ſuo deſcripſit ingenio & manu formauit? Incipit autem a ventis, qui maximam partem occupant vniuerſi, & dicit exacte illos adeo fuiſſe ponderatos atque dimenſos, ita vt pars nulla quantumcunque exigua ſit in latiſſimo ventorum ſpatio, quam ille non viderit, firmauerit, & in ſuo loco atque ordine digeſſerit. Hoc ego puto ventorum eſſe pondus, id eſt, ponderationem, & quaſi metationem. Aut certe, vt putauit S. Thomas, *dedit Deus ventis inclinationem motus, vt ſcilicet aliquando moueantur ad hanc partem, aliquando ad illam.* Sicut terræ inclinationem dedit, & igni, vt in ſuum locum ſuo ſe nutu moueant, illa ad mundi medium, hic ad æthercam regionem, id eſt, ad cœli concauum. Eſt autem vſitatum, vt

47. Amor *cur dictus* pondus. rerum omnium ſiue leuium ſiue grauium inclinatio ad naturalem ſitum vocetur pondus: vnde amor, qui voluntatem trahit & inclinat, communiter a Philoſophis eo ſignificatur nomine. Ita ſane Auguſtinus *lib. 11. de ciuit. cap. 28. Velut amores corporum momenta ſunt ponderum ſiue deorſum grauitate, ſiue ſurſum leuitate nitantur, ita etiam corpus pondere, ſicut animus amore fertur, quocumque fertur.* Vbi notandum illud, ſiue ſurſum leuitate nitantur, ex quo diſce ignis, qui ſurſum nititur, inclinationem: & aëris, quamcunque ſe in partem moueat, pondus appellari, licet in illis non tam grauitatem, quam leuitatem inveniàs. Certe Ouidius igni atque aëri pondus attribuit *lib. 1. Metam.* nam cum de quatuor elementis ageret adhuc in vno corpore confuſis, ait:

Corpore in vno
Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis,
Mollia cum duris, ſine pondere habentia pondus.

Hæc mihi improbabilia non ſunt: ſed placet magis prior illa ſententia, quæ non incli- 48.
nationem in ventis, ſed ſpatia conſiderat. Tum quia docere vult Iobus, nullo loco ſublunari reperiri ſapientiam, & Deum ſolum illius noſſe locum & ſemitam, qui vniuerſi intuetur fines, & quæcumque in illis ſub cœlo continentur. Hæc autem probat, dum omnia ſigillatim connumerat, quæ vniuerſi ſpatia latiſſime complent. Quam ad rem faciunt valde magnitudo & quantitas, & nihil inclinatio: deinde, quia cum ſtatim agit de aquis, marinis videlicet, aut fluuialibus, menſuram ponit, in qua nulla ſignificatur inclinatio. Pondus autem non tam ſignificat grauitatem aliquam, aut naturalem nutum, quo ad certum ſitum corpora mouentur, quam menſuratam & definitam molem: & ad certum aliquod ſpatium coarctatam. Tam autem *pondero* quam *pondus* examen ſignificat, quocumque in genere: quod licet trutinam & ſtateram præcipue reſpiciat, ad alia tamen omnia, quæ examen ſonant, & exactum iudicium, extenduntur. Sic dicimus 49.
ponderare verba, iniuriam, honorem, promiſſa, & per catachreſin propter vicinitatem *menſurare.* Quomodo ſtatim aqua appenſa, id eſt, ponderata dicitur in menſura.

Pondus pro menſura, & naturali loco.

Et aquas appendit in menſura.] Sicut ad ſeueram trutinam ponderauit ventos, qui vacuam inter cœlum & terram regionem occuparent (nam de igne fortaſſe non cogitabat Iobus, quem vt plerique alii in æetherea pla-

ga, (cœloque vicina esse non putabat) sic etiam aquam certa mensura & pondere creauit, suisque litoribus definite conclusit: ita vt assignatos sibi non transiliret fines, & in illis tumentes frangeret & furentes fluctus, de quibus *cap. XXXIIX, 11.* vbi ea de re pluribus. Hactenus de tribus elementis, in quibus inueniuntur, quæ hominibus speciosa videntur & illustria: & in quibus negatur esse sapientia, quam illi non nouerunt, qui hæc humana tanquam diuinum aliquid admirantur, & a suo vel ingenio, vel industria petunt, non a Dei benigna & liberali manu.

50. Vers. 26. *Quando ponebat pluuiis legem, & viam procellis sonantibus.*] Communis est in Scriptura, & profana etiam eruditione, regula: tunc Deum dici scire, recordari, cognoscere, cum scientiæ, memoriæ, & cognitionis aliquod edidit documentum. Sic Deus a sanctis dicitur non recordari, seu obliuisci miserorum, cum non illorum leuat inopiam: & recordari, cum illorum necessitati subuenit, quia dedit recordationis argumentum aliquod, quod ante non dederat. Sic ergo Deus dicitur tunc vidisse, & præparasse sapientiam, quando naturæ ordinem ita disposuit, vt humanis commodis optime seruiret, & seipsa melius atque diutius conseruaret, quia suæ sapientiæ illustria dedit documenta. Sunt autem duo pluuiarum genera, de quibus nos pluribus ad illud Zachariæ *cap. X, 1. Dominus faciet niues & pluuias.* Alterum procellosum, cum tonitru ac fulgure, quod *nimbi* significatur vocabulo, & est plerumque copiosæ pluuiæ familiare prognosticum. Alterum mitius, a quo benignior stillat imber, & terram suo tempore disponit ad satus, & fruges ad spicas maturitatemque perducit. Vtrique Deus legem posuit procellæ, ne sæuiret vltra præscriptum modum: & agros redderet steriles, & ab illis fructibus vacuos, quos mitior pluuia, & agricolarum industria protulerat, pluuiis vero, ne deessent his temporibus, in quibus illas desiderabant agricolarum vota, & terræ necessitas. Videtur autem Iobus hic spectasse, quod terræ promissionis erat familiare, & pene legitimum, vt neque deesset temporaneus imber, qui seminat, & serotinus, qui auget atque maturat segetes. Quod autem terræ promissionis accidebat plerumque, illud idem Idumæis, qui non procul aberant, videtur fuisse commune, & ideo Iobo multorum dierum vsu satis exploratum.

REGVLA. Eorum Deus dicitur scire recordari-ve, quorum aliquod reddit documentum.

pag. 348. a

51. *Deus pluuiis legem posuit,*

Vers. 27. *Tunc vidit illam, & enarrauit, & præparauit, & inuestigauit.*] Vniuersi creatione & rerum ordine vidit Deus sapientiam suam, cum videlicet vidit, examinauitque cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona: & docuit, qualis esset hæc sapientia, cum ipsi cœli narrarent gloriam, & docerent, quanti esset faciendus, quam obseruandus, qui præclarum illud opus tam aspectu pulcrum, tam ad omnes vsus opportunum sine ferramentis ac vectibus, & sine vlla machina, sed leuissima suæ voluntatis significatione produxisset. Vidit, inquam, illam, quia illam in præclara tanti operis molitione, vt humano modo loquar, sociam & auxiliatricem habuit. Sic sane *Prou. IIX, 29.* loquitur sapientia, præter alia plurima, quæ videntur ad hunc Iobi locum spectare. *Quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos. Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens.* Similia habes *Ecclesiastic. XXIV.* Hæc fuit Dei sapientia, quam Deus ipse narrauit tunc, cum admirabiles rerum species humanis oculis proposuit, quæ Deum sapientem esse prædicarent, qui sciret, & potentem, qui posset egregium illud opus e nihilo producere. Seu fortasse verius, cum principio de sapientia, quæ est in Deo, priora dixisset Iobus, statim de vera sapientia loquitur, quam comparare potest natura mortalium, quam sicut vnus Deus nouit, & indulgere potuit, sic etiam ille solus docere potest. Quare præcepta dedit, & semitam aperuit, quæ hominem ad illius sapientiæ possesionem deduceret. Hæc satis videntur expedita, & aliorum cogitationibus valde consentanea. Addam tamen, quod mihi nec alienum videtur a textu filoque sermonis, & rem totam, nisi me ipsum fallo, clarius elucidat. 52.

Putabam ego, hic non agi de sapientia, quæ est in Deo, quæque ab ea sola cogitatione differt; sed de illa, quam Deus homini commen- 53.

Quam sapientiam a nobis exigit Deus,

pag.348. b commendauit, & tradidit, docuitque in ipso sæculorum exordio, quando vniuersum creauit ex nihilo, & hominem e terræ puluere formauit. Vidit tunc Deus sapientiam, id est, ostendit se vidisse, cum illius homini præcepta & documenta dedit, iuxta ea, quæ nuper dicebamus. Nam Deus scire, aut recordari tunc dicitur, cum scientiæ suæ aut memoriæ argumentum præbet. Præbuit autem maximum, cum ad veram sapientiam semitam ostendit, & aditum aperuit. Enarrauit autem, cum præcepit Adamo, ne ex ligno scientiæ boni & mali comederet, metu mortis proposito, si contra faceret. In quo obseruare docuit, & timere Deum: quæ statim vera dicitur esse sapientia.

54. *Præparo, idem quod stabilio & fundo.*

Et præparauit.] Id est, confirmauit & stabiliuit; & stabile voluit esse præceptum illud comparandæ sapientiæ: ita vt nullo alio modo posteri sapientiam adquirerent, quam illo, quem Adamo parenti statim ab ipsius formatione Deus tradidisset. Vbi Vulgatus *præparauit*, Hebr. est הכינה *hakinah* a radice כון *kun*, quæ *fundare*, stabilire, & confirmare valet. Quod non semel Vulgatus interpres per *præparare* reddidit: ita tamen vt illis locis idem valeat, quod *stabilio* & *fundo*. *Prou. IIX, 27. Quando præparabat cœlos, aderam. Quando certa lege & gyro vallabat abyssos: quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum.* vbi sine dubio eadem iteratur sententia, sicut de aquis ibidem constat: & ideo eodem sensu dixit fundatum æthera, & præparatos cœlos. Et *Psalm. XXIII, 2.* per eandem figuram dictum est: *Quia ipse super maria fundauit eam, & super flumina præparauit eam.* vbi liquet, *præparare* idem esse quod *fundare*. In eandem sententiam explicabam illud *Isaiæ II, 2. Præparatus mons domus Domini in vertice montium.* id est, fundatus. Præparauit itaque Deus sapientiam, id est, stabile illius fundamentum posuit.

55. *Et inuestigauit.*] Sanct. Thomas duas huic verbo actiones attribuit, quales habere solent apud Hebræos verba in coniugatione hiphil, in hunc sensum: *homines eam inuestigare fecit.* id est, ostendit modum, quo illam compararent. Quomodo Spiritus S. postulare dicitur pro nobis gemitibus inenarrabilibus, quia postulare facit, & gemere. Huic tamen cogitationi parum fauet verbum חקרה *chacarah*, quod non est in coniugatione hiphil. Ego hæc sicut superiora ad Dominum refero, qui cum præcepta tradidisset & legem Adamo, inuestigauit & inquisiuit, an illa seruasset, & obseruantiam, & timorem habuisset, in quo, vt statim legimus, commendata a Domino sapientia consistit. Sed inuenit, neque seruasse datum sibi præceptum, neque habuisse veram sapientiam, quæ a Dei timore & obseruantia hauritur, & ab iisdem conseruatur. Quare quia Dei timorem & obseruantiam prodidit, tam longe fuisse dicitur a sapientia, vt comparatus fuerit iumentis, & illis factus non absimilis. de Adamo enim accipiunt multi illud *Psalm. XLIIX, 13. Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* cum ab hac regula defecerunt homines, a sapientiæ via longe declinarunt, & veram amiserunt intelligentiam. de quibus *Baruch III, 9. Audi Israel mandata vitæ, auribus percipe, vt sciatis prudentiam, dereliquisti fontem sapientiæ: Nam si in via Dei ambulasses, habitasses vtique in pace super terram.* Et Moyses sic ad populum *Deut. IV, 5. Scitis, quod docuerim vos præcepta atque iustitias, sicut mandauit mihi Dominus Deus meus. Sic facietis ea in terra, quam possessuri estis, & obseruabitis, & implebitis opere. Hæc est enim vestra sapientia & intellectus.* pag. 348.

Vera sapientia in obseruantia & timore Dei.

Vers. 28. *Et dixit homini: ecce timor Domini ipsa est sapientia: & recedere a malo intelligentia.*] Horum sensus facile constat ex his, quæ proxime diximus. Quæ sic erant nota, &, vt reor, prouerbialem in modum cum allusione ad hunc locum vsurpata: vt millies audiamus, aut sapientiam esse timorem Dei, aut a Dei timore initium ducere sapientiam. *Psalm. CX, 10. Initium sapientiæ timor Domini: intellectus bonus omnibus facientibus eum.* In *Ecclesiastic.* sæpius *c. I, 16.* hæc eadem omnino verba, & *v. 22. corona sapientiæ timor Domini.* & *v. 25. Radix sapientiæ est timere Deum.* & *v. 20. plenitudo sapientiæ est timere Deum. cap. XXI, 13. consummatio timoris Dei sapientia.* 56.

57. *Timere* autem *Deum* ex vsu Scripturæ aliquid est amplius, quam quod apud Latinos sonat. Significat enim religionem, & obseruantiam, & cultum omnem, quo prosequimur Deum; vnde viri religiosi *timorati* dicuntur *Lucæ II, 25. Actor. IIX, 2. & XXII, 12.* Neque id alienum est a Latinorum vsu, qui in timore aut horrore religionem & venerationem intelligunt. Lucanus:

Arboribus suus horror inest.

Quod obseruauit Seruius ad illud Virg. *l.1. Æn.*

Horrentique atrum nemus imminet vmbra.

Neque alio sensu sumpsit Apost. *ad Ephes. V, 33.* cum dixit: *Vnusquisque vxorem suam sicut seipsum diligat: vxor autem timeat virum suum* id est, obseruet. Plura diximus ad illud *cap. I, 1. & timens Deum*, quæ tu vide.

58. Sed nunc explorandum, quando hæc verba homini, id est, Adamo dicta fuerint a Deo. Ego expressum locum non inuenio, nisi dicamus, tunc hominem hoc a Deo præceptum accepisse: quando iussus est proposito mortis periculo, ne de ligno gustaret scientiæ boni & mali, ab illo enim timor & religio deterrere debuit. Sed, opinor, hæc verba in Genesi non haberi, nisi admodum obscure;
pag. 349. b & fieri potuisse, vt quæ a Moyse literis prodita non sunt, illa per traditionem ad Iobi vsque ætatem accepta peruenerint. Et quidem satis est verisimile, plura dixisse Deum Adamo, quam nos in Genesi de illius gestis & Domini sermonibus audimus: quorum nonnulla ex occasione postea prodita sunt ab aliis, vt docuimus *Actor. I, 5.* Et quidem ignoraremus multa, nisi ex aliis locis vel citata, aut obiter notata legeremus. Quis nosset per
59. crabrones exactos e suis finibus Chananæos, nisi iam morti proximus Iosue in Hebræorum memoriam reuocasset? ignoraremus plurima, quæ tunc acciderunt, quando ex Ægyptia seruitute Hebræorum populus emersit, nisi illa *in lib. Sapientiæ a cap. XVI. ad finem vsque libri* Historicus sacer esset prosecutus. Quis sciret, sub Rege Osea fuisse terræ motum, nisi illud accepisset ab Amos *cap. I.* & multis annis postea a Zacharia *cap. XIV, 5.* Neque in hac historia Adami desunt exempla: vnde enim inter Deum & Adamum intercessisse pactum cognosceremus, nisi illud Oseas *cap. VI, 7.* docuisset: *Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi præuaricati sunt in me.* Quem locum de primo parente cum Hieronymo capiunt frequentes alii. vide quid nos ad illum locum.

REGVLA. *Multa in suis locis non tradita, quæ ex aliis locis discimus.*

Quando hæc verba dicta fuerint Adamo, incertum est. Mihi non videtur improbabile, dicta fuisse post violatum præceptum, postquam parentes primi audierunt ex diabolo, si gustarent ex ligno, a quo illos diuinum præceptum arcebat, futurum, vt scirent bonum & malum, neque Deo forent inferiores scientia. Tunc autem sumpta occasione ex hominum lapsu, & peccato grauissimo, quod admiserunt, dum sapientes esse volunt, docuit Deus, non ex arbore illa captandam esse scientiam, sed ex Dei timore atque obseruantia; & ex peccati attenta & vigilanti fuga. Hanc vero sapientiam, quæ in mali fuga & boni studio atque prosecutione consistit, tenuisse se Iobus affirmat, timorem nempe & obseruantiam Dei, quæ facit quod Deo gratum esse cognoscit. *cap. XXIX.* & fugam a malo, dum illa horret, quæ a Deo non probari putat. *cap. XXXI.* In vtroque vero capite suos mores & vitam accurate describit. 60.

ARGVMENTVM CAP. XXIX.

MVlta Iobus ab amicis audierat conuitia, eaque grauissima, quæ eo tempore admisisse accusabatur, in quo cum potestate fuit. Quo tempore vexasse dicitur, & spoliasse suos, non auare solum, sed etiam crudeliter, & non tam regium tenuisse, quam tyrannicum imperium agitasse. Quod vt Iobus refellat, suæ vitæ integritatem atque innocentiam multis commendat, ostenditque, quam longe abfuerit a tyrannide, quam omnes liberaliter, quam

quam humaniter fuerit amplexus. Quam prolixe omnium leuarit inopiam, quam ab iniquo iudice & violento concertatore defenderit: quam omnibus ideo charus, quanta in veneratione fuerit. Quare optare se dicit, tam innocentem, piam atque modestam sibi esse vitam in eo posteriori statu ærumnoso ac tristi, quam habuit in priori, cum omnia sibi succederent ex voto. Quem statum late atque optime describit, vt ex ea rerum conuersione magis appareat dolendi ac miserendi causa.

CAPVT XXIX.

1. ADdidit quoque Iob, assumens parabolam suam, & dixit:

2. Quis mihi tribuat, vt sim iuxta menses pristinos, secundum dies, quibus Deus custodiebat me?

pag. 350. 3. Quando splendebat lucerna eius super caput meum, & ad lumen eius ambulabam in tenebris:

4. Sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, quando secreto Deus erat in tabernaculo meo?

5. Quando erat omnipotens mecum: & in circuitu meo pueri mei?

6. Quando lauabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi riuos olei?

7. Quando procedebam ad portam ciuitatis, & in platea parabant cathedram mihi?

8. Videbant me iuuenes, & abscondebantur: & senes assurgentes stabant.

PARAPHRASIS.

1. 2. Cum se amicorum nullus interponeret, suam parabolam Iobus aut pertexuit priorem, aut aggressus est nouam, dixitque: tyrannicum mihi ingenium, o amici, auaritiam fœdam & inexplebilem, & barbaram crudelitatem obiicitis: quam tunc nimirum in subditorum corpora & fortunas exercui, cùm florerem ipse opibus, auctoritate publica, & regio nomine: neque enim cum cecidi, quicquam horum tentare, nedum suscipere atque efficere potui. A quibus eo tempore tam studiose manus oculosque continui, vt non alium animum, continentiam & modestiam optem in hac fortuna misera & conditione sordida, quam tunc habui, cum mihi omnia succedebant ex votis, & Deus mihi populari iudicio benignior esse videbatur, & mearum rerum vigilantissimus custos.

3. Quando nusquam ab oculis meis lux aberat, id est, fortuna lætior. Quod si aliquando aliquid incideret impeditum, aut dubium, statim aderat manus diuina, aut lux, quæ mihi expeditam ostenderet viam, & ex illis difficultatibus præstaret incolumem. pag. 350.

4. 5. Qualis eram in ætate iuuenili & vegeta, quando Deus adeo mihi videbatur familiaris & assiduus, vt a meo tabernaculo nunquam recederet; & in penitiori domus secessu non aliter habitaret, quam vnus e domesticis. Cum numerosa filiorum atque clientum turba circumdabat me, ex qua solebam voluptates captare mirificas & vsus necessarios.

6. Tunc autem sic abundabam re pecuaria ac rustica, vt agere perpetuo possem geniales dies, & pedes oleo ac lacte in deliciis abluere.

7. 8. Quando incessu regio progrediebar ad portas, vbi legitima exercebantur iudicia, & in medio foro locoque sublimi, tanquam senatorum Principi, statuebatur cathedra, quæ regium ostentaret nomen & summam in eo consessu maiestatem. Quo tempore ab omni gentium

ordine sic obseruabar, vt omnes publicum mihi deferrent honorem. Iuuenes cedebant de via, & ne illorum mores seuere corriperem, abscondebantur; senes assurgebant aduenienti, stabantque, cum ego interea sublimis pro regia consuetudine sederem.

9. Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo.

10. Vocem suam cohibebant duces, & lingua eorum gutturi suo adhærebat.

9. 10. Ipsi quoque Principes, me præsente, hiscere non audebant, & labiis digito compressis, quem inchoarant, imperfectum relinquebant sermonem: & duces, quibus militare studium audaciam alit & loquendi licentiam, cohibebant tamen vocem suam, quasi lingua eorum faucibus adhæsisset, & sermonis facultas prorsus esset ablata.

11. Auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi.

12. Eo quod liberassem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non esset adiutor.

11. 12. Quam autem integre ac pure egerim, illos habeo testes, qui mea verba audire, aut facta videre potuerunt. Quia tam longe fuerunt, vt aliquid in factis dictisque damnauerint, vt potius laudarent, beneque mihi precarentur, quod tantam in dictis factisque moderationem adhibuerim, & ita miserorum susciperem causam, vt si quando pauperis a potentiori vexati clamorem audirem, aduolarem statim; & ad pupillum quamprimum accurrerem, qui patronum non haberet, quem ad auertendam iniuriam aduocaret.

13. Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum.

14. Iustitia indutus sum: & vestiui me, sicut vestimento & diademate, iudicio meo.

13. 14. Audiebam vocem mihi bene precantis, quem ab iniuria & morte vendicaueram. Et tam longe fui, vt aliis vestimenta detraxerim, vt non alio vestimento maluerim indui, quam eo, quod est a iustitia; & rectum legitimumque iudicium multo pluris fecerim, quam regium insigne.

15. Oculus fui cœco, & pes claudo.

16. Pater eram pauperum: & causam, quam nesciebam, diligentissime inuestigabam.

15. 16. Viam illi demonstraui, & suam causam disceptandi modum, quicquid facto opus esset, aut quo se modo, ac sua tueretur, ignorabat. Et eidem eram auxilio, si obsistente maiori virtute ac gratia, ius suum in iudicio obtinere non posset; quod perinde fuit, atque si cœco meos largirer oculos, & claudo pedes, quibus vteretur pro suis, & eo perueniret, quo potentiorum non sinebat improbitas. Et cum pauperum me publice profiterer patronum & vindicem, non tamen illius patrocinium prius suscipiebam, quam inuestigata diligenter causa de illius æquitate constaret. Tunc autem iniuriam illi ab iniquo iudice, aut a concertatore violento fieri non sinebam.

pag. 351. 17. Conterebam molas iniqui, & de

17. Confringebam mea auctoritate iniquorum pag. 351.

dentibus illius auferebam prædam.

rum potentiam, & quam prius per summam vim ac fraudem prædam abstulerant, contritis dentibus extrahebam e faucibus, quod non videbatur minoris esse negotii, quam si e famelici leonis ore semesos cibos extorquerem.

18. Dicebamque: in nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies.

19. Radix mea aperta est secus aquas, & ros morabitur in messione mea.

18. 19. Cum autem nossem vitam illorum esse diuturnam, qui pauperum suscepissent causam, & illorum necessitati subuenissent, sic mecum ratiocinabar: Postquam longæuam egero vitam, qualis est palmæ, pacifice moriar, non extorris aut profugus, sed in domo mea, quam in niduli modum mihi construxi, fortunatus & hilaris: & similis plantæ, quæ iuxta decurrentes aquas depacta est in feraci gleba. Nihil præterea putabam, aut arboretis meis, aut segetibus defuturum, cum arboribus ad radices iugem & copiosam aquam; & frugibus cælestem rorem a misericordia paratum arbitrarer.

20. Gloria mea semper innouabitur, & arcus meus in manu mea instaurabitur.

20. Neque obscurandam gloriam, quam habebam eximiam, imo magis ac magis auctum iri quotidie, neque frangendum arcum bellicamque virtutem, quibus aut debellarem hostes meos, aut si quod ab illis malum impenderet, auerterem.

21. Qui me audiebant, expectabant sententiam, & intenti tacebant ad consilium meum.

22. Verbis meis addere nihil audebant, & super illos stillabat eloquium meum.

21. 22. Ea porro eram apud omnes opinione sapientiæ atque iudicii, vt quicquid ex ore meo caderet, putaretur oraculum. Neque dum meam sententiam dicerem, quisquam aut auertebat aures, aut loquebatur, aut existimabat his, quæ a me dicta forent, aliquid addi oportere. Neque minus gratus erat sermo meus, quam sedatus imber, qui ad agrorum fœcunditatem e cælo delabitur.

23. Expectabant me sicut pluuiam, & os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum.

24. Si quando ridebam ad eos, non credebant, & lux vultus mei non cadebat in terram.

23. 24. Expectabant alii, si quando incideret de rebus dubiis deliberatio, sermonem meum ea auiditate, qua sitientes agri & morientes segetes serotinam pluuiam. Qui vsque adeo ingenium meum seuerum esse existimabant, vt non crederent auctoritatem meam posse laxari. Quare si quando aut riderem cum illis, aut illis arriderem, alienam putabant esse personam. Neque enim sibi persuadebant, in animum meum aliquid incidere posse ioculare. Neque illa vultus hilaritas prorsus erat otiosa, cum auditorum animos ad amplectenda salutaria documenta disponeret.

pag. 352. 25. Si voluissem ire ad eos, sedebam primus: cumque sederem quasi rex,

25. In hominum consessu, vt regiam decebat amplitudinem, primum occupabam locum, quem quasi Imperatorem in acie copiosum militum pag. 352.

tum

circumſtante exercitu, eram tamen mœrentium conſolator.

tum agmen circumſtabat. Neque illo honore ſic efferebatur ſpiritus, vt alios contemnerem, ſed potius ſi ægro eſſent animo, conſolabar, & illis liberali manu ſubleuabam inopiam.

Verſ. 1. *Addidit quoque Iob aſſumens parabolam:*]

pag. 352. a

1. HIc locus expoſitus eſt in principio *c. XXVII.* vbi eadem omnino præfiguntur verba.

Verſ. 2. *Quis mihi tribuat, vt ſim iuxta menſes priſtinos: ſecundum dies, quibus Deus cuſtodiebat me.*] Antequam hoc caput explicare aggredior, nonnulla nobis præmittenda ſunt, quæ plurimum afferant lucis tribus capitibus, quibus completur vniuerſa Iobi diſputatio. Neque enim deinceps locutus eſt, niſi admodum pauca verba; neque ea ſtylo dicendi contentioſo, qualis eſſe diſputantium aſſolet: in fine præcedentis capitis oſtenderat Iobus, quænam eſſet vera ſapientia, quam dixerat a terra non eſſe petendam, quia partus terræ non eſt, ſicut aurum, & gemmæ, & quæ hominum iudicio ſplendorem habent eximium, exiſtimanturque digna, in quorum inquiſitione humana deſudet induſtria. Illam autem ſapientiam eſſe dicit, quam Dominus docet, & indulget, quæ in Dei ipſius timore atque obſeruantia conſiſtit, id eſt, in ſtudio atque proſecutione boni, & in fuga ac declinatione mali. Hanc ſapientiam ſe tenuiſſe dicit, & coluiſſe diligenter *hoc cap. XXIX.* dum a ſe benigne & religioſe facta commemorat: & dum *cap. XXXI.* oſtendit, quantopere impietatem & omnem improbitatem horruerit.

2. Vt autem *cap. XXIX.* rationem & ordinem teneamus, reuocanda eſt illorum memoria, quæ de ſe Iobus ab amicis audierat *cap. XX.* a Sophar, & *cap. XXII.* ab Eliphaz, a quibus tyrannus appellatur & impius, qui ereptis a debiliori turba diuitiis ſuam domum luculenter ornauerat, neque ſolum in illorum facultates prædator irruerat, ſed etiam ſæuierat in illorum corpora crudeliter eo nimirum tempore, quo potens erat, & cum regia poteſtate, & fortunatus cenſeri poterat: tunc enim abuſus poteſtate & opibus licere ſibi exiſtimabat, quicquid animo ſuo collibuiſſet. Hæc & ſimilia audiebat Iobus ab amicis, quibus diabolus eam cogitationem immiſerat, vt non ſolum in corpore multiplici morbo, ſed etiam in animo angoribus variis, & indignis regio nomine conuitiis vexaretur.

Horum conuitiis reſpondet Iobus, & prius illud tempus rebus omnibus ad vſus regiaſque delicias abundans, in quo maior videri poterat viuendi licentia, ab omni intemperantia, tyrannide & crudelitate vendicat. (nam de tempore, in quo omnibus ſpoliatus ornamentis & commodis, vitam egit infelicem & ægram, alia ratio eſt, de quo pluribus *cap. XXX.*) Tam autem illum ab eo priori tempore & ſtatu felici nihil pungit, aut ſolicitat, aut crudelitatis, tyrannidis, & impietatis conſcientia non vexat, vt talem nunc in dolore continentiam, manſuetudinem & modeſtiam habere velit, qualia tunc habuit, cum floreret opibus, quando admiſiſſe ſcelerata illa ab amicis arguitur. Hoc ſpiritu ſua nunc Iobus benefacta commemorat: neque opes illas, aut regium locum, quem antea tenuerat, deſiderat, ſed talem modeſtiam, temperantiam & ſanctitatem, qualem tunc habuit, cum maior proponebatur ab aliorum exemplis, qui in eadem fortuna vixerant, viuendi libertas.

pag. 352. b 3. *Non optat Iobus priorem fortunam, ſed eſſe nunc talis, qualis in illa fuerat.*

Simile aliquid dixit de ſe Hieronymus *tom. 1. epiſt. 22. de cuſtodia virginitatis ad Euſtochium*, qui cum non minus a carnalibus vrgeretur ſtimulis, quam a maieſtate atque opibus ad ſuperbiam & tyrannicas iniurias impellitur regia aut fortunata conditio: optare tamen ſe dicit iam a carnali tentatione liber, caſtitaſem illam & conſtantiam, quam integram indomitamque ſeruauit, cum durum tentationum pondus ſuſtineret: *Pallebant*, inquit, *ora ieiuniis, & mens deſideriis æſtuabat in frigido corpore, & ante hominem ſua iam carne præmortuum ſola libidinum incendia bulliebant. Non erubeſco confiteri infelicitatis meæ miſeriam;* 4.

am; quin potius plango me non esse quod fuerim. His positis, facilius, opinor, commentatio procedet.

5. *Quis mihi tribuat, vt sim iuxta menses pristinos.*] Communis est omnium ferme sententia, optare Iobum ad priorem redire fortunam, & conuerso statu, quem nunc subibat longe miserrimum, & valetudini pristinæ, & regiæ conditioni restitui. Sic S. Thomas, Hieronymus, Beda, Chrysostomus *in Catena*, & cum his recentiores ferme omnes. Pro omnibus accipe Hieronymum: *Optat sanctus Iob, atque desiderat, vt iam de illo squallore ac cruciatibus liberetur, reuertaturque ad illam gloriam pristinæ felicitatis, in qua aliquando Domino prosperante degerat.* Sanctus Thomas illius antiquæ felicitatis in Iobo desiderium agnoscit, votum tamen & preces non admittit. Ego, vt fatear, aut meam ignorantiam, aut meum de Iobi sanctitate iudicium, nihil horum vnquam probare potui. Quæ enim illa tanta est patientia, quæ dolores & alia naturæ incommoda perfert inuita? Quæ tanta sanctitas, quæ ad opes & delicias, & si Deo placet, ad regiam dignitatem aspirat? Quare placet quod maxime probaui, non optare Iobum humanam amplitudinem & commoda, ex quibus cecidit, sed sanctitatem, quam eo tempore coluit, cum regiam habuit maiestatem & nomen: vt erroris arguat eos, qui eo tempore dicebant fuisse in Iobo, & sitim diuitiarum ardentem, & tyrannicam crudelitatem, & barbaram insaniam.

pag. 353. a

6. *Secundum dies, quibus Deus custodiebat me.*] Loquitur Iobus iuxta stulti populi vulgare iudicium, qui tunc iudicat Deum alicuius esse custodem & patronum, cum nihil accidit aduersi, sed integra manet res & fama. Neque aliud erat diaboli iudicium, cum dixit, Deum esse Iobi custodem, cum neque a temporum, aut hominum iniuria quicquam illius facultates & nomen paterentur incommodi. Sic enim ille ad Deum de Iobo *cap. I, 10. Nonne tu vallasti eum, & domum eius, vniuersamque substantiam per circuitum.* Hoc itaque dicendi modo significat Iobus, tempus illud, in quo fortunatus vixit, his abundans rebus, quibus homo vulgari iudicio beatus existimatur.

Vers. 3. *Quando splendebat lucerna eius super caput meum, & ad lumen eius ambulabam in tenebris.*] *Lux* & *dies* iuxta Hebræorum idioma pro fortuna ponuntur felici; sicut contra *caligo*, *nox*, & *tenebræ* pro conditione ærumnosa & lugubri. Quare his verbis Iobus nihil significat aliud, quam se omni tempore fuisse fortunatum; neque vnquam illi lucem ac diem a Deo defuisse, & si quando aliquid tenebrarum occurreret, quod in hoc mortali statu recusari non potest: non tamen illud durasse diu, sed oriente subito noua luce euanuisse: neque sic caliginem fuisse densam, vt non in illa sine errore atque offensione ambulare potuerit. Quod perinde est, ac si ex domo sua aut oculis, cœlestis splendor nunquam abierit. *Lux* præterea siue *lucerna super caput*, aut significat vtilem & proximam lucem, quæ quamcunque in partem sese homo conuertat, exiguas efficiat vmbras, vt apparet in æstiuo solstitio, quando sol est supra caput in meridie. Tunc enim vmbræ sunt exiguæ, quas calcamus sub pedibus, quia modice se a corpore proiiciunt. Sic porro Poëtæ describere solent meridiem ab exigua luce. Ouidius *lib. 3. Metam.* 7.

Lucis meridianæ descriptio.

Fecerat exiguas iam sol altissimus vmbras.

Et idem *de arte:*

Iamque dies medius tenues contraxerat vmbras.

Et clarius *lib. 3. Metam.* pag. 353. b

Sol erat, & minimas a vertice fecerat vmbras.

Et adhuc clarius Lucanus *lib. 9.*

—Nihil obstat Phœbo, cum cardine summo
Stat librata dies; truncum vix protegit arbor,
Tam breuis in medium radiis compellitur vmbra.

Aut igitur *lucerna super caput* significat tenuem vmbram, qualis est a corpore, supra quod directe sol aut aliud quoduis lumen impendet: aut significat clarissimam lucem, qualis est meridiana, quæ, vt iam abiit in prouerbium, sic etiam *lucerna super caput* prouerbiali specie pro fulgentissima sumitur. Hæc mihi explicatio difficilis non est, sed addo aliam, de qua lector, vt volet, statuat. 8.

Per caput alicuius, *id, cuius est caput, describitur.*

Notum est, per *caput* hominum non apud Hebræos solum, sed etiam apud alios, illud, cuius est caput, solere describi: vt pluribus docuimus *in nostris Commentariis in Isaiam* ad illud *cap. XXXV, 10. Lætitia sempiterna super caput eorum.* Sic *Prouerb. X, 6. Benedictio Domini super caput iusti*, id est, super iustum. *Psalm. LXV, 12. Imposuisti homines super capita nostra*, id est, super nos. Sic legimus *Ecclesiast. XXV, 22. caput colubri*, & *2. Regum III, 8. caput canis*, pro cane & colubro. Vbi in hunc sensum interpretabamur hunc Iobi locum, dicebamusque, *super caput meum*, valere idem, quod super me: quod mihi etiam nunc probatur. Esse autem lucem super aliquem, idem valet, quod aliquem a luce non destitui. Quod autem dicitur: *ad lumen eius ambulabam in tenebris*, idem est, atque, si quando aliquid incideret impeditum, aut dubium, aut certe, quod mihi minus videretur ex vsu, statim aderat aut diuina manus, quæ me ex illis difficultatibus extraheret, aut lux a Deo, quæ illas a me dubitationis tenebras expelleret. Tam autem ærumnæ, quam perplexa & dubia, *tenebrarum* significantur vocabulo.

9. Vers. 4. *Sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, quando secreto Deus erat in tabernaculo meo.*] Quo tempore hæc a Iobo dicebantur, iam ab annis, vt apparet, excesserat, in quibus florens ætas erat & vegeta. Nisi dicamus, ante suum tempus a doloribus & morbis aduocatam senectutem aduenisse. Quod ipse videtur significasse Iobus, cum dixit *cap. XVI, 9. Rugæ meæ testimonium dicunt contra me.* Porro Deum esse in secreto tabernaculi, nihil videtur aliud, quam Deum sic fuisse Iobo familiarem & assiduum, vt ab eius domo nunquam recederet, sed in secreto, id est, in penitiori domus secessu sic habitaret, quasi vnus esset e domesticis, aut ibi haberet templum, id est, familiare domicilium. Quomodo (liceat exempli gratia paruis componere magna, & quæ sancta sunt & vera, cum nugis fabulisque gentilium) dii tutelares, & penates in ciuitatibus priuatisque domibus ad illarum custodiam alligati dicuntur. Penates vero dicuntur, qui tam sunt domestici, familiares & assidui, quasi cum illis essent nati, & cum illis educati, quorum domibus præsunt & inuigilant.

Vers. 5. *Quando erat omnipotens mecum, & in circuitu meo pueri mei.*] Explicatio est proximi versus. Neque enim videtur aliud esse, secreto esse Deum in Iobi tabernaculo, quam esse cum Iobo, & illius inuigilare commodis. 10. pag. 354. a Eo autem tempore nihil Iobo defuit, quod ad illius faceret luculentos vsus & regiæ dignitatis ornamenta. Habebat filios, qui tantam exhilarabant ornabantque familiam, copiosum famulitium & nobile, quo ad domestica & publica munera vtebatur. Vtrumque enim significant illi pueri, qui in Iobi circuitu constitisse dicuntur. Vox enim *puer* ex Hebræorum idiomate, non minus seruorum, quam filiorum conditionem importat. Hæc de domus splendore atque custodia.

Vers. 6. *Quando lauabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi riuos olei.*] Abundasse significatur Iobus re tam rustica, quam pecuaria, quas *cap. I.* sigillatim accepimus: vbi proditum, quot araret iugis, & quot pecudum aleret, & armentorum greges. An butyro Iobus lauerit pedes, non omnino conuincit loquendi modus. Solere homines assidue lauare pedes vnguento, aut aqua suauiter olenti, res satis nota, vt nos pluribus ostendimus *in nostris Commentariis in Cantica* ad illud *cap. V, 3. Laui pedes meos*, & in *2. Reg.* ad illud *cap. XIX, 24.* de Miphiboseth: *Descendit in occursum Regis illotis pedibus.* Lauare autem solebant maxime in genialibus lautisque conuiuiis, idque nonnunquam vnguento. exempla sunt plura apud Athenæum *lib. 12. cap. 3. & lib. 15. cap. 15.* vbi cum alia vnguenta aliis corporis partibus destinata dicantur, Ægyptium tamen vnguentum idoneum esse traditur pedibus abluendis. Persæ atque Indi, vt tradit Hieronymus *in cap. X. Danielis*, statim in principio, vnguentis vtebantur balneorum loco. Inter Romanos videtur fuisse vsitatum minus: Nam Plinius *lib. 13. cap. 3.* id tanquam rarum admiratur in Othone. Quod etiam apud Hebræos fuisse in vsu, indicat illud Magdalenæ factum *Lucæ VII, 38. Osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.* Quæ nihil videtur alienum a conuiuiorum consuetudine tentasse. Hoc fortasse facie-

11. *Pedes vnguentis lauari soliti, in deliciis.*

bat

bat aliquando Iobus in meliori fortuna.

12. Sed occurrunt duæ aliæ expositiones minus difficiles: altera est, hic signum pro re significata sumi, pedes nimirum lotos pro lætitia hilarique fortuna. Nam in conuiuiis nuptialibus lauari pedes, aut quando alias ob causas hilares sumuntur dies, probat illud *Cant.V,3.* vbi sponsa, cum iam instaret nuptiale tempus, dixit: *Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Quod item officium exhibere voluit Abraham *Genes. XIIX, 4.* tribus angelis, quos ad hospitium & mensam inuitabat: & Loth *ibidem cap. XIX, 2.* & fratres Ioseph *ibidem cap. XLIII, 24.* lotis pedibus in mensa conuiuali discumbunt. Et qui lugent, aut aliqua doloris signa exhibere volunt, id illotis & sordidis pedibus significant. Sic Miphiboseth, vt ostenderet ex Dauidis casu magnum se cepisse dolorem, occurrit Dauidi *illotis pedibus, & intonsa barba. 2. Reg. XIX, 24.* & de Ierusalem captiua cecinit Ieremias *Thren. I, 9. Sordes eius in pedibus eius.* Quare sensus erit, fuisse aliquando tempus, in quo Iobus splendida obiret conuiuia, & dies ageret geniales & lætos.

13. *Pedes lauari vnguento, oleo, sanguine abundantiam earum rerum indicat.* Altera expositio est, quam ego magis probo, hoc dicendi genere magnam significari illarum rerum abundantiam, quæ sumuntur e rure, aut e pecorum armentorumque gregibus. in *butyro* greges, in *oleo* varios agrorum prouentus intelligo. Lauare autem, aut tingere pedes oleo, vino, lacte, seu butyro, aut sanguine, iuxta Hebræorum idioma rerum illarum abundantiam significat, quasi ea sit copia, vt etiam pedes illis lauari possint. De sanguine est illud *Psalm. LXVII, 24. Vt intingatur pes tuus in sanguine.* de oleo *Deut. XXXIII, 24. Tinget in oleo pedem suum.* Simile est illud *Genes. XLIX, 11. Lauit in vino stolam suam.* Quod autem in hanc explicationem magis propendeat animus, facit, quod butyro aut lacte pedes lauari non solent: & quod statim de oleo dicitur, abundantiam sine dubio significat. In quo tamen aliquid est hyperbolicum, dum riui dicuntur e saxo diffluere. E saxo porro oleum effluit, quia olineta in locis confragosis saxosisque nascuntur, maxime in Idumæo solo, quod petrosum est. Sane *Deut. XXXII, 13.* e saxo dicitur manare oleum, id est, exprimi ab oliuis, quæ in saxeto nascuntur, *vt sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo.* Quare Iobus superiori ætate affluxisse se dicit olei butyrique prouentu, id est, vim se habuisse maximam pecuariam & rusticam.

pag. 354. b

Vers. 7. *Quando procedebam ad portam ciuitatis, & in platea parabant cathedram mihi.*] 14.
Hactenus de rebus ad vitam instructumque familiæ necessariis; iam agit de autoritate, quam habuit apud omnes, & dignitate regia, quam cum omnium approbatione sustinuit. In portis fieri hominum conuentus, & ibi disceptari atque agitari causas legitimo iudicio, res est nota, & in Scriptura sacra millies repetita. *Prouerb. XXXI, 23.* de coniuge mulieris fortis; *Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terræ.* & *Thren. V, 14. Senes defecerunt de portis: iuuenes de choro psallentium.* Huic autem ordini ac senatui, quasi princeps & antistes præerat Iobus; atque ideo illi in honesto illo ac legitimo loco statuebatur cathedra, vbi supremam & regiam maiestatem ostenderet. De porta & cathedra iterum meminit Iobus *cap. XXXI, 21.* Vt autem in portis publica exercebantur iudicia, sic etiam præcipua erant ciuitatum propugnacula. Neque id solum apud Hebræos, vt frequenter in Scriptura sacra legimus, sed etiam apud alias gentes. De Medis constat ex *Iudith. I, 3.* vbi Arphaxad Rex Medorum in turrium altitudinem traditur excitasse portas.

Vers. 8. *Videbant me iuuenes, & abscondebantur, & senes assurgentes stabant.*] In iuuenes, quorum ignorantia maior, & ætas præceps atque audax, cuilibet dabatur olim potestas, vt coërceret ineffrænatum impetum, & corrigeret errantem & deuium ad viam ordinemque reduceret. Quos senes non modo admonere & carpere, sed etiam, si expedire iudicarent, verberare poterant. Neque honestum erat parentibus, de plagis aut ignominia conqueri, quæ filiis suis a senioribus essent illatæ: quia illi patres erant patriæ communes, ad quos pertinebat, & morum honestas, & disciplina publica. Sic sane Plutarchus de Lacedæmoniorum institutis: *Moris*, inquit, *erat iuniores a senioribus interro-* 15. *Senum in iuuenes corrigendos magna potestas.*

gari,

gari, quo vadant, & ad quid: & qui non re-
pag. 355. a *sponderet, aut accusationes necteret, obiurgari. Qui vero se præsente peccantem iuniorem non reprehendisset, perinde ac si peccasset, ipse plectebatur. Mos quoque erat, vt iuuenes non solum proprios parentes venerarentur, sed omnes quoque seniores venerarentur, illis, & in viis cedentes, & e sedibus assurgentes, & transeuntibus quiescentes.* Hæc de Laconibus Plutarchus. Quæ etiam fortasse in vsu fuerunt Idumæis: apud quos tantum, aut consuetudine & lege senibus licebat in iuniores, vt illos pro suo iure possent non corripere solum, sed in illorum errata etiam animaduertere. Quod si hoc licebat aliis, multo magis Iobo, cuius senilis erat ætas, aut senili proxima, & ad regium nomen accedebat sanctitatis opinio, quæ ipsum apud omnes faciebat omnino venerabilem. Quare cum iuuenes viderent illum venientem, scirentque, si quid ipsi liberius peccauissent, non abiturum impune, subducebant se, vt pœnam, aut reprehensionem effugerent. Senes porro honorem quoque deferebant vt seni, obseruabant vt principem, colebant vt sanctum, assurgebantque quasi maiori, & astabant, vt illius mandata sine vlla cunctatione peragerent.

16. Vers. 9. *Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo.*] Iam in eo conuentu, qui cogebatur ad portas, vel plateam, vbi sua Iobo locabatur cathedra, quam in concursu seniorum & principum, quos habebat obuios, sic excipiebatur ab omnibus, vt nemo in illius conspectu loqueretur ac hisceret, sed inchoata verba imperfecta relinqueret. Quod obseruantiæ summæ ac venerationis argumentum est. Quid sit *digitum ori superponere*, explicuimus supra *cap. XXI, 5.* ad illud: *Superponite digitum ori vestro.*

17. Vers. 10. *Vocem suam cohibebant duces.*] Idem, quod proxime de senioribus & principibus dixerat, de ducibus quoque, quorum alius est labor & negotium, affirmat. Et est non leue autoritatis Iobi documentum, duces, præfectosque militares, quorum verba sunt inflata, & plurima: quique non solum facta, sed etiam infecta gloriose deblaterant, continere linguam, & sua aut facta, aut commenta premere silentio, cum sint ex illorum numero, in quorum ventosa lingua semper sonat Mauors, & bellici casus, quæque non minori difficultate, quam hostilis impetus cohibetur.

Vers. 11. *Auris audiens beatificabat me: &* 18.
oculus videns testimonium reddebat mihi.) Quo tempore his naturæ fortunæque muneribus, hoc seniorum, ducum, principumque iudicio fruebatur Iobus, quando lucem intuebatur claram, qualis esse solet in meridie, quando lucerna, id est, sol super hominum caput magis splendet: tunc admisisse arguebatur illa flagitia tyrannica ac barbara, quæ Eliphaz *cap. XXII.* a *vers. 5.* connumerat, vbi primum dicit, illius malitiam esse plurimam, & iniquitates infinitas. Quare Iobus tempus illud ab omni vindicat iniquitate, & tam innocenter & sancte dicit esse transactum, vt iure optimo desiderari possit tam puram & sanctam vitam, quam ducit in tanta dolorum carnificina, vbi nullus est tyrannidi atque inclementiæ locus, quam fuit eo tempore, cum pag. 355. b
affluebat opibus, & tyrannus ac barbarus existimari potuit. Et quemadmodum vniuerse dixit Eliphaz, infinitas fuisse Iobi iniquitates; sic ipse vniuerse respondet, nihil se eo tempore fecisse dixisseue, quod non fuerit cum pietate rationeque coniunctum. Ideo omnium allegat aures, quæ audierunt verba, & oculos, qui facta spectare potuerunt. Quæ tam longe fuerunt, vt aliquid in factis dictisque damnauerint, vt potius laudarent, beneque illi precarentur, quod illam in factis dictisque moderationem adhibuerit, vt id vnum spectasse videretur, vt placeret Deo, & suis meritis omnium sibi conciliaret animos. id enim valet, *auris beatificabat me, & oculus testimonium reddebat*, nempe bonum, & quale desiderare de sua fide atque clementia poterat, qui cum potestate est. Aut certe tam absentes, qui illum de fama nouerant, quam præsentes, qui viderant, beatum illum dicebant, & talem esse testabantur, qualem optaret bene constituta respublica.

Vers. 12. *Eo quod liberassem pauperem voci-* 19.
ferantem, & pupillum, cui non esset adiutor.) Dixerat Eliphaz *cap. XXII, 9.* *Viduas dimi-*

sisti

sisti vacuas, & lacertos pupillorum comminuisti. Huic Iobus, vt apparet, respondet, vsquead-eo se ab hac cogitatione alienum fuisse, vt si pauperis a potentiori vexati clamorem audisset, statim aduolaret, & ad pupillum quamprimum accurreret, qui in suo dolore ac vexatione adiutorem haberet nullum, quem ad auertendam iniuriam aduocaret.

20. Vers. 13. *Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum.*) Qui periturum, vel damnatum ab iniquo iudice, vel a violento tyranno, aut hoste oppressum ab interitu vendicat, longe abest, vt illi vim afferat hostilem, aut mortem moliatur. Et qui viduæ mœrorem & solitudinem solabatur, non illam suis spoliaret ornamentis, & nudaret a necessariis vitæ subsidiis. Contraria Iobo obiecerat Eliphaz supra *vers. 8. In fortitudine brachii tui possidebas terram, & potentissimus obtinebas eam, viduas dimisisti vacuas.*

21. Vers. 14. *Iustitia indutus sum, & vestiui me sicut vestimento, & diademate, iudicio meo.*) *Cap. XXII, 6.* in criminibus, gubernationeque tyrannica obiecerat Eliphaz, quod nudasset vestimentis alios, vt se ipsum, haud dubie illorum ornamentis indueret: *Abstulisti*, inquit, *pignus fratrum tuorum sine causa, & nudos spoliasti vestibus.* Huic autem respondet Iobus, se nullum aliud vestimentum quæsisse, quam quod est a iustitia & morum sanctitate, seu ab illa iustitia, quæ proprie sibi nomen illud vsurpat, & quod cuique debetur, exacte largitur. Neque ad regii nominis insigne, & tantæ dignitatis ornamentum aliud sibi parasse, quam æquum in subditorum causis, sincerumque iudicium: quod habet pro diademate ac zydari, neque minus se conspicuum existimat, si iudicii recti existimetur custos & tenax, quam si regia purpura & stellato diademate resplendeat. Hoc idem ornamentum attribuitur Deo *Sap. V, 19.* vbi vestimentum corporis iustitia dicitur, & capi-
pag.356. a tis tegumentum iudicium: *Induet pro thorace iustitiam, & adducet pro galea iudicium certum.* Gregorius in *iustitia* optimum totius hominis indumentum agnoscit: *Vestimento*, inquit, *cum vestimur ex omni parte circumdamur. Ille ergo iustitia sicut vestimento vestitur, qui se vndique bono opere protegit, & nullam partem actionis suæ peccato nudam relinquit. Nam qui in aliis actionibus iustus est, in aliis iniustus, quasi hoc latus cooperuit, illud nudavit: nec iam bona sunt opera, quæ subortis pravis operibus inquinantur. Hinc enim per Salomonem dicit Eccles. 9. Qui in vno offenderit, multa bona perdet.* Hinc Iacobus dicit *cap. II, 10. Quicumque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.*

Vers. 15. *Oculus fui cæco, & pes claudo.*] 22. *Quis sit oculus cæco.*
Cœcus ille est, qui quo pergat, non videt; claudus, qui licet locum videat, ad illum tamen accedere non potest. Hoc proprie. figurate tamen ille dicitur cœcus, qui ignorat, quid facto opus sit, aut quo se modo ac sua tueri, aut moderari debeat: atque ideo alieno indiget consilio, quasi duce viæ. Huic cœco oculus fuit Iobus, quia illum consilio iuuit, errantemque & auium ad viam deduxit, quam ignorabat, aut ad illam, a qua digressus fuerat, benigne reduxit. *Cæcus* in Scriptura peccator appellatur, quem ipsi etiam Philosophi ignorantem vocant. Quare, qui illum docet, & ad meliorem frugem hortatur & ducit, qui virtutis commoda, & vitiorum semitæ scopulosæ & lubricæ pericula proponit, & suo ipse præit exemplo tanquam dux & magister: ille vere oculus est cœco, quia qui captus est oculis, si sapit, ille alienos oculos habet pro suis: neque aliud videt, aut alio tendit, nisi quod videt, aut quo deducit, quem habet pro magistro. Cumque optimus Princeps cœco vbique lucem & oculos præstare debeat, præcipue tamen cum in iudicio aliorum calumniis cœcorum causam laborare videt; cum ille, qui se patronum profitetur, venalem habet atque corruptam fidem, neque magis pro clientis, quam pro adversarii causa in iudicio certat; cœcumque clientem, & de illius præuaricatione securum in perniciem trahit. Tunc optimus Princeps, & integer iudex stare debet pro cœco, aut decepto paupere: & detegere, aut eludere insidias, lucem tandem ostendere, vt videat, caueatque, quod imminet a præuaricatore periculum.

Et pes claudo.) Claudus ille dicitur meta- 23.
phorico sensu, qui peruenire non potest eo, *Quis pes claudo.*

 quo

quo illum leges, & iura recepta hominum consuetudo vocat, aut quia impedimenta occurrunt & offendicula, ad quæ impingit, & affligitur pes lapsus & debilis: aut quia ardua est via & interrupta salebris. Id est, quia multi sese opponunt aduersarii, qui retardant gressus, aut quia res est eiusmodi, quæ non nisi a maiori potentia superari potest. Tunc vero pedes huic claudo, aut mutuo dantur, aut seruiunt vt proprii, quando opem præstat vir, aut opibus, aut autoritate Princeps: quo adiuuante eo admittitur metaphoricus ille claudus, vnde hominum ante repellebatur iniuria.

24. Vers. 16. *Pater eram pauperum, & causam, quam nesciebam, diligentissime inuestigabam.)* Explicatio est superioris versus, vbi ostendi-
pag. 356. b tur, quomodo Iobus oculos cœco, & claudo pedes gressusque præstiterit. Hoc indicat, cum se pauperibus asserit fuisse pro patre: illud, cum dicit expendisse diligenter pauperum causam, & sedulo illius explorasse momenta. Hoc oculorum est, qui vident & iudicant; illud pedum, qui infirmos & debiles ducunt & sustentant. Pater in sinu gestat filium debilem & infirmum, cui a suis viribus vires, & a suis pedibus pedes accommodat. Hoc vere est præstare pedes infanti imbecillo & tenero: neque minus habet celeres ac firmos pedes infantulus, quam habet pater, quia non aliis mouetur aut sustentatur pedibus, quam pater: in *Patre* ergo amor significatur, & sedulitas, quæ in causa filii explorat & videt, quæ filialis cœcitas & ignorantia non potest, & eo ducit, quo nequeunt pedes ab incessu infirmi. Fortasse in altero hemistichio nihil de causa pauperis: sed communiter de iudicis aut præsidis officio, in quo egit nihil segniter, neque statuit quicquam nisi causa prius ad amussim explorata.

25. Vers. 17. *Conterebam molas iniqui: & de dentibus illius auferebam prædam.)* Facile est cœcis illudere, & claudos comprehendere, qui quantumcumque contendant, insequentem a tergo familiam feram effugere non possunt. Neque difficilius est, eos, qui simplici sunt ingenio, & fraudis, & cauillorum ignari, per fraudem & cauillos spoliare bonis: quod perinde est, atque haurire sanguinem, & lacerare carnes, quod leones faciunt & lupi, dum prædam assequuntur, cuius se carnibus explere cupiunt & sedare famem, quam iam dudum rabidi sustentant. Hos autem homines iam pene exanimatos & semesos eripuit e violentorum faucibus, quorum confregit molas, & erepta præda reliquit hiantes. Auferebat itaque prædam, id est, bona a pauperibus, & debitoribus ablata, pro ea potestate, quam habebat summam, & suis Dominis detecta atque dissoluta fraude referebat. Quibus verbis confutat ea, quæ de se audierat ab Eliphaz *cap. XXII, 18. In fortitudine brachii tui possidebas terram, & potentissimus obtinebas eam.*

26. Vers. 18. *Dicebamque, in nidulo meo morior.)* Erat, credo, etiam Idumæis vsu longo exploratum, & fortasse prouerbiali sermone vulgare, illum, qui iuuandis miseris, & defendendis ab aliorum iniuriis, assiduam & hilarem operam dedisset, esse in Dei tuta atque fideli custodia, neque passurum suo nomini quidquam indecorum, aut suæ familiæ, aut fortunis aduersum. Quare hoc sæpe apud animum suum tacite meditabatur Iobus, dicebatque, adfuturum sibi in omnibus Deum, seruaturumque, & amplificaturum illa omnia, quæ in bonis numerantur: & quæ quicumque nacti fuerint, fortunati censentur. Illa porro bona in suas partes commoda partitione distribuit; quæ nos suis locis, vt se occasio dederit, explicabimus. *Mori* autem *in suo nidulo* nihil aliud puto, quam mori non in exilio, non alieno in solo, sed domi suæ in pace circumdatum a suis, qui claudant oculos, & excipiant spiritum morientis. *Nidulum* autem vocat domum suam modeste, licet operosæ lautæque basilicæ splendorem habuerit; quia neque admodum curat ædificiorum insaniam, neque ex illorum amplitudine spiritus assumit arrogantes. Appellat domum pag. 357. a
suam *nidum*, quia sicut auis cum pullis in eodem commoratur nido, sic ipse cum filiis: qui, vt dixit supra *vers. 5.* in circuitu ipsius consederant, vitam agebant gratam & iucundam.

27. *Et sicut palma multiplicabo dies.]* Egit de familia, & domo, in quo circumfusum filiis seruorumque turba numerosa, putabat se in

ea,

ea, quam obtinuerat, fortuna, & in pace & gloria moriturum. Nunc addit, sperasse diuturnam sibi futuram esse vitam. Quod significauit sumpta à palma similitudine, cuius est ætas & duratio adeo longa, vt existimari possit æterna. Hebr. חול *chol.* Quod multis aliis locis Vulgatus Interpres reddidit *arenam.* A qua voce in rerum multiplicatione & copia sumi solet similitudo, *Deut. XXXIII, 19.* & *Psalm. CXXXIIX, 18. Super arenam multiplicabuntur.* Vulgatus hoc loco palmam reddidit, quæ diu durat, licet tarde crescat. Refert Plinius *lib. 13. cap. 4.* genus quoddam esse palmæ, quod cum emortuum fuerit, ex se ipso renascitur. Vnde putat datum esse nomen Phœnici aui, quæ ex suis cineribus renasci creditur, & vitam sæpius rediuiuam agere immortalem. Est autem apud Græcos, palmæ & Phœnici volucri commune nomen. Vtraque enim phœnix appellatur. Et ideo nonnulli comparationem fieri putant non cum palma, sed cum volucri: neque pauci sunt, qui ita meditantur, in quibus sunt ex Hebræis nonnulli, quos Tertullianus sequitur *lib. de resurrectione cap. 13.* Sed est sine dubio illustrior a palma ducta similitudo: maxime quia Idumæa & regiones mari mortuo vicinæ palmis abundant: & ideo Idumæis palmarum proprietates non ignotæ. In palma vero multa sunt, quæ vitam exprimunt fortunatam & longam. De longitudine nuper; felicitas ex eo apparet, quod palmæ nunquam decidunt folia, aut marcescit viror. Plinius *lib. 16. cap. 20.* atque ideo vitam significat, cui nihil accidit deforme ac triste, quæcumque in aliis accidat rerum vicissitudo; quemadmodum neque æstiuus calor, neque hyemalis rigor a palma viriditatem & speciem detrahit, aut exurit.

28. Vers. 19. *Radix mea aperta est secus aquas.*] *Radix* & *stirps* tam apud sacros, quam apud profanos non solum significat id, quod sub terra latet, & quod communiter appellatur radix aut stirps, sed etiam quod ex radice aut stirpe sursum attollitur: quales sunt rami. Vtroque modo sumi potest hoc loco radix, aut pro plantarum fundamento, arborum videlicet, de illis enim videtur exponendus locus, cum de messione statim, id est, de frugibus seorsum agatur; in hunc sensum: dicebam radices arborum, quas plantauerant, esse iuxta aquas, atque ideo suo tempore daturas esse prouentus vberes, neque illis defuturam speciem, quæ est a foliorum venustate. Sicut de iusto cecinit Dauid *Psalm. I, 3.* cum illum similem esse dixit ligno, *quod plantatum est secus decursum aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium eius non defluet.* Et quidem qui ad misericordiæ fluenta sementem fecit, sperare potest sui laboris non vacuos successus.

Sed fortasse melius in *radice* enatas plantas, & extantia de terra germina intelligas: quibus neque prouentus deerit opportunus & vber, neque species & decor: quia neque aqua deerit copiosa & iugis, a qua vim habeat fœcunditatis. Quod autem radix pro his sumatur, quæ ex radice funduntur, ostendimus *in nostris Commentariis super Isaiam* ad illud *cap. XI, 10. in die illa radix Iessæ.* Vbi satis exemplorum adduximus. *Isai. LIII, 2. Ascendet sicut virgultum coram eo: & sicut radix, de terra sitienti:* vbi virgultum ascendens satis docet, quo sensu radix, quæ statim sequitur, accipi debeat. Et quidem radix nunquam ascendit, sed quod ex radice pullulat. *Oseæ XIV, 6. Germinabit sicut lilium, & erumpet radix eius.* Et Christus *Isai. XI, 10. radix dicitur Iessæ:* & *Apocalyps. V, 5.* & *XXII, 16. radix dicitur Dauid:* cum tamen ramus dici, aut germen potius debuerit Dauidis, aut Iessæ, quia ab illis secundum humanitatem prognatus. Iuxta hæc radix pro planta sumitur, quæ iam se supra terram extulit, non pro subterraneo plantæ fundamento; Quasi dicat Iobus, arbores suas non futuras steriles, perinde atque si essent iuxta aquas; quia affluentis misericordiæ vim haberent maximam fœcunditatis. Et facit plurimum ad hanc sententiam, quod radix aperta dicitur; at radix, vt est fundamentum, qui potest aperta dici, cum sub terra lateat, a qua pro tota planta haurit alimentum? 29.

Radix, & stirps aliquando pro ramis. pag. 357. b

Et ros morabitur in messione mea.] Sicut plantis non putabat esse timendum, quia ab aqua proxima non putabatur abfutura fœcunditas: sic etiam neque messioni, id est, segeti, quia misericordia, cui a Deo promissa sunt 30.

certa

certa vitæ ſubſidia, rorem vocat e cœlo, & opportunam pluuiam, quæ ſitientes agros fœcundet & compleat. Rorem autem commoraturum dicit in meſſione, quia misericordis hominis agris ſic erit familiaris & aſſidua, vt nunquam abſit. Porro *meſſio* pro frugibus ſumitur, licet nondum falci maturis: ſed quæ aliquando ad maturitatem & meſſem venient. Qui loquendi modus inuſitatus non eſt. Sic enim vindemiam appellamus fructus vinearum adhuc immaturos, ex quibus ſuo tempore eſt futura vindemia. Sic putatio dicuntur, quæ amputantur & colliguntur ex arbore, vt rami; & ea, quæ arbori alioqui futura ſunt impedimento, aut nobis vſui. Plinius *libr. 12. capit. 25.* cum ageret de arbuſcula, quæ ſtillat balſamo, ramos illius *amputationem* vocat. Qui dicendi modus vulgaris eſt Hiſpanis, qui fruges & racemos *collectionem* vocant: & quæ, quia inutilia ſunt & noxia, amputari debent, *amputationem*, ſeu *purgationem* arborum. Illam dicunt *coſecham*, hanc *eſcarda*: eſt igitur *meſſio* idem quod ſeges, licet ſit non matura, ſed quæ rorem deſiderat, vt creſcat, & ad ſpicam maturitatemque perueniat.

Meſſio, putatio, vindemia *pro fructibus ſeu frugibus arborum.*

31. In *meſſione* præterea, & idem eſt de *meſſe* & *meto*, non tantum frumenta intelligo, quæ hoc nomine præcipue gaudent; vt ſunt hordeum, triticum, zea, ſiligo, & ſimilia: ſed quæcumque ex anniuerſaria ſemente colliguntur ex agris. Et illa etiam, quæ ex arboribus legimus, imo quæ vltro nobis offert animalium labor, & naturæ benignitas, licet illa neque in herbis, neque in arboribus nominentur. De vindemia ſumpſit Virg. *l. 2. Georg.* vbi ſic inſtruit vinitorem:

Meſſis nomen patet late.

pag. 358. a

Primus humum fodito; primus deuecta cremato
Sarmenta; & primus vallos ſub tecta referto,
Poſtremus metito.

De cardamo dixit Plinius *lib. 12. capit. 13.* de mellificio Virgil. *4. Georg.*

Bis grauidos cogunt fœtus, duo tempora meſſis.

32. De balſamo, & myrrha, quæ ſtillant, & colliguntur ex inciſo quarundam arborum trunco, eſt illud *Cant. V, 1. Meſſui myrrham meam cum aromatibus meis.* Quare dicebat Iobus, cum ille miſerorum ſtuderet commodis, impetraſſe ſe a Deo, qui pauperum cauſas impenſe fouet, ne vnquam ros deeſſet his rebus, ex quibus in agris maximus ſperabatur prouentus, vt ex arboribus aromatum, ex alucaribus mellis copioſus exprimeretur fructus.

Verſ. 20. *Gloria mea ſemper innouabitur, & arcus meus in manu mea inſtaurabitur.*] Hoc etiam ſecum meditabatur Iobus, cum ſui in pauperes ſtudii & recte factorum meminiſſet, nunquam videlicet obſcurandam gloriam, quam habebat eo tempore non vulgarem; neque frangendas vires, quibus aut debellare poſſet hoſtes ſuos, aut ſi quod ab illis impenderet malum, conſtanter auertere. Imo & gloriam ſuam magis ac magis auctum iri quotidie; & vires in dies ſingulos magis ac magis eſſe confirmandas. Qualis gloria fuerit ſuperiori tempore, quam non putabat vnquam minuendam, ſtatim explicat, cuius publicum ab omni hominum ordine teſtimonium adducit. Virtutem autem militarem ad inferendum, aut auertendum bellum ab hoſtibus illatum, in *arcu* ſignificat, qui in antiquiſſimis temporibus in vſu fuit, hoc præſertim æuo, in quo Iobus floruit. Nam Iacobus, qui illi σύγχρονος, id eſt, contemporaneus fuit, arcu ſe pugnaſſe dicit, ſiue proprio, ſiue metaphorico congreſſu. Sic enim ipſe ad Ioſephum *Geneſ. XLIIX, 22. Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo.* & idem Iacobus *ibidem cap. XLIX, 24.* de Ioſeph: *Sedit in forti arcus eius.* Millies occurrit ſub hæc tempora nomen arcus, quo non ſolum gregarii milites, ſed ipſi etiam Duces & Reges vtebantur. 33.

Verſ. 21. *Qui me audiebant, expectabant ſententiam, & intenti tacebant ad conſilium meum.*] Hoc ad illam gloriam ſpectabat, quam innouatum iri expectat Iobus. Illud enim erat omnibus de Iobi prudentia ac ingenii maturitate iudicium, vt quidquid ex illius ore caderet, oraculum putarent, neque ulterius iudicarent eſſe deliberandum. Neque dum ille ſuam diceret ſententiam, quiſquam aut auertebat animum, aut aperiebat os ſuum. Quare ille ſolus in ſapientum ac ſeniorum cœtu loquebatur; neque vllus eius oratio- 34.

orationi quicquam addebat: qui causam totam disceptabat luculenter, neque occurrebat aliquid obscurum, quod non redderet clarum; aut impeditum, aut implexum, quod non extricaret & exolueret. Id valet quod proxime sequitur: *Verbis meis addere nihil audebant.*

35. *Stillo aliquando aliquid lætum, aliquando durum significat.* Vers. 22. *Super illos stillabat eloquium meum.*] *Stillo*, iuxta Hebraicæ vocis proprietatem, idem est quod *loquor*. Sonat autem interdum aliquid lætum & molle; interdum aliquid minax, durum, & horribile. De priori significatione est illud *Amos IX, 13. Stillabant montes dulcedinem.* idem *Ioël. III, 18.* De posteriori est illud *Dan. IX, 11. Stillabit super nos maledictio; & detestatio, quæ scripta est in libro Moysi. 2. Paralip. XII, 7. Non stillabit furor meus super Ierusalem.* & ibidem *cap. XXXIV, 25. Idcirco stillabit furor meus super locum istum: & non extinguetur.* Hoc autem loco *stillo* aliquid significat gratum & molle, quale irrorare solet vas vnguentarium, aut cum ex nubibus cadit pluuia sedata & mollis, quæ fœcundat & exhilarat agros, quam homines mille expetunt votis, cum agri sitiunt, & segetes siccitate marcescunt. Quod ipse Iobus statim significat magis, cum dicit.

pag. 358. b

36. Vers. 23. *Expectabant me sicut pluuiam, & quasi ad imbrem serotinum.*] Cum stillabat ad alios eloquium Iobi, ea auiditate accipiebant stillas, id est, sermonem gratum & vtilem, qua agricolæ, aut agri pluuiam expectant serotinam, quæ si suo tempore non descendat, perit ager squalidus, pereunt sata læta, boumque labores. Cumque duæ sint pluuiæ, altera temporanea, quæ agros ad sationem disponit; altera serotina, quæ natas segetes calamo erigit geniculato, & ad spicas adducit: imbris potius meminit serotini. Quia multo tristius est, videre marcentes herbas, & defectu serotinæ pluuiæ morientes, quam videre non natas, sicut durius est, sepelire filios, quam non suscepisse. Ad hunc locum videtur respexisse Moyses *Deut. XXXII, 2.* cum dixit: *Concrescat in pluuiam doctrina mea: fluat, vt ros, eloquium meum: quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina.* Vbi talem orationis suæ exitum desiderat, qualem Iobus suorum verborum fuisse dicit.

Vers. 24. *Si quando ridebam ad eos, non credebant.*] Non aliter Princeps cum ciuibus, quam cum liberis pater, se gerat, oportet, vt Plinius *in Panegyrico ad Traianum.* Vt enim pater sic apud filios autoritatem tuetur suam, vt venerationi sit, non timori, sic se præbet hilarem, vt autoritatem nihilominus retineat. Sic etiam Princeps beneuolum se subditis ostendit, cum illis ridet, laxatque animum seuerioribus curis fatigatum, ita tamen, vt amorem conciliet, neque vilis aliis aut æqualis appareat, neque de illius autoritate ideo quicquam decedat. Quod faciebat Iobus, qui vt in aliis omnibus, sic etiam in humanitate regia Principibus aliis exemplar esse voluit. Qui norant, quantum inesset Iobi verbis autoritatis & ponderis, non credebant, illum sic seueritatem suam posse laxare, vt solueretur in risum, & aliquid meditaretur ioculare. Quare aut se putabant præstigiis quibusdam esse delusos, aut illum verum non esse, sed simulatum risum: atque ideo non minus ridentem atque hilarem venerabantur, quam cum de rebus ageret seriis, vt de resecandis e republica vitiis, aut confirmandis ad pietatem moribus: quasi in vultu hilari neque regias curas, neque antiquum animum deposuisset. 37.

Et lux vultus mei non cadebat in terram.] 38. *Hilaritas in principe maxime curanda.*
Hic locus ad multos sensus patet, & varie a variis exponitur. Ego duas ex omnibus explicationes conflo, neque vtram illarum magis probem, constitutum habeo. *Lux vultus* hilaritatem significare potest; quæ intuentes recreat, & quiduis ab hominis libertate sperare iubet; hæc interdum aditum ad exhortationem ac reprehensionem aperit, quam accipit libenter ille, qui alterum expertus est benignum, & sibi arridentem, aut corridentem secum. Quem si superciliosum videret & grauem, neque ad amicitiam admitteret, neque vllo modo loquentem sustineret. Quare viri prudentes maximopere commendant, vt reprehensionis acerbitas aliqua suauitate temperetur, aut genere orationis non seuero, aut vultu ridenti atque hilari, aut aliquo beneuolentiæ signo, quod familiaritatem & officium oleat. Aliter, quos emendare cupimus, dum minus videmur agere beneuole, dete-

pag. 359. a

riores reddimus. Quare optime Greg. *lib.* 13. *Moral. cap.* 3. monet, vt artificiose correctionis temperetur acerbitas: *Magna*, inquit, *prædicationis arte agendum est, vt qui ex aperta correctione deteriores fiunt, quodam tempe-*
39. *ramento correctionis ad salutem redeant.* Quod ipsi etiam ante Gregorii sæcula docuere Gentiles. Eo enim spectant beneuolentiæ captandæ præcepta, quæ in benedicendi arte tradidere Rhetores. Sic sane Lucretius optime explicat *lib.* 4. similitudine sumpta a medicorum prudentia, qui medicinam amaram, a qua sola sperari poterat languentis pueri valetudo, illitis poculi labris melle potabilem facit:

Quomodo temperanda correctio.

Nam veluti pueris absynthia tetra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci, flauoque liquore,
Vt puerorum ætas improuida ludificetur
Labrorum tenus, interea perpotet amarum
Absynthi laticem, deceptaque non capiatur,
Sed potius tali tactu recreata valescat.

40. Quod dixit multo melius Basilius *homil. in Psalmum I.* seu verius *proœmio in totum psalterium*; vbi eo consilio ait in metricos numeros & psalmos, in quibus stylus iucundatur & ridet, coactas esse grauissimas seuerissimasque sententias, vt ea suauitate captus animus audiret iucunde, quod alioqui vehementer horreret: *Quando Spiritus Sanctus nos vidit ægre persuaderi ad complexum virtutis; ac proinde ad ineundam vitæ rectitudinem per hoc lentescere, quod toti ad consectandam voluptatem propenderemus, quid fecit? Nimirum Scripturæ suæ dogmatis mixtæ inspersit concinnam istam numerorum modulationem, vt auribus permulctis ac delinitis melico vocum concentu, clam, ac velut aliud agentes, sineremus in animos nostros irrepere eloquiorum vtilitatem, idque pro more sapientis medici. Is enim pharmacum oblaturus austeriusculum quidem auersanti cibos, nec probe concoquenti, subinde oras calicis prælinit melle.* Hæc Basilius. Quæ Horatius accommodatius ad nostram cogitationem per risum expressit *lib.* 1. *Satyr.* 1.

pag. 359. b

Ridentem dicere verum
Quid vetat? vt pueris olim dant crustula blandi
Doctores, elementa velint vt discere prima.

Vt ergo mel illud, quo calicis illinuntur labra, in quo medicamentum continetur, otiosum non est, tametsi contra morbi vim facultatis nihil habeat, quia pharmacum inducit amarum, quod ab ægritudine liberat corpus: neque doctorum crustula data pueris, quia faciliorem reddunt doctrinæ viam. Sic etiam neque otiosa erat hilaritas Iobi, quia dociles reddebat & faciles aliorum animos, vt reprehensionem admitterent non illibenter, & ex ea vtilitatem illam caperent, quam in suo risu Iobus intuebatur. Quare optime subditur: *lux vultus mei non cadebat in terram*, id est, vultus hilaritas, & risus ille seu iocus otiosus non erat, quia aliquid spectabat serium. Id enim valet illud: *non cadebat in terram. in terram* enim dicitur *cadere*, quod successu caret, & est prorsus inutile. Sic 1. *Reg. III,* 19. de Samuele dicitur: *Et non cecidit ex omnibus verbis eius in terram.* Vide quid nos *in nostris Commentariis* ad illum locum. Sic Cicero in eandem fortasse sententiam dixit *lib.* 9. *epist. vltim.* se loqui, *quod in solum cadat.* Quæ explicatio contemnenda non est. Et probant illi, qui non credebant tunc ridere Iobum: quia in illo risu aliquid meditabantur serium, quod tacite secum Iobus & artificiose captaret. 41.

Cadere in terram quid.

Altera explicatio in *luce vultus* maiestatem agnoscit, quam præ se ferebat, quamque alii venerabantur; quam sic risu & hilaritate temperabat, vt molestus esset nemini: neque tamen ideo lux illa seu maiestas cadebat in terram, id est, vilis fiebat & abiecta, quemadmodum illa, quæ humi reptant, neque se vnquam a terræ sordibus sursum attollunt. Hæc quoque cogitatio non displicet. Sed in priorem magis propendet assensio.

Vers. 25. *Si voluissem ire ad eos, sedebam primus.*] Hæc postrema perspicua sunt, neque lucem desiderant ab interprete. Tantum enim indicant, primam Iobo datam esse cathedram, vt regiam decebat amplitudinem, & circumstare alios, non aliter atque duces exercitus circumdant. Neque tamen sic ab impenso honore immoderate insolescere, vt contemneret ac respueret alios, sed potius solare-

laretur, si ægro essent animo, & eorum liberali manu subleuaret inopiam.

Cumque sederem quasi Rex.] Illud *quasi* non indicat similitudinem, sed explicat, quid quemque deceat, aut alicuius officium. Quomodo dicimus, ille fecit quasi pater, vt decebat patrem, quasi Christianus, id est, Christiani satisfecit officio. Quomodo de Christo dixit *Ioan. I, 14. Gloria quasi vnigeniti a Patre.* Plura nos hac de re *Prolegomeno 4.*

ARGVMENTVM CAP. XXX.

CVm docuisset Iobus proxime, se in fortuna florente atque integra admisisse nihil eorum, quæ ipsi in criminibus obiecta fuerant: nunc ostendit, in conditione ærumnosa & tristi nihil eorum potuisse tentare, cum ad illorum conatum deesset facultas, immo & ipse talia ab hominum sordido atque vilissimo genere pateretur, qualia fecisse impie & violenter arguitur. Quod late & luculenter probat, dum illorum illiberale & stolidum ingenium, & natalium sordes, & inopiam, & quæ ab illis ad ignominiam fœda, ad dolorem acerba pertulerit, ostendit & amplificat. Describit tandem vim morbi multiplicem, angores varios, a quibus sic afficitur animus, & corpus attenuatur & soluitur, vt possit iam haberi pro mortuo, & vita vsque adeo misera cum morte non immerito commutari. Et cum de Deo ingenuam & supplicem querelam habuisset, addit ad extremum, se miserorum doluisse vicem, & illorum subleuasse miseriam, in suo tamen dolore habuisse neminem, qui consolatione foueret, vel subsidio, & ad durum illum casum mitius tolerandum confirmaret.

CAPVT XXX.

pag. 360. 1. NVnc autem derident me iuniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei.

2. Quorum virtus manuum mihi erat pro nihilo, & vita ipsa putabantur indigni.

3. Egestate & fame steriles, qui rodebant in solitudine, squalentes calamitate & miseria.

4. Et mandebant herbas, & arborum cortices, & radix iuniperorum erat cibus eorum.

5. Qui de conuallibus ista rapientes,

PARAPHRASIS.

1. Nunc autem (tanta est rerum vicissitudo) cum eo essem apud omnes honore & loco, a viliori adolescentum turba derideor: quibus vsque adeo genus erat ignobile ac sordidum, vt non dignarer illorum parentes eo habere numero ac pretio, quo pastoritios canes atque domesticos, quibus domus ac gregum custodiam commisi. pag. 360.

2. Quorum vsque eo manus erant inertes & inutiles, vt nulli vnquam mihi aut aliis vsui esse potuerint. Quare indigni censebantur, qui lucem viderent, aut vitalem hunc & communem spiritum haurirent.

3. 4. 5. Qui cum manus haberent inertes & languidas, steriles erant ab omnibus commodis, quibus indiget natura mortalium: atque ideo fame & egestate premebantur. Cogebantur enim vrgente fame arrodere syluestres atque ferinos cibos in solitudine, cum ciuium oculos subire non auderent. Ex quo fiebat, vt ex agresti vita longaque illuuie squalidi essent &

cum singula reperissent, ad ea cum clamore currebant.

6. In desertis habitabant torrentium, & in cauernis terræ, vel super glaream.

7. Qui inter huiuscemodi lætabantur, & esse sub sentibus delicias computabant.

pag. 361. 8. Filii stultorum, & ignobilium, & in terra penitus non parentes.

9. Nunc in eorum canticum versus sum, & factus sum eis in prouerbium.

10. Abominantur me, & longe fugiunt a me, & faciem meam conspuere non verentur.

11. Pharetram enim suam aperuit, & afflixit me, & frænum posuit in os meum.

12. Ad dextram orientis calamitates meæ illico surrexerunt: pedes meos subuerterunt, & oppresserunt quasi fluctibus semitis suis.

plane horridi. Quis enim color esset oris, quis succus & nitor, cum herbis vescerentur & arborum cortice, cum iuniperorum radicibus austeris simul & duris alerentur? Quæ tamen sic erant in ea solitudine rara, vt si quando se famelicis offerrent, omnes ad illa certatim aduolarent.

6. 7. 8. Hic erat vilissimorum horum hominum cibus, neque commoratio melior. Habitabant enim prope torrentes in saxorum cauernis & ferarum lustris, vt inde sicut pecora ad sua pabula prodirent. Quod si cauernarum non suppeteret copia, sub cœlo in nuda pag. 361. *& sabulosa humo pernoctabant. Quorum sic erat misera ærumnosaque conditio, vt hæc illis viuendi ratio videretur non iniucunda, & in vepretis viuere magnas iudicarent esse delicias. Erant vere stulti & ignobiles, quique propter vitæ familiare dedecus & domesticas sordes cum hominibus agere, & inter illos apparere non poterant.*

9. 10. Nunc autem, cum cecidisse me vident, tantum sibi sumpserunt iuris & audaciæ, vt grauissimis me conuitiis exagitent, & ex me sumant familiarem irridendi materiam. Execrantur me quasi monstrum odiosum & horribile, &, quod summæ putatur ignominiæ, faciem meam impudentissime conspuitant.

11. Hæc porro ab hominibus indecore patior, quia illorum manus, Deus, vt me exerceret atque probaret, eiusmodi spiculis armauit. Continuerat hactenus sagittas suas in pharetra; cum me custodiuit paterno studio, & quotidianis ornauit beneficiis: nunc autem inclusas ad hoc vsque tempus sagittas exprompsit, quibus confixus sum; & sui timore atque obseruantia, ne quid insultantibus responderem acerbius, quasi quodam fræno linguam meam seuere constrinxit.

12. Illi autem viri infortunati ac sordidi, cum primum oriri cœpit grandis illa calamitas, quæ me honestiori loco deturbauit, quasi cum ea calamitate coniurarent, insurrexerunt contra me, & cum ab illis metuendum nihil existimarem, quasi ex insidiis adorti supplantauerunt me. Neque aliter oppresserunt, dum talibus onerant peccatis, qualia admiserunt ipsi, quam excitati fluctus pereuntem & naufragum iactant & absorbent.

13. 14.

13. Dissipauerunt itinera mea, insidiati sunt mihi, & præualuerunt, & non fuit, qui ferret auxilium.

14. Quasi rupto muro, & aperta ianua, irruerunt super me, & ad meas miserias deuoluti sunt.

13.14. Quæcumque honeste ac religiose feci, obscurarunt maledictis neque in inuidiam atque odium trahere curarunt; quod, cum nemo mihi esset auxilio, non difficile consecuti sunt. Et eo impetu irruperunt in me, quo disiecto muro, aut perfractis foribus inimici, aut quo lapides e montium fastigio ad subiecta loca præcipiti rotatu descendunt.

15. Redactus sum in nihilum: abstulisti quasi ventus desiderium meum: & velut nubes pertransiit salus mea.

16. Nunc autem in memetipso marcescit anima mea, & possident me dies afflictionis.

15.16. Ille ego tantus vir eo redactus sum, vt dignitatis antiquæ aut meiipsius in meipso vestigium nullum appareat. Prior etenim fortuna & gloria, quæque ego amare, aut desiderare poteram, sic euanuerunt repente, sicut a vento vehementi dissipata, aut a solari radio liquefacta nubes. Eo denique deductus sum, exhausto iam marcidoque corpusculo, vt de vita mea actum esse credam: vsqueadeo me dolores vehementer cruciant, & possidet afflictio.

pag. 362. 17. Nocte os meum perforatur doloribus, & qui me comedunt, non dormiunt.

18. In multitudine eorum consumitur vestimentum meum, & quasi capitio tunicæ succinxerunt me.

17.18. In nocte, quæ hominibus ad quietem data est, sic doloribus premor, vt ossa etiam ipsa confringi ac perforari putem; neque mirum, cum illi, qui me conficiunt & rodunt, neque somno succumbant, neque diuexando corpore lassescant. Illi ergo ea me multitudine circumdant & tegunt, vt corpus meum, quod animæ tegumentum est, omnino conficiant: & saniosis crustis sic operiant, sicut a vertice ad imos vsque pedes solet operire capitium. pag. 362.

19. Comparatus sum luto, & assimilatus sum fauillæ & cineri.

20. Clamo ad te, & non exaudis me: sto, & non respicis me.

19.20. Sic stillat toto corpore sanies, quæ totum madefacit cubile meum, & terram humectat perenni profluuio, vt cum luto non immerito videar comparari posse, sic exanguis ac sine succo aridus sum, vt fauillam, aut torrem ab incendio raptum me, non hominem putem. Cumque ita sim affectus, vt omnium in me misericordiam conflectere posse videar, clamo tamen ad te, o Deus, neque clamores mei ad tuas aures peruenisse videntur. Sto coram te animo intento & supplice, neque diuinos videor attraxisse oculos, aut inclinasse animum.

21. Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ aduersaris mihi.

22. Eleuasti me, & quasi super ventum ponens elisisti me valide.

21.22. Exuisse videris benignum atque paternum animum, quem ostendebas quondam, & in me omnino assumpsisse crudelem, vsque adeo duram in me manum exercuisti. Quod si ornasti me prius, & supra communem aliorum fortunam sustulisti, eo videris fecisse consilio, vt ex sublimi loco grauior esset ruina.

23. Scio, quia morti trades me, vbi constituta est domus omni viuenti.

23.24. Non dubito mihi cum aliis sortem futuram esse communem; cur enim humanum a

 me

24. Veruntamen non ad consumptionem eorum emittis manum tuam: & si corruerint, ipse saluabis.

me quicquam alienum putem? verumtamen illud non potest esse non molestum, quod interdum, o Domine, non mittas ad mortem & tumulum manum, sed ad dolores & vulnera; quæ diu cruciant, neque tamen extinguunt, etiamsi in suo angore & contritione clament, & mortem desiderent.

25. Flebam quondam super eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.

26. Expectabam bona, & venerunt mihi mala: præstolabar lucem, & eruperunt tenebræ.

25. 26. Siquando afflictus meam fidem aut opem imploraret, occurrebam illico, & illi stipem impendebam & lacrymas. Qua in re illam, o Deus, videbar apud te gratiam promeritus, vt vicem mihi pro paupere rependeres, & dolorem meum & inopiam leuares. Sed contra mihi accidisse video, nam in tenebris iaceo, & malis vndecumque circumfluo.

27. Interiora mea efferbuerunt absque vlla requie, præuenerunt me dies afflictionis.

28. Mœrens incedebam, sine furore; consurgens, in turba clamabam.

29. Frater fui draconum, & socius struthionum.

27. 28. 29. Vrebant lacerabantque præcordia dolores interni, neque tempus erat vllum, in quo se dura illa vexatio laxaret, aut æstus intermitteret. Et ante mortem dolores me mortis anticipato aduentu præuenerunt, idque ita inopinato, vt ad illorum sustinendum impetum idonee me comparare non potuerim. Cumque spoliatus bonis, & orbatus filiis, vrgeri me viderem a diuina manu, incedebam demisso vultu, clamabamque non minaci, aut inflata, sed abiecta & ad miserationem inflexa voce, qualis est draconum & struthionum, cum in dolore aut mœrore gemunt.

pag. 363. 30. Cutis mea denigrata est super me, & ossa mea aruerunt præ caumate.

31. Versa est in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium.

30. 31. Cutis mea atrorem ex diro vulnere contraxit; & vehementi caumate interius aruerunt. Denique nil iam mihi reliquum est, quod exhilarare possit mœrentem animum; numerosi etenim, & festiui cantus, & organorum symphoniaci numeri in vlulatus planctusque funereos conuersi sunt. pag. 363.

Vers. 1. *Nunc autem derident me iuniores tempore.*]

pag. 363. a 1. EXplorandum nobis primum est, cur post commemoratam felicitatem superioris temporis, & quemadmodum, dum illa durauit, nihil egerit, quod virum principem, mansuetum, pium, & religiosum non deceret; nunc ea connumeret sigillatim, & maiorem in modum amplificet incommoda tam valetudinis, quam honoris, quæ post illa tot merita passus est. Quidam ideo putant connumerari hæc & amplificari maxime a Iobo, vt ostendat, quod ante sæpe fecerat, illa quæ videbantur infortunia, non esse peccatorum supplicia a iudice seuero, sed exercitamenta, quibus homines sæpe sine vlla ipsorum culpa probantur. Quæ ab animo interdum paterno atque beneuolo proueniunt; quo filiorum appareat virtus atque constantia: aut ex illorum tolerantia augeantur merita, & ipse præterea contra aduersos fortunæ casus obdurescat. Hæc & alia spectare potest pater beneuolus, dum filium sibi charissimum variis exercet & ex-

excruciat modis, cum tamen in illo deprehendat nihil, quod eo igne expiari oporteat. Alii connumerari hic censent hæc incommoda, quorum non pauca prius retulerat, vt ex priori felicitate maior eorum acerbitas appareat. Duriores enim sunt fortunæ aduersantis appulsus, quo maiores præcesserant eiusdem secundæ atque ridentis afflatus. Hæc mihi displicere non possunt, quia pluribus placent, & quia ipsa satis cum toto textu, & cum tota ad hunc vsque locum disputatione contexuntur.

2. Dicam tamen, quid mihi dici posse videatur cum aliqua verisimilitudine. Duo proposuerat Iobus *in fine cap. XXIIX.* quæ ad veram sapientiam pertinerent, de qua toto illo capite copiose disputarat: timorem nempe & obseruantiam Dei, & fugam a malo: Priorem partem ostenderat expleuisse se diligenter, contra quam *cap. XXII.* dixerat Eliphaz, quæ grauia illi obiecerat crimina: quæ tamen ipse abfuisse procul affirmauit, quo tempore fortunatus censebatur & potens, quando illa admittere potuisse videbatur, vt *capite præcedenti* vidimus. Nunc autem in eo tempore, quod proxime successit, nihil se eiusmodi tentare potuisse, ex eo probat; quia sic fuit a multiplici morbo, & hominum intemperie & vexatione iactatus, vt neque si vellet, potestas esset vlla talia faciendi, qualia supra criminabatur Eliphaz. Quod ad alteram sapientiæ partem pertinet de fuga mali, disputat multis *cap. XXXI.* vbi ostendit, quam sibi a peccato diligenter cauerit, ac perinde quam omnes sapientiæ partes cumulate compleverit. pag. 363.b

3. *Nunc autem derident me iuniores tempore.*] Docet, opinor, vt modo suspicabar, quam longe fuerit, vt alios opprimeret, cum ipse ab omnibus vilissimis opprimeretur, quorum conditionem vilem copiose describit, quod non videbatur facturus vsque adeo late, nisi suam eo tempore imbecillitatem ostentare voluisset, quæ tam aberat longe, vt aliis inferret violenter iniuriam, vt ab omnibus ipse multis modis iniuriam pateretur, eamque grauissimam. Hoc vero Iobus opponit reverentiæ, quia prius sibi exhibitam esse dixerat a senibus & iuuenibus, ab omni denique hominum ordine. Et cum alia per suos gradus recenseat & amplificet, incipit a iuuenibus, qui eo ipso nomine non solum Principes obseruare & colere, sed etiam maiores natu venerari debuerant. Deinde, vt hanc iniuriam magis exaggeret, addit ætati iuuenili, genus ignobile, quod homines abiicit, & quasi natura reddit obsequentes: Hi porro illi esse videntur, de quibus dixerat *cap. XIX, 18. Stulti quoque despiciebant me.*

4. *Quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei.*] Hoc puto Idumæorum esse prouerbium, quo significabant, genus alicuius esse obscurum & vile, & vitæ modum vsque adeo sordidum, vt videretur indignus, quem alii ad amicitiam, imo & ad vilissimum aliquod ministerium accerserent, quale esset aut canes alere, aut cum canibus ali, eodem videlicet alimento, quo canes nutriuntur. Qui si domestici sunt, ossa rodunt & mensarum reliquias: & si quid est etiam his sordidius: si vero pastoritii sunt, illorum cibus est ordaceus ac furfuraceus panis. De his canibus agit hic Iobus, & loquitur, opinor, Idumæorum prouerbium. Hi vero non putabantur digni, qui cum canibus pecuariis Iobi ponerentur: nempe vt eisdem cum Iobi canibus cibi essent consortes, id est, vescerentur furfure & ordeo. Cibus porro canum ex disciplina pastoritia est, farina ordeacea cum lactis sero subacta, aut eo aspersa. ita Columel. *lib. 7. cap. 12.* Varro *lib. 2. de re rustica cap. 9.* vel canum præficerentur custodiæ. Prior cogitatio mihi videtur magis verisimilis, & suadet, quod in ea parabola de filio prodigo, de qua Lucas *cap. XV.* perditus ille filius, suique patrimonii decoctor non admittebatur ad siliquas, quibus porci, quos ipse pascebat, vescebantur, qui illo etiam cibo censebatur indignus. Quare dominus illorum porcorum dicere potuisset, se non fuisse dignatum decoctorem illum adolescentem ponere cum gregibus porcorum suorum, quando illum a porcorum cibatu repellebat. Sane de homine misero ac vili cecinit Horatius *lib. 2. epist. 1. Viuit siliquis, & pane secundo.* ita fere autor Catenæ: *Quibus non perinde ac canibus meis rerum copia suppeditabat.* Neque posterior cogitatio displicet, vt aperte *in Catena* Chry-

Ponere cum canibus *prouerbium.*

pag. 364. a

Chrysostomus: nam qui vilissimi sunt, neque digni censentur, qui porcos alant eorum, quorum est familia lauta, aut nomen non ignobile. Sic Martialis ad quendam vilissimum, qui tamen magnorum virorum amicus videri volebat, scripsit:

Disperеam, si tu Pyladi præstare matellam
Dignus es, aut porcos pascere Pyrithoi.

Hanc autem vilitatem & sordes cum comparatione ad aliorum gloriam, sic explicant Latini: *indignus es, qui huius, vel illius porcos pascas, qui illius calceamentorum corrigiam soluas, qui illi matellam porrigas*, & similia. Quare si illorum iuuenum, qui Iobo insultabant, patres consideres, indigni sunt, qui Iobi pascant canes, aut porcos, aut qui in illius domo sordidum quodque ministerium obeant.

5. Vers. 2. *Quorum virtus manuum mihi erat pro nihilo: & vita ipsa putabantur indigni.*] Difficile est statuere, an hæc intelligenda sint de illis adolescentibus, de quorum iniuriis queritur Iobus, vel de illorum parentibus, quorum abiectam conditionem proxime ostenderat. Sed aut nihil interest, aut certe parum, quod ad rem spectat, siue ad hos, siue ad illos ista referantur: nam hoc communiter vsu euenire solet, vt non alia sit filiorum, quam parentum conditio. Hæc tamen libentius ad filios refero, quia id videtur expeditum magis, in quibus parentum etiam conditio atque ingenium exprimitur, vt dicemus infra *ad v. 8.* Horum igitur, quicunque fuerint, virtus manuum, instar obtinebat nihili apud Iobum: quia in illis aut nihil erat roboris, quod timeret, aut quo in rebus peragendis, vbi strenua aduocatur virtus, vteretur: neque ars humanis vsibus necessaria, neque denique præstare aliud poterant, quam vt augeretur hominum numerus, quasi inutile terræ & molestum pondus. Quare optandum esse, ne illi communem hunc haurirent spiritum, tanquam humana vita prorsus indigni. Septuaginta: *Et quidem virtus manuum eorum, vt quid mihi?* Quasi diceret, illos perinde habebam, ac si non essent. Cui enim vsui esse mihi poterant, quibus neque ars erat, aut industria, neque fides, cui minima crederem ministeria, & a quorum manibus sperari nihil poterat meis rationibus opportunum. Obseruat autem hoc loco Hieronymus, & ex illo Beda, non hoc dixisse Iobum vel elatum superbiæ typho, inflatum diuitiarum abundantia; sed vt eorum vilitatem ostenderet; &, vt addit Beda, infirmorum confirmaret animos. Quia non raro accidunt viris ingenuis Deoque gratis ab eiusmodi nebulonum genere ludibria. Idem dicit autor Catenæ ad illud: *qui heri fugiebant.* pag. 364. b

Vers. 3. *Egestate, & fame steriles.*] Hebraic. *in defectu, & fame solitarii.* Est, qui hunc locum sic exponat, vt nebulones isti & irrisores, sic fame atque egestate premantur, vt vxores, ex qua filios suscipiant, non inuenerint, vsque adeo illi videbantur ridiculi atque indigni, quibuscum vulgares etiam fœminæ dignarentur nuptiali fœdere coniungi. Alii non putant sterilitatem hanc esse a filiis: sed ab illis commodis, quibus natura humana sustentatur & viget: quia cum nulla sit in illis virtus manuum, id est, cum ad omne sint ministerium inutiles, pereunt fame, & eo rediguntur inopiæ, vt non plus ab illis sperari fructus possit, quam a sterili atque syluestri planta, aut ab arido ligno. Sic pene Sanct. Thomas. Confirmat translatio Symmachi, qui ita transtulit: *Perierat illis quidquid ad vitam facit.* August. *in annot. ad hunc locum: in eis peribat omnis vita.* Dicit aperte autor Catenæ: *Quisque*, inquit, *illorum sterilis erat, id est, inops, nihilque frugis, fructusue habens.* Et statim aliter: *Nec reperire, nec parere rationem quampiam vitæ sustinendæ poterat.* Et quidem, communi loquendi vsu, illud sterile vocatur, ex quo nulla capitur, aut speratur vtilitas: sic ager, sic pecunia, sic dos sterilis dicitur, quæ nullum pariunt commodum, nullam vsuram. Sic ergo nebulones isti, irrisores, & sanniones steriles sunt, quia ad omnia prorsus inutiles: in quos magno suo merito iacias Horatianum illud: 6.

Nos numerus sumus, & fruges consumere nati. 7.

Vbi Vulgatus *steriles*, Hebr. est גלמוד *galmud*, quod Hebræi, & qui cum illis sentiunt, reddunt *solitarios*. Sicut etiam fecit Vulgatus supra *cap. III, 7. Sit nox illa solitaria.* Quare sic vertit Pagninus: *propter penuriam, & propter esuriem solitarii errant.* Eodem

dem pene modo Tigurina, Vatablus, Eugubinus. Omnes pene in hunc sensum: cum fame premerentur & inopia, in solitudinem secedebant, vt vescerentur herbis & arborum cortice, vbi ferino more agrestem vitam propagarent.

8. *Qui rodebant in solitudine squalentes calamitate & miseria.*] Septuaginta, *qui fugiebant in inaquosam.* Quod etiam valet verbum Hebraicum. Sed est idem sensus, magis tamen explicatus a Vulgato. Neque enim alio consilio secedebant in solitudinem & terram arentem, nisi vt herbas quærerent & agrestem cibum. In solitudine putabant se viuere posse commodius, quia suppudebat illos, qua erant illuuie atque miseria, in hominum cœtu commorari; & ideo non omnem sibi solitudinem elegerunt, sed aridam, vbi maior ab omnibus solitudo, licet minor esset ciborum commoditas. Vitam vero austeram & plane miseram indicat verbum *rodo*, quod non nisi de rebus duris dici solet, quales sunt radices herbarum, arborum cortices, in quibus comedendis plus interdum laboris & doloris assumitur, quam voluptatis & alimenti. Qui autem in syluis
pag.365. a agunt, & macie viuunt, & fame confecti, horrida sunt & illota facie; quia in solitudine neque munditiæ cura, neque nitoris conciliandi facultas. Quare squalentes dicuntur, quales illi plerumque sunt, quos fames attenuat, seu fœdat illuuies. Talem nobis descripsit Maro *lib. 3. Æneid.* vbi de quodam Achæmenide, cum dixisset:

Cum subito e syluis macie confecta suprema
Ignoti noua forma viri, miserandaque cultu
Procedit.

Deinde illuuiei, quam illi diram adscribit, causam reddit, qualem nunc Iobus illis, quos squalere dicit calamitate: quia rodebant herbas & fructus quosdam arborum, qui duritie non longe differebant a lapide:

Victum infelicem baccas, lapidosaque corna
Dant rami, & vulsis pascunt radicibus herbæ.

9. Vers. 4. *Et mandebant herbas & arborum cortices.*] Illud *rodebant*, de quo proxime, ad radices iuniperorum refero, & arborum cortices. Cumque in his multæ appareant adagiales formæ, sed illud de rodendis arborum corticibus & agrestium arborum radicibus, quæ duritiem habent, neque admodum ad palatum sunt; magis olet prouerbialem dicendi formam, qua extrema significatur fortuna; in qua homines famem in suaui & duro alimento sustentant. Quæ verba, vt arbitror, illis accommodari solent, qui vitam agunt rusticam & pastoritiam: qui cum inter frutices plerumque morentur, arboresque syluestres, illarum siue fructibus, siue corticibus victitare dicuntur. In quem sensum non male accipi posse videtur illud *Amos VII, 14. Armentarius ego sum vellicans sycomoros.* Vellicare autem idem esse videtur, quod decorticare: Quasi dicat Propheta: ego ruri viuo, & ex illorum numero sum, quibus ab irridenti turba obiicitur in conuitiis, quod rodant arborum seu vellicent cortices. Neque parum huic cogitationi fauet Symmachi translatio, quæ hoc modo reddit, *ἀποκνίζοντες φλοιὰς φυτῶν, id est, vellicantes plantarum cortices.* Neque longe hinc abit August. dum ait, *qui rodebant cortices arborum.*

Vbi Vulgatus *herbas*, Hebr. est מלוח *maluach*, quæ a variis varie redditur. Quidam maluam esse putant, quia idem pene sonat vox Hebraica: sed hæc literarum similitudo, in idiomate diuerso vim habet ad persuadendum nullam, aut exiguam. Alii vrticam esse putant, Septuaginta conuerterunt ἅλιμα, quæ aliquid significat salsum: quid tamen illud sit, incertum est. Autor Catenæ herbam esse dicit, quæ celeriter explet comedentem, gignitque satietatem. Vulgatus commune nomen adhibuit; quia de proprio non constabat. Vox tamen Hebraica *maluach*, sicut Græca ἅλιμα, aliquid significat esse salsum, aut quod in salsuginosis nascitur locis. Qua de re statim plura. 10.

Radix iuniperorum erat cibus eorum.] Non magis suauis aut tenera est iuniperi stirps, aut radix, quam arborum cortex. Quare hic dicendi modus non minus videtur, quam prior, prouerbialis. Sed est maxima inter autores controuersia; quid sit proprie רתמים *retamim*, pro quo Vulgatus supposuit *iuniperos.* Septuaginta huic voci communem aliam supposuerunt, reddideruntque ἅλιμα, sicut proxime, vbi Vulgatus herbas transtulit, quæ vox 11.

salsum aliquid sonat a voce Græca ἅλς, quæ *salem* significat. Autor Catenæ ἀπὸ τȣ λίμȣ videtur dixisse, quasi ἅλιμα ea sint, quæ famem depellunt, aut famem obrepere prohibent. Sed vox Hebraica docet a sale potius esse deriuata, מלח *melach* enim *sal* est. Hæc tamen herba מלוח *maluach*, quæ nascitur tantum existimatur in salsuginoso solo. Salsum porro interdum gratum aliquid palato significat: quia sale cibi condiuntur, alioqui fatui essent & ingrati saporis; aliquando austerum & insipidum, quod palatum horret, neque plurimum confert valetudini. Vt enim marinæ aquæ, quia salsæ, poculentæ non sunt: sic etiam neque cibi, si plusculum habeant salis, esculenti censentur; atque ideo salsamenta, priusquam inferantur mensis, ex disciplina culinaria in aqua probe macerantur. An istæ herbæ salsæ, quæ a Græcis dicuntur ἅλιμα, grati fuerint, an ingrati saporis, dubium est. Ego grati esse puto, & ideo a famelicis illis exquiri. Vt quid enim illi tanta auiditate quærerent, quanta statim significatur, insi-
12. pidas herbas & noxias valetudini? nisi forte omnes illæ herbæ, quæ in solitudine locisque desertis Idumææ nascuntur, salsæ fuerint, quod non videtur incredibile, cum non longe absint a mari mortuo, quod salsissimum appellatur, & in illa regione plurimæ inueniantur salinæ. Sane erat in Idumæa vallis, quæ salinarum appellatur; in qua Idumæi non semel superati dicuntur. Primum a Dauid *1. Paralip. XIIX, 12.* deinde ab Amasia *4. Reg. XIV, 7.* Hæc de Septuaginta translatione. Augustinus *in Annot.* nomen etiam adhibuit commune magis, radicem nimirum *herbarum*.

Terra salsuginosa iuxta mare mortuum.

13. Alii certum aliquod genus expressere, sed varie. Symmachus, *radix frumentorum agrestium*. Rab. Dauid, *radix genistarum*. adductus vocis similitudine, cum homo Hispanus apud Hispanos sciret genistam appellari, *retama*, quæ vox non valde recedit a רתמים *retamim*, quod idem probat Rab. Mardochai. Vterque in radice רתם *ratam*. Sed plerique alii *iuniperum* legunt. An vero iuniperorum radices esculentæ sint, sicut agrestium palmarum stirpes, obscurum est. Fortasse dum tenera est iuniperus, illius esui est non inepta radix: & tunc maxime, cum necessitas vrget & extrema fames: & fortasse in Idumæa aliquod est iuniperorum genus, cuius radix, sicut agrestium palmarum, esculenta est, sed vtcunque sumas, eiusmodi homines, qui tali pascuntur cibo, miserrimi sunt, quales vocat Cicero *actione in Verrem* illos, qui agrestium palmarum radicibus vrgente fame pascebantur. Hunc locum Gregorius optime trahit 14.
ad moralem sensum: & in radice iuniperorum auaritiam agnoscit, quæ spinas generat, quæ pungunt animum, neque quiescere sinunt; *Quid*, inquit, *per radicem iuniperi, nisi auaritia designatur, ex qua peccatorum omnium spinæ producuntur. De qua per Paulum dicitur: Radix omnium malorum est cupiditas. Ipsa quidem latenter oritur in mente: sed punctiones peccatorum omnium patenter producit in opere.* Lege reliqua. Ego in *radice iuniperi*, quoduis peccatum intelligo, cuius fructus est dolor, confusio, tremor, & acuti stimuli, pag.366.a
qui semper conscium animum pungant & excrucient. Vt enim ibidem Gregorius: *Arbor iuniperi pro foliis punctiones habet: sic quippe sunt hirsuta, quæ profert, vt similia contrectantem pungere valeant.* Quocirca, qui peccatum admisit, radicem in corde iuniperi plantauit, quæ spinas parturiat, & stimulorum iuge seminarium. Illius autem is est stupor, vt, quod statim subditur *v. 7.* esse sub sentibus, putet esse delicias.

Vers. 5. *Qui de conuallibus ista rapientes, cum singula reperissent, ad ea cum clamore currebant.*] Miserorum cibus sunt herbæ & agrestium arborum stirpes. Sed illud plane miserabile, quod harum rerum vbique facultas non erat; neque expleri semper fames poterat illo alimento. Quare descendebant ad conualles, & ex ascensu illarum confragosæ & asperæ, cum magno labore, neque leui periculo carpebant herbas, & plantarum agrestium radices insuaues & duras. Quas ea auiditate captabant, vt certatim, si quid occurreret esculentum, conuolarent omnes tanquam ad luculentam prædam, & alter alteri præripere contenderet cum eo clamore atque vlulatu, quo venatores solent, cum prædam insequuntur, ex qua splendidum putant instrui posse conuiuium. Quod non faciunt nisi il- 15.

li, quibus ad ingenium abiectum & sordidum accedit extrema fames & misera conditio.

16. Septuaginta longe aliter legunt: *insurrexerunt super me fures*: qui parum videntur, si singula verba consideres, ad textum Hebraicum transtulisse. Fortasse ad sensum magis, qui paucis verbis, illisque aliquantum obscuris, videntur longam sententiam fuisse complexi. Quasi dicat Iobus: illi insurrexerunt in me, quasi hostes, qui quasi fures expulsi fuerunt e ciuitatibus hominumque conuentibus, & in desertis locis habitare compulsi, vbi ferinum in morem vitam agerent agrestem & barbaram. In hunc ferme sensum ab Hebræis hic locus exponitur. Sic Tigurina: *Qui pulsi fuerunt e medio clamantibus aduersus eos hominibus, tanquam aduersus furem.* Eodem prope modo Chaldæus, Pagninus, Isidorus, translatio Hispanica, Hebræus apud Caietanum.

17. Vers. 6. *In desertis habitabant torrentium, & in cauernis terræ, vel super glaream.*] Septuaginta: *quorum domus erant cauernæ petrarum: inter medium bene sonantium clamabunt.* Descripsit ciborum genera; nunc domus, seu potius lustra, ac sordida cubilia descripsit, quæ illorum hominum alimentis nihilo sunt meliora. Aut enim habitant in saxorum cauernis, seu latebris, quæ prope torrentem sunt, vt inde sicut pecora ad sua prodeant pabula, ad arborum nimirum cortices, & iuniperorum stirpes, herbasque salsas, quarum in torrentium scopulis maior reperitur abundantia. Porro in conuallium lateribus, quorum radices alluunt torrentes aquæ, cauernas esse, ipsa docet rerum natura, & docet experientia. Vt enim in ipso scopulorum descensu scissuræ non sint, aut petrarum foramina, quod raro contingit, ipsi tamen torrentes, & pluuiarum alluuiones, quæ subluunt scopulorum fundamenta, deterunt saxa, & assiduitate excauant, efficiuntque sinus, vbi diuersari possunt, & a pluuia ventisque defendi, non modo vnus, aut alter homo, sed non exigui interdum armentorum greges. Significauit hoc Isaias *cap. LVII, 5.* vbi in torrentibus sub petris speluncas esse dicit, vbi sua gentiles habuere delubra, vbi stata sacrificia peragerent: *Qui consolamini in*

pag. 366. b

Diis subter omne lignum frondosum; immolantes paruulos in torrentibus subter eminentes petras.

In his igitur cauernis aut specubus habitabat vile illud & sordidum hominum genus; quod si cauernarum copia non esset, sub dio in nuda humo ac sabulosa pernoctabant iuxta torrentes. Id enim valet glarea, vt diximus supra *cap. XXI, 33.* ad illud: *dulcis fuit glareis Cocyti.* quem locum tu vide. 18.

Vers. 7. *Qui inter huiuscemodi lætabantur, & esse sub sentibus delicias computabant.*] Hi homines squalentes & miseri, sic erant ab omnibus naturæ necessariis destituti, vt si cortices haberent arborum, quos roderent, quod faciunt capræ, aut boues, aut iuniperorum stirpes, & locum in saxorum latebris, aut in torrentium glareis, sic lætabantur, quasi magna aliqua inuenissent blandimenta naturæ. Quod si e cespite, aut stipulis, aut aliquo quouis stramine etiam aculeato atque spinoso tuguriolum construere contingat, id iam in deliciis numerant, & se vocant omnino fortunatos. Septuaginta pro sentibus agrestia posuere sarmenta. Quod si esse sub sentibus, idem sit, quod esse sub iuniperis, (nam iuniperus tota est senticosa, ipsa quippe folia sentes sunt, vt docuit Plinius *lib. 16, cap. 24. Iunipero spina pro folio est.*) plane valde significatur horum virorum extrema necessitas. Nam iuniperus, quia frondes non habet, sed spinas, exiguam habet vmbram, quæque parum ab æstu pluuiisque defendit. Habet præterea illud incommodi, quod illius vmbra, qualis qualis est, grauis est capiti, & vehementer noxia, quod etiam nouerunt pastores & rustici, qui cum aduersus omnes temporum iniurias obdurauerint, cauent sibi tamen ab vmbra iuniperi. Eorum vnum inducit Maro *Ecloga 10.* 19. *Iuniperi natura & vmbra grauis.*

Surgamus, solet esse grauis cunctantibus vmbra
Iuniperi grauis vmbra.

Quod vitium iuniperus habet cum aliis arboribus commune, de quibus Lucretius *libro 6.*

Arboribus primum certis grauis vmbra tributa est
Vsque adeo, capitis faciant vt sæpe dolores,
Si quis eas subter iacuit prostratus in herbis.

 Vers.

20. Vers. 8. *Filii stultorum, & ignobilium, & in terra penitus non parentes.*] Hic locus maxime suadet, quod supra *v. 2.* putabamus, hæc superiora ad iuuenes subsannatores pertinere, non ad illorum parentes. Faciunt autem hæc plurimum ad illorum siue stuporem mentis, siue morum improbitatem explicandam. *Filii* dicuntur *stultorum & ignobilium*, quia fortasse tales fuere illorum parentes, quibus filii fuere non dissimiles, sed credo hæc quoque ad filios esse referenda. Neque dicendi modus quicquam incommodat. Ex vsu enim Scripturæ per filios, aut filias, addito superiori genere, describuntur illi, quibus aliqua proprietas attribuitur; Sic *Filii hominum dicuntur homines: filii taurorum, filii arietum, filii latronum: filia Sion, filia Ægy-*
pag.367.a *pti, filia Babylonis:* pro tauris, arietibus, latronibus, Sion, Ægypto, Babylone. Sic ergo *filii stultorum & ignobilium* iidem sunt, qui stulti & ignobiles. Hi porro dicuntur in terra non parere, id est, non apparere, aut quia procul aberant ab hominum conuentibus: quia sic erant deformati, vt subire non auderent aliorum oculos, cum non possent otiosorum hominum recusare ludibria: & ideo in syluas desertaque loca suam abdiderunt ignominiam: aut quia reuera non apparebant, aut extabant e terra: quia latebras
21. subierant & subterraneas foueas. Sed cur isti hoc tempore redierunt ad hominum cœtus, & tantum sibi assumpsere licentiæ, vt in Iobum vsqueadeo baccharentur libere, & tam procaciter & impudenter incesserent.

Cur viri exules & ignobiles Iobo insultare ausi.

Ego hic suspicor, hosce homines, quorum Iobus patiebatur & querebatur iniurias, ab eodem fuisse tanquam reipublicæ pestem ab hominum conuentibus relegatos. id enim pro suo officio facere debuit, cum esset a Deo & gentium iure commissum, vt caueret sedulo, ne quid respublica detrimenti caperet: caperet autem plurimum, si in illa versarentur homines, ex quorum male constituta vita alii discerent, auderentque, quod rem priuatam & publicam perniciose corrumperet. Nam si molas conterebat iniqui, & omnibus erat timori atque venerationi, cur non auderet illos e subiectis sibi populis eiicere, quorum erant perniciosi mores, & vis ad resistendum nulla. Hi vero vbi audierunt e suo loco cecidisse Iobum, & eo fuisse redactum, vt exclusus domo in sterquilinio decumberet, neque ab illo quicquam timendum esse ducerent, redierunt eo, vnde extorres abierant, & apparere cœperunt, qui eo vsque latuerant, & in illum conceptum prius acerbitatis virus euomerent, quod diu in stomacho nauseante compresserant. Neque enim videntur talia in Iobum fuisse facturi, qualia statim commemorantur, nisi in illum essent hostiliter animati, & suas iniurias vlcisci vellent. Nam si viri tabernaculi eius, cupere se dicebant de illius saturari carnibus, quod ex offensione maxima ortum esse credunt Interpretum nonnulli, eo quod in illos errantes animaduertisset seuerius, quid non auderent illi, quos neque mitius Iobus accepisset, & quibus magis esset profligata vita, & inciuile ac barbarum ingenium. Sic ego cogitabam. Tu vt voles accipe.

Vers. 9. *Nunc in eorum canticum versus* 22.
sum, & factus sum eis in prouerbium.] Postquam multis horum nebulonum sordes explicuit, eorum singularem audaciam & intolerabilem impudentiam ostendit, qui suorum scommatum atque sannarum voluerunt ipsum esse materiam. Cuius ita ignominiose in illorum circulis atque conuentibus exagitatur nomen, vt in canticum ioculare & familiare prouerbium abierit. Vide, quæ diximus supra *cap. XVII, 6.* ad illud: *Posuit me quasi in prouerbium vulgi, & exemplum sum coram eis.* Septuaginta: *Nunc autem cithara eorum ego sum.* Quod idem valet, atque ad citharæ sonitum, musicosque numeros a lasciuis otiosisque iuuenibus cantillari Iobi mutationem subitam, & illius calamitatibus celebrandis illorum tempus, & laborem falli, qui forum obeunt, & in compitis otium nequicquam perdunt.

Vers. 10. *Abominantur me, & longe fugiunt* 23.
a me: & faciem meam conspuere non verentur.] pag.367.b
Illi iidem, qui vt illudant mihi insultentque procaciter, propius accedunt, onerantque conuitiis, a mea tamen consuetudine beneuoloq; congressu quam longissime fugiunt. Meum enim halitum horrent, aut abominantur me aut quasi naturæ monstrum, in quo vident discer-

discerptum hominem, imo non tam hominem quam viuentis hominis informe simulacrum: aut quia timent, ne a talibus membris tabem ipsi contrahant, & a liuente ac diffluente cadauere, seu cadaueroso corpore, ipsi quoque diffluant, & horribili squalore liveant.

24. *Et faciem meam conspuere non verentur*] Prouerbialis videtur hic dicendi modus, sicut alius huic similis, quo Iobus suam maxillam dixit esse percussam, *cap. XVI, 11.* Vide quid nos ad illum locum. Metaphorico enim sensu sicut facies dicitur colapho percussa, quando graui aliqua afficitur ignominia, & pudore ex ea ingenuo suffunditur; sic etiam conspui dicitur facies, cum homo de se indecora audit, & opprobriis maledictisque conciditur, ita Gregor. *Faciem conspuere est, non tantum in absentia bonis detrahere: sed vnumquemque iustum in præsentia confutare. Quos tunc prauie, dum aperte illudendo despiciunt: in eorum contumeliis fluxa verba quasi defluentes saliuas emittunt.* Idem videtur August. sensisse in *annot. ad hunc locum*, vbi sic exponit: *Male me innotescere fecerunt.* illud vero *Num. XII, 14. Si pater eius spuisset in faciem illius*, Chaldaica paraphrasis sic vertit: *Si pater eius increpando increpasset.*

25. *Conspuere in furore aliorum faciem olim vsitatum.* Communiter alii veram putant & propriam fuisse saliuam: vere consputatam Iobi faciem. Neque id cuiquam mirum videri debet, qui nouerit Iobum traditum esse diaboli potestati: neque illi quicquam esse negatum præter vitam. Talia porro de Iobo non modo alienis & barbaris, sed etiam domesticis & amicis persuadere potuit, tale in illo monstrum & execrabile portentum describere, vt non videantur hominum excessisse consuetudinem & modum, si in illum turpia oris eiectamenta despuerent. Sane qui Christo capto illuserunt, conspueruntque faciem omni ratione venerabilem, id fecerunt audacter, quia tenebrarum, id est dæmonis vrgebat potestas, quæ omnem illis humanitatem & pudorem excussit. Talis erat hoc tempore diaboli potestas, quæ hosce homines non solum ad sannas & opprobria, sed etiam ad sputamenta stimulabat. Adde, quod hoc conuitii atque ignominiæ genus in Hebræo populo inusitatum non erat. Solere enim in furore parentes in filiorum, &, vt reor, dominos in seruorum faciem inspuere, satis colligitur ex *Num. XII, 14. Si pater eius spuisset in faciem illius, nonne deberet saltem septem diebus pudore suffundi?* Et *Deuteron. XXV, 9.* cum sermo esset de illo, qui fratris sui semen excitare nollet, scribitur: *Accedet mulier ad eum, & tollet calceamentum de pede eius, spuetque in faciem illius.* Quod etiam apud profanos ignominiose non semel contigisse legimus. Neque hoc defuisse in Christi typo debuit, qualis erat Iobus, quod Christus in suo dolore atque ignominia passus est. ita S. Thomas, Chrysostomus *homil. 5. de Iob tom. 1.* & alii communiter.

Caietanus spuisse fatetur barbaros illos & sordidos homines, non tamen in faciem: sed versus eum quasi in faciem, ita vt consputatæ faciei ferret ignominiam, non saliuas exciperet in facie. Est quidem nostro tempore vsitatum, vt spuendo contemptum alicuius, abominationem & nauseam significemus, quod faciunt nonnulli, cum diaboli nomen pronuntiant, aut audiunt. Sane id vsitatum apud gentiles, docet Plinius *lib. 28. cap. 14.* vbi dicit, auerti morbos, a quibus timeri contagio potest, spuendo: idque remedium putari non inefficax, cum aliquid occurrit execrandum & horribile. Vnde ortum est prouerbium, *despuere malum.* De quo adagiographus *chiliad. 5. cent. 1.* vbi ait, manere hodie in vulgi moribus, vt si quid excidat execrandum, quod sibi nolint euenire, despuant, vt abominantes. Quod ortum esse ait ex veterum superstitione, qui sibi persuaserant, sputationem esse remedium aduersus imminentia mala. Qua de re obuia sunt exempla, quæ docent homines ad arcendum fascinum, vim magicam, dæmonem, & morbos, despuisse. Quod ipsi etiam Medici ad auertenda nonnulla valetudinis incommoda vulgare putant esse remedium. Sic sane Marcellus *lib. de Medicaminibus: Varulis*, inquit, *remedium tale facies, ter despues, &c.* Et Psellus contra dæmones: *Dæmones facile cicurantur excrementis, puta saliuis & vnguibus.* Has igitur ob res fortasse inspuerunt nebulones illi non in Iobi faciem. Sed verisimilius est,

pag. 368. a 26. *Spuere solent, qui aliquid dicunt aut audiunt execrabile.*

est, & mihi pene certum, Iobi vultum sputis esse fœdatum, propter rationes illas, quas adduximus supra: & quia huc omnium pene scriptorum incumbit assensio.

27. Vers. 11 *Pharetram enim suam aperuit, & afflixit me; & frænum posuit in os meum.*] Hæc verba ad Deum referunt cum Hieronymo, Beda, & S. Thoma, Interpretum plerique. Sed obiiciet aliquis, non videri ista ad Deum posse referri, cum Dei nomen in toto hoc capite huc vsque non sit auditum. Sed est solutio non difficilis: vt enim Gregorius docuit *in principio Commentariorum in Ezechielem*, & Augustinus *in Psalm. IV.* interdum voces aliquæ referuntur non ad id, quod expressum fuerit scriptura, aut voce: sed ad id, quod quis aut in animo versat, aut sensu aliquo capit. Quod esse in Scriptura sacra frequens, ostendimus ad illud *Cant. I, 2. Osculetur me osculo oris sui.* Vbi illud *sui* ad sponsum refertur, quem nondum nominarat sponsa, in eius tamen cogitatione tota erat defixa. Vbi non pauca adduximus exempla. Plura *cap. I, 21.* ad illud: *& nudus reuertar illuc.* tu illa huc aduoca. Sic nunc, opinor, de Deo cogitabat Iobus, & ad suam cogitationem retulit hæc, in quibus nostra versatur commentatio, quasi omnia illa tela, quibus confixus & vulneratus est, a diuina fuerint vibrata, non a mortali manu. Quod cum homo religiosus & pius cogitaret, quasi fræno linguam haberet impeditam, non respondit illis, a quibus assiduas contumelias audiebat.

28. Cum autem ad illud vsque tempus Deus suas haberet sagittas in pharetra conclusas, quamdiu res Iobi tam domestica, quam rustica, nihil accepisset detrimenti, & adhuc esset existimatio integra, aperuit tandem pharetram sagittis grauidam, exprompsitque te-
pag. 368. b la, quæ late perdiderunt omnia, quæ ad Iobi dignitatem & vsum pertinerent, hæseruntque tandem penitus in illius præcordiis. Sagittæ porro fuerunt, ignis, ventus, Chaldæi, Sabæi, qui Iobi armenta, domum, & filios auerterunt: domestici, & cognati, nobiles æque atque ignobiles, vxor & filii, diabolus tandem ipse, qui malorum instar hostium inuasit Iobum, vexauitque vehementer. Ita ferme Hieronymus, Sanct. Thomas, & Beda. Eadem metaphora vsus est Dauid *Psalm. XXXVII, 3. Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi. Deut. XXXII, 23.* tales refert Deus sagittas, quales hoc ipso loco de se Iobus. Et addit: *Congregabo super eos mala, & sagittas meas complebo in eis*, id est, exhauriam pharetram, neque vllum erit spiculorum genus, quod non expromam in illorum caput. *Threnor. III, 12. Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam. Misit in renibus filias pharetræ suæ.*

In Hebr. est, *Funem meum soluit;* quod varie exponunt Interpretes. Sed omnes pene conueniunt, egisse Deum, vt quæ ad illum vsque articulum intacta fuerant, & a Deo vndecunque vallata custoditaque diligenter, paterent aliorum iniuriis, vastationi, ludibriis, ita vt nihil esset tutum a diabolo, ab incendio, ab hostibus, & irrisoribus; quasi ager patens & apertus, quem diripit prædo, conculcat bellua, & suam ex illo quisque cupiditatem explet: neque est, qui libere grassantem exterreat & abigat! Aut certe Deus funem soluit, aut disrumpit Iobi, quo videlicet ligarat suos, quos sub suo sibi continebat imperio, & constrictos loro iugum subire seruitutis fecerat. Qui tamen soluto fune, siue loro, excusserunt iugum, & contra Dominum, quorum imperio prius non inuiti suberant, insultarunt. 29.

Et frænum posuit in os meum.] Hunc locum varii varie conuertunt, & exponunt. Recentiores omnes, & cum illis Septuaginta pluralem adhibent numerum, & vbi Vulgatus *posuit*, illi reddunt, *proiecerunt, excusserunt, posuerunt, miserunt.* Cum autem hi in plurali numero consentiant, in fræno tamen subiecto & significatione dissentiunt. Tigurina frænum esse dicit illorum, qui excusso pudore & iugo in Iobum procaci lingua inuehebantur. Quorum prior in illum obseruantia non constrinxit, aut retardauit linguam, ne quicquid liberet, audacter effutiret. Habuerant quidem frænum iniectum a Iobi maiestate, quando quod legimus *cap. XXIX, 9.* nemo eo præsente loquebatur impedita lingua obseruantiæ fræno: *Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo; vocem suam cohibebant duces, & lingua eorum* 30. *Principum mollis & misera conditio.*

eorum gutturi suo adhærebat. Hoc frænum erat inditum ab opinione sanctitatis & maiestate Iobi, quod excusserunt serui, cum dominum suum excidisse vident a priori fortuna, & callida dæmonis persuasione decepti, illius sanctitatem non veram, sed fucatam & vanam esse crediderunt. Sic autem Tigurina: *Effrænes in me feruntur.* Quæ sic explicat Vatablus, vt fræno cohibentur equi, ita etiam homines timore continentur in officio. Caietanus infrænatos dicit fuisse dæmones timore Dei; quia illorum Deus potentiam cohibuerat, ne quicquam auderent, aut possent contra Iobum illiusue fortunas: vbi laxatis habenis facta est nocendi facultas, tanquam ineffrænatus equus ad illum lacerandum & conculcandum præcipiti insiluerunt impetu: neque quicquam suarum virium reliquum fecerunt, quod in illius exitium non effunderent. Alii iniectum dicunt esse frænum Iobo ab his, qui tunc iuueniliter atque inuerecunde insultabant iacenti & saucio. Quorum studium sic explicat *in annot. ad hunc locum* Augustinus: *Frænum in faciem meam miserunt, vt eis inuictus consentirem: portans eos ducentes, quo vellent, ad ima sua.* Quæ sane explicatio pro re morali grauissima est, vt quæ valde Principum ingenium molle atque ignauum ostendit, qui se tamquam inertem equum infrænari sinunt ab inferiori atque indocili turba, & eo rapiuntur, quo fert alienus impetus, subiectumque populum, dum se illi nimis obsequentes præbent, ad ima ducunt, ad æternum videlicet damnatorum carcerem, a quo illum potius pro suo imperio debuissent abducere seuera manu & virga ferrea, quæ aliorum metu aut blandimento non flectitur.

pag.369.a

31. Vulgatus numerum adhibuit singularem, quem etiam habent nonnulli Græci codices, Complutensis videlicet, & quem habet Catena. Tunc autem dicendum id, quod priori hemistichio obseruatum est, impositum a Deo frænum, a quo apertam esse pharetram dicebamus. Frænum autem est sublata respondendi facultas atque libertas, quæ in tenui ac misera fortuna esse non solet. Qui enim miseri sunt, neque vocem habent in tormentis, neque conuitiis lacessiti respondere audent, & multo minus in procaces homines retorquere conuitia. Beda inditum esse dicit Iobo frenum, quia exanimatam & semimortuam vocem in semimortuo corpore thoracis præcludebant angustiæ: aut quia Deus Iobi conclusit ora, ne in blasphemiam erumperet, quam magno studio dæmon ab illo extorquere nitebatur. Ego illud esse puto frænum, id est, silentii causam, quam proxime Iobus indicarat, cum dixit de Deo: *Pharetram suam aperuit, & afflixit me.* Quomodo enim Iobus clamaret, aut in maledicos homines maledicta regereret, cum sui doloris & opprobrii conscium sciret esse Deum & autorem. Hæc vna ratio in statu simili reddidit Dauidem mutum, qui *Psalm. XXXIIX, 9.* cecinit: *Opprobrium insipienti dedisti me: obmutui, & non aperui os meum; quoniam tu fecisti.* Quod etiam paulo aliter *in principio Psalm.* dixisse videtur; vbi custodiam oris vocat, quam hoc loco Iobus frænum appellat: *Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator aduersum me: obmutui, & humiliatus sum, & silui a bonis.* id est, excusare nolui, quæ obiiciebantur mihi in maledictis, aut meas virtutes & animi bona manifestare.

Silere facit homines inflictæ a Deo plagæ consideratio.

32. Sed dicet hic aliquis, non debuisse Iobum eo loco silere, cum corrigere posset errantes, & linguam maledicam & procacem comprimere. Cui obiectioni Gregorius ad hunc locum respondet. *Si ab increpatione idcirco reticemus, quia contra nos insurgere derisorum odia formidamus, non iam lucra Dei, sed nostra quærimus. Qua in re sciendum est, quod nonnunquam cum redarguuntur praui, deteriores existunt, ipsis ergo, & non nobis parcimus, si ab eorum redargutione pro eorum amore cessamus. Vnde necesse est, vt aliquando toleremus tacendo quod sunt, quatenus in nobis discant videndo quod non sunt.* Est itaque ex sententia Gregorii talium virorum admonitio seuera, & grauis reprehensio, silentium nostrum, cum ipsi maledice atque immoderate loquuntur, & patientia nostra, cum vehementius vrgent, dolendi causæ. Eo autem tempore, quo talia Iobus ab stolido illo atque inuerecundo hominum genere patiebatur, sic stimulabat dæmon irrisores illos, & petulantes nebulones, vt sperari nulla correctio posset,

Silentium interdum est grauis & dura reprehensio.

pag.369.b

poſſet. Quare ex illorum vſu magis putabat Iobus fore in præſentia, ſeruare ſilentium, quam irritam eſſe correctionem.

33. *Aliquando honeſtior eſt locus ad dexteram; aliquando ad ſiniſtram.*

Verſ. 12. *Ad dexteram orientis calamitates meæ illico ſurrexerunt.*] Hic locus impeditus eſt, in quo varii ſunt Interpretes. Septuaginta ſic reddunt: *Super dextra germinis ſurrexerunt.* Quod Scholiaſtes in additione Sixtiana ſic interpretatur, quod homines illi ſordidi atque irriſores Iobo *quondam rebus dexteris & ſecundis florenti vel operibus ipſis bonis inſultarunt, omnia deteriorem in partem interpretantes, quaſi non pure pietatem coleret. Sed alius fortaſſe & proprior Hebræo poteſt eſſe ſenſus, vt intelligatur, eos, qui in flore ætatis ſunt, in Iob conſurrexiſſe.* Sic Scholiaſtes, ſi legas ad dexteram orientis calamitatis, quod non nemo legendum putat, & habent editiones vulgatæ non paucæ, ſenſus eſt non difficilis. Nempe cumprimum orta eſt calamitas, quæ Iobum ex ſuo ſtatu atque fortuna deiecit, ſtatim ſurrexiſſe illos, qui antea iacuerunt in obliuione & ſordibus, & cum calamitatum atque ærumnarum cohorte aduerſus Iobum coniuraſſe. Hi porro dicuntur eſſe ad dexteram calamitatis orientis, ſiue germinantis, quia locus ille magis eſt auxiliantibus opportunus. Cuius rationem oſtendimus *in noſtris Commentariis ſuper Acta* ad illud *cap. II, 25. Quia a dextris eſt mihi, ne commouear.* Vbi diximus, in quiete & otio honeſtiorem eſſe manum dexteram. In periculis vero, vbi aduerſum aliquid timeri ab hoſte poteſt, honeſtiorem eſſe ſiniſtram. Quod ille, cui maior habetur honor, ad alterius dexteram incedat, aut ſedeat, cum tranquilla ſunt omnia, ſatis ex diuina atque humana eruditione conſtat. *Matth. XXV, 33.* ad dexteram iudicis oues, ad ſiniſtram hœdi collocantur, & *Gen. XLIIX, 13.* Ioſeph primogenitum Manaſſem ad dexteram ſtatuit Iacobi, Ephraim ad ſiniſtram, & Bethſabee ad dexteram Salomonis filii ſediſſe traditur *3. Reg. II, 19.* Quod ſi res ſit turbata, & intentatum ab hoſte periculum, vt in militari congreſſu, qui a ſiniſtris alterius eſt, id eſt, qui a dextris ſuis habet alium, is honeſtiorem tunc occupat locum, quia magis tutum, quia ibi commodius ab alterius dextera defenditur; vt conſideranti patet. Nam ſi ille, cui ab al- 34.
tero præſtatur auxilium, ad illius dexteram conſiſteret, excluſus videri poſſet a dextræ patrocinio, & non tectus, aut interior, & quaſi in alterius ſinu; ſed exterior & nudus. Quare qui ſiniſtrum latus alterius occupat, interior dicitur; quia illum dextera & gladius naturali ſuo motu ad ſiniſtram vibrati tegunt, & quaſi intra ſe cohibent. Quare, qui a dextris alicuius eſt, exterior, qui a ſiniſtris interior appellatur, liquet ex illo Virgilii *lib. 5.*

Quæ interior, aut exterior dicatur.

Radit iter læuum interior.

Et poſtea, cum cautes læuas eſſe dixiſſet, addit:

---Dum prora ad ſaxa ſuburget
Interior.

Quod Seruius interpretatur, *ſiniſterior.* ex pag. 370. a
quo intelligitur, quomodo Chriſtus *Pſalm.* 35.
CIX, 1. prius dicatur ſedere a dextris Dei: *Dixit Dominus Domino meo; ſede a dextris meis.* Poſtea vero *verſic. 5. a ſiniſtris*, quia Deus a dextris eſt Chriſti: *Dominus a dextris tuis, confregit in die iræ ſuæ Reges.* Quia prius victor inducitur, & in quiete regnans; poſterius vero quaſi in conflictu ſub patris vmbra atque tutela. Et *Pſalm. CIIX, 31.* vt liberaret pauperem, ad illius dexteram conſtitiſſe dicitur: *Quia aſtitit a dextris pauperis, vt ſaluam faceret a perſequentibus animam meam.* Ex his iuxta mentem illorum, qui legendum putant: *ad dexteram orientis calamitatis illico ſurrexerunt.* ſenſus erit: vbi primum orta eſt calamitas, quæ me dure vexare & atterere cœpit, ſtatim irriſores iſti, vt calamitatem adiuuarent, & omnino me perderent, ſurrexerunt, & ad illius conſtiterunt dexteram; quod facere ſolent in conflictu, qui aliis auxilio eſſe volunt.

Sed mihi placet magis, ſi legas *calamitates*, 36.
quia ita legunt correcti magis Sixtiani Codices. Tunc autem alius eſt ſenſus, etſi non longe a priori diuerſus, diuerſus tamen. Et primum obſeruo, orientis nihil hoc loco habere commune cum ſole ac die. Eſt enim in Hebraico textu פרחה *pirchah*, quod germen ſignificat, aut erumpentem florem, ſeu herbam. Quid tamen hoc loco ſignificet, obſcurum eſt. Si proſperum aliquid ſignificare credas, quod magis conuenit cum Hebraica radice, ſenſus erit, cum bono proſperoque ſucceſſu,

successu, fortunaque ridenti statim consurrexisse, qui inuiderent, & germinantem gloriam opprimerent; quorum e numero fuerunt nebulones isti, qui vt nunc iacenten premunt, sic etiam stantem, si quo modo possent, ad ruinam impellerent. Tunc vero homines irrisores & maleuoli ad dexteram dicuntur constitisse, vt illum deturbarent & frangerent, ne quid faceret, quod futurum esset ex dignitate, aut vsu, promoueretque fortunam illam, quam secundam Iobus experiebatur & ridentem. Stant enim homines ad aliorum dexteram non solum, vt tueantur, vt nuper dicebamus, sed etiam, vt impediant ac turbent, quominus dextrum aliquid, id est, rectum faciant. Hoc sensu diabolus stare dicitur a dextris peccatoris, *Psalm. CIIX, 6. Et diabolus stet a dextris eius.* Hi porro homines, qui aliorum deprimere student, aut obscurare nomen, aut opes disperdere, aut quouis alio modo inferre nocumentum, *calamitates* dicuntur: Licet enim sæpius calamitas damnum significet, quod grando fractis calamis & stratis segetibus induxit, tamen non raro sumitur pro calamitatis causa, qualis est grando, alluuio, ventus vrens, & similia. Sic sane Donatus ad illud Terentii *in Eunucho act. 1. scena 1.*

Sed ipse egreditur nostri fundi calamitas,
Nam quod nos capere oportet, hæc intercipit.

Vbi sic Donatus, proprie *calamitatem* rustici *grandinem* dicunt, quod comminuat calamum, hoc est, culmum ac segetem. Sic Plautus *in Casina*, olera dicit non fuisse tacta a calamitate, id est, a grandine aut vi alia noxia. Sic Cicero *in Verrem*, agrum obnoxium esse dicit calamitatibus, id est, temporum aut prædonum iniuriis. Hæc mihi explicatio difficilis non est, quia apte cum superioribus contexitur, & hominis perditi calamitatis nomen iure sibi vendicant.

pag. 370.b

37. Sumi etiam potest פרחה *pirchah* pro re aliqua fœda, quæ nascitur & germinat in humano corpore, quæ illud deformat & exulcerat, qualis est lepra, & si quid aliud indecore, aut liuet, aut rubescit in facie. Quod Hispani eadem metaphora *nacidos* vocant. Sic rosæ, aut flores dicuntur in facie tumores quidam, aut rubentes maculæ, quæ faciem inflamant atque deformant. *Leuit. XIII, 12.* lepra efflorescere dicitur: *Si effloruerit lepra in cute.* *Flos* præterea vocari potest cicatrix alba, aut rufa ex lepra, de qua ibi statim *v. 19.* si hoc in *oriente*, aut *germine* intelligas, sensus erit ille, qui nobis priori loco productus est. Quia hi viri, qui Iobo instar procellæ & grandinis fuerunt, quosque *calamitates* vocari posse diximus, ad illius germinis, seu lepræ dexteram se applicuerunt, vt cum illa facerent, & Iobum coitione facta omnino prosternerent.

Pedes meos subuerterunt.] *Subuertere pedes*, idem esse arbitror, quod supplantare, quod proprium luctatorum est, & aliquid dolosum & callidum in luctando significat, vt diximus supra *cap. XII, 19.* ad illud: *Et optimates supplantat.* Subuerterunt autem pedes illi, de quorum audacia atque perfidia queritur, quia cum nihil eorum ausuri viderentur, neque ab illis sibi Iobus quicquam timeret, inopinato tamen, & quasi ex insidiis adorti sunt; feceruntque quod luctatores callidi, qui antagonistam incautum supplantando deiiciunt. Hic porro similitudinis notam subaudio, quod in Scriptura fieri sæpe necesse est: In hunc sensum: Fecerunt isti contra me, quod luctatores fraudulenti, qui colluctatorem suum inopinata supplantatione prosternunt. Hæc impedita non sunt. Sed fortasse in subuersis pedibus diuersa significatur via, id est, vitæ status, aut viuendi modus. Vt enim via, aut semita vitæ indicat rationem, aut institutum; sic subuersi pedes, id est, abducti ab instituta via, diuersam indicant fortunam, & dissimile viuendi genus. & facit ad hoc, quod hac metaphora non semel in consequentibus vtitur. Quare in hanc posteriorem explicationem magis propendet animus. 38.

Et oppresserunt quasi fluctibus semitis suis.] 39.
Fluctus multitudinem indicat, quia excitari non solent, nisi vbi fasti sunt gurgites, & aquarum altitudo profunda. Vbi autem labores vrgent conglobati & graues, qui hominem vndecumque circumdant, neque respirare sinunt, fluctuum similitudine significantur, quibus obruitur homo, neque apparet vlla emergendi facultas. Apud profanos exempla sunt obuia. In Scriptura occurrunt

Fluctus, & aquæ, pro laboribus.

non pauca, in qua illud est vulgare, *aquas* pro tribulationibus vsurpari. *Ps. LXXXVII, 8. Super me confirmatus est furor tuus, & omnes fluctus tuos induxisti super me. Psalm. XLI, 8. Fluctus tui super me transierunt. Ps. LXIIX, 2. Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam: infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Veni in multitudinem maris, & tempestas demersit me.* Et Iobus hoc ipsum significauit iterum *cap. XXXI, 22. Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui.* Hæc obscura non sunt. illud vero, quod sequitur, non item. Quidam oppressum esse Iobum perditorum & squalentium
pag. 371. a hominum semitis sic exponunt, quasi illorum pedibus conculcatus fuerit, idque assidue, non aliter quam semitæ viatorum vestigiis. Vt enim semitæ publicæ ac regiæ prætereuntium pedibus continenter teruntur: & quia alii aliis viatoribus sine vlla intermissione succedunt, fit, vt nunquam non aliquid ab iterato vestigio patiantur: Sic conuitiis assidue conuitia succedunt, & præteriti mali finis gradus est futuri, neque vllus datur ab insultantium siue impudentia, siue immanitate respirandi locus.

40. Ego hunc locum aliter accipio, & *in semitis* vitæ modum, institutumque considero. Fuerunt autem Iobi, & illorum hominum, qui Iobi plagas irridendo refricant, & dolores augent, semitæ diuersæ. Erat Iobus autoritate Princeps, religione ac morum sanctitate venerabilis, opibus abundans; & ipso vitæ atque familiæ instructu nobilis ac lautus. Alii autem omnino miseri ac squalidi, qui belluino more degebant in syluis, victitabant herbis & arborum corticibus: odiosi omnibus, quique aliorum oculos subire non auderent. Nunc autem Iobi pedes, id est, semitæ subuersæ sunt, quod ipse satis copiose & eleganter expresit *cap. XXIX.* dum felicem amplificauit fortunam, & *cap.* hoc *XXX.* vbi non minori artificio atque vbertate aduersam & squalentem amplificat. Ait ergo, se a suis semitis declinasse, & omnibus vitæ subsidiis, & dignitatis ornamentis esse spoliatum; & obrutum quasi fluctibus, aliorum semitis, id est, squalore, pudore, ignominia, illis denique incommodis atque infortuniis, quibus illud hominum genus ignobile in solitudine ferarumque cubilibus premebatur. Hoc satis videtur ad veritatem & ad textum. Sed occurrit explicatio altera facilis, & forsitan expedita magis, ita vt obrui se dicat Iobus quasi fluctibus, aliorum semitis, id est, aliorum sordibus & peccatis. Quia irrisores illi talia in conuitiis & maledictis obiiciebant Iobo, qualia ipsi patraverant, & a se ipsis sumerent sordes & vitia, quibus Iobi obscurarent nomen, & animum affligerent. Erant illi prædones, helluones, impudici, sordidi, quique præter hæc, & alia non minus flagitiosa atque impia, relegati fuerant ab hominum cœtu: hæc eadem falso & impudenter in Iobum, dum tyrannum dicunt, voracem, violentum, & quod ipsi ab ignobili turba ludibrium subierant consputata facie, illud idem inferunt ignominiæ genus, dum faciem illius impuro ore atque inuerecundo consputant. Quare dum suis coloribus, id est, a suo ingenio, & moribus expresis Iobum depingunt, suis illum opprimunt semitis, & se ipsos magis eo conuitiandi genere describunt.

Vers. 13. *Dissipauerunt itinera mea, insidiati sunt mihi, & præualuerunt, & non fuit, qui ferret auxilium.*] Hæc aperta sunt, & eadem, quæ hactenus, viarum seruata metaphora. 41.
Itinera Iobi aut fuerant illa, quæ a felici & honesta fortuna proueniunt. hæc dissipata sunt, quia euersæ sunt opes, obscurata dignitas, & omnia regii nominis ornamenta sublata. Aut certe fuerunt honestæ vitæ opera religiosa & pura, quæ neque roderent, aut reprehenderent inuidi, neque ipsi etiam inimici damnarent. Hæc autem itinera, id
est, opera sancta (de quibus *capite sequenti* pag. 371. b
pluribus) dissipata sunt, quia illis inesse dicitur a maledicis non vera & solida, sed fucata sanctitas, neque illis laudem & gloriam, sed odium & contemptum deberi. Addit statim Iobus, consecutos esse aduersarios & maledicos, id quod paratis insidiis sibi proposuerunt, , neque ad hanc depellendam inuidiam, & suum nomen ab eiusmodi iniuriis & sordibus vendicandum, auxilio sibi quemquam fuisse, vsque adeo omnes in suum caput & ignominiam conspirarunt.

Quidam ideo putant a Iobo dici, disſipatas eſſe vias ab aduerſariis, quia omnes ipſi aditus obſtruxerunt, per quos ad priorem fortunam reuocari poſſet. Sed hæc explicatio idonea non eſt, neque cum aliis, quæ hactenus audiuimus a Iobo, idonee conſentiens. Non enim bonorum iacturam, immiſſas plagas, & reliqua fortunæ incommoda ab hominibus accepta, queritur Iobus; ſed a Deo illata confitetur. Quare non potuit dicere, ſi modo conſtare ſibi vellet, ab hominibus disſipatas eſſe vias, & melioris fortunæ ſpem eſſe ſublatam: de hominibus tantum affirmat, aut linguam habere magis, quam deceret, ſolutam & liberam, aut ad iudicandum præceps & temerarium ingenium, ac tandem eo progreſſos impudentiæ barbaræ, vt maxillam percuſſerint, aut faciem conſputarint. Id vero non eſt ad priorem felicitatem & ordinem aditum præcludere.

42. Verſ. 14. *Quaſi rupto muro, & aperta ianua irruerunt ſuper me.*] Sumi poteſt ſimilitudo ab illis, qui ciuitatem obſident, & ad illius direptionem & excidium vehementer anhelant. Qui vbi tormento murali aditum ſibi disiecto muro, aut reuulſis foribus aperuerunt, irrumpunt certatim intra mœnia, & obuium quodque ſine illa commiſeratione peſſundant atque deripiunt. Aut certe ſimilitudo ſumitur ab horto, aut vinea, quam a belluis, famelicisque viatoribus tuentur ſepta obſita ſpinis, quæ arcent longe aut furaces manus, aut anhelantes belluas: quæ ſtatim atque aperta ianua eſt, aut ſublata ipſa, ingrediuntur auide, & omnia proſternuntur. Erant in Iobo multa, quæ illum tanquam muri & ſepes ab omni iniuria & ignominia tuebantur: morum honeſtas, ſanctitatis opinio, regium nomen, & quotidianis beneficiis beneuolentia comparata: deinde opes, libri, amici, clientelæ. Dum hæc erant integra, nemo audebat illum vllo modo laceſſere, nemo obloqui, nemo vel tacitis violare conuitiis. At vbi hic cecidit murus, & periit cuſtodia; omnes exiſtimarunt licere ſibi omnia: & ideo alii ſannis, alii conuitiis, alii ſpuris, alii aliter certatim inſultarunt.

43. *Et ad meas miſerias deuoluti ſunt.*] Hæc quoq; ad irriſores refero, qui ad Iobi ærumnas & ignominiam coniurati videntur. Qui cum primum oblatam occaſionem, & apertam ianuam conſpicati ſunt, eo impetu in illius miſerias corripuere ſe, quo lapides e montium faſtigio in ſubiecta loca præcipiti volubilitate deſcendunt; id enim proprie eſt *deuolui*, nempe deorſum e ſuperiori culmine deferri.

Verſ. 15. *Redactus ſum in nihilum, & abſtulit quaſi ventus deſiderium meum.*] Ille ego tantus vir, tam aliis ante ſuſpiciendus, eo redactus ſum, vt aut nihil ſim, aut certe inſtar nihili, & omnia, quæ ab hominibus amari, aut optari poterant, ſic ſunt momento quodam temporis ablata, vt a procella ſubita & repentino turbine disſipata euanuiſſe videantur. 44. pag. 372. a

Et velut nubes pertranſiit ſalus mea.] In ſalute illa intelliguntur, quæ fortunatum faciunt & lætum hominem. Quod indicat litterarum quaſi legitima & vulgaris inſcriptio, qua alicui ſalutem dicimus, aut precamur, & quem ſaluere in amico ſalutationis officio iubemus, felicem illi fortunam optamus. Salus igitur Iobi, id eſt, quæ ſecunda videbatur fortuna, pertranſiit ea facilitate, qua nubes a ſole liquefacta diſſoluitur: Cuius breui, cum ampla videatur & grauidata pluuiis, aut nullum relinquitur, aut certe pertenue, obſcurumque veſtiguum. Quare a *nubibus* ad ſignificandam momentaneam gloriam ſimilitudo trahitur. Exempla ſunt varia: vnum accipe ex *Oſea c. XIII, 3. Erunt quaſi nubes matutina, & quaſi ros matutinus præteriens.* Quod idem repetit *cap. VI, 4. Iſai. XLIV, 22. Deleui, vt nubem iniquitates tuas, & quaſi nebulam peccata tua.* Nubes matutina pulcra videtur, cum ſolis illuminatur & quaſi inardeſcit radiis; at poſtquam in illam ſolares radii propius incurrerunt, ſtatim euaneſcit. 45. Salus *pro felici fortuna.*

Verſ. 16. *Nunc autem in memetipſo marceſcit anima mea, & poſſident me dies afflictionis.*] Hactenus explicuit Iobus, quid paſſus fuerit ab hominibus, id eſt, ab externis cauſis; nunc oſtendit, quid a ſeipſo, id eſt, a morbo, & his, quibus afficitur, corpus patiatur. Dicit primum, animam marceſcere, quod idem eſt, atque vitam eo eſſe deductam, vt de illa iam actum eſſe exiſtimari potuerit. Vt enim quod marceſcit, non procul abeſt, vt areſcat 46.

& pereat, quia marcida & pallentia folia imminentis iam mortis argumenta sunt, sic tales dolores ac morbi, quales statim describuntur, debilitato iam & consumpto corpore, mortis sunt certum & naturale prognosticum. *Animam* porro pro vita sumi, in Scriptura sacra, satis est notum. *Possideri* Iobum *a diebus afflictionis*, nihil videtur aliud, quam instare mortem, cuius tempus dies vocatur afflictionis; quia tunc maxime laborat spiritus, & languet atque cruciatur corpus.

47. Septuaginta sic reddunt: *effunditur anima mea*, eodem sensu, sed translatione diuersa. Vt enim e rimoso ac perforato vasculo aqua, quæ in illo concludebatur, perfluit & effunditur: sic vita mortalis in terreno corporis vasculo conclusa, eo perforato vlceribus, & a vermibus, tanquam a tinea vndequaque corroso, expiratur & effluit.

48. Vers. 17. *Nocte os meum perforatur doloribus, & qui me comedunt, non dormiunt.*] Accommodata metaphora ad Septuaginta translationem. Vt enim ex rimoso atque pertuso vase liquor effunditur, sic animæ vas, quod corpus esse diximus, perforatum esse dicitur, atque ideo non posse diu conceptum liquorem continere. Et sicut vehementem ictum esse oportet illum, qui vas confringit æreum, marmoreum, aut eburneum, id est, ex elephantino confectum osse: sic ictus ille non potest non esse vehemens, qui non solum carnem, quæ mollis est, sed etiam ossa contundit & perforat. *Ossa* igitur sua Iobus
pag. 372.b *doloribus perforari* dicit, non quia ita contigerit, licet ossa interdum tabescere ac fluere videamus: sed quia ita putabat Iobus, qui nullam corporis partem vacuam esse credebat a dolore. Sane cum dolor grauissimus est, ad ossa vsque penetrare dicitur, quasi in sola cute non hæreat: quia ossa interiora sunt, & vsque adeo dura, vt nulli morbo cessura videantur. Et nos, cum vehementi dolore iactamur, dolere nobis ossa dicimus, cum tamen, vt est medicorum sententia communis, ossa non doleant. Sic in Scriptura ossa dicuntur *marcescere*, infra *cap. XXXIII, 19. arescere* statim *v. 30.* & *Psalm. CI, 4. putrescere Habac. III, 16.* cum dolor significatur maximus: Sic sane Ezechias apud Isaiam *cap. XXXIIX, 13.* a dolore & morbo ossa sua dixit esse contrita: *Quasi leo sic contriuit ossa mea.* Nihilominus perforari ossa potuere, quia ea est interdum humoris noxii atque acris malignitas, vt adurat ossa, illaque corrodat & excauet, & quodammodo perforet. Sicut in dentibus experimur quotidie, qui putrescunt, cum sint maxime solidi, & eas sui partes amittant, vt pertundi dici ac perforari possint.

Et qui me comedunt, non dormiunt.] In nocte, quæ hominibus ad quietem data est, cum suo dolore ac morbo conflictabatur Iobus, quo tempore dicit ossa sua terebrari solita, sicut etiam in die. Nam qui illum lacerant, eius naturæ sunt, vt illis nunquam obrepat somnus; atque ideo cum a lacerando non desistant, tantisper Iobi dolores intermitti aut laxari non sinunt. Hos porro, qui noctu etiam comedunt & lacerant Iobum, quidam illos esse putant, qui Iobum conuitiis onerant, maledictis incessunt, qui comedere dici possunt, aut rodere Theonino dente & serpentina lingua, quæ gladio acuto dissimilis non est, assidue lacerare. Sed non videntur isti tam esse laboris insomniique patientes, vt etiam nocte adesse voluerint vigilanti Iobo. Quocirca verius puto, quod probant frequentes alii, hos esse vermes, quibus scatebat vlcerosum corpus, qui non diurnas solum, sed etiam nocturnas agebant excubias. Quos esse dæmones non nemo putabat, (quod si verum esset, non mirum, si ossa perforarentur doloribus) certe vrgeri illos a dæmone, non est improbabile. Et tenet Hieronymus ad illud *cap. VI, 4. Sagittæ Domini in me sunt.* Vbi has sagittas vermes esse putabat, instigatos a diabolo. Clarius Beda, qui cum ibidem dixisset sagittas esse vermes, addit, quos *diabolus instigabat ad comedendum eum, omnemque corporis sanguinem, humoremque sugendum, vt solito essent molestiores.* Potuit autem, vt medici tradunt, sanies, qua stillabat putridum corpus, sic esse acris & maligna, vt ossa adureret, vt supra dicebamus, & illa quodammodo perforaret. Quod autem vermes hi fuerint, non homines, docet, qui proxime sequitur, versus, qui illa tradit a comedentibus comparata, quæ in homines nullo modo conueniunt. Hebræi, & Hebraizan-

49. *Vermes, quam duri & molesti Iobo.*

braizantes ita conuertunt: *Pulsus mei non quieuerunt*, quæ verba laborasse Iobum indicant febri. Vide quæ nos infra *v.30.* ad illud: *Ossa mea aruerunt præ caumate.*

50. Verſ. 18. *In multitudine eorum consumitur vestimentum meum.*] Hic loquendi modus
pag. 373. a plane indicat, de vermibus esse superiorem sermonem, eosque cum tinea comparari, a quibus ossa, quemadmodum vestimentum a tinea, perforantur. De vestimento Interpretes varie iudicant. Quidam reuera putant a vermibus vestimenta consumi, vt non solum corpus ad doloris acerbitatem, sed etiam tegumentum ad ignominiosam nuditatem corroderent. Aut certe, quia sic scatebant vestimenta vermiculis, vt illa Iobus sustinere non posset, & a se procul reiicienda curaret. ex quo etiam fiebat, vt consumerentur vestimenta omnia: & quia iam non haberet, quo se vel ad fouendum corpus vlcerosum & debile, vel ad pudicam honestatem indueret, iaceret nudus temporum iniuriis, & maledicorum atque irrisorum ludibriis expositus. Quæ explicatio contemnenda non est. Cui suffragatur textus Hebraicus, quem sic reddunt recentiores, vt assidue indicent propter morbi naturam vestimentum mutari: siue quia iam delibutum sanie, siue quia a vermibus corrosum, aut illis scatens, vsum vllum præstare non posset. ita cum Hieronymo, Beda, Sanct. Thoma, sentiunt communiter alii etiam recentiores.

51. *Corpus vestimentum animæ.* Dicam ego hic aliquid non improbabile, neque tamen ita constanter, vt aliis persuadeam. Sed non puto alienum a textu tam Hebraico & Græco, quam Vulgato. Hebraicus sic habet: *Præ multitudine roboris mutatum est vestimentum meum.* LXX. *in multa virtute apprehendit stolam meam.* Suspicabar ego vestimentum Iobi esse corpus; quia reuera sic a multis appellatur, quia animæ, quæ intus videtur esse conclusa, integumentum quoddam & inuolucrum est. Nazianzenus *oratione 19. integumentum* appellat *animæ.* Chrysostomus *tom.2. homil.33. in c.10. Matth. velamen circumpositum animæ.* Basilius item *hom. 3* in illud: *attende tibi ipsi.* Tertullianus *de cultu fœminarum c.2.* corpus pulcrum *vrbanam vestem animæ* vocat. Cyrillus Hierosolymitanus *catech. 4. §. de corpore, instrumentum animæ*, & illius quasi *stolam* & *vestem.* Quod etiam senserunt Philosophorum aliqui, qui corpus inuolucrum aut thylacum, seu follem animæ esse dicebant. Vnum accipe Anaxarchum, qui, vt refert in eius vita Laërtius, cum a tyranno quodam ictibus quateretur ingentibus, hanc emisit vocem, quam plurimum celebrauit antiquitas. Tunde, tunde Anaxarchi thylacum, seu saccum aut follem, Anaxarchum non teris. Hoc fortasse vulgare fuit apud Idumæos, vt ipse videtur docuisse Iobus *c. X, 11.* vbi pelle & carnibus dicit se fuisse vestitum, quod nihil est aliud, quam pellem & carnem vestimentum vocari.

Dum ergo Iobus vestimentum suum dicit a vermibus fuisse consumptum, hoc videtur significare, corpus suum defluentibus carnibus extabuisse, & nihil iam esse reliquum præter ossa. Quod iam ante dixerat *c. XIX, 20. Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum.* vbi nos plura in hanc sententiam, quæ tu vide, neque enim illa hic rursus accersere necesse est. Quod vero textus Hebraicus indicat, sæpe mutatum esse vestimentum, quod ad corpus minus accommodate videtur potuisse conferri, non valde nostræ cogitationi incommodat. Sunt enim pestilentes quidam morbi, quæ totum corpus squamis quibusdam purulentis obtegunt, & quasi crustis vndecunque circumdant, quæ aut sponte cadunt, aut artificio aliquo ita detrahuntur, quomodo detrahi tegumenta solent. Deinde aliæ renascuntur, aut florescunt crustæ, quemadmodum e subere detrahuntur cortices, & deinde renascuntur alii; quibus item detractis alii atque alii subinde succrescunt. Eodem modo arbitror decorticatum sæpe fuisse Iobi corpus, & mutatum esse non semel metaphoricum illud indumentum: & quod necesse est, defluentibus carnibus, & assiduo saniosi sanguinis profluuio, corpus, quod animi vestimentum fuisse diximus, esse consumptum. 52. *Horrendæ crustæ corporibus morbo affectis inductæ.* pag. 373. b

Memini, me sub annum abhinc trigesimum accepisse literas ab amico e Peruana Prouincia, vbi dicebat eo tempore morbum horribilem fuisse grassatum, quo sic afficiebantur tantum indigenæ (nam Hispanorum eo tempore 53.

pore neminem attigerat) vt crustis obtegerentur squamosis & grandibus, non aliter quam suis corticibus syluestres arbores & horridæ: & eo modo tegumento illo purulento & crasso corpora nudari, quo arbor e suo cortice nudatur, aut quo corpus e suis indumentis exuitur: nudarique faciem eo prorsus modo, quo larua deponitur, quæ totam velat faciem, & illum repræsentat. Sic videri possunt vestimenta mutata in Iobo, quia succrescentibus subinde corticibus iisdemque defluentibus, sæpe speciem nouam & deforme tectorium assumebat; e sanie & tabo, putridaque materia concretum. Hanc porro cogitationem satis meo iudicio confirmat textus Hebraicus, qui sic habet: *sicut capitium* יאזרני *ieazereni*, *cinxit me*, in singulari. Quod si proprie esset indumentum, satis esset impropria & otiosa locutio, perinde enim esset ac si diceret, vestimentum cinxit me sicut vestimentum, aut tunica. Hoc tenet tametsi obscurius Beda, Stunica aperte, & in manuscriptis Legionensis. Sed hoc constabit magis ex sequentibus.

54. *Et quasi capitio tunicæ succinxerunt me.*] Non dubium, quin hic sermo sit de vermibus, qui totum Iobi corpus obsederant, illudque a summo vertice ad imos vsque pedes pascebantur, qui squamosas illas crustas, & quasi cortices euocabant e tabida saniosaque materia, & sub illis aut latebant arrodentes carnes ad dolorem, aut in illis palam discurrebant ad horrorem & dedecus: aut certe de crustis, quæ tegunt corpus, quod vlcerosi corporis indumentum dici putabamus, & hoc potius. De capitio varii sunt sensus. Hebr. est כפי כתנתי *keph cutenti*, quod communiter recentiores vertunt: *quasi ora tunicæ meæ cinxit me.* Eodem modo LXX. qui quod alii *ora*, ipsi reddiderunt, περιστόμιον. & iuxta hanc lectionem varie versant hunc locum Interpretes. Quorum nonnulli putant, eam vermiculorum fuisse copiam, vt non solum vestimentum implerent, sed etiam per ora vestimenti, qua collum ambitur, ebullirent. ita S. Thomas. Lyra, Dionysius, Titelmanus, & Hugo. Alii suffocari putant Iobum a vestimento, sanie taboque corrugato ac stricto, sicut ab ora capitis, quæ iugulum astringit, præcluditur spiritus, & respiratione prohibita strangulatur homo. Sic ex Latinis Beda, & ex parte Caietanus. Ex Græcis autor Catenæ: *Quia*, inquit, *me arctius complexus est, perinde me comprimit, & strangulat, sicut cum angusta ora vestis iugulum astringit.* Ab vtraque sententia Pineda non abhorret.

Nulla pars Iobi a dolore & vulnere vacua.

Ego hic aliquid subodoror, nonnihil ab his 55.
cogitationibus diuersum; quod priusquam pag. 374. a
ostendo, nonnulla mihi præmittenda sunt. Primum, nihil in Iobo fuisse vacuum a sanioso vulnere, neque summum verticem, neque pedum infima vestigia, quod ex tota historia non difficile sumitur, & docet ad hunc locum Hieronymus, qui cum egisset de vermium multitudine, quæ Iobum lacerabat, ait: *Quæ totum, atque ex omni parte circumdatum, & quasi in vnum vulnus redactum, incessabili esu, haustu discruciat.* Idem Beda.

Deinde obseruo, illud כפי *kephi*, pro quo 56.
quidam e recentioribus, & Septuaginta reddidere *sicut ora*, apud Hebræos significare *iuxta mensuram.* Quod enim פי *pi*, mensuram, aut modum significet, exempla sunt obuia. Pauca hæc accipe *4. Reg. II, 9.* vbi Vulgatus, *fiat in me duplex spiritus tuus.* Hebr. est פי שנים *pi sinim*, id est, *mensura duorum.* Eodem modo ponitur *Deuter. XXI.* & *Zachar. XIII, 8.* cui sæpe adiunguntur ל, & כ, quæ similitudinem, proportionem, aut commensurationem significant. *Exod. XVI, 21.* pro eo, quod Vulgatus habet, *colligebant autem singuli quantum sufficere poterat ad vescendum.* Hebr. כפי עכלו *kephi oclo*, id est, *iuxta mensuram*, vel *ad mensuram cibi, quam quiuis comedere posset.* *Num. VI, 21.* vbi Vulgatus, *iuxta quod mente deuouerat.* Hebr. כפי נדרו *kephi nidri.* id est, *iuxta votum*, aut *ad mensuram voti sui.* & *c. VII, 5.* vbi Vulgatus *iuxta ordinem ministerii sui.* Hebr. est כפי *kephi.* Cum igitur hæc eadem sit forma verborum, non male interpretaretur, qui diceret indumentum illud metaphoricum, id est, crustam, aut corticem e saniosa ac tabida materia concretum, fuisse ad capitii, seu tunicæ cucullatæ mensuram & modum. Vt enim tunica seu capitium; sic etiam cortex ille totum obtegit corpus. Quod satis aperte Vulgatus expressit, dum reddidit: *quasi capitio tunicæ succinxe-*

cinxerunt me. in textu autem Hebraico in singulari numero est, *succinxit.* Neque alius est sensus, si dicas, *succinxerunt*: nam vermes efflorescere fecerunt crustam illam saniosam, atque ideo amictus ille vermibus ascribitur, aut certe, quia crusta illa vermibus erat constipata, vermes corpus totum existimari possent obsedisse.

57. Vbi Vulgatus *quasi capitio tunicæ* כפי כתנתי *kephi cutanti*, id est, *mensuram*, aut *modum tunicæ.* Est autem כתנת *katoneth*, vestimenti genus, quod communiter redditur *tunica*, qua sacerdotes vtebantur, quæ ad pedes vsque defluebat: atque ideo si illi capitium addas, id est, capitis tegumentum, totum corpus operiet. Quod vestimenti genus, & olim vsitatum, & nostro etiam æuo, vt ostendunt antiquæ imagines. Neque est incredibile, Idumæis vsui fuisse vulgari. Quare, qui corticem, quo incrustabatur Iobus, cucullatæ tunicæ similem appellatum diceret, aliquid diceret non improbabile, & his, quæ hactenus dicta, omnino consentaneum.

58. *Iobi horribilis species.* Vers. 19. *Comparatus sum luto, & assimilatus sum fauillæ & cineri.*] Erat Iobus sic attenuatus macie, & humore, ac succo defluente torridus, vt talis videri potuerit, quales illi, quibus a Deo dictum est, *Amos IV, 11. Facti estis velut torris raptus ab incendio.* & *Zach. III, 2.* de Iesu sacerdote: *Non iste torris est erutus ab igne.* Hic porro dicendi modus prouerbialis est, quo ærumnosa significatur extremaque conditio, quam habuerunt captiui Babylonii, de quibus Ierem. *Thren. V, 10. Pellis nostra quasi clibanus exusta est.* & *cap. IV, 8. Denigrata est super carbones facies eorum.* Plura hac de re habes supra *cap. XIX.* ad illud *v. 20. Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum.* Quare idem dixisse videtur Iobus, dum se fauillæ & cineri similem appellat; imo aliquid maius, cum enim alios atque alios cortices exueret, illique quod necesse est, in illo sterquilinio soluerentur, in puluerem, in cinerem & fauillam existimari potuit esse redactus.

pag. 374. b

59. Cadebant e Iobi corpore arentes pustulæ, quæ soluebantur in cineres, fluebat etiam saniosus humor, qui cœnosum reddebat & olidum volutabrum, ab illis Iobus comparatur cineri: quia pars quædam redigebatur in puluerem, ab illo comparatur cœno, quia lutum, in quo iacebat, ex illius vlceribus manabat. Hoc ipsum dixerat *cap. VII, 5. Induta est caro mea putredine, & sordibus pulueris cutis mea aruit.* Quem locum Septuaginta sic reddunt: *Maceratur autem nunc corpus in putredine vermium: liquefacio autem glebas terræ de sanie radens*, fiebatque de sanie Iobi, id est, de ipso Iobo, & terra & lutum, vt optime ibi Polychronius. Vide quæ nos ad illum locum *cap. VII.* quæ valde huc faciunt.

Vers. 20. *Clamo ad te, & non exaudis me: sto, & non respicis me.*] Superiori capite, vt vidimus, felicitatem suam & maiestatem luculenter expresserat: in hoc Iobus singula singulis opponit longe contraria. Dixerat *v. 4. & 5.* Deum sibi in tabernaculo suo fuisse familiarem, & de ipso quotidie impense mereri; nunc autem affirmat, Deum quoque a priori fauore & studio fuisse mutatum; sicut etiam omnes homines, apud quos magno olim in honore fuit, mutati sunt. Videtur autem hoc loco Iobus paulisper continuisse se, quia impietatis aliquid olere suspicabatur, si quod de hominibus proxime conquestus fuerat, id in Deum, quasi parum foret constans & fidelis, obiiceret. Quare cum aliquandiu secum cogitasset: neque ea in re videret aliquid esse periculi, conuertit se ad Deum, cum quo ita loquitur, vt tamen illum non nominet, ne sanctissimo illius nomini aliquid minus decorum & pium alliniisse videretur. Huc vero aduocemus oportet, relatiuum pronomen referre interdum, non quod diximus, scripsimusue, sed quod cogitatione versabamus: vt diximus nuper *v. 11.* ad illud: *Pharetram enim suam aperuit.* vbi, suppresso Dei nomine, Deum alloquitur: ait ergo, clamare se assidue ad Deum, neque preces suas & vota ad diuinas aures peruenisse. Stetisse animo videlicet intento & supplice: (nam corpore non poterat) neque diuinos in se attraxisse oculos, aut inclinasse animum. Quod postremo loco posuit, quasi vulnus omnium grauissimum foret, & formidandum maxime. Hoc obseruandum, quod a nobis sæpe traditum est, Deum dici non aspicere, non audire, non recordari alicuius, quando nullum 60.

lum exterius signum ostendit, quo se vidisse, aut recordatum esse demonstrat, vt quando non concedit postulata, aut facit hominum iudicio, contra quam hominum merita postu-
pag. 375. a lare videntur. De quo statim Iobus *v. 25.* Hebraicus habet textus in secundo hemistichio, *sto, & respicis me.* Noster Interpres negationem adhibuit ex usu Scripturæ, quæ negationem antecedentem repetit, vt pluribus ostendimus super Isaiam ad illud *cap. LIII, 2. Non erat aspectus, & desiderauimus eum.* Satis exemplorum adducit Pagninus *lib. 4. instit. 6. 14.*

61. Vers. 21. *Mutatus es mihi in crudelem.*] Sciebat Iobus, hæc omnia mala accidisse sibi permittente Deo, neque id significauit obscure, cum dixit: *Dominus dedit; Dominus abstulit.* & iterum: *Manus Domini tetigit me.* Et ideo dicit, illum exuisse benignum & liberalem animum, iuxta humanum sensum atque iudicium; & prorsus induisse crudelem.

62. *Durior casus a loco magis excelso & ex maiori fortuna grauior dolor.*

Vers. 22. *Eleuasti me, & quasi super ventum ponens allisisti me valide.*] Non solum Deum iuxta humanum sensum inclementem fuisse dicit, dum spoliatum bonis atque familia ad sterquilinii vsque sordes abiecit: sed etiam cum ad illustre nomen & rerum amplitudinem euexit: quemadmodum ille crudelis est, qui alterum in præaltam rupem, aut excelsæ turris fastigium attollit, vt securum inde in loca inferiora deiiciat. Quod etiam conquestus videtur esse Dauid *Psalm. CI, 10. Quia cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam. A facie indignationis tuæ, quia eleuans allisisti me.* Quam sit grauis, & magis ad doloris sensum casus e sublimi fortuna, explicuimus pluribus supra *c. VII.* ad illud *vers. 17. Quid est homo, quia magnificas eum?* Adde ad illa illud Iuuenal. *Satyr. 10.* de Seiano, qui cum diuitias ingentes & amplissimos honores obtinuisset, graui tandem ruina collisus est.

—Nam qui nimios optabat honores,
Et nimias poscebat opes, numerosa parabat
Excelsæ turris tabulata, vnde altior esset
Casus, & impulsæ præceps immane ruinæ.

Porro *super ventum ponere*, idem est, quod eleuare, ut ponere super nubes. Nisi malis, quod non omnino videtur abs re, significari terrenorum bonorum inconstantiam, quæ non maiorem habent firmitatem, quam si essent in vento, quo nihil est futilius.

Vers. 23. *Scio, quod morti trades me, vbi constituta est domus omni viuenti.*] Non ignorabat Iobus, sibi esse moriendum, neque ideo querebatur; sed quia quod naturæ deberet, neque vllo modo posset recusare, longius produceret, & pro vna morte multas subiret, easque molestissimas. Suspicabatur præterea, vt se quotidie magis ac magis aggrauabat infirmitas, vitam sibi non fore diuturnam. Dolebat tamen diuturnam esse mortem, quam iam pridem aut expectabat, aut patiebatur, cum plagas quotidie acciperet innumeras; quarum quælibet videbatur esse lethalis; quæ cum grauiter afficeret, non tamen conficiebat attenuatum corpus & exangue: & ideo addit. 63.

Vers. 24. *Verumtamen non ad consumtionem eorum emittis manum tuam: & si corruerint, ipse saluabis.*] Hic versus obscurus est, explicatuque difficilis: in quo varie varii laborant Interpretes. Tota difficultas est in explicando, quo sint referenda illa: *ad consumptionem illorum.* Quidam hæc ad com- pag. 375. b munem hominum conditionem referunt; sed non eodem omnes modo. S. Thomas hac ratione suum sibi dolorem consolari Iobum arbitratur, quod homines, etiam si duris exerceantur modis, ac tandem deducantur ad mortem, non tamen omnino consumuntur, quia si exanimati corruunt, statim tamen saluantur, & vbi ab his humanis incommodis liberati fuerint, melior affulget vita, & post iactationem & æstum secura tranquillitas. Alii dissimile consolationis genus hic agnoscunt; quia cognoscit Iobus, futuram aliquando per Christum peccatorum reconciliationem. ita Hieronymus, dum dicit: *Reconciliationem mundi prophetat in Christo futuram: dum dicit, homines non in perpetuam consumptionem redigendos, sed aliquando ab inferis reuocandos.* Alii comparationem factam esse dicunt a Iobo inter se & alios. Alios enim non ad consumptionem vsque, & non insectatur diu, & vrget pertinaciter, sed cum corruunt supplices & orant, audit illos Deus, & ab angore liberat: cum tamen ipse crucietur diu, neque tamen tantisper, licet oret & clamet, a dolore respiret. ita fere Lyra. 64.

Est qui *consumptionem eorum*, dolorum interpretetur consummationem & finem: quia dolorum paulo ante meminerat, quos pronomen *eorum* commode referret: neque aliud appareat, cum quo pronomen illud convenire possit. Tunc autem hic erit non ineptus aut incommodus sensus. Emittis, aut extendis manum tuam, vt me crucies, non vt dolores meos cruciando consumas. Cum enim dolores sic acuuntur, vt consumendi videantur, quia prope videtur & consumatur vita, tunc saluas me iam periturum, & dolores conservas, vt me afficiant dure, vexentque vehementer, neque tamen conficiant.

66. *Morte existimatur durius, non mori, cum dura est fortuna.* Alias ego expositiones non improbo, sed in posteriorem hanc magis propendeo, ita vt Iobus queratur & doleat, quod patiatur diu; neque tamen mors dolores finiat. id quod constaret, si antiquam retineremus lectionem, quæ pro *consummatione eorum*, *consummationem meam* legit, & habent Latini codices non pauci. Quod lectio LXX. confirmat, quæ aperte indicat Iobo in votis esse mortem. Sic autem LXX. *Vtinam possem mihi ipsi manus afferre: aut rogarem alium, vt faceret mihi hoc.* Neque fortasse aliud indicat Hebraicus textus, licet illud alii aliter reddant, & in alium sensum longe dissimilem accipiant. Pagninus sic reddit: *Verumtamen non in tumulum sepulcri Deus mittit manum: si in contritione eius quæ veniet eis, erit clamor.* Vbi Iobus non de se solo videtur esse locutus, sed de multis, qui, cum mortem desiderent velocem, lente tamen & dure consumuntur. Non immittit Dominus manum in tumulum, id est, in mortem hominum, sed in vulnera, quæ diu & graviter cruciant, neque tamen extinguunt, etiamsi in suo angore & contritione clament, & mortem desiderent, quæ finem afferat dolori.

67. Optare autem mortem, cum durus excruciat dolor, aut res vrgens angusta, nimis est frequens inter gentes: ex quibus non pauci, vt dolorem aut ignominiam euitarent, cum gladius pepercisset hostilis, in sua ipsi viscera ferrum adegerunt. Et qui cum talibus conflictantur incommodis, infelices se vocent, si in eo sint statu, in quo mori non liceat, cum mors eo articulo maximum existimetur beneficium, pag. 376. a

Qua de re nos multis ad *cap. III, 1. & 2.* Et multis illa proditur data vitæ conditio, pro diro magnorum scelerum supplicio, vt cum dura patiantur, non tamen vitam finiant odiosam & ægram, sed potius lentam mortem & tormentum immortale sustineant. Quod in suis fabulis expresserunt Poëtæ. Notum est, quid de Tytio delire antiquitas, cui id impositum dicitur supplicium, vt cum a vulture lacerata fuerint & comesa viscera; renascantur & integrentur iterum: ne desit vnquam dolendi sempiterna materia. Quod te Prometheo item fabulati sunt Poëtæ, cuius cum aquila carpserit præcordia, renascuntur iterum, ne vnquam desit aquilæ pabulum, & Prometheo dolor. Sic autem de Tytio *in lib. 6.* Maro:

—Rostroque immanis vultur adunco
Immortale iecur tundens, fœcundaque pœnis
Viscera, rimaturque epulis habitatq; sub alto
Pectore, nec fibris requies datur vlla renatis.

Cui se quidam, cui vita contigerat ægra & ærumnosa conditio, similem dicit, qui, cum mori cuperet, & graues essent moriendi causæ, vitam tamen retineret inuitus. Is est Ovidius *lib. 1. de Ponto eleg. 2.*

Viuimus, vt nunquam sensu careamus amaro,
Et grauior longa sit mea pœna mora.
Sic inconsumptum Tytii semperque renascens
Non perit, vt possit sæpe perire, iecur.

Hoc idem aut dixit, aut dixisse videtur Iobus illis verbis, de quibus proxime: *Et si corruerint, saluabis*, id est, si dolores, aut artus, qui extrema patiuntur, ita debilitati fuerint, vt non videantur amplius duraturi, tu saluabis, reddesque fortes atque fœcundos ad pœnas.

Porro sicut crudelis ille existimatur, qui aliquem sublimem extulit, vt deinde grauiori affligeret casu: sic ille, qui aliquem perimere non vult, vt mortem sustineat longam. Neque enim vita dicenda est illa, quæ nihil habet, quod animum oblectet, sed plurima quotidie, quæ excrucient & angant, quod putabat Seneca, cum dixit: 68. *Crudelis existimatur, qui occidere non vult aliquem, vt crucietur diu.*

—Mortis habet vices
Cum lentis trahitur vita doloribus.

Neque minus odiosus & crudelis censetur, qui alium occidit, quam qui perire cupientem, inui-

inuitum ab interitu defendit. Sic Horatius *in Arte*:

Inuitum qui seruat, idem facit occidenti.

Et clarius Seneca *in Thebaide act. 2.* Vterque ex communi hominum sensu:

— Qui cogit mori
Nolentem, in æquo est, quique properantem impedit.
Occidere est vetare cupientem mori.
Nec tamen in æquo est, alterum grauius reor.

Hoc probe norunt tyranni, aut qui hostilem rabiem inimicorum dolore exaturare cupiunt. Hi enim non maturant aliorum mortem, quam lentam protrahunt. Vnde quos igne torquere atque absumere cupiunt, non in luculentam coniiciunt pyram, sed lento igne comburunt, & membratim carpunt per singulos articulos partesque minutas: non violato iugulo caput abscindunt. Sic ex tyrannorum ingenio Seneca *in Agamemnone act. vltimo*:

Rudis est tyrannus, morte qui pœnam exigit:
Mortem aliquid vltra est? vita, si cupias mori.

pag. 376. b
69. Vers. 25. *Flebam quondam super eum, qui afflictus erat.*) Hæc eo spectant, vt probet Iobus id, quod proxime dixerat *vers. 20. Sto, & non respicis me.* Ac si dicat: si meam fidem aut opem imploraret afflictus, accurrebam illico, & illius dolebam vicem, & lacrymabar cum illo, & impensa stipe, aut alio subsidio, doloris aut inopiæ illius subleuabam necessitatem. Qua in re tuam, o Deus, videbar mihi gratiam promeritus, vt me iis oculis, animoque respiceres in dolore atque paupertate mea, quo ego aliorum intuebar leuabamque miserias. Sed contra accidisse video: *Clamo enim, & non audis: sto, & non respicis me.*

70. Vers. 26. *Expectabam bona, & venerunt mihi mala: lucem, & eruperunt tenebræ.*) Locus apertus est. *Lux* pro felici fortuna, & *tenebræ* pro vita ærumnosa & tristi; aut prouerbium est, aut vulgaris forma vicina prouerbio.

71. Vers. 27. *Interiora mea efferbuerunt absque vlla requie.*) Angorem animi & dolorum acerbitatem exprimere solet *ignis, ardor, flamma*, & similia, & quæ ab illis vsu& plerumque proueniunt; quale est *feruere, æstuare, flagrare, coqui, vri.* Vnde curarum æstus dicitur, & æstuare solicitudine & angore. *Coqui* dicitur aliquis, cum anxiis atque molestis contabescit curis. Quo verbo ex vetere Poëta in illum vsum vsurpauit Cicero *in Catone*:

Feruere, vri, coqui *pro magno dolore.*

O Tite, si quid ego adiuto, curamue leuasso,
Quæ nunc te coquit, & versat sub pectore fixa.

Vbi autem proprie coctio est, proprie etiam est feruor. Sic etiam, vbi metaphorice *coquo* dolorem & cruciatum indicat, quale est ab igne; necesse est, vt etiam *ferueo*, quod a coctione abesse non solet, dolorem cruciatumque significet. Efferbuerunt itaque interiora, id est, præcordia & viscera, quia aut cogitationibus tristibus, aut ingente dolore coquebantur: idque absque vlla requie, quia nullum erat tempus a dolore atque anxietate vacuum; quod idem dixerat Iobus *cap. VII, 12.* & alibi sæpe.

Præuenerunt me dies afflictionis.] Duos ego sensus hic inuenio: alterum malis perpetuo & continenter mala succedere, neque posse Iobum illis concurrere, quia prius ab illis occupatur & vritur, quam idoneum posset adhibere remedium. Quod verum fuit, cumprimum a Deo vexari atque exerceri cœpit. Cum enim audiisset, a Sabæis percussos esse seruos, & abacta ruris instrumenta, antequam se comparare posset ad secutura mala, oppressus est duro alio nuncio, a quo didicit magnos pecudum armentorumque greges igne de cœlo fuisse consumptos; & alio deinde atque alio infortunio præuentus est, antequam se ipsum ad illius impetum communire posset. Quod in toto sui certaminis tempore euenisse arbitror, varias & multiplices accepit plagas; quas ipse, quia neque expectabat, neque norat, præuidere non potuit, & idonea ad illas remedia comparare. 72.

Alter est S. Thomæ, qui *præuenisse* dicit *dies afflictionis*, quia cum illa mala, quibus vexatus est Iobus, aduenire soleant senectuti, quæ ætatem illam infirmam attenuant, & exhauriunt, ille tamen in iuuentute, aut saltem in ætate virili atque robusta, talia passus, qualia in ætate iam grandi ac frigida patiuntur senes. 73.
pag. 377. a

Sanctus

Sanctus Hieronymus; *Dies afflictionis* illos esse putat, in quibus iudicium extremum & vniuersale peragetur, quod pœnæ gehennales consequentur; quæ omnia præuenisse Iobus videri potest, quia iudicii extremi & pœnarum illarum effigiem in se contemplatur, & bonam illarum partem experitur. Eadem ferme Philippus & Beda.

74. Vers. 28. *Mœrens incedebam sine furore; consurgens in turba clamabam.*] Cum iam esset de cœlo tactus, orbatus filiis, &, vt opinor, diro percussus vulnere, demisso vultu & ægro animo incedebat, sine furore & fastu, clamabatque non minaci & superbe inflata, sed summissa & modeste ad commiserationem inflexa voce. Hebræus legit: *Alter ambulaui non ob solem.* Septuaginta: *gemens illi sine fræno: & fleti in cœtu clamans.* Hæc velle inter se componere longi esset laboris, a quo supersedeo, neque vtraque lectio expositione indiget.

75. Vers. 29. *Frater fui draconum, & socius struthionum.* Hic multa & varia Doctores & Interpretes. Quæ ego ad duas sententias, seu capita reducam. Prior dracones & struthiones eos esse iudicat, quibuscum agit Iobus, qui ingenium mutauerunt humanum in ferinum & barbarum. Fuerunt enim sicut dracones, qui morsu lacerant, terrent sibilo, veneno interimunt, & horribili aspectu turbant & exanimant, in quibus nihil vides, quod ames, nihil quod non execreris & horreas. Fuerunt quasi struthiones, qui adeo sunt stolidi, obliuiosi, ingrati, immisericordes, vt neque prolem suam curent, cum oua despiciant, neque illos pullorum suorum miserescat, quos quasi alienos despiciunt & abigunt, de quibus plura nobis necessario dicenda infra *cap. XXXIX, 13.* Ita S. Thom. Dionysius, Lyra, inclinat Beda, & Caietanus.

76. *Frater alicuius dicitur, qui illi similis est.* Aut se ipsum Iobus cum draconibus ac struthionibus comparat, quod etiam indicat modus ipse loquendi. *Frater* enim dicitur *alicuius*, qui ab illius ingenio & viuendi modo non recedit. Quomodo *Prou. XIIX, 9.* legimus: *Qui mollis & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis*, id est, quam simillimus. *Eccl. XXXIV, 27. Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt.* Nunc videndum, qua in re Iobus similis videri, aut frater debeat draconum, seu struthionum. Quidam in eo putant, quia sicut hi soli in syluis viuunt locisque desertis, sic etiam, ex quo ex florenti cecidit fortuna, Iobus ab hominum conuictu in solitudinem secessit. Habuit enim domum separatam ab aliis, quia aut ipse sponte discessit ab hominum consortio, ne illis esset molestus, aut noxius: aut certe ab aliis est egredi compulsus: quia fortasse ita erat a lege seu consuetudine cautum, ne leprosus cum aliis in ciuitate viueret, ne quid alii pestilens ex illius familiaritate contraherent. ita indicat autor Catenæ.

Alii in eo existimant Iobum struthionum aut draconum esse fratrem: quia vt illi miserabili sibilo & lugubri gemitu lamentantur & vlulant; sic etiam Iobus gemebat assidue: quia solicitudo & mœror ægrum animum, & doloris acerbitas stimulabat corpus vehementer. Plurima hic obscura & incerta: illud certum, struthionum & draconum cantum prouerbiali specie pro ingenti & admodum lugubri lamentatione sumi. Sic Michæas *cap. I, vers. 8.* fortasse cum allusione ad hunc locum: *Faciam planctum velut draconum, & luctum quasi struthionum*, ad quem locum *in nostris Commentariis super Michæam* multa diximus, quæ ad hunc locum transcribere non erit leue operæ pretium. Vterque locus obscurus est: quia similitudo dicitur a re vehementer obscura, & ab his, qui de animantium naturis scripserunt, vix aliquid certum desumi potest, quod planctum ostendat draconis aut struthionis, & aliquid lucis afferat huic loco, in cuius commentatione nobis laborandum est. 77. *Planctus draconis & struthionum pro miserabili & magno.* pag. 377. b

78. *Draconis vlulatus.* De luctu draconis id ferme habemus, quod docet hoc loco Hieronymus; draconem nempe, cum ab elephante superatur, horribili resonare sibilo, quod sumpsisse dicit ab illis, qui de re naturali historias prodiderunt. Ego apud autores de historia animalium luctam lego, & odium, inter elephantem & draconem; luctum vero non lego. Est tamen verisimile, horribiles illum ciere sonos, cum ab elephanti pondere opprimitur, quem ipse prius spiris implicuerat, & sanguinem exsuxerat. De qua lucta Plinius *lib. 8. cap. 11.* &

Draconis cum elephanto pugna. & Ælianus *lib. 6 cap. 20.* Cyrillus ex aliorum sententia refert, si percutiatur draco, tunc demum eiulare, doloremque suum cauda terram verberando declarare solitum, nec mediocrem clamorem emittere. Res est incerta. Fortasse de aliquo draconum genere hoc affirmant scriptores nobis ignoto. Nam cum innumeræ inueniantur draconum formæ, non est improbabile ab illarum aliqua eiusmodi eiulatus, vt in clamoris ingentis comparationem adhiberi possit, quique eius sit naturæ, vt non solum perterreat, sed etiam exanimet audientes, vt dicit Albertus *lib. 26. de animalibus.*

79. *Struthionum gemitus & in filios amor.* De struthionibus res est adhuc obscura magis, neque habeo aliquid certum, quod probem aliis, aut in quo mihi ipsi satisfaciam. Montanus tunc gemere struthiones putat vehementer, cum ab æstu & siti vehementer vrgentur. Si verum esset, quod de struthionibus prodit Ælianus *lib. 14. hist. cap. 6.* aliqua sese ostendet causa, cur struthio & dolere grauiter & vlulare debeat; *Nam venator, qui struthionibus insidiatur, vbi struthionis nidum deprehendit, peracutas ex ferro cuspides spiculorum more rectas circa nidum defigit: & alicubi prope in occulto latens ex insidiis rei euentum expectat. Struthio vero, quoniam amore, quem erga fœtus suos acerrimum habet, flagrans sitienter cum eis versari cupiat, ex inquisitione pastus reuertitur, ac nimirum, priusquam in nidum introeat, huic illuc versans, oculos circumspectat, quod metuat, nequis sese speculetur. Deinde ardentissimo pullorum studio victa, & si ferrum splendescit, ita tamen alis passis, tanquam velis contento fune explicatis, intra nidum miserabiliter ingreditur: nam cuspidato ferro transfixa acerba morte afficitur.* Hæc Ælianus. quæ sane si vera sunt, satis grauem vlulandi causam habet struthio, cum saucium se videat, intentumque venatorem filiorum prædæ, quibus nullo modo possit esse subsidio. Sicut etiam draco, cum victor in elephanti congressu insperato casu mortui pondere oppressus rumpitur.

80. Verum vt hæc ita sint, non tamen existimo in eo positam esse similitudinem, quod magnos longeque sonantes clamores edant struthiones ac dracones: sed quod tristes, quales
pag. 378. a
ciere solent moribundi, & quibus exanimatus est spiritus, & voces a deficiente halitu exanimatæ & obscuræ.

Vbi Vulgatus *Struthiones*, Septuaginta transtulere, *Syrenas*, de quibus varia atque incredibilia fabulantur Poëtæ. Plorare quidem miserabiliter, alioqui vocales docent, qui fabulosa scripsere. Sane Seneca *in Hercule Oethæo* planctus Syrenum inter mœstissimos numerat. 80.

—Digna sonent
Verbera planctu: me vel Sipyli,
Flebile saxum figite superi:
Vbi mœsta sonat Phaëtontiadum
Turba sororum: me vel Siculis
Addite saxis, vbi fata gemit
Thessala Syren.

Cyrillus aues esse putat vocales & canoras, quales sunt lusciniæ, quæ, vt suauissime cantillant, cum nihil illis accidit aduersum; sic triste aliquid & miserabile modulantur, si quid illis lamentabile contingat. Putat Cyrillus, luscinias nidos suos iuxta maris littora construere, & ibi incubare ouis, quod ita fortasse est; tametsi ego neque legerim apud probatum aliquem autorem, neque audiuerim; *Diuinus*, ait, *Cyrillus, inspirata scriptura Syrenas vocat passerculorum loquacissimos, & suauem sonum edere solitos: aut interdum ipsas luscinias, quæ in finibus marinis ouis incubant. Deinde nidu a fluctibus abrepto, lugubre melos fundunt, partus sui damna quodam modo lamentantes.* Hæc in Alciones aptius cadunt, quæ iuxta littora nidificant, & ablatos pullos miserabiliter lugent. Lugubrem esse lusciniæ, siue philomelæ cantum, cum pulli vel rapiuntur ab aucupe, vel deuorantur a colubro, cecinit Maro *libro. 4. Georg.* vbi sic de Orpheo Euridices exitium deplorante: 81.

Qualis populea mœrens philomela sub vmbra
Amissos queritur fœtus, quos durus arator
Obseruans nido implumes detraxit: at illa
Flet noctem, ramoque sedens miserabile carmen
Integrat, & mœstis late loca questibus implet.

Vers. 30. *Cutis mea denigrata est super me.*] pag. 378. b
Cutem ego illam squamosam crustam intelligo, qua veluti cortice quodam Iobus tegebatur. Quæ quia arida & mortua, necesse fuit, 82.

vt

vt atrorem contraheret. Idem cecinit de captiuo populo Ieremias *Thren. V, 10. Pellis nostra quasi clibanus exusta est.* & *cap. IV, 8.* de Nazareis: *Denigrata est super carbones facies eorum.* Idem pene dixerat Iobus supra *cap. VII, 5. Cutis mea aruit, & contracta est.*

83. *Iobus laborauit febri.* *Ossa mea aruerunt præ caumate.*] Cauma ardor est atque æstus. Vnde vero ardor iste prouenerit, qui arefecit ossa, a febri ne, an ab alia corporis affectione pestilenti & caustica, obscurum est. Laborasse febri Iobum, satis est ex vehementi totius corporis cruciatu verisimile: neque ipse siluit, cum hoc ipso *cap. V, 17.* iuxta Hebraicum textum nocte dieque asserat laborasse se febri, neque illius vim vel modice remitti. Vbi enim Vulgatus: *qui me comedunt, non dormiunt*: textus habet Hebræus, & vertit Pagninus: *pulsus mei non conquieuerunt.* Eodem modo Isidorus, Vatablus, & Hebræus apud Caietanum. Quod sic explicat Vatablus: *Arteriæ*, inquit, *meæ non conquieuerunt*, id est, *noctu sentio grauissimum dolorem: neque pulsus meus redditur minor tempore nocturno.*

Vers. 31. *Versa est in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium*] Prouerbialis est species, qua magna significatur rerum conuersio. An Iobus vsus fuerit cithara & organo, sicut Dauid, vel domi habuerit symphoniacos pueros, quorum numeroso cantico laxaret animum, & ad cœlestium rerum contemplationem excitaret spiritum, incertum est. Hoc tamen certum; in *cithara* & *organo* felicem significari fortunam, & hilarem animum; in *voce* autem *flentium* & *lugubri* infelicem & ærumnosam sortem, & anxium animum, & mœrore contractum. Quare captiui Babylonii, cum nihil sibi in alieno solo iucundum promitterent, sua ex salicibus organa suspendunt: *Psalm. CXXXVI, 2.* & Isaias *cap. XXIV, 8.* tum duram populo sortem denuntiat, organorum musicorum silentium indicit; *cessauit*, inquit, *gaudium tympanorum: quieuit sonitus lætantium: conticuit dulcedo citharæ.* 84.

ARGVMENTVM CAP. XXXI.

TOto hoc capite docet, idque iureiurando confirmat, quid in florente integraque fortuna religiose fecerit ac pie, & illa præsertim se fecisse negat, a quibus magis abhorret regum suprema dignitas; & quæ minus horrere plerumque solent, qui cum potestate sunt. Primum docet, vsque adeo se diligenter & caute castitatem coluisse, vt seuero supplicio sibi interdixerit fœminarum aspectum, ne vel tenui cogitatione macularet animam. Deinde se in legitimum iudicium venisse non grauate, si quando cum ancilla & seruo aliquid esset controuersum & dubium, quod aliorum iudicio oporteret expendi. Ostendit item, quam erga domesticos & peregrinos, turbamque nudam atque famelicam, liberalem se humanumque præbuerit. Quomodo neque in diuitiarum magnitudine, quasi suo studio atque labore comparata, sibi gauisus fuerit, aut in aliorum, quos infensos habuit, infortunio lætatus. Denique neque externa atque inani sanctitatis vmbra simulasse atque texisse scelera, quæ laterent intrinsecus. Quorum omnium Deum iudicem esse cupit, & ab illo iudiciali ritu, librum conscribi, quem circumferret & recitaret publice, vt innocentiæ suæ publicum & illustre testimonium.

CAPVT XXXI.

pag. 379. 1. PEpigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.

PARAPHRASIS.

1. 2. Statui apud me graui mihi indicto supplicio, si contra facerem, ne oculis meis liberam pag. 379.

 face-

2. Quam enim partem haberet in me Deus desuper & hæreditatem Omnipotens de excelsis?

facerem spectandæ virginis facultatem; quia verebar, ne ex illo conspectu aliquam animus scintillam conciperet, quæ mortiferum postea excitaret incendium; Quomodo enim Deo, qui in excelsis habitat, & cui casta placent & immaculata, cui totum me iam ante consecraui, gratum pararem hospitium, si illud vel exigua turpitudinis labes infecisset.

3. Nunquid non perditio est iniquo, & alienatio operantibus iniustitiam?

3. Et cur ego tam fœdum vitium, & tam immane monstrum non horrerem, cum innumerabilia gignat mala, & iniquum ad omne virtutis opus languidum reddat, & ebriosorum in modum a Deo, & a seipso prorsus alienum.

4. Nonne ipse considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat?

4. Quia de intimis animi mei sensibus, tacitisque consiliis, quæ hominum nemo cernere aut nosse potuit, dicturus sum, testem aduoco Deum, cuius intelligentiam latere nihil potest eorum, quæ apud se homines tacite meditantur: & si quid simulo, aut veritati infidelis affingo, talia mihi euenire precor, qualia homines execrantur & horrent; quæ statim subiiciam.

5. Si ambulaui in vanitate, & festinauit in dolo pes meus:

6. Appendat me in statera iusta, & sciat Deus simplicitatem meam.

5. 6. Si in operibus meis atque consiliis vnquam vanitati seruiui, si cum aliud spectarem, aliud dolosa simulatione præ me tuli, exquirat hoc Deus, & ad seueram trutinam, quam fieri possit diligenter, expendat. Neque recuso, si parum in illius examine simplex appaream, subire pœnam, quam meæ simulationi seueram imposuerit.

7. Si declinauit gressus meos de via, & si secutum est oculos meos cor meum, & si manibus meis adhæsit macula:

8. Seram, & alius comedat: & progenies mea eradicetur.

7. 8. Si pedes mei a definito a Deo, seu a recta ratione tramite declinarunt, si ad illa, quæ vidit oculus, animum adieci; si manibus meis auaris atque rapacibus ex alienis opibus quicquam adhæsit, idem precor ab hoste aut prædatore contingat mihi, metat alienus, quæ ego seminaui, & his fruatur bonis, quæ ego mihi liberisque meis prouidus parauero; & quas plantaui arbores, & germina, stirpitus euellat.

9. Si deceptum est cor meum super muliere, & si ad ostium amici mei insidiatus sum:

10. Scortum alterius sit vxor mea, & super illam incuruentur alii.

9. 10. Si cæco atque vesano amore alienæ vxoris coniugali fidei, aut virginali pudori insidiatus sum, idem mihi vxore violata ab adulteris contingat, quorum vxor mea libidini succumbat.

11. Hoc enim nefas est, & iniquitas maxima.

12. Ignis est vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina.

11. 12. Hoc autem nefarium est scelus, longeque grauissimum, quodque omnia subuertit, tam pacis vitæque subsidia, quam dignitatis ornamenta, non secus atque ignis, qui tam stirpes, quam ramos populatur & soluit.

13. 14. 15.

13. Si contempsi subire iudicium cum seruo meo, & ancilla mea, cum disceptarent aduersum me.
pag. 380. 14. Quid enim faciam, cum surrexerit ad iudicandum Deus? & cum quæsierit, quid respondebo illi?
15. Nunquid non in vtero fecit me, qui & illum operatus est: & formauit me in vulua vnus?

13. 14. 15. Neque seruum, aut ancillam, aut ignobilem hominum atque infirmam turbam, si quid contra habere se clamarent, reieci indignatione commotus, sed rem ad integrum legitimumque tribunal deduci volui, & ad seueram trutinam expendi. Quid enim auderem aliud, cum iudicem haberem Deum miserorum patronum & vindicem, cuius essem censorios oculos & integrum iudicium subiturus. Et quid præterea illorum fortunam petitionemque contemnerem, cum omnibus hominibus idem sit genus, eadem natura, idem formator Deus, qui tam reges, quam vulgus ignobile intra materna viscera compegit? pag. 380.

16. Si negaui, quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci:
17. Si comedi bucellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea:

16. 17. Neque quicquam negauit petenti aut indigenti pauperi: neque cum suam mihi necessitatem vidua proponeret, procrastinaui beneficium, neque diu imploratam opem & expectantem animum mora intercedente suspendi; Neque putabam, suauem mihi futuram bucellam panis, nisi ex illa quoque gustasset, & quasi prælibasset pupillus, & nisi prius a liberali manu misericordia benefica condiret.

18. (Quia ab infantia mea creuit mecum miseratio: & de vtero matris meæ egressa est mecum.)

18. Neque cuiquam mirum videri debet, si tam auide miserorum necessitati subuenerim, cum ex materno vtero hauserim illam ad bene de aliis merendum, leuandamque miserorum inopiam naturæ pronitatem.

19. Si despexi pereuntem, eo quod non habuerit indumentum, & absque operimento pauperem:
20. Si non benedixerunt mihi latera eius, & de velleribus ouium mearum calefactus est:

19. 20. Numquam nudum aut pannosum hominem fastidiui, aut pauperem & sordidum a meo conspectu conuictuque reieci. Quin potius illum complexus sum humaniter, & de vestimento, quam potui ocyssime, commodaui, & rigentibus membris ex mearum ouium vellere tegumenta dedi. Qui ideo humanitatem meam gratis commendarunt, mihique omnia secunda precati sunt.

21. Si leuaui super pupillum manum meam, etiam cum viderem me in porta superiorem.
22. Humerus meus a iunctura sua cadat, & brachium meum cum suis ossibus confringatur.

21. 22. Si, quod praua consuetudo in forense iudicium introduxit, super pupillum a iudice damnatum, aut sceleris conuictum infensam manum eleuaui, cum essem in ea concertatione superior. Manus obrigescat & torpeat, & comminutis ossibus debilitetur brachium, & humerus a sua sede & colligatione diuellatur & excidat.

23. Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui.

23. Cur ego contra pupillos durum aliquid & barbarum auderem, cum scirem, Deum illorum in se causam & defensionem suscepisse. Quem non aliter timebam, quam si imminentes

in

in me fluctus viderem, & in illis ineluctabilem moriendi necessitatem.

24. Si putaui aurum robur meum, & obrizo dixi: Fiducia mea.

25. Si lætatus sum super multis diuitiis meis, & quia plurima reperit manus mea.

24. 25. In auro atque opibus, quæ indicia corrumpunt, efficiuntque, ne aliquis, licet magnorum scelerum reus, indicetur nocens, spem libertatis atque victoriæ numquam collocaui; neque elatus superbia, aut gaudio immoderatius exultaui, quod contra omnes fortunæ aut hominum assultus satis essem ab opibus instructus.

pag. 381. 26. Si vidi solem, cum fulgeret, & lunam incedentem clare:

27. Et lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo.

28. Quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum.

26. 27. 28. Cum viderem domum meam illustrari die a solaribus radiis, & a lunæ splendore collucere nocte, id est, domum meam omnibus abundare commodis, & ornamentis maximis esse conspicuam, felicitatem illam Deo bonorum omnium largitori, non solertiæ meæ & manibus attribui. Neque illas ideo, impresso osculo, pro Deo veneratus sum, mihi ipsi tacite assentatus, & gaudens. Quæ sane intolerabilis impietas est, quæ veram religionem impudenter abiurat. pag. 381.

29. Si gauisus sum ad ruinam eius qui me oderat, & exultaui, quod inuenisset eum malum.

30. Non enim dedi ad peccandum guttur meum, vt expeterem maledicens animam eius.

29. 30. Nullam ex eorum ruina voluptatem cepi, quorum sum hostiles animos expertus, & odium immortale: neque cum illis aduersum aliquid accideret, mihi ipsi gratulatus sum. Neque guttur meum, & linguam contaminare volui aliquid illis durius imprecando.

31. Si non dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus eius vt saturemur?

32. Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.

31. 32. Domesticos præterea sic sum amplexus amanter & molliter, vt illi, dum suam in me beneuolentiam significare volunt, non obscure dicant, cupere se præ amoris magnitudine sic mihi adhærere, vt meis pasti carnibus in vnum atque idem corpus mecum coalescant. Sic ego domesticos amplectebar amanter, neque minus humaniter accipiebam extraneos, quos ab hospitio meo nunquam repuli, neque viatori domus fores occlusi.

33. Si abscondi quasi homo peccatum meum, & celaui in sinu meo iniquitatem meam.

33. Neque is ego vnquam fui, qui, quod alii multi faciunt, alius esse, & alius videri artificiose voluerim, quique, cum ingentia crimina in animo celauerim, illis fucatam sanctitatis speciem simulator obtenderim.

34. Si expaui ad multitudinem nimiam, & despectio propinquorum terruit me: & non magis tacui, nec egressus sum ostium.

34. Cum integra essem fortuna, & populo cum summa dignitate præessem, numquam popularis seditio mihi terrori fuit, aut impedimento, quo minus id præstarem strenue, quod ab optimo principe & parente patriæ curatum oportuit. Neque plus habuit virium cognatorum, amicorumque coniunctio, etiamsi a me officium fidemque requirerent, & eo nomine contemni

contemni viderentur, quominus quæ a me respublica & communis vtilitas exigebat, studiose præstarem. Quod si in populari tumultu silui aliquando, & me domi continui, non ideo feci, quia timerem concitatam multitudinem, sed quia rei componendæ non satis videbatur tempestiua maturitas.

35. Quis mihi tribuat auditorem, vt desiderium meum audiat omnipotens: & librum scribat ipse qui iudicat.

36. Vt in humero meo portem illum, & circumdem illum quasi coronam mihi?

37. Per singulos gradus meos pronunciabo illum, & quasi principi offeram eum.

35.36.37. O vtinam Deus, qui interna animi mei desideria atque consilia nouit, audiat me sicut iudex, & iudiciali ritu, re accurate examinata, librum scribat, in quo, quid ipse de me sentiat, diuina ac publica auctoritate constet. Illum ego librum, quasi innocentiæ meæ illustre testimonium, circumferrem in humero & capite, quasi coronam, & sceptrum familiaria regiæ dignitatis insignia, vt omni tempore, vbicumque vestigia ponere contingat, quod de me fuerit Domini iudicium, omnes intelligant. Et principes alii, ac iudices ex eo discant, quo modo opera mea, quæ alii tantopere reprehendunt, debeant aut ornari præmiis, aut puniri suppliciis.

pag. 382.

38. Si aduersum me terra mea clamat, & cum ipsa sulci eius deflent.

39. Si fructus eius comedi absque pecunia, & animam agricolarum eius afflixi:

40. Pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo spina.

38. 39. 40. Si terra, quam agricolis colendam tradidi, aut quam in regione mihi subiecta sui coluerunt domini, & ipsi etiam cultores contra me lacrymantur, & clamant: quia alienum laborem iniuste & violenter ablatum ad meos vsus tyrannice conuerti, si gratis, & non prius impenso pretio alienis fructibus meam instruxi mensam, cum interim agricolæ & fame laborarent, & inferri sibi iniuriam quererentur, si talia, inquam, vspiam admisi, oro, vt pro frumento atque hordeo spinas mihi subactus ager tribulosque parturiat.

pag. 382.

Finita sunt verba Iobi.

Expliciunt verba Iobi.

Vers. 1. *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.*]

pag. 382. a 1.

In lauta domo multæ ad libidinem illecebræ.

DOcuit *cap. XXIX.* Iobus, quid mali non fecisset, quamdiu integra florentique fortuna cum potestate fuit; Nunc docet, quid eo tempore clementer ac religiose fecerit, vt amici intelligant, quam illos longe sua fallat suspicio, qui Iobo obiiciunt crimina non solum modesto ac pio, sed etiam male sano prorsus indigna. Et primum docet, adeo sibi castitatem, munditiem, atque candorem placuisse, vt non solum oculos, qui in ipsius erant potestate, ab aspectu, sed etiam mentem a fœminarum cogitatione continuerit. Incipit autem ab hac virtute: quia natura humana & animalis in libidinem præcipiti pronitate rapitur: quare, qui ab illa prurientes animi motus constanter abstinuit, non leue aliarum virtutum studii & possessionis documentum præbet; Quod cum in omnibus laudandum sit, imo & admirandum, multo tamen magis in lautis atque potentibus, qui cum multa habeant naturæ blandimenta, & vitiorum ille-

lecebras, neque frænum habeant vllum a potestate maiore, neque supplicii metum, quibus ineffrænati retardentur impetus, a virtutis amore & existimatione haud dubie videtur nata illa tam pulcra, tam pura, & rara continentia.

2. *Castitatis amator seueram adhibet oculorum custodiam.* Hic nobis nonnulla obseruanda: Primum, quodnam illud pactum fuit, quod cum oculis suis pepigit Iobus; Dicebamus *cap. praecedenti v. 18.* quibusdam visum esse, hominem esse animam, corpus vero externum aliquid, & non aliud, quam animi naturale quoddam tegumentum; Est tamen inter corpus & animam assiduum & intestinum bellum, iuxta illud Pauli ad *Romanos VII, 22. Condelector legi Dei secundum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.* Quicunque horum imperatorum suos habet milites, & ad destinatum finem arma comparata. Carni fauent corporei sensus, qui pugnant acerrime, & ad animum per patentes ianuas occultosue cuniculos hostes inducunt, quorum potentissimus est & nocentissimus oculus, quem subiicere sibi voluit castus & religiosus animus, & ideo cum illo pepigit fœdus & inducias, eo modo, quo fœdera inter hostes sanciri solent, qui si qua est fides & pudor, accipiunt religiose, & seruant sarta tectaque. Pactum autem illud fuit, vt si oculi immoderate aliquid lasciueque conspicerent, aut abstinerent ab his etiam, quæ sine peccato, aut peccandi periculo videri possent, qualia sunt, quæ recreent & exhilarent animos, vt qui se libere explicuerunt ad illicita, a licitis etiam abstinerent: aut etiam vt lacrymando luerent, quod inmoderate videndo peccauerant. Quod fecit Dauid, qui oculorum licentiam, quæ adulterium & homicidium peperit, sic seuere mulctauit, vt lacrymis irrigauerit cubile suum, & ipsum pene oculorum lumen amiserit plorando. Hoc forte pepigit Iobus cum oculis suis, id est, hoc apud se serio constanterque constituit, vt oculorum licentia, & immoderatus fœminarum intuitus nunquam abiret impunitus.

pag. 382. b

3. *Oculi Veneris duces.* Secundo videndum, cur cum oculis percussum fœdus, cum cogitatio de virgine non ad oculos, sed ad aliam potentiam interiorem pertineat: vident etenim, non cogitant oculi, sicut neque alii sensus, aut facultates externæ; Huic dubitationi duplex potest adhiberi responsio. Altera est, si dicas, argumentum hic sumi a maiorum comparatione in hunc modum: Si apud me statui numquam cogitare de virgine, quod factu difficilius: multo magis continere oculos a virginis aspectu; quod quia in mea est potestate, multo a me potest præstari facilius. Quare facessere longe iussi oculos a libertate videndi, cum neque speciem vllam ad cogitationem admittam. Altera est, quia fieri non nisi difficile, & perquam raro potest, vt homo de virgine non cogitet, si in illam liberos, aut etiam incautos oculos coniecit. Atque ideo qui morbum euitare cupit, morbi causam quam potest studiosissime declinat; sic qui cogitationem ab amoris turpitudine puram conseruare voluerit, eo incumbit diligenter, ne per oculos ad cogitationem & animum fœminarum imagines admittat. Multa hac de re doctores & interpretes; multa profani, eaque grauissima. Seneca *lib. de remediis fortuitorum:* cæcitatem innocentiæ partem esse dicit, cum oculi ad adulterium & incestum inducant, & vitiorum irritamenta sint; & scelerum duces. Multa ad hunc locum Gregorius. ex omnibus hæc accipe: *Semel species formæ cordi per oculos alligata vix magni luctaminis manu soluitur. Præceps quippe anima, dum ante non prouidet, ne quid incauta videat, quod concupiscat; cæca post incipit desiderare quod vidit.* Quare *Ezech. VI, 9.* oculi dicuntur fornicantes, quia lasciuientes & vagi, vagas nuptias & amores nouos aut suadent, aut concitant: qui lænæ sunt, prurireque faciunt languentes animos, & venereæ voluptatis immemores. Sunt itaque oculi prima fax, quæ in pacatis & frigentibus animis incendium excitat Babylonico maius. Quod expertus fuit Dauid *2. Reg. XI, 2.* qui cum illustratus esset a Deo prophetiæ dono, & oculos suos fortasse e pomeridiano stratu extulisset madentes lacrymis ex oratione, cui longam dabat atque frequentem operam, inopinato tamen captus mulieris aspectu mentem abiecit non solum piam, sed etiam pudicam & humanam. Norat hoc optime,

pag. 383. a *In oculis prima libidinis fax.*

optime Iobus, cum fœdus iniit cum oculis suis, ne virginem aspiceret, quia verebatur, ne in animo scintillam aliquam conciperet, quæ triste postea induceret incendium. Vide quæ nos *in nostris Commentariis* ad loca citata ex Ezechiele, & *l. 2. Reg.* copiosius adduximus.

Vers. 2. *Quam enim partem haberet in me*
4. *Deus desuper, & hæreditatem omnipotens de*
Libido corpus contaminat, Deoque indignum habitaculum reddit. *excelsis?*] Docet Iobus, cur tantopere castitatem diligat, caueatque diligenter, ne cogitatio vlla turpis occupet ac maculet animum, quem Deo immaculatum & purum seruare voluit. Cur autem tantopere horreret vitium, quod castitati sordes allinit, aut illam exturbat, rationes adducit graues & Iobo dignas. Prima est, quia Dei esset studet pars, & hæreditas, & illius commoda & integra possessio. Deus autem in corpore subdito peccatis habitare non vult, *Sap. I, 4.* Cum autem omne peccatum Deum ex suo detrudat hospitio, omnium tamen maxime luxuria, quæ non solum animam, sed etiam corpus ignominiose conspurcat. Corpus autem castum templum esse Dei, docuit Paulus *1. Cor. VI, 18. Fugite fornicationem, omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus? suum peccat. An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti?* De hac re vide Chrysostomum *in hunc locum Pauli*, & Cassianum *l. 6. cap. 15.* Cyrillum *Catechef. 4.* §. *De corpore*, vbi corpus vas appelltur Dei. Multa hac de re Patres, quæ cuiuis erunt obvia digna plane scitu. Cum igitur Iobus Dei vellet esse integra possessio, & illi parare purum, & ideo non ingratum hospitium, neque minimum admittere voluit auræ incontinentis, & obscœnum aliquid aspirantis afflatum.

Pars idem quod hæreditas.

Partem pro hæreditate & possessione sumi, certum est; *Sap. II, 9. Hæc est pars nostra, & hæc est sors nostra.* Neque ex hoc loco obscure colligitur. nam quod prius *per autem*, deinde *per hæreditatem* explicatur. Est enim hæc iterata sententia, quod in rebus grauioribus per epexegesim frequenter fit. Est enim idem, *partem habere Deum desuper, & hæreditatem omnipotentem de excelsis.* Vide, quæ supra diximus *c. XX, 29.* ad illud: *Hæc est pars hominis impii a Deo, & hæreditas verborum eius a Domino.* pag. 383. b

Vers. 3. *Nunquid non perditio est iniquo, &* 5.
alienatio operantibus iniustitiam?] Altera ratio, cur vel minimum luxuriæ horreat appulsum, hæc est: quia vitium hoc innumerabilia gignit & inuehit mala; & quem semel occupauit, ad omne virtutis opus languidum reddit, & animi vires frangit & eneruat, & omnino, quem sibi subiicit, deuorat ac perdit. Qua de re plura statim ad illud *vers. 12. Ignis est vsque ad perditionem deuorans.* Luxuriosum hominem Chrysostomus ita describit *orat. 5. aduersus Iudæos*, vt in illa perditum hominem & stipitem agnoscas. Quemadmodum is, qui multum ebibit merum, seque ingurgitauit, illiberales voces effundit, aliudque pro alio videt; sic etiam luxuriosus veluti mero quopiam sua cupiditate repletus, nec sana profert verba, sed obscœna omnia, sed perniciosa, sed illiberalia, risusq; plena, aliaq; pro aliis videt cœcutiens ad ea, quæ cernuntur. Idem 6.
alio loco luxuriosum cum obsesso a dæmone componit, qui quodam modo abit a seipso, & alienos assumit motus, voces, personam; adeo vt periisse credas, quem ante hominem videras, & in illo viuere spiritum apostatam & impurum. Quis in Dauide adultero Dauidem agnosceret, quem ante norat prophetam, fortem, religiosum, misericordem & strenuum? Quis in Salomone libidinoso recognosceret pium, excelsum, potentem, spiritus plenum atque sapientiæ, quem totus admirabatur & timebat mundus? Et vt de profanis ac fabulosis aliquid misceamus, quis in Hercule sic libidini dedito, vt mulierculæ subiret imperium, & stamina ancillari more e colo suspensa digitis torqueret, cum timeret verbera, nisi pensum a domina impositum absolueret: quis, inquam, in Hercule non iam Hercule, sed imbellis fœminæ turpi simulacro, cognosceret hominem laborum patientissimum, ferarum domitorem, cui nullum periculum timorem incussit, quem ab adeundis laboribus nulla abduxit aut retardauit difficultas? Hæc videri potest sententia horum verborum: *Alienatio operantibus iniustitiam.* Quasi dicat luxuriam efficere, vt homo a se ipso in alienam speciem totus abeat, neque priorem seruet sapientiam in iudicando, aut in priori deliberatione constantiam. 7.

Libido multorum vitiorum fomes.

Luxuriosus, ebrio, aut energumeno similis.

Quod de Salomone legimus *3. Reg. XI, 4.* cuius cor auersum esse dicitur a mulieribus, quas iam senex intemperanter amauit: quæ ipsi non solum sapientiam & pudorem, sed etiam mentem abstulerunt. Eandem fornicationi & vino potentiam tribuit Oseas *cap. IV, 11. Fornicatio, vinum, & ebrietas auferunt cor.* Idem *Eccles. XIX, 2. Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes.* id est, a seipsis excedere, & fieri prorsus amentes & cœcos. Sed veri puto similius, alienationem esse a Deo, ita vt qui libidini se dedunt, seque ipsos fœde ac flagitiose contaminant, alienent a se Deum, & eiiciant, qui lubens in ipsorum animis habitaret, & tanquam suam sibi hæreditatem custodiret & coleret.

8. Vers. 4. *Nonne ipse considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat?*] Quia multa de suæ vitæ antiquo instituto dicturus est, & probat abesse longe a vero, quæ ipsi obiiciebantur ab amicis, Deum aduocat testem, qui

pag.384.a omnia nouit opera atque consilia: cuius intelligentiam latere nihil potest eorum, quæ homines apud se tacite meditantur. In *viis* autem & *gressibus* nonnihil videtur esse discriminis. *Via* institutam viuendi rationem indicat, in qua se aliquis ex instituto exercet. *gressus* aut *opera* sunt agendi modus. Quare notas esse dicit Deo occupationes, artes, & officia, in quibus suum tempus & operam ponit: & modum, integritatem, & animum, quibus illa exercet & obiit ministeria. Hæc autem satis explicat statim, dum ait.

9. Vers. 5. *Si ambulaui in vanitate, & festinauit in dolo pes meus.*] Hi sunt gressus Iobi, qui in dato sibi a Deo, aut suscepto munere, numerari dicuntur. Non probantur autem gressus, si claudicant, aut tortuosi sunt, id est, si vana sunt opera: quia id expectant, quod apud Deum nihil habet momenti. Si dolosa, quæ aliud simulant, & aliud appetunt, si cum aliorum commodis seruire videantur, propria captent commoda. Hæc Iobus ab integerrimo iudice & oculato teste examinari vult, & ad seueram trutinam, quam fieri possit, diligenter expendi; neque pœnam recusat, illamque duram & acerbam; si in aliquo peccato deprehensus fuerit, aut minus benigni parentis, aut vigilantis atque integri iudicis munus obiisse.

Vers. 6. *Appendat me in statera iusta: & sciat Deus simplicitatem meam.*] Cupit Iobus suam causam & vitam ad diuinam stateram adduci: quæ iusta est, & rerum momenta sine vllo errore explorat & inuenit. Nam steræ hominum incertæ sunt, inueniuntque sæpe sine pondere pondus, & vbi summa leuitas est, grauitatem summam; & vbi magna sunt momenta, summam leuitatem. Quod si Deus norit animi sui simplicitatem, vbi nihil simulatum, nihil veteratorium, nihil fallax artificioso tegitur fuco, id satis sibi habet, neque admodum curat, quod sit, fueritue hominum de sua siue sanctitate siue vitæ conformatione iudicium. Illud autem, *vt sciat Deus*, aut humano Iobus loquitur modo, quod Scriptura sacra frequenter: quia homines statera & trutina rationum explorant momenta: quia ad illorum verum integrumque iudicium non aspirat humani ingenii infirma facultas. Aut certe *illud scire*, duas significat actiones, nempe facere alios scire in hanc sententiam, vt alios doceat, scireue faciat simplicitatem meam. 10. *Dei statera iusta.*

Vers. 7. *Si declinauit gressus meus de via.*] Obseruantem se fuisse dicit legis, siue naturalis & diuinæ: siue illius, quam ad publicam commoditatem & pacem instituerunt maiores. Quod si obsecutus affectibus e recta hac via & instituto deflexit, illa sibi imprecatur mala, quæ statim subdit. Hæc porro vim obtinent iuramenti, quo communi hominum sensu ac consuetudine illa deteguntur & confirmantur, quorum veritas aliter, quia externi testes aduocari non possunt, explorari non solet. Quod hic *declinare a via*, eadem seruata metaphora, significat *exorbitare*, id est, ab orbita seu trita via aliorsum abire. 11.

Si secutum est oculos meos cor meum; & si manibus meis adhæsit macula.] Hic de auaritia sermo est, vt ostendit, quod sibi Iobus supplicium imprecatur, si tale quid admiserit, quod directo & accommodate respondet auaritiæ. Nempe, *seram, & alius comedat.* Quasi dicat, si oculos primum, deinde animum ad alienam segetem adieci, illamque deprædatus sum; ad meam alius oculos & animum adiiciat, illamque sibi demetat & voret. Quod item magis declarat, quod statim 12. *Auaritiæ debitum supplicium.* pag.384.b

tim

tim adiungitur: *si manibus meis adhæsit macula.* Adhæret autem manibus, quod manus rapiunt, contrectant, & tenent. *Auaritia* vero 1. *Ioh. II, 16. concupiscentia* dicitur *oculorum.* Quod ex eo fit perspicuum, quia seorsum tam apud Ioannem, qui ad hunc Iobi locum videtur respexisse; quam apud ipsum Iobum, *luxuria* describitur, quod esset omnino otiosum, si in concupiscentiæ aut coniectu oculorum esset aliquo modo descripta luxuries. Sic autem Ioannes: *Omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum*; & Iobus statim *v. 19. Si deceptum est cor meum super muliere. Rapina* porro macula vocatur manuum: & sicut *sordes* appellantur diuitiæ; sic etiam qui diuitias aucupatur alienas, manus dicitur habere maculatas & sordidas; & contra illæ puræ dicuntur esse manus, quæ abstinentes sunt, neque assuetæ prædis, aut infectæ muneribus.

13. *Durum est videre suos labores ab aliis possideri.*

Vers. 8. *Seram, & alius comedat: & progenies mea eradicetur.*] Hoc supplicium graue est, & tyrannico spiritu non indignum, vt talia ipse subeat, qualia aliis intulit damna. Est quidem durum, spoliari bonis; at illa in aliorum potestate esse, & alienas instruere & ornare mensas, longe durius. Simile aliquid lamentabatur Ieremias *Thren. V, 2. Hereditas nostra versa est ad alienos: domus nostræ ad extraneos.* Hoc etiam quasi ad dolorem & ignominiam graue luget Isaias *cap. I, 7. Regionem vestram coram vobis alieni deuorant.* Sane durum est, si quis plantet vineam, & alius ex ea decerpat fructus, & vinum bibat; expectante frustra atque dolente domino: si pascat oues, & alius mulgeat, & illarum lacte ad satietatem vtque fruatur. Durum id videbatur Paulo *1. Cor. IX, 7. Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Qui pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Quod item faciunt profani sæpe, cum ad commiserationem alios inflectere potenter student. Sic Penelope apud Ouidium ad Vlyssem de procis:

Inque tua regnant nullis prohibentibus aula,
Viscera nostra tuæ dilacerantur opes.
Atque alios referam, quos omnes turpiter absens
Ipse tuo partis sanguine rebus alis.

Et Maro in suo Melibæo ad finem:

Impius hæc tam culta noualia miles habebit
Barbarus has segetes? en quo discordia ciues
Perduxit miseros, en queis conseuimus agros.

Et progenies mea eradicetur.] Ego hic nihil videbam, quod ad Iobi sobolem posteritatemque admodum pertineat: quia neque hoc putabam debitum, aut attemperatum prædationi rapinæque supplicium: neque hic liberorum cædi opportunum locum inueniebam. 14.
In *satione* illa intelligebam, quæ seruntur quotannis, & colliguntur, aut falce, aut ligone; quales sunt fruges, legumina, quæque vltra annum vitam aut robur non producunt; in *progenie* arbores, quæ diu durant, neque fructum domino suo negant, quamdiu suis nituntur radicibus. Ita putat Caietanus, & autor Catenæ, qui rationem adducit non ineptam: quia hoc tempore non habebat Iobus e matre familias prolem aliquam ingenuam & nobilem, de cuius amplitudine sollicitus admodum esse debuerit. Deinde quia vocem Hebr צאצא *seesa* germina alii vertunt, quod in hoc loco facit Pagninus, & Hebræus apud Caietanum. Sed quia in aliam explicationem abeunt frequentes alii, in illam nos quoque cum aliis abeamus.

Vers. 9. *Si deceptum est cor meum super muliere, & si ad ostium amici mei insidiatus sum.*] pag. 385. a
15. *Adulterii supplicium.*
Remouet a se interposita iurisiurandi religione omnem adulterii suspicionem: & negat se vnquam cordis sui habenas laxasse, vt tam indignum atque execrabile flagitium ad animum admitteret. Illud deceptum ostendit in illis, quorum mentes mulierum subuertit amor, nihil esse sani consilii, sed agi cæcos in voluntarium exitium. Dum autem negat, se insidiatum esse alieno videlicet toro, excubasse ad amici, seu proximi ianuam, ostendit amantium consuetudinem, qui vt libidinem suam expleant, omnem captant opportunitatem, & totam interdum, aut bonam partem noctis ducunt insomnem. Quare optime quidam ex profanis amatorem cum milite, qui excubat sub dio, & nocturnas molestias sustinet, comparauit.

Luxuriosi, et suo voto potiantur, multa dura quis subeunt.

Militat omnis amans, & habet sua castra Cupido,
Attice, crede mihi, militat omnis amans.

Quis nisi vel miles, vel amans, & frigora noctis,
Et denso mixtas perferat imbre niues.

16. *Multa adhibent amoris lenocinia.* Qui dum ad alienas excubant fores, vt ad sua pelliciant vota, & e suo extrahant recessu quam amant, variis vtuntur illecebris. Ornant enim fores coronis, irrorant vnguentis, & nihil non adhibent, quo sibi aut emant, aut capiant leuicularum mulierum irretitos animos. Sic Persius *Satyr. 5.* insidiantem amatorem describit:

—An rem patriam rumore sinistro
Limen ad obscœnum frangam dum Chrysidis vdas (nempe vnguentis)
Ebrius ante fores extincta cum face canto.

Clarius Lucretius *lib. 4.*

At lacrymans exclusus amator limina sæpe
Floribus ac sertis operit, postesque superbos
Vngit amaracino, & foribus miser oscula fingit.

Talia fortasse faciebant Idumæi, dum alieno toro insidiarentur, a quorum se moribus alienum fuisse dicit Iobus.

17. *Mola extremam conditionem indicat.* Vers. 10. *Scortum alterius sit vxor mea: & super illam incuruentur alii.*] Talia sibi precatur Iobus, qualia aliis molitus est, siue damna, siue iniurias. Quid proprie significent hæc verba, nemo dubitat. Alii aliter Hebraica verba reddunt & exponunt: vbi Vulgatus *scortum alterius sit*, Hebr. est תטחן *titchan*, quod proprie significat *molat*, טחן enim *molere* significat, a quo vox Hispanica *tahona* deducitur. Quare nonnulli nihil hic esse putant obscœnum. Sed tantum seruilem hic operam agnoscunt, & ancillare ministerium. Quod esse omnium vilissimum probat illud *Exodi XI, 5.* vbi cum supremæ dignitati infimæ conditionis opponitur nota, ancilla alligata molæ ad opus pistorium nominatur. *Morietur*, inquit, *omne primogenitum in terra Ægyptiorum a primogenito Pharaonis, qui sedet in solio eius vsque ad primogenitum ancillæ, quæ est ad molam.* Quare sensum esse putant, precari Iobum, si aliorum ipse thalamo insidiatus est, & vxori alterius adulterio illusit, tvt vxori suæ illud accidat dedecus, vt & ad molam sedeat, quod extremam indicat fortunam, & aliorum libidini ignominiose succumbat, quo nihil ingenuis accidere potest infelicius.

18. Sed licet hoc proprie significet verbum טחן, tamen translatitio sensu illud etiam opus significat, quod fœmina patitur a viro petulanti. Vt enim mola superior inferiori incumbit, & duæ coniunctæ molæ rem peragunt; sic viri fœminæque congressu res peragitur improbior. Quæ dicendi forma Latinis etiam & Græcis vsitata fuit; ex Latinis Horatius *lib. 1. Satyr. 1.* *Molo aliquid interdum obscænum.* pag. 385. b

Huc iuuenes æquum est descendere non alienas
Permolere vxores.

Apud Græcos μύλλω vtrumque valet, tam molere, quam adulterare, vt liquet ex Theocrito *Idyl. δ.* vbi μύλλας, id est, molens, meretrix vocatur. Neque id in sacris literis inusitatum. In hunc sensum accipit Hier. illud *Isai. XLVII, 2.* de Babyl. *Tolle molam, & mole farinam*, & *Thren. V, 13.* idem verbum ponitur eo loco, vbi nos legimus: *Adolescentibus impudice abusi sunt.* Quare optime vertit Vulgatus: *Scortum alterius sit vxor mea.* Neque apta foret iniuriæ retaliatio, si pro aliena vxore adulterio compressa redderetur vxoris vilis, sed non turpis molendi conditio, & non in eodem genere iniuriæ compensatio, ita vt sicut est in Latino prouerbio, ex eodem biberet poculo, quod aliis propinauit. Quid de Samsone, qui iussus est molere *Iudic. XVI, 21.* dicant Hebræi, quorum sententiam non videtur improbasse Hier. diximus *in nostris Commentariis super Isaiam ad c. XLVII.* vbi illorum cogitationem improbauimus.

19. *Adulterium grande peccatum.* Vers. 11. *Hoc enim nefas est, & iniquitas maxima.*] Nefarium dicitur scelus adulterium, & iniquitas maxima, quæq; maxima rebus humanis inducit detrimenta: quare a profanis etiam, adulteris grauissima sunt instituta iudicia. Vide Andream Tiraquel. *de legibus connub. l. 13.* & de adulterii grauitate *ibidem n. 9.* vbi ex sententia Sancti Petri Clemens Papa *in epist ad Iacobum, fratrem Domini*, docet, in omnibus peccatis adulterio nihil esse grauius. Rationem reddidit Clemens idem *lib. 6. Constit. Apost. cap. 27.* *Quia adulteri iniuriam aliis faciunt, cum aliena matrimonia violant: & quod a Deo factum est vnum, in duo diuidunt, ac liberos faciunt suspectos, & legitimum matrimonium insidiis exponunt.* Idem pene hic S. Thomas. Cum autem in omni, vt reor, æta-

20.

te,

Pœna adulterii qualis ætate Iobi. te, quæ ſæcula Iobi conſecuta eſt, grauiſſima adulteriis impoſita fuerint ſupplicia: non tamen leuia fuiſſe exiſtimo ante Iobum: qui ex eorum ſeueritate nefas eſſe grande & iniquitatem maximam adulterium collegit. Palæſtini tempore Iſaac grande peccatum dicunt eſſe adulterium: & illud non ſolum ad mœchum & adulterum, ſed etiam ad totum populum pertinere. vnde *Geneſ. XXVI, 10.* dixit Abimelech ad Iſaac, a quo vxorem abſtulerat: *Quare impoſuiſti nobis? potuit coire quiſpiam de populo cum vxore tua, & induxeras ſupra nos grande peccatum.* Mulctari porro hoc ipſo Iobi tempore adulterium igne, non obſcure colligitur ex *Geneſ. XXXIIX, 24.* cum Thamar adulterii rea accuſaretur apud Iudam ſocerum ſuum, iuſſa eſt abſque dubio ſecundum legem, aut conſuetudinem illam igne cremari: *Producite*, inquit, *eam, vt comburatur.* Hæc ſuperioribus temporibus. Nam tempore Moyſis alia eſt decreta & indicta pœna, eaque capitalis tam viro, quam fœminæ, quæ nefas illud magnum admiſerunt. vide *Leuit. XX. Deuter. XXII.*

21. *Adulterium multorum malorum cauſa.* Verſ. 12. *Ignis eſt vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans germina.*] Hic locus ab Interpretibus in varias trahitur explicationes, neque illas leues, aut alienas, quæ rationes reddunt, cur tam graue ſit adulterii crimen. Hieronymus ab hoc ſcelere diſſipari dicit ac deteri virtutes omnes: *Nefanda*, inquit, *res eſt, & iniquitas maxima hæc funeſta ac deteſtabilia cogitare, vel facere: ignis eſt incentiua libidinis, omnia bona virtutum deuorans, atque vniuerſa in homine ſanctarum rerum incrementa conſumens.* Idem ex eo Philippus; pag. 386. a idem pene Greg. *hic & in 1. Reg. XV.* Baſilius de vera virginitate, vbi hunc Iobi locum adducit, vbi omnes luculenter oſtendunt, quantum mali pariat ardens flamma luxuriæ. S. Thomas ad bona refert temporalia, quæ luxuria aut perdit, aut confundit, quia marito eripit vxorem, quod non vulgare bonum eſt, diſtrahit carnem a carne, membrum a membro: quia duo coniuges vna caro ſunt; bona ad alienos tranſeunt, quia ad adulteri filios forte deriuantur.

22. Alii *ignem* ideo appellari putant libidinem hanc, & ab illo omnia eradicari germina; quia filii ex adulteriis ſuſcepi breuem plerumque trahunt & miſeram vitam, & opes omnes atque fortunæ ad perditionem vsque ſubuertuntur. *Filii ex adulterio ſuſcepti miſeri.* De filiis ex adulterio, ſiue ex damnato concubitu ſuſceptis duo loca indicant non obſcure, *Sap. IV, 3. Spuria vitulamina non dabunt radices altas, neque ſtabile firmamentum collocabunt: Et ſi in ramis in tempore germinauerint, infirmiter poſita a vento commouebuntur, & a nimietate ventorum eradicabuntur.* & *Eccleſiaſtic. XXIII, 35.* de filiis adulteræ dicitur: *Non tradent filii eius radices, & rami eius non dabunt fructum.*

Ego hic de graui dolore zelotypi ſponſi hæc accipio: cum ex violata coniugali fide tam eſt dolor vehemens, & furor implacabilis, vt non aliter ſæuiat, & obuia quæque impedimenta ſternat, quam ignis, quem acer ventus acuit & ventilat, aridam materiam corripit, & momento temporis redigit in fauillas. 23. *Zelotypiæ grauis & implacabilis dolor.* Multa ſunt, quæ lenire dolorem poſſent zelotypi ſponſi, & furorem ex temerato thalamo conceptum retardare: Conſuetudo videlicet antiqua, communis familia, domus, & fortunæ, & boni nominis conſeruandi ratio: tum demum genimina, id eſt, communes liberi, qui parentum vincunt animos & amorem conciliant, & ſi quid inter illos interceſſerit diſſidii, componunt quaſi arbitri dirimendæ litis. Hæc tamen omnia proſternit & eradicat conceptus ex adulterio dolor, & inflammatus furor, quem nulla placant munera, nulla mulcent obſequia. Sic *Prou. VI, 34. Zelus, & furor viri non parcet in die vindictæ: neque acquieſcet cuiusquam precibus: nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima.* Multa hac de re Patres, multa Philoſophi: & nos aliquid ea de re ad illud *Cant. IIX, 6. Dura ſicut infernus æmulatio.* Eſt autem tantus ille dolor, vt hominem eo furore percitum redigat ad inſaniam, & quo illatam ſibi a thalami conſorte vlciſcatur iniuriam, non ſolum in adulterii ream, ſed etiam in communes fortunas, communes liberos bacchetur, ne quid ſuperſit ex eo, quod aliquo modo ad infidelem coniugem pertinere videbatur. Exempla plurima inuenies apud Tiraquellum *in legibus connubialibus lib. 13.* Cum igitur ſibi imprecatur Iobus, vt ſuper vxorem

ſuam

suam incuruentur alii, tales sibi dolores optat, quales zelotypus patitur, qui sunt instar ignis, atque adeo instar inferni.

24. *Princeps subire debet cum subditis legitimum iudicium.*

Vers. 13. *Si contempsi subire iudicium cum seruo meo, & ancilla mea, cum disceptarent adversum me.*] Non audet inferior & ignobilis turba a potentioribus ius suum, & res vi aut fraude sublatas, iudicio repetere legitimo, quia nihil se putant obtinere posse, cum contra maior stet potentia, quæ metum iudicibus incutiat, & iudices, qui sæpe iudicium exercent venale, a diuitibus facilius, quam a pauperibus profusa largitione corrumpantur. Quod eo sæculo, sicut & nostro, vt opinor, vulgare fuit. Sane in Hebræo fuisse vsitatum
pag.386.b valde, clamant sæpe Prophetæ. *Isai. I, 23. Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad illos.* Eadem pene Ieremias *cap. V, 28.* Iobus igitur docet, nunquam se adeo morosum atque difficilem præbuisse seruis atque ancillis, aut eam illis opposuisse maiestatem, aut metum; vt non ausi fuerint cum illo de rebus repetendis iudicio disceptare legitimo: neque vnquam male accepisse seruos, quod lege ipsum consertum ad tribunal egerint: neque recusasse, quominus suam causam & vitam inferiorum hominum censuræ subiecerit. Quod sane eximium est: & qui hoc in Idumæa regione faciat, rara auis est. Aliquid simile de Traiano refert Plinius *in Panegyrico:* qui vsque adeo iustus fuit, & in subditos non seuerus, vt quiuis auderet in causa fisci litem intendere, id est, contra Imperatorem ipsum. *Dicitur*, inquit, *procuratori tuo, in ius veni, sequere ad tribunal, quæ præcipua tua gloria est: sæpius vincitur fiscus, cuius mala causa nunquam est, nisi sub bono Principe. Ingens hoc meritum, maius illud, quod eos procuratores habes, ut plerumque ciues tui non alios iudices malint.*

Traianus a legitimo iudicio contemsse neminem repulit.

25. *Quia Principes a Deo iudicandi, iudicium ipsi hominum recusare non debent.*

Vers. 14. *Quid enim faciam, cum surrexerit ad iudicandum Deus.*] Sciebat Iobus, habere se superiorem & iudicem Deum, cuius esset censorios oculos & iudicium subiturus. A quo, vt gratiam iniret, sibique patronum potius pararet, quam irritaret, aut inflammaret iudicem: nihilo se in causa disceptanda seruis suis & ancillis superiorem iudicabat, cum dicisset Deum miserorum ac pauperum esse vindicem; qui sæpe ab inimicis iudicibus corrupto iudicio, & vi, aut metu a potentioribus dominis opprimuntur. Ne igitur Deus haberet postea, quod iudicaret & puniret, rem prius voluit esse iudicatam & punitam ab humano, & quantum ipse coniectare poterat, integro atque incorrupto iudice. Hanc sententiam millies audimus in scripturis, *Eccles. V, 7. Si videris calumnias egenorum, & violenta iudicia, & subuerti iustitiam in prouincia, non mireris super hoc negotio: quia excelso excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alii: & insuper vniuersæ terræ Rex imperat seruienti.* Vide *Sap. VI, 2. Ierem. V, 28.* Paulus *ad Ephesios VI, 9.* ad *Col. IV, 1.* Est optimus & huic loco valde affinis locus alius apud Isaiam *cap. X, 3.* qui cum lugeret illorum statum, qui causam euertunt miserorum & viduarum, pupillorumque fortunas diripuerunt, subdit: *quid facietis in die visitationis?*

Vers. 15. *Nunquid non in vtero fecit me; qui & illum operatus est: & formauit me in vulua vnus.*] Alia ratio, cur Iobus seruos & ancillas non contempserit, neque a familiari & priuato, aut a publico legitimoque iudicio repulerit, ea est, quia idem omnibus hominibus genus est, eadem natura, idem formator, & origo. Formauit in vtero, compegitque Deus tam reges & dominos, quam pauperes & seruos: neque plus operæ aut studii posuit in formando rege, quam humili & inope seruo: neque ex alio luto, aut in alia officina finxit vas in honorem, quam quod futurum esset in contumeliam. Qua de re multa tam sacri, quam profani scriptores, qui pro seruis contra dominos acriter, neque immerito pugnant. Augustinus *lib. 10. de Ciuitate cap. 25. Rationalem hominem* (Deus) *factum ad imaginem suam, noluit nisi irrationalibus dominari: non hominem homini, sed hominem pecori. &c. Conditio quippe seruitutis iure intelligitur imposita peccatori. Proinde nusquam* pag.387.a
Scripturarum legimus seruum, antequam hoc vocabulo Noe iustus peccatum filii vindicaret. Nomen itaque istud culpa meruit, non natura. Verba porro Noe, quæ respexit August. sunt *Genes. IX, 25. Maledictus Chanaam, seruus seruorum erit fratribus suis.* Hæc eadem luculen-

26. *Seruus Domino natura & origine non inferior.*

culenter, & late Gregorius *ad hunc locum*, quem omnino vide. Ex profanis vnum accipe Senecam *epist. 47.* in qua sic ad Lucillum: *Libenter ex his, qui ad te veniunt cognoui, familiariter te cum seruis tuis viuere. Hoc prudentiam tuam, hoc eruditionem decet. Serui sunt? Imo homines. Serui sunt? Imo contubernales. Serui sunt? Imo humiles amici? Serui sunt? Imo conserui: Si cogitaueris tantundem in vtrosque liceret, fortunæ.* Et infra: *Vis tu cogitare istum, quem seruum vocas, ex iisdem seminibus ortum, eodem frui cœlo, æque spirare, æque viuere, æque mori: tu tam illum ingenuum videre potes, quam ille te seruum.*

27. *Beneficii celeritas auget pretium, tarditas detrahit.*

Vers. 16. *Si negaui, quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci.*] Egerat primum de se ipso, quomodo conseruare studuerit vitam suam intaminatam & integram; atque ideo omne peccatum horruerit: illud præcipue, quod a venerea voluptate suam ducit originem. Deinde quam se moderate cum seruis suis ac domesticis gesserit: iam vero quam externos clementer, quam liberaliter amplexus fuerit, exponere aggreditur. Et suam primum clementiam universim docet a duabus rebus, quæ valde pietatis officium commendant, cum dicit, nihil se negasse pauperibus, quod eorum leuare posset inopiam: & quod beneficium maxime auget & cumulat, quod non procrastinauit officium, & diu miserorum vota, mora intercedente, suspendit. Id enim valet, *& oculos viduæ expectare feci.* Quantum porro beneficio celeritas adiiciat pretii, quantum detrahat mora, docuit Seneca *lib. 2. de beneficiis cap. 5. & 6. Verissimum*, inquit, *existimo, quod ille Comicus dixit. Quid? Tu non intelligis tantum de gratia demere, quantum moræ adiicis? Inde illæ voces, fac, si quid facis?* Et paulo post: *Omnis benignitas properat, & proprium est libenter facientis, cito facere. Qui tarde dedit, & diem extrahens profuit, non ex animo fecit. Tarde velle nolentis est. Multum celeritas fecit, multum abstulit mora.* Quod faciebat Iobus, id, vt a nobis fiat, Spiritus sanctus admonet *Prou. III, 28. Ne dicas amico tuo, vade, & reuertere, cras dabo tibi, cum statim possis dare: & Ecclesiastic. IV, 3. Ne protrahas datum angustianti.*

Vers. 17. *Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea.*] Liberalis est & clementis animi habere sua non ita propria, vt solus ipse ex illis vsum capiat, sed communicare cum aliis, maxime si pauperes sint, neque rependere possint beneficium & gratiam. Non putabat Iobus, suauem sibi fore panis buccellam, nisi illam gustaret pupillus, in quo omnis miser & egenus intelligitur, & nisi prius illam liberalis misericordia condiret, quod faciebat Iobus, id vt faceret filius, hortabatur Tobias *cap. IV, 17. Panem tuum cum esurientibus & egenis comede: & de vestimentis tuis nudum tege.* 28.

Vers. 18. *Quia ab infantia creuit mecum miseratio, & de vtero matris meæ egressa est mecum.*] Hic locus neque vno modo redditur ab Interpretibus, neque in vnam exponitur sententiam. In Hebraico Codice nullum est verbi *creuit* suppositum: varii varie subaudiunt; ex Hebraico textu sic reddit Pagninus: *Quia pupillus ab adolescentia mea creuit mecum, ac si fuisset cum patre, & viduam ab vtero matris meæ ducere feci.* Quam expositionem amplectitur Vatablus, qui sic accepit: *A pueritia foui pupillos, & ab vtero matris factus sum dux viduarum.* Tigurina: *Nam a primis annis educauit me* (benignitas) *velut parens, & quam primum editus sum in lucem, eam mihi vitæ magistram constitui.* Hebræus apud Caietanum: *Quia a pueritiis meis grandiuit me tanquam pater: & de vtero matris meæ ducam eam.* Qui eam putat esse sententiam: misericordiam Iobo fuisse pro parente, ab illa eum educatum, & ad ætatem vsque grandem prouectum, ab illa instructum ab vtero, neque vnquam deserendum. Septuaginta: *Quoniam a iuuentute mea enutriebam* (*nempe pupillum*) *vt pater, & de ventre matris meæ dux eius fui.* Chaldæus: *Quoniam ab infantia mea crescere me fecit, sicut pater, & de ventre matris duxit me in requiem.* Quasi dicat, imbuit me ab infantia miseratio, & ad sepulcrum vsque deducet. 29.

pag. 387. b

30. *Naturalis Iobo misericordia.*

Eodem spectant istæ omnes versiones, neque ab his valde dissentit vulgata, imo rem ipsam magis declarat, & significantius exponit. Ostendit enim, non mirum esse, si tam auide & studiose miserorum suscipiat causam, eorum-

eorumque necessitati tam promto animo atque alacri subueniat, cum ex materno vtero illam hauserit ad bene de aliis merendum naturæ pronitatem. Quare Iobo naturalis videtur fuisse misericordia, a qua sic ad leuandas miserorum ærumnas impellebatur intrinsecus, sicut ad venandum canis, ad currendum equus, ad volandum auis, ad cantandum aliquæ auicularum species. A quibus actionibus, si quis hæc animalia remoretur, interno ipsius naturæ pulsu eluctantur, & quæ ab aliis opponuntur impedimenta, toto corporis conatu submouent. Obseruauit hoc loco Greg. *Hanc a Deo, & quod idem est, a natura dici concessam Iobo, quasi hoc opus a præclara naturæ indole prouenerit, non ab ipsius acquisita virtute, ne videatur in suis sibi operibus valde placuisse. Miseratio etsi eius fuerit arbitrii, vt cum ipso proficeret, liquet tamen, quod eius arbitrii non fuit, vt cum ipso de vtero exiret. Constat ergo, quia suæ virtuti nihil tribuit, qui profecto testatur, quia hoc ex conditoris munere accipit.* Sed idem statim pensandum esse dicit, quod Iobus addit: *crevit mecum. Nonnulli*, inquit, *quoad ætatem crescunt, quoad innocentiam decrescunt. Electis vero cum foris ætas corporis, intus, si dici liceat, crescit ætas virtutis.*

31. *Pauperes & squalidi despecti.* Vers. 19. *Si despexi pereuntem, eo quod non habuerit indumentum, & absque operimento pauperem.*) Qui misericors est, & viuos hausit a natura ad bene merendum igniculos, ille non despicit pauperes, licet in veste videat despicabili ac sordida, imo omnino nudos, quia non alterius putat esse naturæ, quam diuites, neque illos minori esse Domino curæ, quam qui opibus abundant, & regio cultu ac maiestate fulgent. Fuerunt & superiori æuo, & nostro etiam sæculo quamplurimi, qui pauperes fastidiunt, & a suo congressu procul arcent, & si squalentes videant, neque intueri volunt, nisi dolentibus atque infensis oculis, & stomacho interea nauseante. Quibus tamen si indumentum dederis paulo nitidius, displicere desinunt, & ad congressum atque conuictum non difficile admittuntur: aut quia nihil habent, quod horreant molles & elegantes oculi, aut quia cum indigere non putentur nihil videntur petituri, quod homines immi-
pag. 388. a
sericordes & auari in amicitiis eligendis maxime expendunt. Contra faciunt misericordes, quos eo inclinat naturæ propensio, vt aliorum inuestigent necessitates, quas miserendo leuent, neque aliquid capiant ex illorum squalore ac nuditate fastidii.

32. *Male tam a sacris quam a profanis accepti, qui pauperes fastidiunt.* Hunc porro hominum sensum, quia lautas & splendidas admirantur vestes; squalidas fastidiunt & laceras, reprehendit Iacobus *cap. II, 2. Etenim si introierit in conuentum vestrum vir aureum anulum habens in veste candida, introierit autem & pauper in sordido habitu, Et intendatis in eum, qui indutus est veste præclara, & dixeritis ei: Tu sede hic bene, pauperi autem dicatis, tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum: nonne iudicatis apud vosmetipsos & facti estis iudices cogitationum iniquarum?* Quod etiam durius acceperunt, qui ex gentilibus aliquid habuerunt ingenii, cum viderent diuites, etiam si moribus essent corruptissimi, præferri pauperibus, tametsi illos prudentia, aut vitæ exploratæ probitas commendaret; inuehitur suo Satyrico spiritu Iuvenalis *Satyr. 3.* in legem Othonis, quæ in spectaculis ditioribus honestiorem locum designauit, a qua tenuiores exclusit, licet horum probata virtus, & illorum nota morum turpitudo, & vitæ genus prorsus ignobile. Sic autem ibi Iuuenalis:

Nil habet infelix paupertas durius in se,
Quam quod ridiculos homines facit. Exeat,
inquit,
Si pudor est, & de puluino surgat equestri,
Cuius res legi non sufficit. Et sedeant hic
Lenonum pueri, quocunque in fornice nati,
Hic plaudat nitidi præconis filius inter
Pinnirapi cultos iuuenes, iuuenesque lanistæ.

Sed Iobus pauperum sordes non exhorruit, imo amanter est consolatus & amplexus, neque a mensæ societate, & multo minus a congressu, atque colloquio separauit.

33. *Eleemosyna danda alacriter, non cum reprehensione.* Hic obseruat Gregorius esse nonnullos, qui licet largitione miserorum paupertati subueniant, sic tamen illos, dum statum despiciunt, superbe & contumeliose tractant, vt magis verborum asperitate contristent & crucient, quam bonorum largitione solentur. *Sunt*, inquit, *nonnulli, qui mox, vt ab egenis fratribus fuerint necessaria postulati, post dona largitionis, in eos prius contumeliosa verba iaculan-*

culantur. Qui etsi rebus ministerium pietatis perficiunt, verbis tamen gratiam humilitatis perdunt: ita vt plerumque videatur, quia illatæ iam iniuriæ satisfactionem soluunt, cum post contumelias dona largiuntur. Nec magni est operis, quod postulata tribuunt, quia ipso donationis suæ munere vix eundem excessum sermonis tegunt. Quibus bene per Ecclesiasticum verbum dicitur cap. 18. *omni dato ne des tristitiam verbi mali.* His valde affinia dixit Seneca *lib. 2. de beneficiis c. 6. Corripere eum, cui maxime aliquid præstes, dementia est, & inserere contumeliam meritis. Itaque non sunt exasperanda beneficia, nec quicquam illis triste miscendum. Etiam si quid erit, de quo velis admonere, aliud tempus eligito. Fabius Verrucosus beneficium ab homine duro aspere datum panem lapidosum vocabat.*

34. Vers. 20. *Si non benedixerunt mihi latera eius, & de velleribus ouium mearum calefactus est.*] Non despexit Iobus nudum hominem, & rigentem ac pereuntem frigore, sed consuit vestes, quibus frigentia ac peritura membra calefaceret. Porro a lateribus ouium vellere munitis a frigore benedici Iobum, nihil est aliud, quam propter illud pietatis opus videri laudabilem aut eo argumento moneri homines, vt Iobum a clementia & humanitate commendent. Neque est in Scriptura nouum, vt opera illa dicantur commendare, aut accusare aliquem, quæ sunt virtutum aut vitiorum monumenta, quæ alios ad commendationem aut reprehensionem inuitant. Sic laudare aliquem dicuntur opera eius, *Prouerb. XXXI, 31. Laudent eum in portis opera eius. Abacuc II, 11. Lapis de pariete clamabit.* Quod si *benedico* idem est, quod bene alicui precari, aut deprecari malum ab aliquo, eadem videtur huius loci sententia, quæ *Ecclesiast. XXIX, 15. Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* Huc præterea faciunt illa peccata, quæ dicuntur in cœlum clamantia, vt homicidium, de quo *Genes. IV, 10. Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Iacobi V, 4. Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est a vobis, clamat.*

REGVLA. *Illa opera dicuntur aliquem laudare aut accusare, quæ sunt virtutum aut vitiorum monumenta.*

pag. 388. b

35. Vers. 21. *Si leuaui super pupillum manum meam, etiam cum viderem me in porta superiorem.*] Non obscurum est, quid sit *leuare manum super aliquem*, aut *contra aliquem*, quod nihil est aliud, quam impingere colaphum, aut plagam, aut intentare minas. Id communiter alii, & vere. Sed hic ego aliquid intueor in iudiciis, barbarum quidem & inhumanum, vsitatum tamen. De quo pluribus egimus *in nostris Commentariis super Isaiam* ad illud *cap. LIIX, 4. & percutitis pugno impie.* vbi diximus, vsitatum videri inter Idumæos, vt debitores suos non solum iure anguste, sed etiam manu crudeliter persequerentur & affligerent. Huius rei plurima habemus in Scriptura sacra vestigia. Quorum vnum est hoc Isaiæ, quod proxime citauimus. Nam cum dixisset Propheta: *Omnes debitores vestros repetitis, & ad lites & contentiones ieiunatis*, subdit: *& percutitis pugno impie.* Hoc idem docuit illa parabola *Matth. XIIX, 28.* in qua inducitur durus & seuerus exactor, qui cum in debitorem incidisset, *tenens suffocabat eum dicens, redde quod debes.* Parabolæ vero sumi plerumque solent ab eo, quod frequenter accidit. Imo existimo, in reum, maxime, cum iam esset damnatus, solitos esse Iudæos infensis manibus sæuire, impactis colaphis & plagis, permittente non quidem lege, sed barbara vulgi atque actorum consuetudine. Id inprimis indicat Christi caussa, quia, cum haberetur pro damnato, a ministro Pontificis alapam accepit *Ioan. XIIX, 22.* Et clarius *Matth. XXVI, 67.* Nam cum conclamatum esset a Concilio, *reus est mortis. Tunc*, inquit, *expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt: alii autem palmas in faciem eius dederunt.* Quod item accidit Paulo *Actor. XXIII, 3.* qui cum iussu Ananiæ Pontificis percussus esset alapa, dixit, *contra legem iubes me percuti.* Quasi dicat, percuti iubes me nondum damnatum, quasi per legem aut consuetudinem liceret damnatum hominem illam colaphi ignominiam subire. Hoc credo, apud Idumæos multo magis, quam apud Israelitas vsitatum, quia genus erat hominum magis crudele, & minus honestis disciplinis excultum. Hic, vt vides, de disceptatione atque congressu iudiciali sermo est; ideo enim portæ meminit Iobus, vbi legitima exerceri solent iudicia. Quare affirmat

In reos iam conuictos barbara crudelitas ab aduersariis, vel astantibus.

firmat Iobus, se nunquam in portis, id est, in foro, quod alii plerumque solent, in concertatorem iam damnatum, quo ipse in iudicata
pag.389.a causa superior erat, extendisse manum ad plagam, vel vt obtorto collo ad carcerem traheret, licet esset ignobilis, licet pupillus, qui maxime potentiorum prædæ atque iniuriæ patet.

36. *Per quæ quis peccat, per illa punitur.*

Vers. 22. *Humerus meus a iunctura sua cadat, & brachium meum cum suis ossibus confringatur.*] Dignum sibi barbaræ crudelitatis supplicium imprecatur Iobus, vt illa manus obrigescat & torpeat, imo vt brachium confringatur, & humerus a sua sede atque colligatione diuellatur & excidat: neque sit vlla pars, quæ tantæ crudelitati seruiuit, quæ non luat debitas suæ immanitatis pœnas. Iustum autem in omni pene natione iudicauit antiquitas, vt in suppliciis illa pars deformetur, aut puniatur corporis, quæ flagitii aut sceleris instrumentum fuit. Ex quo fit, vt aliter puniatur adulter, aliter parricida, aliter periurus, & denique per quæ quis peccat, per hæc & torquetur, *Sap. XI, 17.* Qua de re sunt plurima atque præclara Scripturæ sacræ testimonia. *Apoc. XIII, 10. Qui in captiuitatem duxerit, in captiuitatem vadet: qui in gladio occiderit, oportet eum in gladio occidi.* Exempla sunt plurima eorum, qui talia subierunt, qualia aliis intulerunt damna. Vide quod Adonibezec, *Iudic. I, 6.* quid Agag, *1. Regum XV, 33.* Aman, *Esther VII, 10.* & quæ alii plurimi supplicia suis meritis attemperata pertulerint. Est huic supplicio, quod sibi ipsi precabatur Iobus, affine illud Ieroboami, cuius aruit manus, quæ, vt percuteret Prophetam, eleuata fuerat, *3. Reg. XIII, 4.*

37. Vers. 23. *Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui.*] Rationem addidit, cur nihil ausus fuerit contra pupillos tyrannicum & durum: quia timet Deum, quem in se recepisse pupillorum causam & pauperum audierat. Quem non aliter metuebat, quam si imminentes sibi fluctus videret, & in illis ineluctabilem moriendi necessitatem. Timoris igitur illius oppressus pondere, tentare nihil, imo neque meditari audebat, quod in pupillorum causa norat a Deo reprobatum iri.

38. *Pecunia magnam alit peccandi audaciam.*

Vers. 24. *Si putaui aurum robur meum, & obrizo dixi: fiducia mea.*] Magnam in hominum animis alit confidentiam diuitiarum copia, cui nihil putant esse non expugnabile. Quare vulgares spiritus, quos diuina non agit aut moderatur lex, sed humana potius transvertunt præcipitantque consilia, si se satis instructos esse vident a pecunia, de reliquo non laborant. Quæ cum alia præstet plurima, quæ hominum admiratur stupor, & appetit immoderata cupiditas: maxime tamen valet in iudiciis, vbi venalia sunt omnia, & perquam raro pecuniosus homo inuentus est nocens. Quare apud gentiles olim vim numinis obtinuit pecunia. Qua de re nos pluribus *in nostris Commentariis super Oseam* ad illud *cap. XII, 8. Inueni idolum mihi.* & ad illud Danielis *cap. XI, 38. Deum autem Maozin in loco suo venerabitur.* Quid sit obrizum, diximus supra ad illud *cap. XXIIX, 15. Non dabitur aurum obrizum pro ea.*

Vers. 25. *Si lætatus sum super multis diuitiis meis, & quia plurima reperit manus mea.*] 39.
Non solum diuitiæ in animo Iobi non aluerunt audaciam, vt aliquid tentaret iniustum: sed neque illarum studium aut facultas fecerunt, vt in illis sibi complaceret, aut ideo elatus magnifice, tenuiorum turbam superbe despiceret. Plurima illius dicitur reperisse manus, aut quia Iobus congregata a parentibus pag.389.b
iure hæreditario recepit, aut quia illa sua sibi manu atque industria acquisiuit. Et hoc fortasse potius, vt ex consequentibus constabit magis.

40. *Sol oriens gentibus adorari solitus.*

Vers. 26. *Si vidi solem, cum fulgeret, & lunam incedentem clare: & lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo.*] Communiter hic Doctores & Interpretes existimant, agere Iobum de quodam idololatriæ genere, quo gentes orientem solem excipiebant, & quia illum exosculari non poterant, osculabantur manum, quam deinde conuertebant ad solem, vt ea cæremonia exosculati solem viderentur. Qua de re nos multa *in nostris Commentariis super Ezechielem* ad illud *cap. IIX, 16. & adorabant ad ortum solis.* Vbi multis ostendimus, solem, cum ex suo orizonte primum emergit, excipi a gentibus venerabundis religioso cultu.

nu. Et *in nostris* item *Commentariis 3. Reg. XIX, 18.* ad illud: *Et omne os, quod non adorauit eum osculans manus.* Vbi pluribus docuimus, osculo adorari solitos gentilium Deos, quæ omnia hic repetere supersedeo, contentus eo intendisse digitum, vnde plus
41. satis petat curiosus lector. Ego cum Pineda existimo, nullum hic esse sermonem de adoratione solis: tum quia, vt dixit *in Catena* Chrysost. cum suas narraret Iobus virtutes eximias, non videbatur idololatriæ odium positurus. Quid enim tantum est impietatem illam exhorruisse: quia etiam illi, qui profligatissimis essent moribus, & omnium vitiorum turpitudine contaminati, auersarentur? Neque præterea erat, cur Iobus hoc a se idololatriæ crimen aut suspicionem depelleret, cum illud non foret ab amicis obiectum. Nam reliqua, quæ de se tam *hoc* quam *cap. XXIX.* prædicauit, aperte confutant, quæ ab insultantibus amicis in maledictis audierat.

42. Si nobis tenenda esset Septuaginta translatio, non esset huius loci explicatio difficilis, qui sic reddunt: *An non videmus solem, qui lucebat, deficientem, lunam autem decrescentem? non enim in eis est.* Quæ sic exponunt Græci patres, qui sunt in Catena, vt ideo in his bonis fluxis atque fugacibus exultandum non sit, quia cito labascunt & deficiunt. Quod eo probat argumento, quia quæ lumen videbantur æternum habitura, vt sol & luna, illa tamen deficiunt ac decrescunt. Pro omnibus vnum accipe Chrysostomum: *Si ea, quæ in cælo sunt astra vsque lucentia, vicissitudini tamen sunt obnoxia; sol enim deficit, & luna minuitur: an non extremæ hoc fuerit dementiæ, quæ terrena sunt, ea stabilia & firma putare? Hæc nimirum causa erat, cur illum humana hæc bona, nec oblectarent præsentia, neque absentia angerent.*
43. Quare placet, quod ex Græcis Patribus visum est Nilo & Olympiodoro, quibus addo Augustinum; nempe non cogitasse Iobum, quicquid haberet diuitiarum, a sua habuisse solertia & manu, atque ideo, quod diues esset & potens, non esse tribuendum Dei benignitati, sed dexteræ; quæ res magnas esset constanter aggressa, & easdem obtinuisset feliciter: quæ illi esset pro Deo, atque ideo illam religioso veneraretur cultu, & tanquam diuinum

Osculis illa veneramur, a quibus beneficia accepimus.

aliquid oscularetur. Egimus hac de re pluribus supra *cap. I, 5.* ad illud: *ne forte peccauerint filii mei.* Vbi multorum adduximus exempla, qui manum suam, aut hastam, aut aliquod aliud suæ gloriæ aut dignitatis instrumentum coluerunt pro diis, & religioso aliquo cultu prosecuti sunt. Quæ tu vide: neque enim huc rursus aduocare necessarium est. Hanc cogitationem indicat, quod paulo ante legimus: *& quia plurima reperit manus mea.* Et ideo dicebamus *plurima*, hæc intelligenda non de bonis, quæ a parentibus accepit Iobus, sed de illis, quæ sua ipse manu atque solertia congregauit. Erit itaque sensus: non ita gauisus sum super multis diuitiis, quasi de illarum comparatione mihi ipsi ac manui meæ gratularer, & manum meam osculatus honores illi quodammodo diuinos impenderem. Hanc explicationem non improbat Olympiodorus, dum sic loquitur; *Sæpenumero nonnulli, cum sua facta efferunt, manus osculantur suas.* Nilus: *Cur igitur spe a Deo seiuncti carne brachii sustentamur, diuinamque prouidentiam nostris manibus dimetimur:* & statim: *Multorum enim hic mos est, manibus suis suauium dare; vt quicquid in his opis facultatisue est, a se ipsis habere testentur.* Augustin. *in annotationibus in Iob: Si lætatus sum, cum esset mihi census multus, quasi de meo, vt qui gloriatur in Domino glorietur.* & statim: *Quod si osculatus sum manum meam ponens ad os meum; gauisus sum tanquam de operibus meis.* Totum hunc locum explicuimus supra *cap. I, 5.*

pag. 390. a

Instrumenta victoriæ aut successus felices aliquibus pro diis habita.

Vers. 28. *Quæ est iniquitas maxima.*] *Iniquitas* dicitur *maxima*, osculari manum, cum videtur sol fulgere, & luna incedere clare, id est, cum prospere & ex voto succedunt omnia: quod homo suæ industriæ tribuit, quod nihil euenerit aduersi, non Deo, id aperte dixit proxime Augustinus.

Vers. 29. *Si gauisus sum ad ruinam eius, qui me oderat, & exultaui, quod inuenisset eum malum.*] Insignis virtutis argumentum est, 44.
non solum inimicorum patienter tolerare iniurias, quod faciunt non ita multi, sed etiam de illorum calamitate dolere: seu quod idem ferme est, in eorum ruina non exultare. Longe aberat, qui sic afflictus est, vt inimico ma-

 lum,

lum, aut inferat, aut optet. Quid aliud ageret, si euangelii sæculo natus esset?

45. *Turpe est vindictam expetere.* Vers. 30. *Non enim dedi ad peccandum guttur meum, vt expeterem maledicens animam eius.*] Qui interiorem affectum a vindictæ studio tantopere cohibuit, vt ex inimicorum incommodis nullam ad animum lætitiam admiserit, multo magis externos motus, qui magis in nostra potestate sunt, cohibere potuit. Ait igitur Iobus, sic linguam assuefecisse modeste ac pie, vt nihil mali imprecaretur hosti, quantumcumque grauiter ab eo lacessitus, neque vnquam in ore suo personuisse voces, quæ offensionem aut acerbitatem aspirarent, quæque a Deo precarentur, vt furorem suum in illum acueret, a quo ipse non posset, aut nollet exigere vindictam. Quare neque ipse iniurias suas vltus est, neque Deum, vt illas vlcisceretur, orauit. Id enim est dare ad peccandum guttur suum: nempe petere, vt paria patiatur aduersarius; & Deus id faciat, quod ipse honeste facere aut cogitare non poterat.

46. Vers. 31. *Si non dixerunt viri tabernaculi mei, quis det de carnibus eius, vt saturemur?*] In hoc loco explicando varii sunt interpretes, quorum aliqui ad beneuolentiam mitioremque sensum; alii ad odium & indignationem accipiunt illud *saturari de carnibus*. Neque omnes in eo consentiunt, cuius deuorandæ carnes expetuntur. Caietanus, Isidorus, & Legionensis in manuscriptis, illorum carnes esse putant, qui Iobum hostilibus insectabantur modis, quia videlicet aut bonis illius insidiabantur prædabundi, aut illius honori conuitiis insultabant. Quorum cum patienter Iobus ferret iniurias, petulantiam, & diram intemperiem, domestici tamen, vt silentis domini vlciscerentur iniuriam, in illos sic afficiebantur acerbe, vt illorum lacerare carnes, & sanguinem exorbere cuperent.

pag. 390. b

47. *Comedere carnes alicuius natum ex odio.* Alii carnes putant esse Iobi, sed varie: quidam ex domesticorum odio id nasci existimant, quasi ægre ferrent hi, qui seruili sunt ingenio & ignobili spiritu, in seuera contineri disciplina, audire quotidie obgannientem dominum, & dissolutos mores, & omnem intemperantiam aut reprehensione dura, aut etiam plagarum inflictu cohibentem: Aut etiam cum viderent ab hospitio nullum excludi peregrinum, nullum pupillum a mensa, & in egenos largas opes profundi, cum existimarent tantum suis commodis detrahi, quantum aliis commoditatis accederet; in dominum indignabantur hostiliter. Ob vtramque causam videntur serui in dominum stomachari potuisse, & illius cupere satiari carnibus; ita putat Gregorius, Philippus, Hieronymus, Hugo. Alii plures hoc ortum arbitrantur ex charitate. Ita Chrysostomus & Olympiodorus in Catena, S. Thomas, & Augustinus, Dionysius, Lyra, & recentiorum multi. Quod mihi omnino placet. Neque enim serui sic erant a Iobo instituti, aut educati duriter & parce, vt tale in dominum odium conciperent, quale hoc dicendi modo significari solet. Vide quæ diximus supra ad illud *cap. XIX, 22. Carnibus meis saturamini.* 48. *Item ex charitate.*

Nunc superest videamus, quomodo ex nimia charitate hic loquendi modus prouenire potuerit. Quod si aliqua ratione constiterit, facile erit res tota transacta. Chrysostomus in Catena consuetudinem indicat amantium, qui sic se arcte vicissim amplectuntur atque osculantur, vt dolorem sibi interdum afferant, & non solum se contingant labiis, sed etiam dentibus mordeant, neque id ita molliter, vt non etiam infigant dentes, liuoremque ex amatorio illo vulnere relinquant. Sic autem ibi Chrysostomus, quo loco insanum amorem, quo serui illum prosequebantur, ostendit: *Ardenti enim illius amore flagrabant, iis significationibus, quæ ipsis ab illo dabantur, excitati, sic, inquit, a me ipsi apti erant, atque pendebant: sic me auide complectebantur: ita mihi dediti erant & affixi, ita me oculis ferebant, vt vel carnibus meis expleri cuperent, ipsos meos artus absorbere ac deuorare præoptantes, tanto erga me studio atque amore erant incensi.* Amoris porro insania eo progreditur, vt dum aliquis ex amasio immoderatas libat voluptates, illi non leues interdum afferat dolores, dum osculando dentes infigit, & morsu genis, ori, aut collo plagas & liuorem inducit. Quod quotidie experimur in matribus ac nutricibus, quæ ita arcte oscula imprimunt infantibus, vt dolorem exosculando inferant, & vagire faciant: neque longe

Simiæ qualis in filios amor.

ge insana illa oscula a morsu recedunt. Sane quod de simia produnt historici, id pene faciunt maternæ blanditiæ & immoderata nutricis indulgentia. De qua Plinius *lib. 8. cap. 54.* vbi dicit, sic in suos fœtus molliter affici simias, vt magna ex parte complectendo enecent.

49\. *In amore venereo morsus & plagæ.* pag. 391. a

Porro in amore venereo, qui rabidus interdum est & insanus, quique non solum dum paulo se vehementius incitat, sapientiam & mentem, sed etiam humanitatem expectorat, oscula vicissim imprimi, sed etiam morsus & plagas, quæ dolorem faciunt & liuorem, multi docent. Et quasi hoc esset familiare huius amoris intemperantiæ, & causa quæritur, & plagæ ac liuori medicinæ traduntur opportunæ. Audi Lucretium *lib. 4.* non procul a fine:

Quod petiere premunt arcte faciuntque dolorem
Corporis, & dentes inlidunt sæpe labellis:
Osculaque affigunt, quia non est pura voluptas;
Et stimuli subsunt. Qui instigant lædere id ipsum
Quodcumque est, rabies: vnde illi hæc germina surgunt.
Sed leuiter pœnas frangit Venus inter amorem,
Blandaque refrænat morsus admixta voluptas.

Est autem medicina, quæ ex illius morsiunculis liuorem apparere prohibeat, ne nocturnam Venerem relicta e morsibus amatoriis vestigia prodant, docet Tibullus *lib. 1. eleg. 6.*

Tunc succos, herbasque dedi, queis liuor abiret,
Quem facit impresso mutua dente Venus.

50\. Huius rei plura afferri possent testimonia ex antiquorum monumentis, a quibus libenter abstinerem, nisi scirem hic hærere aliquos, qui hæc verba ex odio profecta suspicantur, cum non videant, hæc interdum, neque raro ab amore nasci. Adducam vnum aut alterum: tu plura inuenies. Ouidius *lib. 1. amor. eleg. 7.*

Aptius impressis fuerat liuore labellis,
Et collum blandi dentis habere notam.

Plautus *in Pseudulo* inter alias amatorias delicias, arctas numerat compressiones, & morsiunculas, quæ licet molles sint, liuorem tamen relinquunt, & immoderatæ Veneris non obscura vestigia. Qualia Cicero *actione 7.* dicit habuisse Vertem, a fœminarum morsu, quibus intemperanter assueuerat. Illud præterea mihi verisimile est, hæc insani amoris atque vehementis signa prouerbiali specie adhiberi solita ab Idumæis, qui nihilo in re venerea nationibus aliis moderatiores erant, pro amore ingenti, qui non procul abest ab insania. Sane ad explicandum amorem summum, hoc dicendi modo prouerbiali vtuntur Hispani. Quare nihil aliud videtur significasse Iobus, quam se a viris tabernaculi sui, id est, a domesticis amari vehementer.

Vers. 32. *Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.*] Qui tam in suos benenolus & munificus fuit, non minus beneuole peregrinos excepit. Quod officium non ita facile obibant Idumæi, qui etiam duri extiterunt in suos. Quare sicut ostium commune diuersores excipit, neque cuiquam fores occludit, quia ab omnibus laboris & hospitii pretium expectat: sic etiam Iobus sine vlla spe mercedis, sed a suæ naturæ benignitate Deique amore satis incitatus, domum suam & mensam peregrinantibus voluit esse communem, ne foris viatores pernoctare cogerentur, vbi gentis petulantis & impiæ ludibrio paterent & iniuriis. 51.

Vers. 33. *Si abscondi quasi homo peccatum meum, & celaui in sinu meo iniquitatem meam.*] Ex hoc fortasse loco sumpsit historicus sacer, quicumque ille fuit, exordium huius libri, in quo Iobus dicitur simplex & rectus, quia nihil simulauit alienum, neque admisit, quod celari aut dissimulari debuerit: neque necessarium illi fuit externum fucum adhibere, quo celaretur culpa, & appareret mendax honestatis species, quia veram habuit in se honestatis imaginem. Hoc porro in hac suarum virtutum commemoratione dictum oportuit: quia tres amici, instigante diabolo, sibi persuaserant, neque semel obiecerant, illum nullam habere virtutem solidam & veram, sed tantum inanem vmbram & mortuam imaginem. Ait ergo, nullum se habuisse peccatum, quod humano celauerit artificio, quod 52. pag. 391. b

faciunt

faciunt homines non infrequenter, qui non tam esse volunt, quam videri boni. Hoc autem se fecisse nunquam, dicit Iobus, dum ait, nunquam se in sinum, id est, in animo abscondisse peccatum, & hominum oculis virtutis vmbram ostendisse.

53. *Principis constantia contra multitudinis motus.* Vers. 34. *Si expaui ad multitudinem nimiam, & despectio propinquorum terruit me.*] Qui rebus præsunt publicis, in eo interdum non leviter peccant; quia non audent se tumultuanti multitudini constanter opponere, eo maxime rerum articulo, cum nihili Principis habetur auctoritas; sed potius tanquam iners & languidus a populo contemnitur. Hoc autem timeri poterat in eo, qui lenis est, neque ausus vnquam manum in pupillum extendere: & vt valde erat ad miserendum pronus; sic etiam videri Iobus poterat ad vim inferendam, & ad aliorum frangendam audaciam, parum a natura incitatus & strenuus. Hoc tamen negat Iobus, qui commotam multitudinem asserit nunquam sibi terrori; neque populo, cui præerat, dum integra fuisset fortuna, fuisse despicabilem; aut si contemptus fuisset aliis, qui propinqui forent cognatione aut loco; non tamen ideo concidisse animo, aut sic exhorruisse, vt omitteret, quod ab optimo Principe & rei vindice curatum oportuit.

54. Illud *despectio propinquorum*, varie exponitur: neque mihi omnino constitutum est, quid magis probem, aut quid improbem minus. Non displicet, quod modo dicebam, non exhorruisse Iobum, quod propinqui, cognatione, aut ordine, qui videntur fuisse non ignobiles aut infimi, ipsum haberent despicatui, quo minus auderet id, quod officii ratio & dignitatis exigeret. Alii *despectionem* esse putant propinquorum passiuam, ita vt propinqui cognatione, neglecti videantur; in hunc sensum etiam: si domestici mei, aut qui maxime sunt cognatione coniuncti, e suo ordine, aut statu caderent, ita vt contemnerentur ab omnibus, non tamen ideo a meo munere præstando deterrerer. Hoc etiam mihi neque a re, neque a textu videtur alienum.

55. *Magna prudentia est sustinere se, & correctionis maturitatem expectare.* *Et non magis tacui, neque egressus sum ostium.*] Videri Iobus poterat timidus & ignauus, atque ideo regio nomine indignus: quia aliquando in populi tumultu, aut cum familiares atque cognati despectui haberentur atque ludibrio, ipse tacuit, & se domi interea in suorum vexatione continuit. Ait igitur Iobus, quod eo tempore tacuerit, neque domo fuerit egressus, non id ex pauore prouenisse, neque exhorruisse tumultuantem atque commotam multitudinem, etiam si suos despici videret, sed alias ob causas, quæ suadebant tumultus illos melius sedari potuisse silentio, neque ad felices exitus, reipublicæque bonum tempestiuam esse maturitatem. Magna pars est prudentiæ, dissimulare, quod videas, & ad opportunum tempus curationem differre, vt diximus *1. Reg. X.* Vbi laudauimus prudentiam Saulis, qui dissimulauit se audire, quæ illo tempore corrigere commode non poterat. Quod monuit Cicero faciendum illis, quibus commissum est reip. gubernaculum, si modo velint cogitata perficere, nempe vt multa simulent inuiti, multa cum dolore dissimulent. Est itaque hic breuis & apertus sensus: non timui multitudinem infensam, neque propinquorum despectum, & cum loqui possem, & auderem, & foras prodire, malui tamen silere, & tenere me domi, quia id rebus agendis magis videbatur opportunum. pag.392. a

56. *Liber in re iudiciali quid.* Vers. 35. *Quis mihi det auditorem, vt desiderium meum audiat omnipotens, & librum scribat ipse, qui iudicat.*] Hæc omnium, quæ de se Iobus commemorat ac prædicat, summa quædam complexio & confirmatio est, quæ diuino iudicio ac testimonio confirmari vult. Cum enim æquum in terra iudicem non inueniret, neque vllus præter Deum intimos animi sensus penetrare posset, illum auditorem optat & iudicem, quia non externa solum, sed etiam interiora cognoscit. Optat denique, vt humano modo legitimoque iudicio in acta referat, & scribat in libro, quale ipsius fuerit de hac studiorum consiliorumque commemoratione iudicium; vt alii intelligant, quid ille senserit, quem nemo erroris arguere, nemo mendacii accusare potest. Est autem liber in re forensi ac iudiciali, vbi acta continentur, & quid tandem probe discussa causa decretum fuerit, legitimo iudicio, & quid de reorum libertate, innocentia aut capite constitutum, qui etiam libellus dicitur. Tabellionum vulgo processus appellatur.

Vers.

57. *Sceptrum in humero gestari solitum.* Vers. 36. *Vt in humero meo portem illum & circumdem illum quasi coronam mihi.*] Non dubitabat Iobus, si in causa Deus iudicem ageret, qui hominum acta pro illorum meritis ac pondere compensat, talem futurum librum, in quo de ipsius accusatione & innocentia constaret, vt illum publice gloriose gestare, & omnium oculis legendum honeste proponere potuerit. Tam autem erat longe, vt crederet accusationem eorum tanto iudice, & illius iudicium futurum sibi esse dedecori: vt non minori existimaret futurum esse gloriæ, quam regia stemmata atque insignia, quæ gestaret in capite atque humero; imo illa non grauate deponeret, vt præclarum illud de sua innocentia testimonium, illorum loco publice circumferret. Notum est in *corona & sceptro* regio dignitatem significari: vnde fit, vt hæc pro regno ac regio nomine frequenter vsurpentur. Coronam capitis esse proprium ornamentum, nemo nescit; sceptrum vero in manu humeroque gestari, videmus quotidie in his, qui regiam personam, aut qui reipublicæ nomen sustinent, de more repræsentant: & in Scriptura sacra sunt non obscura testimonia *Isai. XXII, 22.* clauis, quæ eo loco idem est, quod sceptrum, in humero gestatur. Sic autem ibi de Emanuele: *Et dabo clauem domus Dauid super humerum eius.* & *cap. IX, 6. Factus est principatus super humerum eius.* Eandem esse puto consuetudinem Idumæis, qui proximi erant Hebræorum populo, quibus ipsi aut dederunt, aut ab illis acceperunt morem illum gestandi sceptrum in humero. Quod si graue erat sceptrum, vtpote ex pretioso metallo, quale videtur antiquis temporibus fuisse, non videtur manibus commode potuisse portari: atque ideo ad humerum videtur fuisse reductum, qui ad portandum onus magis est idoneus.

58. *E naufragio incolumes se ipsos portant in tabula.* Hæc videntur satis esse soluta. Sed addo cogitationem aliam, cogitationem dico, non sententiam. Quod aliquando facio, cum res est obscura, & scitu non indigna. Solebant, qui iactati prius a fluctibus, tandem ad littus emersissent incolumes, se ipsos in tabula ex humeris suspendere, quo significarent in summo se periculo fuisse versatos, & Dei beneficio salutem consecutos. ita indicat Acron antiquus Horatii interpres ad illud *lib. 2. satyr. 1.* pag. 392. b

Votiua pateat veluti descripta tabella:

Dixit aperte Persius *satyr. 6.*

Frange aliquid: largire inopi; ne pictus oberret
Cærulea in tabula.

Et clarius *satyra 11.*

— Cantas cum fracta te in trabe pictum
Ex humeris portes.

Hoc igitur voluisse videtur Iobus, qui cum multa passus esset ab inuidis, multa ab illis, qui a dæmone decepti variis illum exagitabant calumniis, Dei tamen iudicio liberatus; & in libro, quem a Deo scribi desiderabat, depictus, suæ innocentiæ ineluctabile testimonium acceperat. Quem libenter gestaret ex humero suspensum, vt quilibet in eo legeret, cognosceretque, quale fuerit Dei de Iobi integritate iudicium, & quemadmodum ex mediis accusationis fluctibus euasisset incolumis.

Vers. 37. *Per singulos meos gradus pronuntiabo illum.*] Aptissime hæc cum superioribus coniunguntur. Nam si liber ille probitatis Iobi testimonium est, quod ille tanti facit, vt cum coronæ ac sceptri splendore componat, quod non paternam indicat, sicut sceptrum, sed propriam gloriam. Quid mirum, si in omni loco ac tempore, & ipse legat auide, & ab aliis legi ac volutari cupiat. Illud enim indicat *per singulos gradus*, ita vt quemadmodum gradus singuli sua humi relinquunt impressa vestigia, sic etiam in singulis gradibus recte a Iobo factorum resonent laudes. Aut certe per singulos gradus pronuntiabit, quia nihil tacebit eorum, quæ in illo libro scripta sunt, siue ab accusatoribus, qui paria obiiciunt crimina, siue a Deo, qui ab illis vindicat & absoluit innocentem. in *gradibus* autem *& viis* opera intelligi, iam satis supra Iobus ipse docuit. Qui vero singulatim legendo percurrit omnia, ille, satis indicat in omni vita nihil gessisse, aut habuisse, quod timeat. 59.

Et quasi Principi offeram eum.] *Princeps* ille dicitur, qui dignitate, munere, aut potentia superior est, quique aliorum audaciam comprimere, plectere peccata, aut merita 60.

 suis

suis momentis conpensare potest: qualis est Rex, aut Iudex, quique aliis cum imperio & potestate præest. Ait igitur Iobus, eam fuisse in suis studiis atque consiliis honestatem, vt liber ille, in quo esse cupit ad vnum omnia clare distincteque descripta, nihil a iudice seuero & integro, nihil ab æquo Principe sibi metuendum putet. Aut etiamsi in *Principe* Deum intelligas, illi libenter offerat suarum rerum accuratum censum atque catalogum. Auctores postrema hæc varie interpretantur. Lyra in *Principe* Deum intelligit, illique offerendum dicit librum in gratiarum actionem quasi bonorum omnium largitori; non longe ab hoc abeunt Dionys. & Pineda, Hugo Christum iudicem putat, a quo omnia Iobi opera examinanda sunt. Alii ita loquuntur obscure, vt non facile illorum possis informare sententiam.

61. Vers. 38. *Si aduersum me terra mea clamat, & cum ea sulci eius deflent.*] Quia amici sæpe verbisque contumeliosis & grauibus tyrannum Iobum appellauerant, quod illi non poterat esse non molestum, ideo post extremam clausulam summamque conclusionem, ad partem illam confutandam regreditur: & docet, nunquam se colonis, qui vel proprios agros vomere subegerant seminarantque, vel
pag. 393. a colendos conduxerant alienos, fuisse molestum, cum de alieno labore nihil ad suum vsum commodumque contulerit. Dicuntur autem *sulci flere*, & *terra clamare* per prosopopœiam, quæ spiritum tribuit & voces his rebus, quibus a natura spiritus & voces negata sunt. Terram autem appellat *suam*, quia in ea regione colebatur, quæ ipsius suberat imperio. Hæc porro tunc clamare & lugere existimatur, cum tyranno seruit, & fructum reddere cogitur, non illi, a quo quotidianum accipit beneficium; sed latroni ac violento, qui, cum nullam operam impenderint, in alienum laborem auaras manus intulerunt. Quomodo ingemiscere dicitur omnis creatura, dum peccatori seruit, cui ipsius partus minime debetur, *Rom. IIX, 22.* flent ergo sulci, dum aliena falce metuntur segetes, neque ad illorum vsus perueniunt fruges, quorum ipsi studio atque operæ gratiam reddere gestiunt. Sumuntur autem agri & fruges pro agricolis, qui in agris degunt, ea figura, qua continens pro re contenta sumitur, & locus pro his, quæ continentur aut versantur in loco.

Vers. 39. *Si fructus eius comedi absque pecunia, & animum agricolarum eius afflixi.*] 62.
Locus est apertus, in quo Iobus suam testatur innocentiam, cum neque dolori fuerit agricolis, dum ab illorum vsu ad suum commodum atque delicias fructus auertit, neque duris tributis, aut immoderatis exactionibus oppresserit: & si quando illis vesci contingat, non faciat nisi prius ad libellam numerata pecunia.

Vers. 40. *Pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo spina.*] Accommodata peccato pœna; qui enim deprædatus aliorum agros fecit, vt clamaret terra, & sulci lugerent, dignus est, vt ipsius & agri horreant, & lugeant obsiti vepribus, & herbis aliis aculeatis & noxiis, ex quibus nihil capias, quod oblectet atque permulceat sensus, & multa inuenias, quæ horreat animus, & membra pungant atque distringant. Hæc autem rerum permutatio, aut magnam indicat rerum conuersionem, aut futuram precatur; aut in malum, si mala & aspera mollibus; aut in pag. 393. b
bonum, si noxiis & asperis salutaria & speciosa succedent. Huius exemplum habes optimum *Isaiæ LV, 13. Pro saliunca ascendet abies, & pro vrtica crescet myrtus.* Illius est exemplorum satis apud profanos: vnus pro multis sit Virg. *Eclog. 5.*

Grandia sæpe quibus mandauimus hordea sulcis
Infelix lolium; & steriles dominantur auenæ;
Pro molli viola, pro purpureo narcisso
Carduus, & spinis surgit paliurus acutis.

Ad extremum additur, *finita sunt verba Iob.* 64.
Quod an sit de textu, ac pondus habeat canonicæ fidei, dubitatio est: neque autores ea de re consentiunt. Hebraici codices, quos mihi videre licuit, extremam hanc habent clausulam. Chaldæus item & Septuaginta. Omiserunt editiones aliquot Latinæ: neque ex Sanctis, atque Doctoribus aliqui legisse videntur, cum horum verborum nullo modo meminerint. In quibus sunt Gregorius, Hierony-

ronymus, Beda, Philippus, Lyra, Dionysius, Hugo. Esse autem de fide longe arbitror esse probabilius, licet in contraria sententia nihil putem esse periculi, quod videntur sensisse viri doctissimi, quibus Pontifex editionis vulgatæ correctionem commendavit, qui sicut alia plurima, quorum dubia est fides, diuersis expressere notis, sic etiam hæc, de quibus præsens incidit dubitatio. Finita porro dicuntur verba, licet alia Iobus *cap. XLII.* locutus fuerit, quia illa extra disputationem, &, vt ita dicam, extra iudicialem contentionem dicta sunt; neque cum amicis iam amplius disceptator agit, sed cum Deo supplex. Hæc autem extrema verba solemnia esse solent, & quasi legitima his, qui causam oratorio modo disceptant: qui perorata causa ad extremum addunt *dixi*, aut similia. Septuaginta principium hæc esse voluerunt *cap. XXXII.* ita vt, cessante Iobo, tres etiam amici cessasse dicantur. Sed siue hac vel illa ratione distinguas, non admodum interest, cum eadem sit sententia, & vtroque modo continens filum.

ARGVMENTVM CAP. XXXII.

INdignatur Eliu contra Iobum primo, qui suam tantopere iustitiam prædicabat: deinde contra amicos Iobi, quos videbat Iobo respondere non posse, quem iniuriis potius exagitarant indignis, quam ratione vlla graui idoneaque conuicerant. Quare ipse præfatus modeste veniam, quod coram senibus adolescens loqui audeat, docet, adolescentibus interdum diuinitus inspirari sapientiam, cuius rei a seipso non dubium ceperat experimentum: cuius pectus vsque adeo plurimæ, eædemque sapientes cogitationes impleuerant, vt vim illarum efferuescentem, & exilire gestientem, cohibere non posset. Et ideo, vt animum æstuantem refrigeret & sedet, & spiritum laborantem laxet, aperire dicit se velle labia, & pugnaces cum Iobo conferre sermones.

CAPVT XXXII.

1. OMiserunt autem tres viri isti respondere Iob, eo quod iustus sibi videretur.

pag. 394. 2. Et iratus, indignatusque est Eliu filius Barachel Buzites, de cognatione Ram: iratus est autem aduersum Iob, eo quod iustum se esse diceret coram Deo.

3. Porro aduersum amicos eius indignatus est, eo quod non inuenissent responsionem rationabilem, sed tantummodo condemnassent Iob.

4. Igitur Eliu expectauit Iob loquentem: eo quod seniores essent, qui loquebantur.

PARAPHRASIS.

1. 2. Cum longam Iobus orationem habuisset, suamque sententiam non minori quam antea contentione tueretur, siluerunt amici, quia pag. 394. *Iobum a sua sententia deducere se posse desperabant: neque quicquam habebant, quo illum vrgere possent vehementius. Tunc autem quarto loco surrexit Eliu filius Barachel de genere Ram infenso vehementer animo contra Iobum, quia in asserenda sua iustitia affirmato adhuc pectore perstabat.*

3. Succensuit item grauiter tribus amicis, qui cum Iobo prius longa disputatione certauerant: quia illum tam aperte ac libere condemnassent, cum tamen, quod fieri oportuerat, nulla illum necessaria & firma ratione conuicissent.

4. 5. 6. 7. Hic igitur audiuit Iobum loquentem, expectabatque, vt responderent alii, quibus id debere se putabat, quia longa illum æta-

5. Cum autem vidisset, quod tres respondere non potuissent, iratus est vehementer.

6. Respondensque Eliu filius Barachel Buzites, dixit:

Iunior sum tempore, vos autem antiquiores, idcirco demisso capite, veritus sum vobis indicare meam sententiam.

7. Sperabam enim, quod ætas prolixior loqueretur, & annorum multitudo deceret sapientiam.

8. Sed, vt video, spiritus est in hominibus, & inspiratio omnipotentis dat intelligentiam.

9. Non sunt longæui sapientes, nec senes intelligunt iudicium.

10. Ideo dicam: Audite me, ostendam vobis etiam ego meam sapientiam.

11. Expectaui enim sermones vestros, audiui prudentiam vestram, donec disceptaremini sermonibus:

12. Et donec putabam, vos aliquid dicere, considerabam: sed, vt video, non est qui possit arguere Iob, & respondere ex vobis sermonibus eius.

13. Ne forte dicatis: inuenimus sapientiam, Deus proiecit eum: non homo.

14. Nihil locutus est mihi, & ego non secundum sermones vestros respondebo illi.

15. Extimuerunt, nec responderunt vltra, abstuleruntque a se eloquia.

16. Quoniam igitur expectaui, & non sunt locuti: steterunt, nec vltra responderunt:

17. Respondebo & ego partem meam, & ostendam scientiam meam.

te præcesserant. Cum autem illi aut nollent, aut non haberent, quid rursus obiicerent, in illos vehementer excanduit, dixitque, iuniorem se esse, illos autem ætate grandiores, & ideo silere eo vsque voluisse, quia iuuenem coram senibus loqui ingenua verecundia prohibebat.

8. 9. Sed vt video, inquit, neque in senibus vbique est sapientia, neque vbique in adolescentibus ignorantia. Homo enim etiam in iuuentute sapientiæ est ac disciplinæ capax, quam Dominus hominibus inspirat & indulget. Quare non solum senes de sapientia, quasi de propria possessione, gloriari possunt.

10. 11. 12. Ideo, o senes, audite sapientiam mihi adhuc in iuuenili ætate diuinitus inspiratam. Neque id a vobis exigo, quod meæ mihi modestiæ non debeatur. Audiui etenim diu vos, neque loquentes interrupi, neque præripui locum, sed illum mihi sumpsi, quem vos illi, quicumque vellet, vacuum reliquistis. Et nunc eo aggredior disputationem audacius, cum videam, vos neque arguere velle Iobum amplius, neque illius respondere sermonibus.

13. 14. Ne forte dicatis otiosam fore prorsus, & vanam meam disputationem, cum vos quod esset acutissimum telum in obstinatum virum conieceritis, cum dixeritis, percussum esse Iobum a Deo, non ab homine, quo existimabatis aperte concludi, peccatorem esse Iobum, quem Deus tam graui ac fœdo vulnere percusserit: Ego longe aliter meam disceptationem instituam. Quod facere posse videor, quia cum mecum huc vsque non egerit, non præscripsit mihi certum aliquem respondendi modum.

15. 16. 17. Seniores autem post hanc etiam increpationem Eliu extimuerunt rursus ad stadium redire, & inchoatos cum Iobo conserere sermones, cumque illos adhuc silere videret Eliu, dixit se velle illorum partes suscipere, & suam omnibus ostentare sapientiam, quando quidem aliquandiu expectati nihil locuti aut locuturi viderentur.

18. 19. 20.

pag. 395. 18. Plenus sum enim sermonibus, & coarctat me spiritus vteri mei.

19. En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas disrumpit.

20. Loquar, & respirabo paululum: aperiam labia mea, & respondebo.

18. 19. 20. Neque mihi deest agendi facultas, aut sententiarum copia, quæ sic intima complent distenduntque præcordia, vt timendum sit, ne, si diu continere contendam, ilia rumpantur. Quæ in animo concepta exilire gestiunt, non aliter quam fœtus iam maturus ex vtero puerperæ: & sic vrgent vehementer, quemadmodum mustum, quod spiraculum non habet, per quod æstum suum furoremque despumet & exhalet, dolia diffringit. Loquar igitur, & laborantem spiritum laxabo, & ne compressis labiis animum agam, agam verba labiis apertis. pag. 395.

21. Non accipiam personam viri, & Deum homini non æquabo.

22. Nescio enim, quam diu subsistam, & si post modicum tollat me factor meus.

21. 22. Hic porro erit totius orationis scopus, cum Deo hominem nulla ratione posse conferri. Qua in disputatione & contentione pia ita me geram, vt nulla me humana ratio, aut personarum acceptio transuersum agat a recto sinceroque iudicio. Dum autem veritatem tantum & pietatem intueor, meæ quoque saluti prudenter caueo; nescio enim, quando me e viuis euocet, qui creauit me; & absoluta disputatione statim ad iudicium adducat, vbi reus arguar acceptæ personæ, aut corrupti iudicii.

Vers. 1. *Omiserunt autem tres viri isti respondere Iob, eo quod iustus sibi videretur.*]

pag. 395.a
1. LOngam habuit Iobus & continentem orationem, quam non minus sex capitibus absolvit: quam ideo, vt apparet, non interruperunt tres amici, sicut antea fecerant: quia cum in eadem sententia hæreret obfirmato animo, neque aliquid haberent aliud, quod ad illam infirmandam opponerent, tacendum potius existimarunt, quam eadem repetere cum aliorum fastidio, aut alia adducere, in quibus promoverent nihil, & suam præsentibus ignorantiam proderent. Hæc iuxta vulgatam lectionem, cui alius sensus non se nisi violenter & inuitus accommodat. Septuaginta aliter legunt: *Erat enim Iob iustus coram eis.* Eodem ferme modo Symmachus: *Eo quod ipse iustus appareret super eos.* Neque vulgata lectio huic expositioni aduersatur. Si illud *sibi* in plurali numero statuas, cui ratio grammatica non repugnat, sed favet parum huic translationi pronomen affixum ו *vau*, quod singularis est numeri, & magis cum vno Iobo, quam cum tribus illius amicis conuenit, sic enim Hebræum בעניו *beenau.* Non desunt qui putent, singulare affixum adhibitum esse pro plurali, nempe *sibi*, pro *eis*, & id expectasse Septuaginta seniores, & Symmachum. Sed ego ad hanc cogitationem durior sum, neque recedendum puto ab Hebraico textu, & ab eo, quod propius exhibet Latinus.

Vers. 2. *Et iratus, indignatusque est Eliu filius Barachel Buzites de cognatione Ram.*] De hoc Eliu multa quæri possunt, imo multa quærunt & disputant Interpretes. Quorum ea a nobis explananda, quæ minus videbuntur abs re, alia omnino prætermittenda. Primum quærimus, an fuerit ex amicorum numero, vel vnus ex his, qui casu amicorum & Iobi disputationi interfuerunt. Hoc posterius videtur magis verisimile. Neque enim cum

2. *Eliu ex amicis Iobi.* pag. 395. b

cum de Iobi amicis sermo est, plures esse dicuntur tribus, & cum Deus *cap. XLII.* loquitur cum Eliphaz, duos illius dicit amicos & socios. Quare cum tres alii diebus multis Iobo astiterint, & varia cum illo congressu familiari contulerint, de Eliu tamen nihil ad hunc vsque locum, neque vnquam postea nomen eius auditum. Accessisse igitur videtur excitatus opinione doctrinæ trium amicorum, quorum inter Idumæos fama celebris; quos nouerat literarum certamen ituros. Quod adolescentem ingeniosum, neque omnino indoctum mouere potuit, ne abesset ab illo literario congressu.

3. *Eliu Idumæus.* De huius genere res est incerta; tantum legimus, filium esse Barachel de cognatione Ram. De Barachel in Scriptura nihil nisi hoc loco: *Ram* non semel in Scriptura; sed longe post hæc secula: ex quibus suum deriuare genus non potuit Eliu. Illum *Ram* fuisse Abrahamum, ex quo per Esau genus traxerunt Idumæi, nonnulli suspicantur: sed illud incertum. Duo hic minus videntur incerta, nem-
pag.396. a pe illum Idumæum fuisse, cum illius pater dicatur esse Buzites. Buz enim ciuitas esse creditur Idumææ, quod indicat Septuaginta translatio, quæ Ram ex Ausitide regione fuisse dicit. Ausitis autem regio apud LXX. eadem est, quæ apud Vulgatum Hus. Hi autem parentes Eliu videntur fuisse aut genere, aut alio titulo ac nomine non ignobiles, quando ab illis Eliu sacer historicus notum esse voluit. Ideo enim existimant nonnulli, idque prudenti coniectura, aliorum amicorum Iobi progenitores non esse nominatos, quia ipsi satis eo tempore propter prudentiam, & regium splendorem, & ætatem iam senilem, resque præclare gestas erant nobilitate cogniti; At Eliu, vtpote iuuenis, neque magistratu, aut rerum administratione commendatus parentum suorum gloria ad sui commendationem indiguit.

4. *Eliu Balaam existimatus, sed falso.* Quidam Eliu illum Balaam esse censuerunt, qui *Num. XXII.* conductus fuit a Balaac, vt Dei populo malediceret: ita ex sententia Hebræorum Hieronymus in hunc locum: *Hunc*, inquit, *Eliu doctissimi Scripturarum dicunt esse ipsum Balaam hariolum, quem in Numerorum libro Balaac Rex Moabitarum ad Israëlem maledicendum conduxerat.* Et addit *tom. 3. in tradit. Hebræorum ad cap. 22. Genes.* hunc prius fuisse virum sanctum & prophetam Dei: postea vero, dum per inobedientiam & desiderium munerum maledicere cupit populo Dei, vocatum fuisse diuinum. Hanc sententiam non tam Hieronymi, quam Hebræorum, quorum ille non tam sequitur, quam explicat mentem, amplectuntur alii, quorum opinionem confutant Salmeron *Proleg. 10. quinquag. 2.* & Pineda *hic.* Neque stare potest hæc cogitatio cum his, quæ diximus supra *cap. II, 9.* vixisse Iobum sub Iacobi Patriarchæ tempora, & cum ipsius filia coniugali vinculo fuisse coniunctum. Inter Iacobum autem & Balaam intercesserunt plus minusue anni trecenti, quæ ætas illo tempore perquam rara fuit.

Sapientissimum porro fuisse hunc Eliu, eius oratio longa demonstrat, in qua multa elucent reconditaque mysteria, quæ videntur a Deo non improbari *cap. XXXIIX, 2.* dum ait: *Quis est iste inuoluens sententias sermonibus imperitis?* Vbi verba imperita, aut in dicendo modum damnare videtur, non sententiarum pondus. Hæc autem de Eliu fuisse dicta, communis est interpretum sententia. 5. *Eliu sapientissimus.*

Vers. 3. *Iratus est autem aduersum Iob, eo quod iustum se esse diceret coram Deo.*] Interim dum longum inter se sermonem infererent tres amici cum Iobo, illisque Iobus non minori studio atque animi ardore responderet, concipiebat Eliu furorem, quem ad illud vsque tempus in animo continuit, in quo tres illi viri ætate grandiores, & sapientiæ laude commendati, aut conuicti Iobi rationibus, aut quia nihil habuerunt, quod amplius obiicerent, siluerunt. Tunc autem tam in Iobum, quam in illius antagonistas exarsit, & primum in amicos, quod parum essent sapientes, & minus quam oporteret in disputando strenui: deinde in Iobum, quia iustitiam suam & innocentiam prædicaret, debacchatus est. 6.

Vers. 4. *Igitur Eliu expectauit Iob loquentem, eo quod seniores essent, qui loquebantur.*] Interrupisset, vt apparet, Eliu orationem longam, quam Iobus habuit, in qua sex non minus, eaque longa capita consumsit; nisi expecta- 7. *Iuueni coram senioribus commendatum silentium.*
pag.396.b

pectaret, vt hoc ipsum facerent, sicut antea fecerunt, tres amici Iobi: quibus ipse ideo primum locum & partes deferebat, quia sapientes putabat, & quia videbat longe natu maiores. Cum tamen videret, post orationem illam grauem & prolixam tenuisse silentium, & de priore studio atque ardore certandi tantum remisisse, vt viderentur omnino abiecisse hastas, quas prius in intima Iobi viscera vibrarant; surrexit ipse non minus in illos, quam in Iobum inflammatus furore: dixitque continuisse se, ne in illud philosophicum stadium descenderet, quia iuuenem coram senioribus loqui non deceret: neque putabat a iuuenili ætate spectandum, quod provectior ætas ignoraret: a qua tam raro abesse solet ignorantia, quam in iuuenilibus annis inueniri prudentia. Seruauit hoc loco Eliu præceptum illud, quod multis post sæculis tradidit Ecclesiasticus *cap. XXXII, 13.* sic enim ibi ad adolescentem: *In medio magnatorum non præsumas; & vbi sunt senes, non multum loquaris.*

8. *Iuuenibus aliquando a Deo concessa sapientia.* Vers. 8. *Sed vt video, spiritus est in hominibus, & inspiratio omnipotentis dat intelligentiam.*] Indicat Eliu, in eo congressu se aliquid didicisse, quod ignorabat prius, nempe neque in senibus semper esse sapientiam, neque in adolescentibus vbique ignorantiam: cum in homine etiam a iuuentute sit spiritus, & mens sapientiæ ac disciplinæ capax: quæ a Deo, qui pater est luminum, communicatur hominibus, & tam senibus idem, quam iuuenibus liberali manu illam inspiret & indulgeat. Hæc mihi facilis & apta videtur esse sententia. Alii aliter explicant, sed non procul ab hac sententia. S. Thomas spiritum dicit esse Dei in hominibus, *in quantum scilicet in eis operatur.* Hieronymus: *quia spiritu aguntur homines, quibus Deus omnipotens sapientiæ suæ inspirationem tribuerit.* Quod dictum putabat esse ab Eliu, *in sugillationem prædictorum, quasi ex obliquo dicit, veluti sibi soli hoc sapientiæ donum concessum sit.* Idem omnino Beda. Cum autem a diuino spiritu afflentur & agantur homines, nihil mirum, si iuuenes abundent aliquando sapientia, a qua nonnunquam destituuntur senes. Quod sibi hoc loco vendicat Eliu, quasi a Deo instinctus & illuminatus aliquid dicturus sit, quam senes alii altius atque diuinius. Sibi etiam aliqui ex gentilibus concessum esse dicebant, vt in illis esset Deus, aut illius spiritu afflati atque illustrati loquerentur. Sic sane Poëtæ sæpe, quorum vnus Ouidius *lib. 3. de arte:*

Est Deus in nobis, sunt & commercia cœli,
Sedibus æthereis spiritus iste venit.

Vers. 9. *Non sunt longæui sapientes: nec senes intelligunt iudicium.*] Non negat Eliu, in senibus reperiri sapientiam, sed illam esse sic alligatam canis, vt non etiam interdum adolescentiam comitetur & ornet; cum illa sit a Deo, qui, vt illam inspiret, annos non numerat, aut canos intuetur: neque adolescentibus desit apta capacitas, quæ a Domino inspiratam accipiat. 9.

Vers. 10. *Ideo dicam, audite me: ostendam ego etiam vobis meam sapientiam.*) Inspiratam sibi indicat a Deo sapientiam, vt illam sapientes homines & ætate graues non despiciant; imo auide & cum aliqua veneratione suscipiant. Quod oratorum artificium ad captandam attentionem potentissimum est, cum nuncios nos esse profitemur, non autores eorum, quæ ad multitudinis, aut etiam paucorum aures adducuntur. 10. pag.397. a

Vers. 11. *Expectaui enim sermones vestros: audiui prudentiam vestram, donec disceptaremini sermonibus.*] Plurimum vrbanitas & modestia valet ad beneuolentiam, quam ostendit Eliu, cum dicit, se expectasse, donec illi finem loquendi facerent, neque præripuisse sermonem: sed illum subiisse locum, quem ipsi ei, quicunque vellet, vacuum reliquissent. Verbum illud *disceptaremini*, in terminatione passiua eo in loco nouum est, disceptatur enim causa, disceptat persona. 11.

Vers. 12. *Et donec putabam, vos aliquid dicere, considerabam.*] Non statim atque locutus est Iobus, aggressus est disputationem Eliu, sed aliquid interposuit moræ, expectans, vt iuuenem decebat, an illorum senum quispiam meditaretur aliquid, quo aut Iobum lacesseret accusatione noua, aut illius responsa confutaret. Exiliuit tandem, cum plane cognouit, neque illos habere, quod obiicerent 12.

rent noui, neque quid Iobi orationi prolixæ responderent.

13. Vers. 13. *Ne forte dicatis, inuenimus sapientiam: Deus proiecit eum, non homo.*] Diuersam disputandi viam aggreditur Eliu ab illa, quam tres illi seniores tenuerunt: & id indicat in præsentia non obscure: neque videtur probare, aut disputandi modum, aut excusationem illam, quam sui silentii allaturi videbantur. Quæ autem futura fuerit excusatio, satis hic locus obscure & impedite significat: dicere enim possent, satis se disceptasse sapienter, cum dixerint, Iobum percussum esse a Deo, non ab homine: quo effecisse se credebant, peccatorem esse Iobum, quem Deus tam afflixisset vehementer. Sic hunc locum explicant, aut huc inclinant Latinorum plerique, Sanct. Thomas, Beda, Hugo, Lyra, Dionysius. Aut noluisse illum inclementius vrgere, cum viderent, id sibi negotii suscepisse Deum, cuius Iobus manum gravem esset expertus: Atque ideo sapienter statuisse, imponendum esse finem disputationi, quæ viro afflicto non poterat esse non molesta.

14. Vers. 14. *Nihil locutus est mihi: & ego non secundum sermones vestros respondebo illa.*] Causam reddit honestam, cur, postquam tantum operæ & studii positum est a senioribus in disputando contra Iobum; ipse voluerit tentare rursus hominem, & nouum instituere disceptandi genus. Quod ad priorem partem spectat, ait, sibi rationes esse nouas, quibus Iobi præfractum debilitet, & eo deducat indocile ingenium, vt tandem conuictus fateatur, quod antea negauerat. Quod vero ad posteriorem partem pertinet, ideo indicat, se nouis ad oppugnandum Iobum rationibus vti velle: quia cum nunquam ad illum vsque rerum articulum cum Iobo certauisset, aut cum eo de argumento simili esset collocutus, non erat, cur ad seniorum rationes & disputandi formam agendi genus attemperaret, cum neque ipse quicquam obiecisset, neque ad ipsum redditum a Iobo responsum foret: quare integrum ipsi relinquebatur argumentum, & agendi modus. An vero promissa hæc seruarit Eliu, in ipso disputationis cursu manifeste constabit.

pag. 397.b

Vers. 15. *Extimuerunt, nec responderunt vltra: abstulerunt a se eloquia.*] Hæc verba videri possunt dicta ab historico sacro, qui cum aliorum persequeretur colloquia, quasi illorum actor; nunc quasi auctor, vt pertexat historiam, interponit sua. Et dicit, aut saltem non leuiter indicat, hoc loco substitisse paulisper Eliu, expectasseque adhuc, donec seniores illi obloquerentur Iobo, aut sententiam suam aliquo modo confirmarent. Qui tamen cum orationem longam Iobi audissent attentius; neque sperarent se quicquam aduersus illum esse promoturos, neque responderunt quicquam, imo neque verbum vllum protulerunt. Hæc autem videntur includenda parenthesi: quia explicationis gratia addita sunt, & aliena a sermone continenti Eliu, qui statim ab his verbis refert se ad interrupta, & in sua persona ac nomine inchoata persequitur. ita ait autor Catenæ sensisse nonnullos, licet ipse contra sentiat, statuatque hæc quoque dixisse Eliu conuersum ad eos, quos illorum seniorum autoritas, & disciplinæ singularis opinio ad illam disputationem adduxerat. In quam sententiam inclinant alii cum S. Thoma. Neque hoc posterius mihi displicet: & quia pluribus placet, maior est in posteriorem hanc explicationem animi propensio. 15.

Vers. 16. *Quoniam igitur expectaui, & non sunt locuti: steterunt, nec vltra responderunt.*] Hæc verba satis indicant, superiora verba fuisse Eliu, quando parum a prioribus differunt, neque auferri possunt ab Eliu: ait igitur se expectasse secundo, vt loquerentur seniores, & illos sibi, vt videri poterant, æternum indixisse silentium. Quare sibi relictas videt esse partes respondendi, & si quid habet sapientiæ, quicquid illud sit coram ostendendi. 16.

Vers. 18. *Plenus sum enim sermonibus: & coarctat me spiritus vteri mei.*] Hic versus cum duobus aliis, qui proxime succedunt, eiusdem sunt argumenti, & eandem continent sententiam, diuersis tamen comparationibus explicatam. Ait igitur Eliu, plenum se esse sermonibus, aut quia in memoria tenebat omnia, quæ in longa disputatione dicta fuerant a Iobo, & tribus senioribus: aut quæ ipsi occurrebant ad producendam disputationem opportunam. Dicit ergo, vrgeri se vehementer 17.

Spiritus internus impulsus.

mentem

menter a verborum copia, quæ sic intima complent distenduntque præcordia, vt timendum sit, ne, si diu continere luctetur, ilia rumpantur. Quo loquendi modo, aut spiritu dicit se instinctum esse diuino, quod indicarat supra *v. 8.* cui nemo vmquam restitit impune: aut abundare verbis & rationibus, quæ cum erumpere gestiant, & prodire foras, illa velle comprimere magni conatus est & doloris ingentis. *Spiritus*, aut *verba* sunt, qui ex aëre, id est, spiritu formantur: aut internus impulsus, qui animum quiescere non sinit, donec conceptum sermonem foras effundat. *Vterus* aut memoria est, quæ rerum species, aut verborum formas continet & seruat, aut animus ipse, qui concipit, & concepta parturit. Est autem a parturiente sumpta metaphora, quæ conceptum & iam maturum fœtum, vt maxime cupiat renitaturque, fieri tamen non potest, quin enitatur atque in lucem edat.
18. Fortasse hic similitudo ducitur ab vtribus, vel follibus, qui sic vento aliquando distenduntur, vt leui interdum motu rumpantur. Qui autem loquacissimi sunt, & verbis aut rebus abundant, quæ aut effutiant leuiter, aut detinent superbe, folles dicuntur vento pleni, quorum ferrariis vsus est, aut folles habere dicuntur, ex quibus efflent, quos concepere, spiritus. ita Iuuenal. *satyr. 7.*

Verbosi homines cum follibus & vtribus comparati.

pag. 398. a

Qui venit ad dubium grandi cum codice nomen,
Tunc immensa caui spirant mendacia folles,
Conspuiturque sinus.

Eodem sensu Persius *satyr. 5.*

Tu neque anhelanti coquitur dum massa camino
Folle premis ventos.

Id est, non expiras ventos veluti ferrarii folles, dum ferrea massa in fornace candesit. Quod item dixit Horatius *lib. 1. satyr. 4.*

Dii bene fecerunt, inopis me, quodque pusilli
Finxerunt animi raro, & perpauca loquentem
At tu conclusas hircinis follibus auras,
Vt mauis, imitare.

19. Satis hæc significanter exprimunt ingenium verbosi hominis, quique se a loquendo cohibere non potest. Ex hoc, opinor, loco orta sunt aliqua prouerbia, in Scriptura sacra, quæ studium vehemens loquendi significant, quod cum parturientis dolore ac nixu comparatur. Quale est illud *Ecclesiastic. XIX, 11. A facie verbi parturit fatuus, tanquam gemitus partus infantis.* Et ex proximo versu illud eiusdem *capitis v. 10. Audisti verbum aduersum proximum tuum, commoriatur in te fidens, quia non te disrumpet.* Neque multum abest ab his verbis Eliu, illud *v. 12. Sagitta infixa femori canis, sic verbum in corde stulti.* Plura inuenies, quæ hinc sumuntur, aut huc alludunt.

Stulti difficile sermonem comprimunt.

Vers. 19. *En venter meus, quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas nouas disrumpit.*] Aptissima est & prouerbialis comparatio, qua explicatur ingenium loquax & impotens silentii. Sunt enim nonnulli, quos sic discruciant verba compressa & cogitationes vehementer inflatæ, vt disrumpant viscera: sicut mustum, id est, humor recenter expressus a vindemia, nisi apertum sit os, per quod furor ille æstusque despumet & deferuescat, dolia diffringit. Quare ex rustica disciplina, dolia ad certum vsque tempus non operculantur, aut oblinuntur. Eodem modo quidam in philologis est verborum æstus, & furor quidam, cui nisi adhibeas oris spiraculum, non longe sunt, vt inflati quasi fermento quodam disrumpantur. Huc, vt proxime diximus, allusum est *Ecclesiastic. XIX, 10.* vbi homo loquendi auidus, vt conceptum sermonem comprimat, admonetur: *Commoriatur*, inquit, *in te verbum fidens, quia non te disrumpet.* 20.

Verbum in stultis quasi incestum.

Hoc silentii impatiens studium aliis similitudinibus explicant profani. Vnum accipe Persium *satyr. 1.* vbi scientiam, quæ foras non effunditur, fermento comparatur & caprifico: 21.

Tun' vetule auriculis alienis colligis escas?
Auriculis quibus: & dicas cute perditus oho
Quid didicisse nisi hoc fermentum, & quæ semel intus
Innata est, rupto iecore exierit caprificus.
Scire tuum nihil est, nisi te scire, hoc sciat alter.

Fermentum inflammat massam; & si diutius in ea sit, omnino corrumpit: sic etiam scientia leuiculos homines inflat distenditque 22.

tumore typhoque superbiæ, vsque adeo inso lenter, vt ipsi sibi ipsis intolerabiles sint, & aliis intractabiles; & si illorum ora, quod fieri sæpe debet, aliquando claudantur, cum exhalare non potuerunt fumos & ventos, exhalent animam.

pag. 398.b

23. *Caprifici natura.* Caprificus syluestris est ficus, cuius ea vis est, vt saxa ipsa submoueat & frangat, quo in lucem e suis conceptaculis erumpat. Quæ dum inter iuncturas lapidum nascitur, saxa disiicit, & immania immensoque sumptu constructa imperatorum monumenta, & excitatas ad æternam memoriam moles, mortales esse non sinit. Qua de re optime Martialis *lib. 10. epigram. 2.* vbi cum dixisset, nihil manu factum fore perpetuum, vt illud probaret, ostendit, Messalæ superbissimum monumentum a caprificis fuisse disturbatum:

Marmora Messalæ findit caprificus.

Idem de sepulcris docuit Iuuenalis, quæ ad immortalitatem nominis excitauit hominum ambitio, quæ a sterili ficu, id est, caprifico, dicit esse disiecta: ad quæ nempe sepulcra

Discutienda valent sterilis mala robora ficus,
Quandoquidem data sunt ipsis quoque fata sepulcris.

Sunt quidem hæ similitudines aptissimæ ad exprimendam ambitiosi hominis inflatam eloquentiam: sed multo significantior est illa, quæ a vino sumitur nouo, seu a musto, quod vim suam & rabidum ardorem non despumauit, a quo soluuntur dolia, & in minuta frusta lagunculæ dissiliunt. Cum hoc loco facit illud *Lucæ V,37. Nemo mittit vinum nouum in vtres veteres; alioquin rumpet vinum nouum vtres.*

24. Vers. 20. *Loquar, & respirabo paululum.*] Vim verborum, quasi pondus aliquod importabile sustinere non poterat Eliu: a quo sic premebatur anguste, vt videretur, si non verba ageret, animam acturus. Ait igitur, velle se loqui, vt laborantem spiritum aliquantulum laxet, & ab illo difficili atque molesto pondere se ipsum exoneret.

Vers. 21. *Non accipiam personam viri, & Deum homini non æquabo.*] Suam causam ac studium commendat Eliu, dum dicit, in hac disceptatione nihil fore veritate potius: sibique pro Deo ita constanter esse certandum, vt nulla ipsum humana ratio, aut personarum acceptio transuersum agant a recto sinceroque iudicio. Neque tandem cum Deo comparandam hominem, eoque præsertim incumbendum in hoc congressu, vt nihil iam sit Deo omnipotente sublimius, & præ illo humana omnia instar habeant nihili. Hæc est totius orationis summa complexio, hic scopus, quo omnia conferuntur oratoris argumenta: quam sic explicat Hieronym. & ex eo Beda. Iusti, inquit, iudicii mei sententia hæc est, vt neque homini parcam vera dicendo; nec Deo iniuriam faciam, vt eum iniuste aliquid contendam fecisse. 25.

Vers. 22. *Nescio enim, quamdiu subsistam: & si post modicum tollat me factor meus.*] Ratio hæc grauissima est, quæque homines maxime a peccando peruersoque iudicio deterrere debet: quia incertum est, quando ex hac vita hominibus excedendum sit; certum vero, post mortem futurum esse iudicium. Ac tandem posse fieri, vt statim atque suam disputationem absoluerit, ipsum tollat e viuis ille, a quo creatus est, & ad iudicium auocet, vbi iudicetur reus acceptæ personæ, aut corrupti iudicii. Vitæ itaque incertitudo, & mors, quæ semper ante oculos oberrat, perpetuo nos admonet, ne quid audeamus, cuius a nobis seuerus & incorruptus iudex exigat pœnas. Addit S. Thomas, timuisse Eliu, ne satis a Deo concederetur spatii, vt acceptæ personæ, aut iniusti iudicii crimen pœnitendo purgaret. Et notat, in hoc Eliu cum Iobo concordasse; *quod retributio peccatorum esset post mortem: alias enim frustra videretur timuisse Deum offendere propter vicinitatem mortis.* 26. *Mortis & iudicii timor continet homines a peccando.*

ARGVMENTVM CAP. XXXIII.

Disponit artificiose Iobum Eliu, vt æquo animo & sine offensione audiat, quasi dicturus sit eximium aliquid, & attentione beneuola non indignum. Deinde ostendit, quid in illius oratione minime probet.

Quia

Quia nimirum sibi innocentiam arroget, & Deum nimiæ seueritatis accuset: & quod sæpe interrogatus nunquam tamen ad interrogata responderit. Cui respondet Eliu, Deum multis modis solere, quid velit, aut quid futurum sit, non obscure significare, per somnia videlicet, quæ dormientibus obiicit: aut per dolores & morbos, aut alia valetudinis incommoda; qualia Iobus est passus. Ex quibus ediscere non difficile potuit; quam inique suæ vitæ rationes instituerit. Deinde monet, vt si velit Deum sibi placare, & ad superiorem fortunam saluus redire, de vitæ mutatione serio cogitet, qui cum pronus sit ad miserendum, placido illum respiciet vultu, & liberali manu prosequetur.

CAPVT XXXIII.

pag. 399. 1. AVdi igitur Iob eloquia mea, & omnes sermones meos ausculta.

2. Ecce aperui os meum, loquatur lingua mea in faucibus meis.

3. Simplici corde meo sermones mei, & sententiam puram labia mea loquentur.

4. Spiritus Dei fecit me, & spiraculum omnipotentis viuificauit me.

5. Si potes, responde mihi, & aduersus faciem meam consiste.

6. Ecce, & me sicut & te fecit Deus, & de eodem luto ego quoque formatus sum.

7. Verumtamen miraculum meum non te terreat, & eloquentia mea non sit tibi grauis.

8. Dixisti ergo in auribus meis, & vocem verborum tuorum audiui.

9. Mundus sum ego, & absque delicto: immaculatus, & non est iniquitas in me.

10. Quia querelas in me reperit, ideo arbitratus est me inimicum sibi.

11. Posuit in neruo pedes meos, custodiuit omnes semitas meas.

12. Hoc est ergo, in quo non es iustificatus: respondebo tibi, quia maior sit Deus homine.

13. Aduersus eum contendis, quod

PARAPHRASIS.

1.2.3. Audi igitur, o Iobe, sermones meos, & sententiarum pondere fœcunda verba diligenter expende. Ecce nil iam amplius cunctatus disputationem aggredior. Neque agam simulate & callide, sed quicquid in animo concepi, id oratione eloquar sincera ac simplici. pag. 399.

4.5.6. Cum multa in te, o Iobe, superiora sint, velut ætas grandior, prudentia, nobilitas, & quæ vulgus hominum admiratur & laudat; non tamen ideo est, cur me despicias, & ab hac literaria ac philosophica congressione repellas. Nam idem, qui te, me quoque formauit Deus ex eodem luto, & spiritum indidit, quo vigerem ac viuerem. Quare nunc homini tibi non dissimili, lacessenti responde, nisi mavis illum prior ad respondendum lacessere.

7. Neque timori tibi sit sapientia mea, quam luminum pater ætati adhuc iuuenili ac rudi cœlitus inspirauit. Quod prodigio alicui videbitur affine: neque graue sit ad iuuenilem eloquentiam animum aduertisse paulisper.

8.9.10.11. Nunc audi, quod in tuis sermonibus primum accusem. Dixisti enim, quod ipse præsens hisce auribus accepi, mundum te esse atque immaculatum. Neque abs te aliquid factum, aut omissum, quod merito alicui existimari posset iniquum. Et nihilominus de te Deum conquestum esse grauiter, & te hostilem in modum accepisse crudeliter: & pedes tuos, quasi in neruo forent, sic esse constrictos, ne sicut ante qua vellent libero & expedito ingrederentur incessu.

12.13.14. Te autem non esse iustum, & queri de Deo prorsus iniuste, vel hac vna ratione conuincam, quod Deus maior sit, quam vt homo ab illo exigere rationem debeat, cur hæc vel illa faciat, quod velle tentare audacis est & impu-

non ad omnia verba responderit tibi?

14. Semel loquitur Deus, & secundo id ipsum non repetit.

pag. 400. 15. Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo.

16. Tunc aperit aures virorum, & erudiens eos instruit disciplina:

17. Vt auertat hominem ab his, quæ facit, & liberet eum de superbia.

18. Eruens animam eius a corruptione: & vitam illius, vt non transeat in gladium.

19. Increpat quoque per dolorem in lectulo, & omnia ossa eius marcescere facit.

20. Abominabilis eis fit in vita sua panis, & animæ illius cibus ante desiderabilis.

21. Tabescet caro eius, & ossa, quæ tecta fuerant, nudabuntur.

22. Appropinquauit corruptioni anima eius, & vita illius mortiferis.

23. Si fuerit pro eo angelus loquens, vnus de millibus, vt annuntiet hominis æquitatem.

24. Miserebitur eius, & dicet: Libera eum, vt non descendat in corruptionem: inueni in quo ei propitier.

25. Consumpta est caro eius a suppliciis, reuertatur ad dies adolescentiæ suæ.

26. Deprecabitur Deum, & placabilis ei erit: & videbit faciem eius in iubileo, & reddet homini iustitiam suam.

27. Respiciet homines, & dicet: Peccaui, & vere deliqui, & vt eram dignus, non recepi.

28. Liberauit animam suam, ne per-

dentis ingenii. Tu autem cum Deo stomachosius expostulas, quod non tibi ad singula postulata responderit. Quasi aliter tibi responsurus sit Dominus, quam ante fecit, aut non tibi satis ad interrogata responderit.

15. 16. 17. 18. Loquitur autem Deus, idque non raro, cum hominibus alte in suo lectulo dormientibus varias obiicit rerum imagines, quibus alloquitur homines, & quid opus sit facto, non obscure docet. His admonet, vt qui aliquid moliuntur iniustum meliora cogitent, & ab illa recedant semita, quam ingressi sunt, & insolentes abiiciant spiritus, seque Deo totos & omnino subiiciant. Neque dum tales obiicit dormientibus species, aliud agit beneuolus ac prouidus pater, quam vt a peccatore gladium & exitium auertat. pag. 400.

19. 20. 21. 22. Alio etiam modo loquitur Deus, & peccatorem hominem admonet, & a peccando deterret, dum morbos immittit & dolores, qui illum cogunt in grabato decumbere. Eoque redigit, vt etiam ossa tententur ab horribili tabe, & a sua firmitate soluantur, vbi nauseante stomacho eos fastidit & reiicit cibos, quos prius, vt pote palato non ingratos, appetebat: caro præterea defluit fœda tabe putris, & nudata a carnibus ossa horrent & albescunt. Et tandem mortiferis compunctus aculeis extremum cogitur exhalare spiritum.

23. 24. 25. Quod si ille idem, quem peccatorum multitudo & grauitas ad mortis hiantes fauces adduxerunt, se peccasse doleat & religioni studeat, & aliquis ex angelorum millibus, pro illo Deum oret, & quid bonorum egit, ante oculos ponat, facile illum ad misericordiam inflectet, eoque adducet, vt ipsi iubeat angelo, vt quando aliquid in eo videt, quod conceptam iracundiam leniat, illum a morte liberet, & ab statu, in quo videtur, dum pœnas expendit scelerum, iam esse consumptus, ad illam referat conditionem, quam florentem habuit in ætate priori.

26. 27. 28. Cum homo Deo supplices obtulerit preces, placabit eum sibi, & faciem eius videbit, a quo etiam respicietur placido atque sereno vultu. Et cum publica confessione hominibus dixerit, se peccasse, & pro scelerum magnitudine leniora subiisse supplicia, accipiet bona, quæ, cum peccator esset, ante perdiderat, seque

geret in interitum, sed viuens lucem videret.

29. Ecce, hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos.

30. Vt reuocet animas eorum a corruptione, & illuminet lucem viuentium.

pag. 401. 31. Attende Iob & audi me: & tace, dum ego loquor.

32. Si autem habes quod loquaris, responde mihi, loquere: volo enim, te apparere iustum.

33. Quod si non habes, audi me: tace, docebo te sapientiam.

que ipsum ab eo, qui iam impendebat, interitu liberabit.

29. 30. Hæc autem, quæ dixi, de vita bonisque sublatis a peccatore, & eidem, si tamen ad se Deumque rediit, restitutis; facit Deus non semel & parce, sed liberaliter ac sæpe: quem saucium corpore, & rebus spoliatum externis locupletem reddit & incolumem.

31. 32. 33. Quid tacite, o Iobe, contra me pag. 401.
tecum obmurmuras? quid faciem stomachosius auertis? quasi, quæ a me dicuntur, superbe despicias? Audi iam, & aduerte faciem, neque me loquentem impedias obstrependo. Quod si quicquam habes, quod obloquaris, aut tuam innocentiam probes, audiam non inuitus? Vt enim cupio te esse, sic etiam aueo te apparere iustum. Quod si nihil habes, quod in tuæ causæ defensione respondeas, aut quo te sapientem esse doceas, tace, & audi, fortasse ex mea doctrina incipies esse sapiens.

Vers. 1. *Audi igitur eloquia mea, & omnes sermones meos ausculta, ecce aperui os meum.*]

pag. 401. a
1. HActenus cum tribus senioribus locutus fuerat Eliu, quos ne videretur aut obseruasse parum, aut contempsisset, rationem reddidit, cur post illorum longam disputationem, ipse quoque quasi succenturiatus disputaturus in stadium descendat. Nunc Iobum ad certamen disponit, vt æquo animo & sine offensione audiat, quasi dicturus sit eximium aliquid, & beneuola attentione dignum. Quod indicat nouum dicendi genus, in quo eadem sententia quater iteratur: *Audi eloquia mea: ausculta sermones meos: aperui os meum: loquatur lingua mea.* in hac enim verborum geminatione esse apud Hebræos singularem epitasin, res est nota. Sic Moyses *Deut. XXXII, 1.* magnum aliquid promittit, dum dicit: *audite cœli quæ loquar*, &c. & Isaias *cap. I, 2.* deinde cum dicit: *loquatur lingua mea in faucibus meis.* videtur a Iobo petiisse loquendi facultatem, quæ res magnam init ab auditore beneuolentiam & gratiam.

2. Vers. 2. *Simplici corde meo sermones mei, & sententiam puram labia mea loquentur.*] Hoc quoque principium valde ad attentionem & beneuolentiam idoneum maxime apud Iobum, quia eam ob rem non ita bene de amicorum sententia iudicabat. Ait ergo, a sermonibus suis non solum abfuturam personarum acceptionem, quod ante dixerat, sed odium & inuidiam. Quæ vbi in iudiciis aut controuersiis non intercedunt, a simplici corde funduntur sermones, & sententiam puram labia loquuntur.

Vers. 4. *Spiritus Dei fecit me, & spiraculum omnipotentis viuificabit me.*] Multa omni- 3.
um consensu erant in Iobo superiora, quæ neque attigisse, neque ad illa aspirare potuisse videbatur Eliu. Erat in primis ingenii vigor & acies a natura, iudicii maturitas ab ætate iam grandi; erat nobilitas splendorque natalium; & variis testimoniis & signis explorata & commendata virtus. Quæ omnia adolescentem neque ita nobilem neque pruden- pag. 401. b
tia, aut experientia maior, quam afferre posset iuuenilis ætas, ab ea congressione retardabant. Quare acute Eliu eo vsus argumento, quo Iobus dicebat *cap. XXXI, 15.* sibi non esse contemnendum pauperem: *Nunquid non in vtero fecit me, qui illum operatus est?* ipse etiam

iam probat licere sibi cum Iobo disputando congredi, cum ab eodem opifice Deo formatus fuerit, ex eodem luto, & omnis sapientia a Patre luminum deriuata sit, id est, ab eo, qui non minus ipsi, quam Iobo spiritum inhalauit & vitam dedit. Est autem hic allusum ad hominis primi formationem, quem finxit Dominus e limo terræ, & inspirauit illi spiraculum vitæ. Quare cum par sit vtriusque conditio, neque origo dissimilis: neque vlla appareat grauis ratio, cur certamen illud detrectare debeat, hortatur, vt se ad respondendum paret, aut etiam ad lacessendum. id enim valet: *Si potes, responde mihi, & aduersus faciem meam consiste.* ita S. Thom.

4. *Insigniter arrogans iudicatur Eliu.* Vers. 7. *Verumtamen miraculum meum non te terreat: & eloquentia mea non sit tibi grauis.*] Hic ex Interpretibus quidam arrogantes in Eliu spiritus agnoscunt: quasi fateatur, sibi cum Iobi reliqua esse paria; illud vero sibi esse excellentius, quod maiorem a Deo sapientiam & eloquentiam singularem acceperit. ita Gregorius, S. Thom. autor Catenæ, Caietanus, qui *a versu 4.* ad hunc vsque locum egisse putant Eliu, quasi spiritu afflatus esset diuino, & longe esset humana sapientia captuque superior. Quare iuxta hæc prodigiosam vocat sapientiam suam, & diuinæ similem, vtpote inspiratam a Deo, cum qua comparari nulla potest sapientia, quæ humano comparatur studio & ætate longa. Hanc porro sapientiam dicit Iobo non futuram terrori, quod ille metuere se dixerat supra *cap. IX, 34. Auferat a me virgam suam, & pauor eius non me terreat; Loquar, & non timebo eum: neque enim possum metuens respondere.* & *cap. XXIII, 6. Nolo multa fortitudine contendat mecum: nec magnitudinis suæ mole me premat.* Quod si hoc non timeret, non dubitaret iudicio cum Domino contendere, & pag. 402. a suam cum illo causam disceptare, vt dixit ibidem *v. 4. Ponam coram eo iudicium, & os meum implebo increpationibus.* Prouocat ergo Iobum Eliu, quasi pro Deo contendat, & Dei in eo congressu personam causamque sustineat: ac si diceret: Timebas, o Iobe, in iudicium certamenque cum Domino descendere, ne te sua maiestate terreret & opprimeret. Sed iam timere noli diuinam maiestatem: neque enim tibi eripiet loquendi facultatem, & tuto poteris in iudicio ius persequi tuum, & tuæ causæ æquitatem tueri. Ego enim illustratus & instructus a Deo, pro Deo loquar, si me iniqui conuiceris iudicii, Deum ipsum conuictum arbitrare: quia nihil aliud in præsentia loquar, quam quod mihi diuina, quæque falli aut fallere non potest, sapientia suggesserit. Hæc autem miraculosa scientia, seu scientiæ miraculum, quæ in suo fonte, id est, in Deo terreret te, in me non terrebit, quia homo sum ab eodem, quo tu, artifice & ex eadem materia formatus. Hæc satis indicat autor Catenæ, cum ait: *Quoniam dixerat Iobus, & timor eius non me commoueat; idcirco Eliu, inquit, nihil a me tibi horribile potest accidere, sicut potest a Deo, qui & perturbare te facile potest, & mentem permouere, vt plane, quæ contra me habes, proferre non possis. Nec vero est, quod dicas, vereri te, ne graui te manu vrgeam mea, memini enim, cum diceres, nisi id formidares, te cum Deo certamen suscepturum.*

Hæc ille acute: sed sane persuadere mihi nunquam potui, quantumcumque hunc Eliu sua siue falsa, siue vera miraculosæ sapientiæ inflaret opinio, eo progressurum arrogantiæ, vt sibi personam assumeret diuinam & prodigiosam, aut miraculosam suam appellaret sapientiam; neque id ferret tacitum a tribus senioribus, qui suo iure poterant iuuenilem illam audaciam cohibere, & spiritus comprimere immoderatius insolentes. Quare verius existimo, quod putat S. Thomas, & cum eo Latinorum multi, qui dicunt, admoneri Iobum ab Eliu, vt libere & sine vlla perturbatione respondeat, licet enim sapientiam habeat diuinitus inspiratam, quod satis probare videtur iuuenilis ætas, in quem non videbatur cadere posse tanta rerum cognitio, nisi foret e cœlo largiter infusa; tamen se hominem esse; neque difficilem fore, si quid pro se afferat Iobus, aut si quæ ab ipso proponuntur, confutare studeat. Hæc autem tenent, aut indicant Latinorum plerique, quæ licet non leuem indicent iuuenilis animi arrogantiam, est tamen minor, quam insinuat superior explicatio. 5. *Ab insigni, quadam insolentia defensus Eliu.*

Vers. 8. *Dixisti enim in auribus meis.*] Incipit iam Eliu, postquam Iobum ad disceptationem 6.

nem

nem apte disposuit, & reliquos ad attendendum erexit, in quo minus sibi Iobi placuerit oratio, quod ipse, dum datur disputandi facultas, improbare ac confutare studet. Quo autem suam aliis pietatem & studium probet, diuini nominis & æquitatis defensionem suæ disputationi prætendit.

7. Vers. 9. *Mundus sum ego, & absque delicto, immaculatus, & non est iniquitas in me.*] Quædam Eliu repetit, quæ vere dicta sunt a Iobo: aliis nonnihil affingit, quod causam Iobi iniuste premit & illius gloriam aliquantulum obscuret. Alia aut non intelligit, aut interpretatur iniquius; in quibus exponendis minus nobis assumetur operæ, quia iam suis locis sufficienter, opinor, explicata sunt. Tantum illa digito demonstrabimus, & quid in illis Eliu malitiose aut inconsiderate peccauerit, ostendemus. Hæc autem verba, quæ in Iobi oratione improbat Eliu, sunt *c. X, 7. Et scias, quia nihil impium fecerim:* & *cap. XVII, 2. Non peccaui, & in amaritudinibus moratur oculus meus.*

pag. 402. b

8. Vers. 10. *Quia querelas in me reperit.*] Has querelas videtur Eliu ex variis Iobi locis collegisse, in quibus videtur conquestus esse Iobus, eo quod Deus aliquid videatur in Iobo punisse; quod ipse non admisisset. *cap. IX, 30. Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ; tamen sordibus intinges me. cap. X, 15. Si impius fuero, væ mihi est: & si iustus, non leuabo caput saturatus afflictione & miseria.* & *v. 17. Instauras testes tuos contra me; & multiplicas iram tuam adversum me.* & *cap. XIII, 26. Scribis contra me amaritudines, ideo arbitratus est me inimicum sibi.*

9. Hoc dixisse videtur Iobus *cap. XIII, 24. Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum.* & *cap. VII, 20. Quare posuisti me contrarium tibi.*

Vers. 11. *Posuit in neruo pedes meos.*] Hæc habes *cap. XIII, 27 Posuisti in neruo pedem meum*: vbi etiam sunt verba alia, quæ hic repetuntur ab Eliu: *& obseruasti omnes semitas meas.*

11. Vers. 12. *Hoc est ergo, in quo non es iustificatus. Respondebo tibi, quia maior sit Deus homine.*] Hoc est totius disputationis argumentum, & thesis, quam tractat quam longissime & accuratissime Eliu: quia in hoc tanquam in cardine tota vertitur orationis controuersia. his ergo quæstionibus, & aliis innumeris, in quibus hærere posset audax hominum & curiosorum ingenium, hæc vna ratio abunde satisfacit. Quia Deus homine maior est, sapientia, maiestate, robore, atque ideo plura potest quam homo, plura illi in inferiorem hominum naturam licent, quam homini in hominem, quorum est æqua, aut saltem non adeo diuersa conditio. Quare iniquus est, vt quod seruus de Domino queri, aut quærere non debet: neque modeste ac verecunde potest, id faciat homuncio vilis adeo, cui pro ratione ac lege satis est, si dicat, id sibi placuisse. Quare accommodate ad hæc Iobum accusat Eliu, quod a Deo suorum consiliorum factorumque rationem petat, quod Dominus suo iure a subiecta sibi familia petit; a Domino autem inferior non facit, nisi prius sanam mentem & verecundiam exuerit.

Vers. 13. *Aduersus eum contendis, qui non ad omnia verba responderit tibi.*] Stuporis arguit & impudentiæ Iobum Eliu, quod sæpe rationem exigat, cur hæc vel illa faciat; quasi esset similis sibi, aut etiam inferior, qui alieno præscripto viueret, non arbitratu suo. Fecisse autem videtur Iobus hoc persæpe. *cap. X, 2. Indica mihi, cur me ita iudices: nunquid bonum tibi videtur: si calumnieris, & opprimas me opus manuum tuarum? c. XIII, 22. Responde mihi, quantas habeam iniquitates & peccata.* Pro Deo respondit Eliu, licet Deo pro responsione sit satis, imo plus satis, pro sua maiestate ac iure, id quod in homine, licet princeps sit, & summam in alios potestatem habeat, reprehendi solet, idque meritissime: 12.

Sic volo, sic iubeo: sit pro ratione voluntas.

Vers. 14. *Semel loquitur Deus, & secundo id ipsum non repetit.*) Varie hic locus exprimitur. Est qui putet, ironice hic loqui Eliu, quasi reprehendat Iobum, quod dixerat, Deum non respondere: neque aperire, cur tot modis ipsum exerceat & vexet: cum non semel aut vno modo locutus fuerit: vel per somnia, cum ipsum quietem capere non sinit. Quod de se ipso Iobus confessus est *cap. VII, 13. Si dixero, consolabitur me lectulus meus, & releuabor loquens mecum in strato*

pag 403. a

13. *Deus multis modis loquitur hominibus.*

strato meo: terrebis me per somnia, & per visiones terrore concuties. Vel per dolores varios aut aliis modis, quod statim pluribus refert & amplificat. Quasi dicat: Quod quereris, ô Iobe, quod Deus nunquam tibi ad interrogata responderit, quasi semel tantum, & non secundo tecum ac sæpius locutus fuerit; ostenderitque, cur te duris acceperit atque versarit modis. Hæc explicatio difficilis non est: & mihi non displicet.

14. S. Thomas, & cum illo ex Latinis nonnulli, Lyra, Dionysius, Hugo, illud *semel* idem esse putant, quod *sufficienter.* Quod Scripturæ sacræ vsus non respuit. *Semel* (ait Sanctus Thomas) *loquitur Deus, scilicet homini sufficienter ad eius instructionem. Vnde deinceps non oportet, quod ad singulas hominum interrogationes respondeat. Vnde subdit: & secundo id ipsum non repetit: quia quod sufficienter factum est, iterum superfluum esset.* Hæc quoque explicatio facilis & idonea.

15. Semel *idem quod omnino, & immutabiliter.*

Verum in illam magis inclinat animus, quæ Hieronymo placuit, & aliis, qui ab Hieronymo perquam raro discedunt, Bedæ, & Philippo, item Caietano, & aliqua ex parte Titelmano & Stunicæ. Quatuor aperte hæc de diuinæ vocis immutabilitate capiunt: quasi frustra laboret Iobus, dum diuinæ voluntatis placitum inflectere, & quod semel a Deo dictum est, immutare vult. Quasi quod dictum est, indictum sit, neque quod visum est Deo, scopum sibi destinatum attingat. Sic autem Hieronymus: *Vbi Deus semel loqui significatur, stabilita ac definita eius sententia demonstratur, loqui enim Deum efficientiæ eius res intelligitur. Semel loquitur Deus; & secundo id ipsum non repetit, id est, non immutatur Deus, nisi hoc ipsum vitæ nostræ mutatio depoposcerit.* Quem vsum tam apud sacros, quam apud profanos habet *semel.* illud familiare est: *vt semel dicam*; id est, ne sit opus hoc amplius repetere. Virgil. *lib. 11. Æneid.*

—Qui ne quid tale timeret
Procubuit moriens, & humum semel ore momordit.

Ouidius *epist. 5.*

Nulla reparabilis arte
Læsa pudicitia est; deperit illa semel.

Neque hoc apud sacros infrequens, *1. Reg. XXVI, 8.* sic Abisai de Saul: *Perfodiam eum lancea in terra semel; & secundo opus non erit. Psalm. LXXXIIX, 36. Semel iuraui in sancto meo*, id est, irreuocabiliter. Qui dicendi modus in ferendo iudicio legitimo foro frequens est, nam quæ pronuntiauit iudex, vbi suo iam perfunctus est munere, reuocare aut non potest, aut non solet. Iuxta quam inductam a lege consuetudinem dixit Pilatus *Ioan. XIX. 22. quod scripsi, scripsi*, id est, quod semel a me dictum, aut decretum est, reuocari non potest. In hac porro Iobi causa, quam Dominus, vt censet Eliu, expendit, & punit tanquam iudex, semel Deus suum de Iobo decretum pronunciauit: quare inanes existimat Eliu Iobi querelas, aut preces, cum pag. 403.b
Deus iudiciali more, quod semel statuit, mutaturus non sit.

16. *Deus contra quam putabat Eliu semel idem ac sæpius repetit.*

Nihilominus ex tribus hisce vnam ego conflo sententiam: neque accusari Iobum ab Eliu, quod toties a Deo seueri iudicii, & acerbissimi diuturnique doloris causam exquirat; cum iam eam semel ostenderit, aut per somnium, aut ipso supplicii genere: quod scelerum naturæ ac grauitati attemperatum est. Neque præterea solere Deum, quæ semel locutus est, secundo repetere, neque opus esse, cum illius sit immutabile decretum; aut quod ab illo semel pronuntiatum est: Neque præterea fas esse, vt homo a Deo exigat, quod a Domino suo seruus neque solet, neque debet. Porro quod dicit Eliu, Deum loqui semel, neque secundo pronunciata repetere, accipiendum est tanquam ab eo dictum, qui humano loquitur spiritu ac sensu; qui sæpe errat, non instructus aut afflatus a diuino: licet hoc sibi superbe ac falso arroget Eliu. Nam reuera Deus idem sæpe repetit, vt constat ex Prophetis, per quos Deus homines suorum scelerum & impendentis supplicii sæpius admonuit, vt patet de decem tribuum dispersione, & seruitute longa, & deinde de duarum exilio ac cæde. Sæpe Tyrus & Babylon, sæpe Idumæa & Ægyptus de suo interitu a Deo per alios atque alios Prophetas audierunt. Quare vt sæpe tres amici Iobi, vt ante vidimus, sic etiam Eliu nunc neque semel, neque leuiter errauit.

Vers. 15. *Per somnium in visione nocturna.*] 17.

Osten-

Deus tam viris sanctis, quam improbis locutus per somnia.

Ostendit Eliu, quomodo Deus alloquatur homines, eosque de futuris rebus, & ad salutem necessariis admoneat. Hoc quidem verum est, & illustrissima Scripturæ sacræ docent exempla: neque viris sanctis proprium, sed etiam cum viris impiis gentilibusque commune. De bonis probat Abraham, Iacob, & vterque Iosephus: de sceleratis atque ethnicis Pharao, Nabuchodonosor, Laban. Cumque somnia multa sint a Deo, eaque quam verissima, sunt tamen a dæmone quamplurima, quæ dormientibus illudunt, & in fraudem inducunt. His, opinor, somnius illusi sunt Idumæi non raro, vt colligere mihi videor ex *cap. IV*, vbi Eliphaz quædam se dicit in somno didicisse: quæ, vt ibi ostendimus, oblata fuerunt illi per quietem a dæmone; non inspirata a Deo. Vide, quæ nos *ibi* pluribus de somniis.

18.

Aperire seu reuelare aures quid.

Vers. 16. *Tunc aperit aures virorum.*] Ostendit Eliu, quid nocturnæ species dormientibus oblatæ in hominum animis efficiant, quod prodit non obscuris indiciis, a quo spiritu nocturna illa spectra prouenerint; de quibus statim. Nunc obseruandus dicendi modus in Scriptura non infrequens. Qui cum altero loquitur, suaque illi consilia manifestat, illius dicitur aperire, seu reuelare aures. Quod cum aliquando de homine, frequentius tamen dicitur de Deo, *1. Reg. IX, 15. Dominus autem reuelauerat auriculam Samuelis. Isaiæ XLIIX, 8. Neque audisti, neque cognouisti; neque ex tunc aperta est auris tua.* & *cap. L, 5. Dominus aperuit mihi aurem, & ego non contradico.* & *1. Reg. XX, 13.* Sic Ionathas ad Dauid: *Reuelabo aurem, & dimittam te.* In hoc porro dicendi genere antecedens consequentis loco ponitur; apertio scilicet, aut reuelatio aurium, pro auditu.
p.404.a Quidam hanc loquendi formam natam esse putant ex Hebræorum consuetudine, qui cum antiquis sæculis prolixam alerent comam, eaque aures operirent, si quis arcanum aliquid in illorum aures insusurrare vellet, deducebat defluentes capillos, & in apertas aures tacito murmure aliquid instillabat. Hæc illorum cogitatio fortasse vera: de qua ego nihil affirmo; quia aliquid video, quod hanc cogitationem non multum iuuat. Sed ea in re aut nihil est, aut parum momenti.

Vers. 17. *Vt auertat hominem ab his, quæ* 19.
fecit, & liberet eum de superbia.) Quid Deus in hominum animis per somnium efficiat: & quibus indiciis vera a falsis somniis internoscenda sint, docuimus pluribus *in nostris Commentariis* ad illud *Isaiæ XLIIX, 8. Neque ex tunc aperta est auris tua.* Hoc ipsum nunc efficit, & docet Eliu. Ait itaque id agere Deum, dum somnia sua hominibus immittit, vt illos a prioribus consiliis, id est peruersis cogitationibus studiisque deterreat: ac tandem, vt se ipsos penitus agnoscant; & suæ vilitatis gnari, neque magnifice de se cogitent, neque superbe loquantur. Hæc ab Eliu quam verissime dicta sunt, neque enim quæ a Deo inspiratur scientia, spiritus inflat, aut ambitiosis cogitationibus illudit: sed potius quam sit homo vilis, quam inops & miserabilis, edocet. Quare si quid in somniis accepit Eliu, id a malo spiritu potius, quam a bono oblatum esse constat: neque enim eos ad disputationem istam spiritus attulisset, omni ex parte vanissimos, si loquentem in somniis, vt pareret, Deum audisset. Deus enim neque inutilia loquitur, neque vana; timentem hominem reddit & obsequentem, non præfracti atque audacis ingenii.

Vnde cognoscatur, an aliqua dæmonis sit illusio, vel vera reuelatio.

Vers. 18. *Eruens animam eius a corruptione,* 20.
& vitam illius, vt non transeat in gladium.) Dum homo a præteritis erratis pœnitendo recedit, & superbiam, communem virtutum omnium tineam pestemque maximam, declinat, animam suam a corruptione liberat & vitam a gladio: id est, æternam effugit & temporariam mortem, quæ peccatori accidit tempore non suo, quam affert interdum gladius; & vis externa, non naturæ necessitas, aut ætas longæua, cui suo iure aduenitur mors non immatura. Hæc communiter. Sunt tamen nonnulli, qui vtrumque hemistichium de morte accipiunt temporaria, cum aliquo tamen discrimine. Cum enim mors a causa aliquando nascatur intrinseca, qualis est febris, tabes, aut alius quiuis morbus, qui a naturæ debilitate prouenit, aliquando ab extrinseca, qualis est ruina domus, laqueus, gladius, & quæ aut ab hoste iniuste, aut a iudice æquo iure comparantur, prior pars mortem indicat, quam secum affert natura mortalium:

 poste-

posterior, quam infert vis externa, quæ hoc loco per synecdochen significatur in *gladio*. ita S. Thomas in expositione secunda, Caietanus: qui tamen in *corruptione* mortem intelligit repentinam & subitam: qualem subit, qui in foueam incidit aut laqueum, in quo subito ab insidiatore confoditur, sicut a venatore fera: a qua sententia Pineda non abhorret; indicat Stunica, qui animam hic pro corpore vsurpari putat: & quidem *animam* vsurpari pro vita, satis est in Scriptura familiare. Neque parum fauet, quod שחת *sachat*, pro qua Vulgatus *corruptionem* reddidit, foueam significat & sepulcrum.

p.404.b Vers. 19. *Increpat quoque per dolorem in*
21. *lectulo: & omnia ossa eius marcescere fecit.*] Alio sermonis genus producit Eliu, quo Deus interdum vtitur, vt homines admoneat & a peccando deterreat. Mittit enim dolores & ægritudines, quas per lectulum explicat, quia ægroti plerumque in lectulo decumbunt. Et eo redigit, vt non solum caro, quæ fluxa est, sed etiam ossa, quæ dura sunt, & minus tabi ac putredini obnoxia, marcescant, & a sua firmitate soluantur. Hoc idem de se dixerat Iobus *cap. XXX, 16. Nunc autem in memetipso marcescit anima mea, & possident me dies afflictionis. Nocte os meum perforatur doloribus.* Vide quæ nos ad illum locum, quæ maxime huc faciunt. Ad quem respexisse videtur Eliu, & ex eo hæc verba in Iobum expressisse: vt ostendat, Deum ad illum non semel, sed iterum ac sæpius sermonem habuisse.

Dolore, morbo & a liis multis modis loquitur Deus.

22. Vers. 20. *Abominabilis ei fit in vita sua panis, & animæ illius cibus ante desiderabilis.*] Hoc quoque Dei verbum est, quo homines excitat & informat; cum ad omnem cibum quantumcumque lautum atque iucundum, nauseat. Qua de re ipse quoque Iobus non pauca *cap. III. 24. Antequam comedam suspiro.* & *cap. VI, 7. Quæ prius nolebat tangere anima mea.* ibi nos satis hac de re multa, & *cap. II. 42.* nonnulla, quæ satis expediunt, quæ locus iste videbatur exigere.

23. Vers. 21. *Tabescet caro eius, & ossa, quæ tecta erant, nudabuntur.*] Hæc quoque de se ipso ante Iobus *cap. XIX, 20. Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum:* & *cap. XXX, 30. Cutis mea denigrata est super me; & ossa mea aruerunt præ caumate.*

Vers. 22. *Appropinquauit corruptioni anima eius: & vita illius mortiferis.* Id quoque 24.
Iobus de se confessus fuerat *cap. X, 20. Nunquid paucitas dierum meorum finietur breui?* & *cap. VII, 15. Quamobrem elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea. Desperaui, nequaquam vltra iam viuam. Mortifera* autem illa dicuntur, quæ proxime sunt, vt exhausto corpori & carni iam tabidæ, & in saniem diffluenti mortem inducant. Cum autem per hæc omnia loquatur Deus: & omnia hæc sibi contigisse fateatur Iobus; consequens est, vt multis variisque modis diuinum de se responsum audierit.

Vers. 23. *Si fuerit pro eo angelus loquens,* 25.
vnus de millibus, vt annuntiet hominis æquitatem.] Ex his non dubium est, quin Eliu idem senserit, quod tres alii seniores, & amici Iobi, nempe multorum scelerum reum esse Iobum; & propter peccata tot ærumnarum atque dolorum diritate torqueri. Quare hortatur, vt meliora meditetur, & superioris vitæ corrigat errata, ac tandem speret, si vitam mutet, mutatum quoque iri statum atque fortunam, qua nihil videtur durius posse contingere. Quod etiam tres illi amici superius admonuerant.

Angelus in Scriptura non vno modo sumi- 26.
tur, frequentius substantiam significat spiritualem, qualis est dæmonum, qui e cœlo ceciderunt; & eorum spirituum, qui assistunt Deo, & ad Dei gloriam, & ad hominum salutem variis inuigilant ministeriis. Interdum Prophetas & prædicatores, quibus id datum est a Domino negotii, vt homines errantes & deuios ad religionem officiumque traducant. Quo sensu Christus vocatus est angelus *Isai. IX, 6.* de Christo iuxta Septuaginta: *Vocabitur nomen eius magni consilii an-* pag.405.a
gelus. Malach. III, 1. Statim veniet ad templum sanctum suum dominator, quem vos quæritis, & angelus testamenti, quem vos vultis. Item homines, qui Dei sunt nuncii, & Dei causam in terris agunt, angeli dicuntur. sic Malachias *cap. III, 1* de Baptista: *Ecce ego mitto angelum meum.* & *cap. II, 7.* Sacerdotem angelum vocat Domini exercituum.

Angelorum nomen quam late pateat.

Qui-

Quidam de Prophetis, aut viris sanctis hunc locum accipiunt, per quos Deus alloquitur Iobum, quales videri possunt fuisset res amici: & nunc ad extremum Eliu: qui hortantur Iobum, vt se peccatorem agnoscat, & sua peccata pœnitendo deleat.

27. REGVLA. Alii substantias intelligunt spirituales, non tamen beatas, quæ assistunt Deo, & illius conspectu fruuntur, sed quæ de cœlo ceciderunt, quibus Deus interdum administris vtitur, vt pœnas scelerum a peccatoribus exigant. Ita putant, qui lectionem sequuntur LXX. qui ita conuertunt: *Si fuerint mille angeli mortiferi, vnus eorum non vulnerabit eum.* Vbi sic auctor Catenæ: *Qui extremis cruciatibus exercetur, si per passionis suæ causam in peccato consistere intellexerit, atque ad Deum de errato suo confessus se conuerterit, impendentem mortem inhibebit, etiam si sexcenta sint, quæ mortem accersant atque lacessant; pœnitentia enim peccatum delet, placatque Deum, vt sententiam reuocet, decretumque rescindat.*

28. Communiter alii angelum intelligunt bonum cum S. Thoma, quod item indicat Hieronymus, & Beda. Angelos autem bonos de hominum salute esse solicitos, & eorum causa laborare, satis indicat hic locus, qui saltem probat, hunc esse communem hominum sensum. Offerri autem Domino hominum preces ab angelis, habemus *Tobiæ XII, 12. Quando orabas cum lacrymis*, &c. *ego obtuli orationem tuam Domino. Apoc. IIX, 3. Et alius angelus venit, & stetit ante altare*, &c. *& data sunt ei incensa multa, vt daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum.*

29. *Antecedentia turpia per consequentia honesta significantur.* Nunc videndum, cur angelorum hoc loco meminit Eliu. Ego hic callidi neque inurbani hominis ingenium agnosco; qui ita hortatur Iobum, vt pœnitentiam agat; vt tamen illius faciem non suffundat pudore. Meminit æquitatis & veniæ, in quibus nihil est indecori; neque peccati meminit, a quo liberatus est, in quo tantum spectari turpitudo poterat. Quare angelus inducitur, qui coram Deo Iobi commendat æquitatem, quam pœnitendo consecutus est. Hoc artificio, qui vrbani sunt, rerum turpitudinem modeste tegunt, & si quid auditu absurdum est & horridum, verborum honestate dissimulant & molliunt: idque frequentius a consequentibus, quæ res antecedentes necessario supponunt, aut indicant. Fieri autem solet, vt cum antecedentes causæ turpes sint, effectus tamen consequentes sint honestissimi. Turpe est, operam dare damnatæ Veneri; sed nasci ex eo concubitu filium, non adeo indecorum. Quare minus indecore dicimus, ex aliqua fœmina puerum esse natum, quam illam adulterii aut incestus subiisse flagitium. Mors aliquid significat funestum & triste; funus & exequiæ aliquid honestum & gloriosum. Quare homines honestius dicuntur exequiis honestari, quam vitam amisisse. Fecit hoc Cicero, qui cum a consulibus ab hoste captis remouere vellet captiuitatis ignominiam, & a consulari nomine seruilem notam, non dixit captos esse, sed redemtos consules; quia redemptio indicat, præcessisse captiuitatem: vt sonet aliquid non ingratum. Hoc puto artificio vsus est Eliu. Hortatur Iobum, vt per pœnitentiam peccata deleat, vt æquitatem obtineat, & ab his ærumnis, quibus vehementer affligitur, emergat. Neque tamen peccati aut pœnitentiæ meminit; sed æquitatis & libertatis a morbo, quod opus est pœnitentiæ; neque aliquid olet turpe, aut ingenuo homine indignum. pag. 405. b

Vnus de millibus.] Non ignorabat Eliu, angelos esse, id est, spirituales substantias, quæ assistunt Deo, quod discere potuit ex historia Abrahami: ex quo genus per Esau traxerunt Idumæi, cum quo sæpe locuti sunt angeli, vt constat, & ex historia Iacob, quæ eodem prope tempore contigit, quo cum luctatus est angelus, & familiariter locutus. Quod etiam nouerat Eliphaz, qui *cap. IV, 18.* dixit: *& in angelis suis reperit prauitatem.* Esse autem angelos magno in numero, dixit supra Baldad *cap. XXV, 3. Nunquid est numerus militum eius?* Vterque discere potuit a Iacob, de quo *Genes. XXXII, 1. Fueruntque obuiam angeli Dei: quos cum vidisset, ait; Castra Dei sunt hæc.* Qui dicendi modus multitudinem indicat. 30.

Vers. 24. *Miserabitur eius, & dicet, libera eum, vt non descendat in corruptionem.*] Cum angelus, qui pro Iobo stat coram Deo, quanta fuerit illius morum vitæque mutatio, propo- 31.

poſuerit, obtinebit facile a Deo, qui pronus eſt ad miſerandum, peccatorum veniam, & ſalutem, quam varia corporis cruciamenta ſuſtulerant. Quare præcipiet ſtatim angelo cuſtodi ſeu patrono Iobi, vt à mortis faucibus, in quas coniectus exiſtimari potuit, illum quam primum extrahat, ne, quod erat reliquum & proximum, omnino contabeſcat. Hæc eſt S. Thomæ, Hieronymi, communis denique ſententia. Quidam illud *miſerabitur*, & alia non pauca ex ſequentibus angelo tribuunt; minus tamen apte.

32. *Deum ad miſericordiam pronum ipſi nouere gentiles.*

Inueni in quo ei propitier.] Verba hæc Dei ſunt, ſicut priora. Quæ ſatis indicant, quam ſit Deus ad miſerandum pronus, cum in nobis quærat cauſas, quæ ipſum ad miſericordiam inflectant, quod ſingularis eſt miſericordiæ. Non amat condemnationem noſtram, qui vſque adeo bene cupit, vt ſinus in nobis capacitatemque deſideret, in quam ſua munera largus effundat. Non furit in nos præceps ab ira ſtudioque vindictæ, qui aliquem optat, qui ſe medium & interceſſorem opponat, qui extentum brachium a vulnere ſuſpendat. *Ezech. XXII, 30. Quæſiui de eis virum, qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me pro terra, ne diſſiparem eam: & non inueni.* & iterum *cap. XIII, 5. Non aſcendiſtis ex aduerſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael.* Mirum eſt, hominem gentilem hoc de Deo tam ingenue & magnifice ſentire.

33. Verſ. 25. *Conſumpta eſt caro eius a ſuppliciis, reuertatur ad dies adoleſcentiæ ſuæ.*] Hæc quoque verba Dei ſunt, qui miſeretur illius hominis fortunæ, cuius caro eſt a morbo tabeque conſumpta, quæ ſcelerum pœna fuit. Qui iam mitior, quaſi a peccatore iam exegerit pœnarum ſatis; iubet, vt iam quaſi depoſita
p.406.a ſenecta, id eſt, ſquamoſa & exuſta, ac perforata cute, ad florem redeat, & nitorem iuvenilis ætatis.

34. *Pœnitentiæ admirabilis virtus.*

Hunc locum varie reddunt Septuaginta, & iuniores interpretes. Septuaginta quidem: *Renouauit corpus eius ſicut tectorium in pariete, & oſſa eius impleuit medulla, & molliet carnem eius ſicut paruuli.* Quæ ſic explicat autor Catenæ: *Quemadmodum hi, qui vitium facientem, & labantem parietem vident, liniendo calce renouant atque reſtituunt, ſic Deus illius corruptum corpus renouabit, & ad priſtinam dignitatem excitabit, ac ferme iterum conformabit.* Chaldæus: *Attenuatur caro eius magis, quam caro puerilis, reuertetur ad dies adoleſcentiæ ſuæ.* Pagninus: *Tenerior efficietur caro eius carne pueri.* Eodem pene modo Vatablus, & Caietanus. Tigurina: *Recipiet caro eius vegetabilem vim, etiam maiorem, quam in pueritia habuit.* Hiſpanica tranſlatio: *en mollecio carne ſuyamas quæ meſiez torno a Dios de ſu iuuentud.* Vnde orta fuerit tanta in conuertendo varietas, neque facilis eſt negotii, neque neceſſarii. Vulgatæ tranſlationis facilis eſt, & iam a nobis explicata ſententia. Porro *dies adoleſcentiæ*, aut quod idem prope eſt, *caro pueri*, pro ſanitate perfecta ſumuntur prouerbiali ſpecie. In corpore enim pueri non eſt ſquamoſa cutis, qualis eſt a lepra, nulli apparent vibices, nullæ maculæ: quia nullum, vt plerumque fit, anteceſſit vlcus, aut maligna qualitas. Talis dicitur fuiſſe caro Naaman, cum a lepra mundatus eſt, *4. Reg. V, 14.* de qua dicitur: *Reſtituta eſt caro eius, ſicut caro pueri.* In hac porro ſanitate atque munditia optime exprimitur pœnitentiæ vis admirabilis; de qua nos pluribus *in noſtris Commentariis* ad illum locum.

Verſ. 26. *Deprecabitur Deum, & placabilis ei erit; & videbit faciem eius in iubilo: & reddet homini iuſtitiam ſuam.*] Duas huic loco 35.
explicationes adhibet S. Thomas: Altera eſt, non ſatis eſſe ad obtinendam ſanitatem & veniam, ſi alii pro nobis orent, licet illi ſancti ſint viri aut cœleſtes ſpiritus, niſi peccator ſuas quoque preces adiungat. Altera eſt, contra id, quod Iobus ante dixerat, non poſſe ſe cum Deo contendere, aut coram eo ponere iudicium. Ait ergo Eliu, facilem ad Dei iudicium aditum eſſe, ſi homo preces afferat; non querelas, ſi ſua accuſet peccata, non in Deo iuſtitiam æquitatemque deſideret. Quæ poſterior explicatio, vt a me propoſita eſt, magis videtur ad textum filumque capitis, eamque ego præ cæteris lubens amplector. Cum igitur homo Deo ſupplices obtulerit preces; placabit eum ſibi, & faciem illius intuebitur benignam & placidam, a quo eo reſpicietur vultu, quo cœlum tempeſtatesque

resque serenæ, vt de suo Ioue cecinit quidam ex profanis.

36. *Merita per pœnitentiam rediuiua.* *Et reddet homini iustitiam suam.*] Varias hic locus expositiones admittit. S. Thomas tunc reddi homini iustitiam suam dicit, cum merita remunerat, quando peccati tollitur impedimentum. Aut quia opera consequentia peccato sublato digna sunt mercede, quam Dominus iudex iustus rependit: aut quia merita mortificata, quibus nulla debetur merces, dum homo peccator cum Deo, a quo recesserat, in gratiam non redierit; rediuiuo homine per gratiam, ipsa quoque quodammodo ad præmia reuiuiscunt. Et sic peccatori iam rediuiuo ac grato, sua a Deo priorum operum non immemore, iustitia redditur.
p.406.b Alii putant, *reddi iustitiam* nihil esse aliud, quam homini iusto largiri, quod illi debetur, puta valetudinem prosperam, rerum abundantiam, & quæ ab hominibus numerantur in bonis. Hanc autem Dei liberalitatem fidelem, *iustitiam* appellat Eliu, qui putabat in hac vita tantum torqueri peccatores, & iustos a Deo cumulari bonis; quod non semel amici Iobo obiecerant, neque ab illorum sensu recedit Eliu. Vt ergo Iobo iuxta horum hominum cogitata, quando erat peccator, rerum omnium iactura, dedecus, tabes, vermesque debebantur, sic eidem iam iusto, quia vitam mutauit & mores, & supplex orauit, omnia debentur bona. Deinde quia talia fortasse audierat a Deo antiquissimis Patribus promissa, qualia audiuit *Ezechiel. c. XIIX, 21. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea: & fecerit iudicium & iustitiam, vita viuet, & non morietur: omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor; in iustitia sua, quam operatus est, viuet.* Vtraque expositio probabilis, in posteriorem magis propendet assensio.

37. *Deus cupide peccatoris pœnitentiam expectat.* Vers. 27. *Respiciet homines, & dicet, peccaui: & vere deliqui, & vt eram dignus non recepi.*] Quidam illud *respicet*, ad Deum referunt. ita ex Gersonitæ sententia Eugubinus, indicat Caietanus, aperte Vatablus: sensu quidem ad mores valde accommodato, minus tamen ad textum. Quasi Deus id vnum expectet, vt bene homini faciat, quem peccatum ipsi reddidit infensum, & immensis vexationibus obnoxium: vt se serio & ex animo peccatorem fateatur, & suis meritis digna recepisse supplicia, imo & multo leuiora, quam suorum scelerum grauitas exigebat. Quæ explicatio & Dei clementiam commendat singularem, quem vox illa placat, & ad misericordiam inflectit: & pœnitentiæ vim, quæ temporis momento cum animi vera conuersione, conditionis miseræ conuersionem inducit.

Sed est sententia communis, & meo iudicio omnino vera, hæc ad peccatorem hominem, iam tamen alium, & Dei amicum pertinere; qui cum Dei benignitatem in seipso tam esset abundanter expertus, & carbones haberet super caput ardentes; & ex Dei bonitate suorum peccatorum grauitatem agnosceret; conuersus ad homines sua consitetur peccata, & Dei clementiam pleno ore commendat, dum ait, se multo leuius fuisse punitum, quam pro suorum scelerum magnitudine. Hæc porro acute & callide in Iobum contorquet Eliu. Nam cum sæpe dixisset Iobus, grauiores se subire pœnas, quam sua mererentur errata, futurum dicit Eliu, vt sententiam mutet, & se sustinere fateatur non indebitas pœnas, immo multo leuiores, quam exigeret scelerum magnitudo. Quare in supplicii modo tam abest, vt Dei acerbitatem accuset, vt illius potius agnoscat gratiam, & humanitatem extollat.

Vers. 28. *Liberauit animam suam, ne pergeret in interitum, sed viuens lucem videret.*] 38.
Hic humilis confessionis est, & pœnitentiæ fructus. Nam qui iam eo erat angustiarum adductus, vt nihil esset propius, quam vt mortem oppeteret, efficiet ille pœnitendo, vt ex illo se periculo subducat, & spiritum ducat vitalem, quem iam pene videbatur efflasse. Illud *videre lucem*, idem est quod *viuere*, in hoc maxime libro, vbi *caligo* & *tenebræ* p.407.a
mortem; *lux* autem, *sol*, & similia vitam significant, vt statim *v. 30.*

Vers. 29. *Ecce hæc omnia operatur Deus tribus vicibus.*] Hæc omnia, nempe restitui 39.
amissas corporis vires, & ablatas opes, & rerum omnium iacturam resarciri, cum homo per pœnitentiam culpas diluit, & totum se

 diui-

diuinæ voluntati permittit, vidit, opinor, sæpius Eliu: quia cum Deus, id quod optabat, cum dolores infligeret, consecutus esset, reducto ad sanam mentem & officium peccatore, non vlterius vexationem illam producebat. Quod cum sæpe faciat Euangelico sæculo, illo tamen antiquo multo sæpius; in quo iustorum opera temporariis bonis pensabantur. Atque ideo de terrenis bonis promissiones audiuntur frequentes: qualis est vita longa, bonum nomen, rerum abundantia, quæ cum humana vita finiuntur. Hæc porro tribus vicibus concessa dicuntur, id est, sæpe. Hoc enim sonat & valet ternarius numerus in Scriptura tam sacra, quam profana. Neque id cum vno tantum, aut altero, sed cum singulis, qui ad Dei gratiam per pœnitentiam redierunt, & Deo iam amici & grati receperunt; id quod prius ingrati atque inimici perdiderant. Alii tres hic agnoscunt modos, quibus Deus peccatorem alloquitur, vt illum ad meliorem mentem & statum adducat: loquitur enim, vt vidimus, per terrores & morbos, & alia, quæ hominum iudicio infortunia censentur. Sed est hæc interpretatio duriuscula, & quæ multa contorquet. Quare priorem libentius amplector, ita vt Deus sæpe dicatur admonuisse peccatorem illis modis, quos proxime tetigit Eliu, & quæ bona sustulerat, reddidisse, cum
p.407.b ille mutauit mentem, & se totum diuinæ voluntati subiecit. Ita cum S. Thoma sentiunt complures alii.

40. Vers. 31. *Attende Iob, & audi me: & tace dum ego loquor.*] Quemadmodum Iobus sæpe cum stomacho similes voces ab amicis audierat; sic etiam verisimile est, hæc quoque verba Eliu durius accepisse: neque dubiis id signis ostendisse, auertendo nimirum, aut distorquendo faciem; aut aliquo alio modo, quo audaci aut sciolo adolescenti silentium indiceret. Quod videtur impatienter tulisse superbus adolescens, quem de vana opinione sapientiæ tumor inflabat. Atque ideo quasi sapientia, autoritate, & annis Iobus esset inferior, silere illum iubet, & attentius audire: neque tandem sibi obstrepere loquenti.

Vers. 32. *Si autem habes quid loquare, responde mihi. Loquere: volo enim te apparere iustum.*] Plus sibi iuris assumpsisse videbatur Eliu, dum Iobum inurbanius atque imperiosius alloquitur, quam modestiæ ratio & iuuenilis ætas postulabat. Quare sermonem suum moderatur ac temperat, & iubet, vt loquatur, si quid habet, quod superioribus opponat, neque se id agere, dum illum instituit disceptandi modum, vt illum aut damnet, aut confundat, sed vt ea disputatione, aut melior fiat, aut iustus appareat. Quæ ratio satis videtur idonea, vt conciliet abalienatum, aut sedet & leniat liberiori dicendi modo exulceratum animum.

Vers. 33. *Quod si non habes audi.*] Si vero nihil habeat, quod pro se respondeat, aut alteri obiiciat, monet, vt contineat se, neque loquenti obstrepat; sed audiat attente, & a sapiente philosopho, & cœlestibus instructo disciplinis, audiat, quod ignorat. 42.

ARGVMENTVM CAP. XXXIV.

CVm a Iobo nihil expectaret Eliu, seque ab illo contemni putaret, viros advocat, qui præsentes aderant quasi sapientes, a quibus petit, vt ipsi iudicent, an iuste accusetur Iobus, & sua verba ab illo tanquam inania iudicari debuerint. Deinde cum alia Iobi peccata proponit, illud maxime miratur & amplificat, quod Deum iniquitatis & mendacii coarguat. Quem ea ratione corrupti iudicii suspicione vendicat: quia creator est omnium, & quod mortalem iudicem a recto transuertit, a nemine quicquam aut sperat, aut metuit: atque ideo eadem principes ac pauperes libertate aut damnat, aut absoluit. Neque eam ob rem a quoquam notari, aut iudicari debet. Ad extremum sese rursus ad Iobum conuertit, a quo, cum rursus contemni se suspicaretur, in illum multo quam ante stomachosius inuehitur.

CAPVT

CAPVT XXXIV.

1. PRonuncians itaque Eliu, etiam hæc locutus est:

2. Audite sapientes verba mea, & eruditi auscultate me:

3. Auris enim verba probat, & guttur escas gustu diiudicat.

pag. 408. 4. Iudicium eligamus nobis, & inter nos videamus, quid sit melius.

5. Quia dixit Iob: Iustus sum, & Deus subuertit iudicium meum.

6. In iudicando enim me, mendacium est: violenta sagitta mea absque vllo peccato.

7. Quis est vir vt est Iob, qui bibit subsannationem quasi aquam:

8. Qui graditur cum operantibus iniquitatem, & ambulat cum viris impiis?

9. Dixit enim: Non placebit vir Deo, etiam si cucurrerit cum eo.

10. Ideo viri cordati audite me, absit a Deo impietas, & ab omnipotente iniquitas.

11. Opus enim hominis reddet ei, & iuxta vias singulorum restituet eis.

12. Vere enim Deus non condemnabit frustra, nec omnipotens subuertet iudicium.

13. Quem constituit alium super terram? aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est?

14. Si direxerit ad eum cor suum, spiritum illius & flatum ad se trahet.

15. Deficiet omnis caro simul, & homo in cinerem reuertetur.

PARAPHRASIS.

1. 2. 3. 4. Post hæc suam pertexens narrationem hunc in modum locutus est Eliu. Quando durius ad meam orationem Iobus afficitur, audite vos, qui adestis, viri sapientes & auscultate diligenter; vt enim guttur de sapore & suauitate, sic aures de sono & verborum pondere diiudicant. Nolo a Iobo expectare iudicium, qui cum audire nolit, neque ipse audiendus est. Inter nos ipsi videamus, & quid æquius de tota causa censeri debeat, pronunciemus. pag. 408.

5. 6. Et primum expendamus, quod impie Iobus & impudenter effatus est, dum ait, iustum se esse, & suum a Deo periisse iudicium, & ad alia indigna dictu & auditu fœda. Turpe etiam addidisse mendacium, dum ait, cum nihil admisisset supplicio dignum, grauissimo tamen se esse a Deo vulnere percussum.

7. 8. 9. Quis est, o viri sapientes, tam insigniter impius, & ad omne scelus vsque adeo proiectus, quem Iobi non superet insolens audacia? Qui nibilo difficilius subsannat alios, & impudenter insultat, quam sitiens bibit aquam, qua ardorem æstuantis stomachi restinguat; qui bonorum atque sapientium congressum fugitat, & illorum appetit societatem & vsum, quos scelerum magnitudo nobilitat; quorum exprimit mores & probat ingenium. Qui etiam ausus fuerit dicere, placiturum esse Domino neminem, etiamsi ab illius voluntate ac semita nunquam recesserit.

10. 11. 12. Quando ab insipiente nibil sanum obtinere possum, vos, qui sapientes & cordati estis, audite me: id enim ago, vt omnipotentem ab omni iniquitatis suspicione vendicem. Ac tandem doceam, iustum esse iudicem, qui hominum errata ac merita, debita mercede aut supplicio non iniquo compenset. Neque Deus vllum sine causa damnabit, aut frustra torquebit.

13. 14. 15. Hic porro qui iustus est, & orbem totum formauit, non alium præposuit, qui illum suo administraret arbitratu; atque ideo, quæ in orbe sunt, inique fieri Deo administrante non possunt; si vero Deus hominem vellet, aut vniuersum, quod creauit, omnino delere, cum id facere sua voluntate posset, non esset opus calumnias struere, aut iudicia subuertere, quod faciunt iniqui; sed satis esset, vt omnem carnem

16. Si habes ergo intellectum, audi quod dicitur, & ausculta vocem eloquii mei.

17. Nunquid qui non amat iudicium, sanari potest? & quomodo tu eum, qui iustus est, in tantum condemnas?

18. Qui dicit regi, apostata: qui vocat duces impios.

19. Qui non accipit personas principum: nec cognouit tyrannum, cum disceptaret contra pauperem: opus
pag. 409. enim manuum eius sunt vniuersi.

20. Subito morientur, & in media nocte turbabuntur populi, & pertransibunt, & auferent violentum absque manu.

21. Oculi enim eius super vias hominum, & omnes gressus eorum considerat.

22. Non sunt tenebræ, & non est vmbra mortis, vt abscondantur ibi, qui operantur iniquitatem.

23. Neque enim vltra in hominis potestate est, vt veniat ad Deum in iudicium.

24. Conteret multos & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis.

25. Nouit enim opera eorum: & idcirco inducet noctem, & conterentur.

26. Quasi impios percussit eos in loco videntium.

27. Qui quasi de industria recesserunt ab eo, & omnes vias eius intelligere noluerunt:

carnem & rerum vniuersitatem dissolueret, illud tantum voluisse simpliciter.

16. 17. Tu quoque, o Iobe, si quid habes mentis, audi quod iam dicam; quod si attente consideres, magno tibi erit vsui. Si sanari desideras, neque ab alio salus, quam a Deo sperari potest, quomodo illum iniquitatis arguis, & peruersi ac violati iudicii tam aperte condemnas?

18. 19. Illum, inquam, condemnas violati iudicii; qui ab homine quantumcumque potente nihil sperat, aut metuit: Qui duces, qui pietatem prodiderunt, nulla adhibita vocis moderatione, impios appellat: qui Reges, qui defecerunt a recto, quasi nullis essent alli- pag. 409.
gati legibus, libera siue compellatione, siue conuitio apostatas vocat. Qui personam non accipit tyrannorum & Principum, si quando cum paupere controuersiam inierint. Quia vt creator est omnium, sic etiam omnium æque curator est: & sicut leges statuit, sic etiam illarum est custos & vindex.

20. 21. 22. Morientur enim non solum lento morbo tabeque consumpti, sed repentino etiam interitu sublati, excitato ad noctis medium, quod tempus magis est insidiis opportunum, populari tumultu. Neque opus erit ad tyranni ac violenti cædem militares cogere atque armare acies, cum rem possit Deus sua tantum voluntate peragere. Neque illius oculos, quos habet vigiles semper & attentos, latere possunt humani gressus, neque fugere quantuncumque dissimulata clandestina consilia.

23. 24. Quare necesse non est, vt homo coram Deo in iudicium veniat, vt illum de suis rebus doceat; speretque retractatum iri iudicium, cum nulla accedere Deo possit rerum cognitio, quæ de priori consilio aliquid mutet. Cui ea est in reges ac tyrannos potentia, ea libertas, vt illos momento temporis de solio deturbet, & illorum loco alios cum eadem, aut etiam maiori auctoritate sufficiat.

25. 26. 27. 28. Neque hoc faciet inconsiderate ac temere: nouit enim, quales isti fuerint, futurive sint, atque ideo, vt vniuersi administrationi prouideat, illorum gloriæ tenebras, id est, turpem inducet ignominiam, & tandem extinguet. Neque aliud in eis præter impietatem punire voluit: abstulitque de viventium

28. Vt peruenire facerent ad eum clamorem egeni, & audiret vocem pauperum.

ventium numero, vt illorum supplicium terrori omnibus esset & exemplo. Acceperunt illi suis meritis non indebitas pœnas, cum scientes volentesque recesserint a lege, neque voluerunt quid ab illa præscriptum esset, intelligere, vt sibi ab omni flagitio temperarent. Sic autem in pauperes fuerunt iniurii, vt clamare compulerint ad Deum, & illum iniuriarum vindicem appellare. Quorum ille voces audit non grauate, & illorum vlciscitur iniurias.

29. Ipso enim concedente pacem, quis est qui condemnet? ex quo absconderit vultum, quis est qui contempletur eum & super gentes & super omnes homines?

30. Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.

29. 30. Si Deus alicui, quicumque ille fuerit, pacem, seu potestatem tradiderit, quis erit tam væsanus & audax, qui illum iniquitatis aut insipientiæ condemnet? si faciem auerterit, & se alicui contrarium & iratum exhibeat, quis erit, qui faciem eius placatam aspiciat, cum illam Deus ad furorem finxerit, & se ipsum inexorabilem ostenderit? Quod si aliquando tyrannum impiumque in excelsum extulerit locum, & publico aliquo ornauerit magistratu, non eo facit consilio, vt extollat & ornet, sed vt per illius insanum & barbarum ingenium subditorum peccata coerceat & puniat.

pag. 410. 31. Quia ergo ego locutus sum ad Deum, te quoque non prohibebo.

32. Si erraui, tu doce me: si iniquitatem locutus sum, vltra non addam.

33. Numquid a te Deus expetit eam, quia displicuit tibi? tu enim cœpisti loqui & non ego: quod si quid nosti melius, loquere.

31. 32. 33. Longiorem de Deo sermonem instituisse videor; si tu, o Iobe, rursus de illo agere volueris; sane per me licebit: si quid peccaui, libenter patiar abs te reuocari ac corrigi, neque erroris falsitatisque conuictus vltra progrediar. Sed heus tu, o Iobe, videris, vt vultus ipse præ se fert, orationem meam ægrius accepisse, quasi in ea iniquitatem aut stultitiam deprehendas? sed ea de re turbari noli: neque tu illius Deo, sed ego pœnas dabo, quin potius, si quid melius nosti, idipsum in præsentia nobis eloquere. pag. 410.

34. Viri intelligentes loquantur mihi, & vir sapiens audiat me.

35. Iob autem stulte locutus est, & verba illius non sonant disciplinam.

34. 35. De Iobo, vtpote de amente & stolido, nihil curo, neque cum illo vlterius verba faciam. Viri mecum sapientes loquantur, verba enim cum Iobo, & operam perdo, cum in illo neque ingenium sit, nec disciplina, quæ capax sit eruditi sermonis.

36. Pater mi, probetur Iob vsque ad finem; ne desinas ab homine iniquitatis.

37. Quia addit super peccata sua blasphemiam, inter nos interim constringatur: & tunc ad iudicium prouocet sermonibus suis Deum.

36. 37. Quocirca, o Eliphaz, qui mihi pro parente es, & vos viri sapientes & religiosi, vrgete hominem non iniquum solum, sed etiam blasphemum, eoque adigite, vt de Deo, vt par est, religiose loquatur, neque linguam, aut religiosum impetum continete: quia blasphemiam addidit sermonibus impiis, constringatur, & suæ temeritatis pœnas luat, & tunc si libeat,

lacessat Deum, & ad legitimum iudicium accersat.

Vers. 1. *Audite sapientes verba mea, & eruditi auscultate me.*]

pag.410.a 1. NOluit Iobus inuitatus respondere verbis Eliu, quia iam iisdem criminationibus sufficienter responderat, quas tres amici non minus inurbane atque arroganter obiecerant. Aut quia indignum putabat adolescentem, qui sibi seniles partes vsurpauerat, cui se facilem aut docilem præberet, cum nihil afferret ad præsentem statum & necessitatem opportunum. Quare cum ab illo nihil expectaret æquum, qui longe aberat ab ipsius cogitatione, conuertit se ad alios, qui præsentes aderant, quos sapientes & eruditos vocat, qui fortasse ex eadem schola magisterioque prodierant, vt ipsi videant, an iuste accusetur Iobus, & sua verba ab illo tanquam inania, & sine fructu exsibilari debuerint. A quibus attentionem petit, his, qui verborum pondera expendere voluerunt, necessariam.

2. Vers, 3. *Auris enim verba probat, & guttur escas gustu diiudicat.*] Hæc, opinor, attentionis captandæ forma familiaris erat Idumæis: sic Iobus supra *cap. XII, 11. Nonne auris verba diiudicat, & fauces comedentis saporem?* Nisi pag.410. b dicamus, Eliu ad hæc Iobi verba respectasse, sicut ad alia fecit non semel. Cur sibi præberi attentas aures postulet Eliu, ea ratio est, quia aliter nemo de alicuius verbis ferre potest sine errore iudicium: quia de verbis aures iudicant, sicut gustus de cibo. Et quemadmodum ad discernendum saporis varietates fauces; sic ad verborum sonos, & deinde sensus cognoscendos aures admouemus.

3. Vers. 4. *Judicium eligamus: & inter nos videamus, quid sit melius.*] Toto hoc capite, vno aut altero verbo excepto, auertit sermonem a Iobo: & ad tres amicos, aut etiam ad alios viros sapientes, qui spectatores aduenerant, sermonem conuertit. Petit igitur, vt attente considerent, quid Iobus dixerit, & quid ipse Eliu in illo non probet: quibusque rationibus illius verba cogitationesque confutet: ac tandem pro sua prudentia iudicium eligant, ferantque de tota causa: & quid æquius videatur & iustius, tandem pronuntient.

Vers. 5. *Quia dixit Iobus, iustus sum: & Deus subuertit iudicium meum.*] Repetit verba 4.
Iobi, & illa aliis expendenda proponit, parum tamen fideliter, & alio sensu, quam a pag. 411. a
Iobo concepta. Quod declarat id, quod proxime subditur, vbi non solum ex sententia Eliu Deus subuertisse dicitur iudicium, id est, nulla habita ratione meritorum, suum illi ius atque iustitiam peruertisse; sed ad iniustitiæ crimen mendacii quoque labem turpissimam adiungit.

Vers. 6. *In iudicando enim me mendacium* 5.
est: violenta sagitta mea absque vllo peccato.] *Eliu falsa quædam obiicit Iobo.*
De mendacio nihil habemus in verbis Iobi: neque fas est, tale aliquid de viro sanctissimo suspicari. Sed Eliu, vt erat ingenio acuto, ex verbis Iobi illa efficiebat, quæ suis argutiis ex pronuntiatis aliter significantibus alienum aliquid atque captiosum exprimunt sophistæ: vbi plane peccant non solum scelerate, dum mendaces ipsi mendacii alios insimulant, sed etiam inepte: neque enim quod ex alicuius verbis argutando colligimus, continuo sequitur, id ab illo directo, &, vt aiunt, formali sensu fuisse prolatum. Quo sensu Iobus illa dixerit, quæ his criminationibus accusat, & damnat Eliu, diximus suis locis, vbi illa a scelere & errore vindicauimus: neque illa hoc loco repetere necessarium est. Vnde ista collegerit Eliu, non satis apparet; ex variis sumpsisse locis, & ex multis vnam conflasse sententiam, verisimile est. Dixit Iobus *cap. XIX, 6. Saltem nunc intelligite, quia Deus non æquo iudicio afflixerit me, & flagellis suis me cinxerit.* & *cap. XXVII, 2. Viuit Dominus, qui abstulit iudicium meum a me.* Ex his intulit Eliu, a Deo subuersum esse iudicium, id est, inique iudicasse: cum tamen longe alius sit sensus. Et grauius est in Deo hæsisse mendacium, quando videtur significasse, se Iobi causam æquo explorasse examine, & iusto puniisse supplicio; cum tamen neque legitimi iudicii

dicii rationem habuerit, neque meritorum
6. Iobi statera iusta pondus expenderit. Illud *de violenta sagitta absque peccato* sumpsit, vt apparet ex *cap. VI, 2.* vbi cum dixisset: *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior, in statera, quasi arena maris hæc grauior appareret: quia sagittæ Domini in me sunt.* & illa loca nos, & quæ his sunt affinia, variis modis a culpa vindicauimus, eo maxime sensu, quem hic adduxit Sanctus Thomas, quem omnium maxime probaui: *Iob*, inquit, *suum iudicium ablatum esse dixerat: quia pœnas sibi irrogatas esse existimabat, non ex iudicio punientis culpam, sed ex prouidentia probantis iustitiam. vnde supra cap. 13. dixerat, probauit me quasi aurum, quod per ignem transit. Non autem quicunque non vtitur iudicio, subuertit iudicium, sed solum ille, qui iudicium profert iniustum. Sic ergo interpretatus violenter est, quod Iob dixerat: Deus abstulit iudicium meum, ac si dixisset, Deus subuertit iudicium meum iniuste iudicando.*

Deus Iobum non vt iudex punit, sed vt Dominus & pater exercet & probat.

7. *Violenta sagitta mea absque vllo peccato.*] *Sagitta* per synecdochen pro quocunque telo, immo quocunque supplicii genere vsurpatur, idque in Scriptura sacra non infrequenter. Sicut etiam nomen *arcus* frequenter auditur. Dicitur autem *violenta sagitta*, aut quia dura est, & vim habet mortiferam, quia in hominum corpus altius adigitur. Aut quod verius puto in re iudiciali iudicioque legitimo, illud
pag. 411. b violentum est, quod non est a lege: sicut naturale aliqua ratione dici potest, quod lege cautum est, quæ forma est quædam & vita reipublicæ. Quare in re iudiciali naturalis vocari potest dolor, quem infert gladius, aut equuleus, quem alicui scelerum leges admouent, aut inculpata consuetudo: naturalis item mors, quam iura & leges sceleratorum hominum vim & audaciam frangunt & coërcent. Contra supplicium, aut mors, aut dolor vocari potest violentus, quia prohibetur, aut non admittitur a lege, quæ reipublicæ forma est, & quasi a propria natura non infligitur; sed illa potius renuente. Neque alio sensu hic accipitur ab Eliu, qui obiicit Iobo, falso tamen, vt diximus, quod dixerit subuersum iudicium a Deo, & se pati absque vllo peccato. Quod si ita esset, violentum esset supplicium, quia lex tantum insequitur, perimitque peccata; contra innocentes vero nunquam porrigit gladium.

Violentum est, quod est contra legem: naturale, quod secundum legem.

Vers. 7. *Quis est vir, vt Iob, qui bibit subsannationem quasi aquam.*] Hæc etiam Eliu ad 8.
alios, quos eruditos vocarat & sapientes; quibus persuadere nititur, vsque adeo profligatæ vitæ atque pudoris esse Iobum, vt non facilius bibat aquam, quam iniquitatem & subsannationem, id est, culpam illam, quæ alteri alienum affingit crimen, aut illi insultat, quasi inerti ac stolido, vt magnorum scelerum manifeste conuicto. Quæ crimina Deo Iobus imposuisse accusetur ab Eliu, habes hoc capite, & sequenti. Illud *bibere* sicut aquam iniquitatem, aut subsannationem, prouerbialem habet speciem, de qua nos plura *cap. XV, 16.* vbi Eliphaz dixit: *Homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem*, vide quid nos ibi.

Vers. 8. *Qui graditur cum operantibus ini-* 9.
quitatem, & ambulat cum viris impiis.] Licet hic loquendi modus societatem indicet, quam frequens vsus congressusque alit atque confirmat: quo sensu dicitur *Prouerb. I, 14.* ad adolescentem, quem alii ad conuictum studiorum vitæque societatem inuitant, dicuntque: *Sortem mitte nobiscum; marsupium vnum sit omnium nostrum.* Ad hunc, inquam, dicitur: *fili mi, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum a semitis eorum.* Aliquando tamen non tam significat vitæ familiarem consuetudinem; quam similitudinem morum, cum aliqui licet vitæ genere atque instituto & locorum diuersitate distantes; conueniunt tamen similitudine & exemplo, ita, vt quilibet aliorum exprimat mores & ingenium; ita vt si hunc noris, cæteros noris. Hoc sensu dicitur *Psalm. I, 1.* iustos non stetisse in via peccatorum, id est, non fuisse peccator: quod idem est, atque non ambulasse cum peccatoribus. & *Psalm. XLIX. 18. Si videbas furem, currebas cum eo: & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Id est, eras fur & adulter. Hoc, opinor, sensu dicitur Iobus ab Eliu ingredi cum operantibus iniquitatem, & ambulare cum impiis; quia illum iniquitatis & impietatis accusat. De alia

 enim

enim societate non ausus esset quicquam affirmare, quia semper improborum societatem exhorruit, neque vnquam cum impiis conuersatus est. Huic affinis est ille dicendi modus, quo qui moribus sunt similes, *fratres* appellantur. *Prouerb. XIIX, 9. Qui mollis & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis.* & *Ecclesiastic. XXXIV, 27. Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt.* Quam explicationem probat, quod proxime sequitur.

pag. 412. a

10. Vers. 9. *Dixit enim, non placebit vir Deo, etiam si cucurrerit cum eo.*] Persequitur quod de Iobi vita & moribus dicere instituerat; & affirmat, vsque eo audaciæ progressum Iobum, vt dixerit, nihil Deo esse curæ, pie ne aliquis, an impie viuat, totum ne se ad diuinam legem & voluntatem attemperet; aut a diuina voluntate ad alia omnia totus abeat. Ex quibus Iobi verbis id collegerit Eliu, incertum est: collegisse potuit homo callidus ex illo *cap. IX, 22. Innocentem & impium ipse consumit.* aut *cap. X, 15. Si impius fuero, væ mihi est: & si iustus, non leuabo caput saturatus afflictione & miseratione.* Vel certe ex eo collegit, quia se iustum Iobus sæpius appellat, & dure se vexari queritur. Vnde Iobi hanc interpretatur mentem, quasi putauerit non placere hominem Deo, etiam si cum Domino perpetuo currat, id est, ab eo nunquam oculos & animum auertat; sed illum habeat suarum actionum viuum quoddam exemplar. *Currere cum Deo*, idem est, quod ambulare cum Deo, aut coram Deo, id est, ad Dei exemplum & similitudinem viuere; eo sensu, quo proxime dicebat Eliu de Iobo: *Qui graditur cum operantibus iniquitatem, & ambulat cum viris impiis.*

11. Vers. 10. *Ideo viri cordati audite me. Absit a Deo impietas, & ab omnipotente iniquitas.*] Cum nihil sanum a Iobo expectaret Eliu, quem sceleratum esse & insipientem crederet, neque speraret futurum facilem aut docilem auditorem, conuertit se ad viros cordatos & sapientes, & apud illos, quantum ingenio atque sapientia possit, ostendit, dum Iobum impietatis accusat, & Deum ab omni impietatis & iniquitatis suspicione vendicat. Est autem huius disputationis præcipuum caput & argumentum, quod paucis verbis hic propositum est: *Absit a Deo impietas, & ab omnipotente iniquitas.* in quibus verbis eadem sententia ponitur. Quod fieri solet, quando aliquid attentius audiri volumus, & in animo retineri constantius. Illud, *absit a Domino*, affectionem indicat animi, qui scelus aliquod a se, vel ab alio deprecatur, & horret; quasi aliquid alienum & indignum, quod in alicuius ingenium, aut aliorum suspicionem cadat. Sic Iosephus, cum iudicem ageret *Genes. XLIV, 17.* dixit: *Absit a me, vt sic agam. Qui furatus est scyphum, ipse sit seruus meus. Genes. XIIX, 25.* sic Abraham ad Deum: *Absit a te, vt rem hanc facias, & occidas iustum cum impio.* & *Matth. XVI, 22.* dixit Petrus Christo: *Absit a te Domine: non erit tibi hoc.* Et idem *Actor. X, 14. Absit Domine, quia nunquam manducaui omne commune & immundum.*

12. Vers. 11. *Opus enim hominis reddet ei: & iuxta vias singulorum restituet eis.*] Hæc aperta sunt; incipit Eliu probare, Deum æquum esse iudicem, & hominum opera pro illorum meritis debita ac iusta mercede compensare. *Opus, labor*, & similia, pro ipsorum pretio aut mercede vsurpantur. *Isaiæ XXXII, 17. Erit opus iustitiæ pax*, id est, merces operis iusti. *Leuit. XIX, 13. Non morabitur opus mercenarii tui vsque mane*, id est, operis merces. *Psalm. CXXVII, 2. Labores manuum tuarum, quia manducabis*, id est, laborum pretium. Reddet igitur Deus homini opus, id est, operis mercedem.

Opus & labor pro eorum mercede.

pag. 412. b

13. Vers. 12. *Vere enim Deus non condemnabit frustra: nec omnipotens subuertit iudicium.*] Explicatio est superioris versus, cui aut addit nihil Eliu, aut certe parum: ait enim, a Deo neminem sine causa damnari, aut frustra torqueri. Quare si quid homo patitur durum, grauia præcesserunt peccata, quæ Deus seuero supplicio mulctare aut expiare vult. Neque iustorum & innocentium iudicia peruertit, quibus adimit nihil, quod ius & ratio porrigunt; neque infligit mala, a quibus illos æquitas & religio reddit immunes.

14. Vers. 13. *Quem constituit alium super terram, aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est?*] Si qua hominibus in vniuersali rerum administratione fieret iniuria, non sane

ne fieret a Deo, cui summa placet æquitas, sicut vehementer displicet, quodcumque iniquitatem & iniuriam redolet. Fieri tamen solet, vt cum Princeps iustus sit, æquitatis studiosus & amator, acerrimus legum & vigilantissimus custos; at qui ab illo constituti sunt iudices & præfecti, longe alia meditentur & curent. Qui dum priuatis inseruiunt rationibus, communes prodant: & quæ ad rem pertinent publicam, susque deque habeant. Non autem sic Deus, qui sicut terram & orbem fabricatus est; sic etiam illum sua prouidentia atque iustitia moderatur: neque curam illam cum aliis partiri voluit. Atque ideo nihil in hominum causis fit peruerse, nihil iniuste; quia a Deo fiunt vniversa, qui iniquitatis argui, aut ignorantiæ nullo modo potest. Hæc est ratio Eliu. An vero illa aliqua ex parte laboret, non disputo. ita Sanctus Thomas, & cum eo nonnulli alii. Sunt, qui ita hunc locum accipiant, Deum, qui iustissimus est & æquitatis amantissimus, non passurum, vt quisquam rebus administrandis præsit, qui non sit iustus, atque ideo nihil ab his, qui pro Deo res humanas & publicas iurant, contra ius & fas administrari. Ita indicat Hieronymus, dum ait: *Nunquid alium rectorem posuit, qui a creatoris iustitia discreparet: ipse ergo quam potens conditor, tam pius est moderator, quia opus suum agnoscit & diligit.* Eadem Philippus & Beda sumpserunt ex Hieronymo; vbi duas Hieronymus rationes adducit, cur Deus innocentem hominem neque damnet, neque cruciet: quia opus suum agnoscit; atque ideo nouit, an dignum videatur, quod benigne, aut quod hostiliter prosequatur. Deinde quia illud amat, non est vllo modo credibile, innocentem hominem sibique amicum sic accipiendum esse crudeliter, vt ab illo pœnas exigat indebitas: & in illius lacrymis ipse triumphet: & quod dixit Iobus *cap. IX.* de pœnis innocentium rideat.

15. Alii ideo putant ex Eliu sententia, Deum nullo modo impium, aut iniquum existimandum, quocumque modo homines aut extollet, aut deprimat, mulceat & oblectet, aut insequatur & torqueat, quia voluntas illius

pag. 413. a lex est, quam non contemnit, aut violat, cum facit, quod illi probatur, aut libet. Neque quemquam habet superiorem, qui ab illo suarum rationum aut operum rationem exigat. Quid his verbis significare voluerit Eliu, incertum: quælibet harum explicationum neque abhorret a textu, siloque sermonis; & facit ad confirmationem propositi. Aliis alia placent, recte ne an secus, non disputo, neque an vera sit, quæcumque illa fuerit Eliu sententia. In ea enim decipi potuit, sicut in aliis deceptus est: quod item de tribus amicis Iobi alibi ostendimus.

Vers. 14. *Si direxerit ad eum cor suum: spiritum illius, & flatum ad se trahet.*] Omnipotentem & fabricatorem vniuersi appellauit Deum Eliu, ex quo videtur hoc loco colligere, 16.
Deum facillime posse delere omnia, sicut creaverat, vel nutu tantum, & voluntate sua. Quare, si iniustus esse vellet, aut iniquus, & non solum homines, sed ipsam rerum vniuersitatem delere, non esset opus calumnias struere aut iudicium subuertere, quod faciunt mortales & iniqui iudices, sed satis esset ad rerum vniuersarum excidium illud tantum voluisse simpliciter. Hanc ego sententiam simplicissimam puto, vereque germanam: nonnulla tamen obseruanda.

Primum *dirigere*, aut *apponere cor*, idem 17.
est, quod *velle*, aut ad aliquid curandum aduertere, seu inclinare cor, siue ad bonum de rebus, siue ad malum statuendum. Quomodo *cap. VII, 17.* dixit Iob: *Quid est, quia visitas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?* Deinde illud *ad eum*, varie ab Interpretibus exponitur. Quidam referunt ad vniuersum, ita vt facile sit vniuersa dissoluere, quod putant Hieronymus, Philippus, & Beda, Titelmanus, & in manuscriptis Legionensis. Neque mihi displicet, licet statim ex rerum vniversitate ab animantibus exemplum sumat, quibus spiritus inest & flatus. Eugubinus & Stunica illud *ad eum*, neutraliter exponunt, in hunc sensum: *Si Deus ad id voluntatem suam flecteret* (verba sunt Eugubini) *vt esset malum, vastitas, impietas; iniustitia in hoc mundo. Sic cuperet malum, vtique ad se spiritum, vitamque cunctorum colligeret, vitam ipsius mundi cunctam aboleret.* Hoc etiam videtur

 sen-

ſentire Lyra, & vt Eugubinus docet, Hebræorum magiſtri.

18. S. Thomas, Caietanus, & plures alii in *eo* pronomine hominem intelligunt, idque ex eo videtur dici poſſe probabilius, quia in homine ſpiritus eſt & flatus, qualia in aliis animantibus non ſunt, maxime ſi in *Spiritu* animam intelligamus, id eſt, incorpoream ſubſtantiam, & angelicæ ſimilem, vt nonnulli volunt. Ego in his non video multum eſſe diſcriminis. Neque *ſpiritus*, aut *flatus*, nimis vrgent aduerſus illam ſententiam, quæ ad rerum vniuerſitatem hæc Eliu verba late diffundunt. Quia ſicut mori dicuntur illa, quæ eſſe deſierunt, non inuita metaphora, etiam ſi vitam non habuerint; ſicut etiam lætari dicuntur, aut lugere; ſic etiam viuere eadem dici poſſunt, ſumpta ab animantibus metaphora; quorum vita ſpiritu, id eſt, ſpiratione & flatu continetur. Nihilominus placet magis poſterior iſta ſententia: quia offenſionis habet minus, & ſatis probationis ad inſtitutum & mentem Eliu.

pag. 413. b
19. Inter *flatum* & *ſpiritum* hoc nonnulli ſtatuunt eſſe diſcrimen, quod ſpiritus animam, & flatus vitam, quæ ab anima prouenit & conſeruatur, ſignificat. Ita Hieronymus, & ex eo Philippus, & Beda. *Spiritum dixit animam, quæ viuificat hominem, & flatum ipſam præſentem vitam, quæ corporibus noſtris per anhelitum ex hoc aere miniſtratur.* Ego, opinor, idem eſſe hoc loco ſpiritum, & flatum, quod etiam viſum eſt olim, cum explicarem illud *Iſaiæ cap. XLII, 5, Dans flatum populo, qui eſt ſuper terram, & ſpiritum calcantibus eam:* Quod etiam eo loco ſenſerunt Cyrillus, Dionyſius, Hugo, & alii quidam: quia ſicut *eſſe ſuper terram, & calcare terram* idem ſunt, ſic etiam idem eſſe videntur flatus & ſpiritus, qui vtrique voci artificioſe reſpondent. Hoc etiam viſum eſt Pinedæ noſtro. Dicitur autem Deus trahere ad ſe ſpiritum & flatum, cum reſpectu ad primi hominis formationem: quia illi ſpiritum inſpirauit & flatum, cum in terream molem inſpirauit ſpiraculum vitæ. Hoc ergo ſpiraculum & flatum retrahit ad ſe Deus, id eſt, auferet, & talem relinquet hominem, qualem inuenit, antequam vitali illum animaret ſpiritu. Qui dicendi modus inuſitatus non eſt in Scriptura. *Eccleſ. XII, 7. Spiritus redeat ad Deum, qui fecit illum.* & *Pſalm. CIII, 29. Auferes ſpiritum eorum, & deficient: & in puluerem ſuum reuertentur.*

Verſ. 15. *Deficiet omnis caro ſimul, & homo in cinerem reuertetur.*] Ex hoc loco videtur ſumpſiſſe Dauid, quod proxime ex *Pſalmo CIII.* retulimus.

Verſ. 16. *Si habes ergo intellectum, audi, quod dicitur.*] Auertit ſermonem ab aliis, & refert ad Iobum, quem inſipientem iudicat, dum de illius intelligentia dubitat. Pollicetur autem grande aliquid ſe dicturum, quod non putat aſſecuturum eſſe Iobum, quantumcunque vim excitet intelligendi: vsque adeo in ſuo ſibi ingenio atque ſapientia placet. 20.

Verſ. 17. *Nunquid qui non amat iudicium, ſanari poteſt? Et quomodo tu eum, qui iuſtus eſt, in tantum condemnas?*] Hic locus varie redditur & exponitur: neque facile eſt, tam varias conciliare ſententias. Septuaginta: *Vide tu eum, qui odit iniqua, & perdit malignos, eſſe æternum iuſtum.* Chaldæus: *Num odio habens iudicium cuſtodietur?* Tigurina: *An qui odit iudicium, chirurgos imitaretur? illum ne impietatis ſuggillabis, qui iuſtus & potens eſt?* Ex Hebræo alii communiter vertunt: *Qui odit iudicium, dominabitur.* ita Pagninus, Vatablus, Iſidorus, Caietanus. Hiſpanica translatio: *Per ventura aborreciente iudicio ligara?* Hæc tamen multiplex translatio orta eſt ex verbo Hebraico חבש *chabas*, quod proprie *ligare*, aut faſciis obligare ſignificat; ex qua propria ſignificatione aliæ multæ oriuntur metaphoricæ. Ligare ſuperioris eſt poteſtatis, quæ ligat & coërcet reos, innocentes ſoluit; quæ poteſtas & opus iudicium comitantur. Atque ideo, qui ligat, dominari dicitur. Quomodo ex Hebræo recentiores pene omnes Interpretes tranſtulerunt. Et quidem leges, vt docet Sanctus Thomas *12. quæſt. 9. articulo 1.* a ligando dicuntur, quia legibus tanquam vinculis homines in officio continentur. 21.

Quia vero chirurgus & medicus vulnus ligant, & confracta oſſa, vt illud obducant & ſanent, iſta conſolident, fit vt חבש *chobes* pro medico ſumatur, & chirurgo, vt *Iſaiæ III, 7.* vbi Vulgatus tranſtulit *medicum.* Quando pag. 414. a

do ille, qui eligebatur ad populi gubernaculum, dixit: *non sum medicus*. Vbi quidam sub hoc nomine Regem intelligunt; quia hic legibus suis ligat populos, & pœnis coërcet: facitque in suo regno, quod medicus in affecto corpore. Quia vero, qui hoc modo ligat, sanat ægrotum, id certe spectat in ligando vulnere, fit, vt *ligare* idem interdum valeat, quod *sanare*. Quod adhibuit, vt vides, Vulgatus interpres. Ex his conciliari possunt, quæ tam videbantur esse dissimilia. Sed est adhuc difficile: quia si *sanari* legas passiue; non actiue *sanare*, non bene, sicut alii volunt, præter Vulgatum, hæc in Deum conueniunt, quem hic alii regem & dominum, alii medicum vocant; hi enim magis homines regunt, sanant, & ligant; quam ab aliis reguntur, sanantur, & ligantur.

23. Si *sanare* legas actiue, vt in aliquot Latinis codicibus inuenimus, sensus est commodus, quique optime confirmat, quod sibi proposuerat Eliu, in hunc sensum: Si Deus tam nostra curat diligenter, si ligat vulnera, si sanat morbos, qui fieri potest, vt iudicia peruertat humana, & frustra condemnet innocentes? Aut, vt alii volunt, indignum esse Deum, qui regnet, aut non tamdiu regnaturum fuisse, si iudicia peruerteret, & non potius summam secutus esset æquitatem.

24. Ego omnino cum Vulgato passiue lego *sanari:* sed adhuc dubito, an illud sanari ad Deum; vel ad Iobum referendum sit: si ad Deum referas, hic sensus videtur non omnino violentus & durus: Si Deus iudicia perverteret, & iniquum agitaret imperium, non posse alligari supremo illi statui, in quo rebus omnibus præest, & illas moderatur; aut non posse sanari, id est, sanum esse, incolumem, & inconcussum in suo regno. Tunc autem ex humano sensu, & iuxta id, quod inter homines plerumque contingit, loquitur Eliu. Videmus enim homines, qui æquitatem non seruant, & iudicia peruertunt, aut corrumpunt, non diu cum imperio esse, sed a populo male accipi, depellique non ab imperio solum, sed etiam a vita. De quibus experientia edoctus cecinit Iuuenal. *satyr. 10.*

Ad generum Cereris, sine cæde & vulnere pauci
Descendunt Reges, & sicca (id est, incruenta) *morte tyranni.*

Quæ ratio quam plurima peccat; neque mirum est, gentilem Philosophum, & ætate iudicioque iuuenili tam errare pueriliter & crasse in re Theologica, maxime cum ad illud certamen, sicut tres alios seniores, dæmon incitasset, & his rationibus ad oppugnandum Iobum astute muniisset.

Communis est Latinorum, &, meo iudicio, vera sententia; illud *sanari* referendum esse ad Iobum, qui tunc, vt constat, languebat grauiter, & visus est queri sic sane, non sine fundamento coniectabat Eliu, cum audiret illum suam innocentiam commendantem, dolentemque, quod torqueretur grauius, quam pro suis meritis. Tunc autem facilis est, & communis sensus. Desideras, o Iobe, sanari, neque vllus est, qui huic morbo possit medicinam facere præter Deum, quomodo igitur ab illo sanitatem speras, qui iudicium non amas, cum Deum, qui iustissimus est, iniustitiæ accusas; & illum peruersi ac violati iudicii tam aperte condemnas? 25.

pag. 414. b

Vers. 18. *Qui dicit Regi, apostata; qui vocat duces impios: qui non accipit personas*, &c.] Iniquus est, qui a Deo dicit aut putat iudicia subuerti, cum personas non accipiat, sed ad ferendum iudicium vnam in rebus omnibus aspiciat æquitatem. Quare non veretur, cum reges, duces, ac tyrannos cum paupere disceptant, illique aut falsum aliquid imponunt, aut illum suis fortunis euertere contendunt, appellare impios & apostatas, qui sine lege viuunt. Qui quodcunque libet, id sibi licere putant. Ideo autem personam non accipit, quia vt creator est omnium; sic etiam curator est; & sicut leges statuit, sic etiam illarum custos! & vindex esse vult. Quare illos, qui eas cupiditate, aut libidine impellente violant, impunitos abire non sinit. In hunc, qui sic res humanas moderatur & temperat, quis adeo erit temerarius, aut stolidus, qui crimen conferat violati iudicii? vbi Latinus *apostata*, Hebraic. est. בליעל *Belial*, id est, sine iugo, exlex. Quam vocem Vulgatus varie conuertit, nempe *impium, iniquum, iniustum, præuaricatorem:* 26.

qualis

qualis est, qui suis se affectibus, non diuinis legibus moderatur.

27. Vers. 19. 20. *Subito morientur: & in media nocte turbabuntur populi: & pertransibunt, & auferent violentum absque manu.*] Ostendit Eliu, quam Deus longe absit, vt personam accipiat tyrannorum & Principum, cum illis non solum exprobret impietatem, appelletque sceleratos & apostatas, sed etiam regno priuet & vita; idque ea ratione, vt quiuis intelligat immissam plagam fuisse diuinitus, morientur enim non solum lento morbo, tabeque consumpti, sicut Iobus eo tempore moriturus videbatur, sed repentino interitu, qualis est a ruente domo, quæ incautos opprimat, aut a populari seditione, quæ rempublicam turbat, & in tyrannum, in quem intestinum concipit odium, hostiliter irrumpit. Ac tandem obtruncat, tollitque de medio violentum hominem, qui dum suam expleat cupiditatem, aut tyrannicam rabiem, neque parcit vlli, neque rationem habet honestatis, aut fidei: quod plerumque fit nocte, quia illa magis est insidiis opportuna. Cuius rei eo tempore, quo hæc dicebantur ab Eliu, exempla non deerant, licet tradita non sint antiquis monumentis: quia sæcula illa illiterata & rudia historiis caruerunt: ex quo factum est, vt quædam notatu non indigna prorsus interierint. Sed sunt tam in sacra, quam in profana historia exempla non pauca eorum, qui dum imperium exercent tyrannicum, facto in eis populari impetu mortem obierint non incruentam: sicut paulo ante de Principum fato cecinit Iuuenalis: Dicuntur autem

28. hi absque manu periisse, quia externas cogere acies, & alienas manus conducere, necessarium non fuit ad Reges extinguendos, cum satis in illos arderent domesticorum & subditorum odia; qui in communem hostem incredibili conspiratione conspirarunt; aut quia eo adegerunt Reges pessime de sua republica meritos, vt antequam irruerent hostes, mortem anteuerterent; & sua sibi manu mortem consciuerunt. Qualis in sacris fuerunt Zambri Rex Israel, de quo *3. Reg. XVI, 18.* qui cum videret se vrgeri a potentiori hoste, & omne desperaret effugium, *ingressus est palatium, & succendit se cum domo Regis.* Quod

Tyranni a suis populari seditione oppressi.

pag. 415. a

item fecisse Iudæos tradit Iosephus *lib. 3. de Bello cap. 14.* & idem de Sardanapalo scribit Iustinus *lib. 1.* vel fortasse absque manu dicitur auferendus tyrannus, quia illum internus dolor & subitus extinguet; non vis extrinsecus allata.

In his arbitror voluisse Eliu designare Iobum, quem tyrannum putabat, aut quem a tribus amicis talem acceperat. Quod enim a suis male acceptus fuerit; & domo pulsus foras emissus, & ad sterquilinium vsque turpiter abiectus, diximus supra *Prolegomeno 4.* qui etiam sine manibus videtur esse consumptus, quia intrinsecus habuit, quo tabesceret. 29.

Vers. 21. *Oculi enim eius super vias hominum, & omnes gressus eorum considerat.*] Ad 30. rectum sincerumque iudicium, quod in Deo negasse Iobus, falso tamen arguitur, id est maxime & omnino necessarium, vt iudex probe penitusque cognoscat illa, de quibus est instituta controuersia, ne quemquam damnet, quem debuisset liberare, & illum liberet, quem recta ratio legesque condemnant. Ab hac siue iniuria, siue ignorantia, Deum vendicat Eliu, dum ait, Deo nihil esse clausum, nihil occultum: & illum omnia hominum consilia atque opera spectare attente, & accurate discutere. Quare frustra peccator homo latebras quærit, frustra vmbram & velum simulationis obtendit iniquitatibus suis; quantuncumque enim artificio tegere voluerit peccata sua, non secus diuinis oculis erunt manifesta, quam si ea illuminaret meridiana lux.

Vers. 23. *Neque enim vltra in hominis pote-* 31. *state est, vt veniat ad Deum in iudicium.*] Cum Deus abditissima quæque videat; neque homo peccator aliquid ad Dei iudicium afferre possit noui, quod ille non viderit, non est, cur speret retractatum iri iudicium, quod tunc fieri assolet in humano foro, cum noua accedit rerum cognitio, quæ de priori consilio aliquid mutat. Huc inclinat S. Thomas, qui addit, tacite his verbis condemnari Iobum ab Eliu, qui *cap. XXIII, 3.* dixit: *Quis mihi tribuat, vt cognoscam, & inueniam illum, & veniam vsque ad solium eius? ponam coram eo iudicium.*

Vers. 24. *Conteret multos, & innumerabi-* 32.
les;

les; & stare faciet alios pro cis.] Hæc contra Principes & tyrannos dicuntur, quorum Deus non accipit personam, de quorum numero putat esse Iobum, quem hoc loco & hac oratione præcipue pungit Eliu. Ait igitur, in Deo eam esse potentiam, eam in tyrannos virosque opibus atque autoritate principes libertatem, vt illos momento temporis de solio depellat; & alios eorum loco cum eadem aut etiam maiore autoritate sufficiat. Quod accidisse affirmat Iobo, aut illi euenturum esse minatur. Contigisse porro hæc aliquando ante Iobi sæculum verisimile est, licet id ignoremus. Aliis deinde temporibus sic accidit frequenter, vt laboris videatur otiosi id velle confirmare.

pag. 415. b

33. Vers. 25. *Nouit enim opera eorum; & idcirco inducet noctem, & conterentur.*] Nouit Deus, quales fuerint, futurique sint in posterum hi tyranni ac principes: atque ideo, vt vniuersi administrationi prouideat, illos conterit, ut meliores substituat, ideo illorum splendori noctem obducit, & gloriosos antea reddit inglorios, deposita corona, & assumpto gregali atque seruili sacco, aut sublatis de viventium numero. Id enim valet *nox:* in qua ærumnosum aliquid quocunque in genere significatur. Seu certe idem hoc loco valet *nox*, quod stupor, aut ignorantia, quæ excœcant homines, quantumuis acutos & solertes, nequid faciant prudenter: sibique caueant ab impendente malo, quod indicat S. Thomas.

34. Vers. 26. *Quasi impios percussit eos in loco videntium.*] Hi tyranni, qui de statu deiecti sunt, non de causa ceciderunt, a Domino percussi, nisi quia impie vixerunt. Non enim Deus commouetur affectu, quo homines, quod interdum rationes minus æquæ & sanæ a iudiciorum integritate transuertunt. Illud enim *quasi*, sicut alibi sæpe, non similitudinem, sed veritatem significat: Quare idem valet, quod *vtpote, propterea quod aut quia in loco videntium*, vt S. Thomas indicat, percussi sunt, nempe cœcitate, & in auias cogitationes abducti, quia eo tempore, quo videre poterant & euitare impendentem ruinam, noluerunt sibi de meliori euentu prouidere. Ideo Deus in loco videntium, id est, in meridiana luce noctem inducet, ita vt cum alii aperte videant, sibique caueant ab imminenti clade; ipsi tamen errent cœci, & ad saxum offendant, in foueam cadant, & in profundum deuoluantur præcipites. Hoc idem Deus minatus est impiis per Amos *c. IIX, 9. Occidet sol in meridie: & tenebrescere faciam terram in die luminis.* Et Ieremias *cap. XV, 9. Occidit sol, cum adhuc esset dies.*

Impii cœci sunt & errant, cum alii sunt in meridiana luce.

Alii putant, illud *in loco videntium*, idem esse quod publice, id est, in omnium conspectu: vt tyrannorum supplicium terrori aliis esset, & exemplo. Neque aliud videtur esse, quod Dauidi peccatori dictum est 2. *Reg. XII, 12. Tu fecisti abscondite, ego autem faciam verbum illud in conspectu omnis Israel, & in conspectu solis.* Vtraque sententia probabilis, vtraque optime cadit in Iobi supplicium, quam sine dubio his verbis compungit & exagitat Eliu. 35.

Vers. 27. *Qui quasi de industria recesserunt ab eo: & omnes vias eius intelligere noluerunt.*] Hi autem scientes volentesque recesserunt a Deo: neque attenderunt animum ad diuinam legem, vt quod ab ea præscriptum esset, intelligerent, quominus sibi ab omni flagitio temperarent. Vt autem ab hoc libro plurima expresserunt Scriptores alii sacri, vt quæ proxime audiuimus ab Ieremia & Amos; sic etiam Dauid hunc locum *in Psalmum XXXV, 4.* contulit, vbi de impio dixit: *Noluit intelligere, vt bene ageret.* 36.

Vers. 28. *Vt peruenire faceret ad eum clamorem egeni: & audiret vocem pauperum.*] Illud *vt* consecutionem dicit, non habitudinem finalis causæ: non enim ideo isti tyranni oppresserunt pauperes, vt clamarent ad Deum & illum iniuriarum vindicem appellarent; sed vt ex illorum exuuiis aliquod sibi compendium captarent; fecerunt tamen, dum pauperes inclementer vrgent, vt clamarent ad Deum, quorum ille voces audit non grauate, & illorum vlciscitur iniurias. Hæc verba Iobum designant, de cuius tyrannico dominatu, aut putat, aut simulat Eliu, conquestos esse pauperes. Porro clamare ad Deum pauperum iniurias, & spolia a potentioribus direpta aut negatam mercedem, in sacris literis sæpius audimus. *Exod. XXII, 22. Viduæ & pupillo non nocebitis: si læseritis eos, vociferabuntur* 37.

pag. 416. a

 tur

tur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio. Deut. XXIV, 14. *Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui, siue aduenæ, qui tecum moratur in terra, & intra portas tuas est; sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, & ex eo sustentat animam suam, ne clamet contra te ad Dominum.* Et Iacob. V, 4. *Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est a vobis, clamat & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit.*

38. Vers. 29. *Ipso enim concedente pacem, quis est, qui condemnet? Ex quo absconderit vultum, quis est, qui contemplatur eum, & super gentes, & super omnes homines?*] Hic locus in varias patet explicationes & sensus, in quos item varie distrahuntur interpretes. Ego, omissis aliis, illum puto non alienum, qui dicit, liberum esse Deo, vt supremo Domino, vniuersique moderatori, de rebus pro sua potestate, suo arbitratu libere statuere, siue condemnare, siue pacem concedere hominibus, vt illos in abundantia, & rerum omnium tranquillitate viuere permittat. Sed addo mihi videri magis idoneum sensum, & omnino germanum, qui hanc libertatem ad tyrannos tantum coarctat, & eos, qui impie viuunt, & reipublicæ pacem assidue turbant, dum publicas rationes produnt, vt suas priuatasque constituant. Non poterat inficiari aut ignorare Eliu, esse aliquos impios, qui in magistratu essent, & feliciter viuerent. Quod late probarat Iobus supra *cap. XII.* & *cap. XXI.* cuius ille orationem audierat. Atque ideo illius rationibus respondendum putabat, cum sententiam hoc loco videretur astruxisse contrariam. Reddit ergo rationem, cur scelerati nonnunquam dominari permittantur a Deo, *sequenti versu*; non quidem, vt tyrannum atque impium extollat & ornet, sed vt per illius insanum & barbarum ingenium subditorum peccata coërceat & puniat; sicut carnifici gladius porrigitur, & excelsus locus, vt homicidæ & proditori caput amputet, aut e sublimi loco præcipitem agat. Quare honor ille, vel potestas, non datur carnificis aut tyranni meritis, sed illius in peccatoris iugulum armatur manus. Id plane docet *versu sequenti*, qui sane aliter cum præcedentibus, nisi duriuscule contexi non poterat. Non improbo quod alii putant, quodque nuper dicebamus, esse probabile: sed dico, hoc mihi videri minus difficile, & expeditum magis. Quare ad hanc cogitationem explicationem attempero.

Locus impio traditur sublimis non tam ad eius honorem, quam ad eius supplicium.

Ipso enim concedente pacem, quis est, qui condemnet.] Quasi dicat, si Deus impio imperium potestatemq; permittat, sinatque vitam agere tranquillam, quis illum ideo reprehendet, aut damnabit, quasi iniquus sit iudex, aut quid hominum merita postulent, ignarus. Cum illi causa non defuerit grauis & honesta, cur illi gladium & potestatem tradat. Neque si dicas, non esse condemnandum tyrannum, aut impium, cui Dominus pacem & abundantiam indulsit, longe aberit ab hac cogitatione sententia. In hunc sensum: Quis condemnabit hominem specie impium, qui nempe talis communiter habetur, si Deus illi pacem honoremque tribuerit, cum Deo pro suprema potestate id faciat, neque cur id faciat, ratio desit idonea. 39.

pag. 416. b

Ex quo absconderit vultum, quis est, qui contempletur eum?] Ille dicitur *vultum abscondere*, qui indignatus est, quia alios ad suum aspectum supplicem non admittit, se denique aliis inexorabilem præbet. Sic Iobus supra *cap. XIII, 24. Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum? Isai. LIV, 8. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te.* & iterum *cap. LIX, 2. Peccata vestra absconderunt faciem eius a vobis.* Erit igitur sensus: Si Deus ab impio seu tyranno faciem auerterit, seu absconderit, id est, condemnauerit, & illi se contrarium ostenderit, quis erit, qui vultum eius contempletur? Quasi dicat, quis faciem illius placatam aspiciet & benignam, cum illam Deus ad furorem finxerit, & omnino se inexorabilem ostenderit. *Videre* autem *alicuius faciem* ex Hebræorum idiomate, idem est, atque benigne ab aliquo atque familiariter accipi. Sic Iosephus dixit fratribus suis *Genes. XLIII, 3. Non videbitis faciem meam.* Et *2. Reg. XIV, 24.* Dauid de Absalom: *Reuertatur in domum suam, & faciem meam non videat. Esther I, 14.* Septem viri Principes dicuntur *videre faciem Regis, & primi* 40.

Auertere, vel abscondere faciem ab aliquo, *indignationem*; videre faciem, *fauorem significat.*

primi post regem residere soliti. Hæc vero eo etiam spectant, vt Iobum callide affligant & lacerent, cum existimetur semper fucatam habuisse sanctitatem, & hypocrisi suam dissimulasse malitiam: quare vt ab hac, quæ videri poterat inertia, Deum defendat, ait.

41\. *Deus regnare permittit impios propter hominum peccata.*

Vers. 30. *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.*] Hic locus satis a nobis proxime explicatus est. Est autem hæc sententia quam verissima, licet proposita ab autore non bono. Cuius habemus alias in Scriptura similes. *Isai. III, 4.* inter alia incommoda grauissima hoc etiam addit in prophetia minaci: *Dabo pueros Principes eorum, & effœminati dominabuntur eis: Oseæ XIII, 11. Dabo tibi Regem in furore meo.* Quem locum hic grauiter tractat Gregorius; & Irenæus *lib. 5. cap. 24.* & alii Patres non semel. Vide Pinedam, qui hac de re latius. Illud non omittam, quod eam in rem perquam optime adduxit Plutarchus *de sera numinis vindicta cap. 4. Deus quibusdam in aliis tanquam carnificibus vsus est ad sumendam de aliis malis pœnam. Quod verum esse de plerisque tyrannis arbitror. Quemadmodum fel hyænæ, & phocæ, aliorumque fœdorum animalium coagula aliquid habent ad sanandos morbos vtile: sic nonnullis morsu & pœna indigentibus Deus iniiciens tyranni alicuius sæuitiam implacabilem, aut magistratus molestam asperitatem non ante, id quod excruciabat ac turbabat, sustulit quam vitioso morbo liberasset ac purgasset. Tale medicamentum fuit Agrigentinis Phalaris, Marius Romanis, Orthagoras Myro, & Clistenes Sycioniis.* Hæc Plutarchus.

42\. Vers. 31. *Quia ergo ego locutus sum ad Deum; te quoque non prohibebo.*] Quia longam sibi loquendi facultatem sumpserat Eliu, ne videretur egisse minus prudenter & vrbane, admonet iterum Iobum, vt ipse quoque de Deo loquatur: vt si quid minus vere aut caute dixisse existimetur, illud aut retractet, aut explicet. Hic obseruandum, *ad* & *in* aliquando in Scriptura idem esse quod *de*, vt diximus *in nostris Commentariis super Acta*, ad illud *cap. II, 25. Dauid enim dicit in eum.* vbi exemplorum satis: ad illa adde ex Ieremia duo *cap. XXIII, 11. Hæc dicit Dominus ad Sellum*, id est, de Sellum, & *cap. XXVII, 19. Hæc dicit Dominus ad columnas, & ad mare, & ad bases*; id est, de columnis, &c.

pag. 417. a

Ad & in *aliquando idem quod* de.

43\. *Superbi cum laudari volunt de suis aliis sermonis interrogant.*

Vers. 32. *Si erraui, tu doce me: si iniquitatem locutus sum, vltra non addam.*] Placuerat sibi, opinor, in suis verbis Eliu, & laudem sibi captabat ab his, qui aderant, quam tamen pudice atque honeste exigere non poterat aperte, & sine simulatione. Ergo quam manifeste non audet, artificiose extorquere contendit. Est autem artificium familiare superbis & ambitiosis, quia eo consilio contemnere se videntur & abiicere, vt laudentur ab aliis: quod vitium heu nostris sæculis sic increbuit, vt nusquam non occurrat etiam in claustris. Quod optime docuit hic Gregorius: *Arrogantes*, inquit, *viri habere inter alia proprium solent, quod ab auditoribus suis, ne quid fortasse inordinatum dixerint, tunc requirunt; cum se laudabiliter aliquid dixisse cognoscunt. Hæc videlicet faciunt, non quo de dictis suis ambigant, sed quo ab audientium iudicio fauores quærant.* Et paulo post: *Sicut sæpe contingit, vt bona loquantur, & mali, multa Eliu fortia paulo superius se dixisse meminerat; & securus idcirco, ne fortasse errauerit, requirebat. Neque enim requireret, si se errasse credidisset. Est namque, vt dixi, propria arrogantium fraus, vt tunc de errore requirere studeant, quando se nouerint non errasse.* Quod superbiæ genus eo grauius est, quo sub humilitatis vmbra turpitudinem celat. De quo sic Hieronymus: *Multo illa deformior est superbia, quæ sub quibusdam humilitatis signis latet. Nescio enim, quomodo turpia sunt vitia, cum virtutum specie celantur.*

Vers. 33. *Nunquid a te Deus expetit eam, quia displicuit tibi?* &c.] Coniectare licet ex verbis Eliu, tam in hoc, quam in præcedenti versu; hæc verba Iobum audisse inuitum, tulisseque molestius, idque aut ore distorto, aut auersis oculis, aut alio corporis motu significasse. Cui ideo dixerit Eliu, non esse, cur hæc verba tam tulerit impatienter, cum suum fuerit peccatum, non Iobi, si quid in illa oratione peccatum, quam tam sibi displicuisse significat. Non, inquit, a te Deus expectet eam, nempe iniquitatem, de qua abs te doceri studeo, quam non tu dixisti, sed ego. Neq; tamen ego ideo reprehendendus videor: neque enim 44.

hæc dixissem, nisi abs te quodammodo prouocatus, vt Dei causam tuerer, quam abs te violari aut oppugnari videram. Quare si quid tibi melius occurrit, liberam facio loquendi & obloquendi facultatem: age igitur expecto, quid dicas. Hæc satis verisimiliter, neque ex multis sententiis vllam inuenio impeditam minus.

45. Vers. 34. *Viri intelligentes loquantur mihi: & vir sapiens audiat me.*] Cum inuitatus, & quasi lacessitus Iobus adhuc taceret, existimasse videtur Eliu, illud ex ignoratione & stupo-
pag.417.b re ortum esse silentium. Quare de Iobo quasi de amente & stolido nihil curat. Neque cum illo putat vlterius producendum esse colloquium. Quare viros aduocat intelligentes, qui ad loquentem sublimia & grandia eruditas & elegantes aures aduertant, cum in Iobo neque ingenium sit capax, nec disciplina, quæ tanti viri eximiique Philosophi sapientiam capiant.

46. Vers. 36 *Pater mi, probetur Iob vsque ad finem: ne desinas ab homine iniquitatis.*] Videtur in Iobum succensere grauiter Eliu: quia ipsius orationem responsione dignatus non est. Quare illum sapientiæ vocat & disciplinæ prorsus expertem, & quem manu nequit, lingua vulnerat, & addit insuper imprecationem diram, cui tamen speciem religionis & pietatis obtendit, precaturque Deum, vt suam causam nomenque defendat a maledica & petulante lingua: neque desinat in sua impietate obstinatum hominem torquere: donec edoctus flagellis, discat iustitiam & diuinam maiestatem reuereri. Appellat autem Hebraico idiomate, quod videntur Idumæi habuisse commune, Iobum *hominem iniquitatis*, id est, insigniter iniquum. Vocat item Deum *Patrem suum*, aut quia sic Deum salutabant Idumæi: aut quia hæc vox in filiis, qualis videri volebat Eliu, amorem indicat & obseruantiam. Et sane *Patrem* nomen esse religionis & diuinitatis, probat Turnebus *lib. 18. cap. 8.* & Seruius *ad illud 2. Georg. Huc ades, o Lenææ pater.* Vnde Iupiter, Mars, Apollo, Bacchus patres salutantur. Quo artificio homo callidus declinare voluit odium & inuidiam ab his, qui aderant, quorum aliqui non male censeri poterant in Iobum animati. Hæc omnes communiter aut tenent, aut indicant: a quibus ego non discedo. Sed addam præterea, quod mihi videbatur non improbabile, & magis ad textum, neque tamen lectori meo persuadeo.

Suspicabar, illum, quem suum appellat patrem Eliu, esse Eliphazem, qui pater appellari poterat, & quia natu maior, & quia sapientia primus: quare cum illo seorsum tanquam omnium Principe locutus est Deus. *cap XLII.* appellarat autem eruditas aures, quæ sapientiam suam, quam vulgarem esse non putabat, acciperent; nunc eosdem hortatur, vt hominem vrgeant iniquum & blasphemum, & eo tandem adigant, vt de Deo, vt par est, religiose loquatur, neque linguas contineant, aut religiosum impetum coerceant, donec hoc ab ingenio peruicaci obtineant. Cum hac porro explicatione bene consentit, quod statim subditur. 47.

Vers. 37. *Quia addit super peccata sua blasphemiam: inter nos interim constringatur.*] Quia hic ad superiorem vitam impie atque tyrannice transactam, blasphemiam nunc addit contra Deum, constringamus illum, pro nostra in hominem impium autoritate, & sentiat in nobis esse, quos diuini nominis violati dolor tangat & zelus. Et tunc si libet, lacessat Deum, & ad iudicium legitimum appellet & prouocet. Quasi dicat, talem esse relinquendum ex eo conflictu, vt Deum deinceps blasphema lingua ad iudicium prouocare non audeat. Est autem hic meo iudicio euidens ironia. 48.

ARGVMENTVM CAP. XXXV.

INstimulatus acrius Eliu, quia a Iobo se contemni arbitrabatur, in illum non minus quam ante impatienter inuehitur, & quædam obiicit impia atque stulta, quæ aut ipse fingit, aut ex verbis Iobi male ratioci-

tiocinando componit: Quæ, dum ſapienter confutare ſe putat, impie ipſe & inſipienter agit. Arguit quidem Iobum, quaſi aliquando dixerit, Deum ex hominum peccatis aliquid captare compendii, dicitque, Deo neque quicquam accedere poſſe lucri ex hominum iuſtitia, neque ex eorum iniquitate nocumenti, quia Deus in cœlo procul ab hominibus eſt, quo hominum opera, qualiacumque fuerint, peruenire non poſſunt: qui grauis eſt & infantilis error, cum Deus vbicumque locorum ſit, & vniuerſa compleat. Docet tamen, licet illi ex hominum factis atque conſiliis nullus vſus aut nocumentum adueniat, Deum tamen hominum preces & clamores audire: quod ſi illos a tyrannorum inclementia non liberat, in cauſa eſſe illorum peccata, quæ Deus igne tribulationis punire aut expiare vult; & ideo maxime, quod in creatorem & benefactorem Deum ingratum habent & immemorem animum. Ad extremum admonet Iobum, vt Deum ſibi ſtudiorum mutatione placet, ſin minus plura ab illius indignatione & grauiora metuat.

CAPVT XXXV.

pag. 418. 1. IGitur Eliu hæc rurſum locutus eſt:

2. Nunquid æqua tibi videtur tua cogitatio, vt diceres: Iuſtior ſum Deo?

3. Dixiſti enim: Non tibi placet quod rectum eſt: vel quid tibi proderit, ſi ego peccauero?

4. Itaque ego reſpondebo ſermonibus tuis, & amicis tuis tecum.

5. Suſpice cœlum, & intuere, & contemplare æthera, quod altior te ſit:

6. Si peccaueris, quid ei nocebis? & ſi multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum?

7. Porro ſi iuſte egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?

8. Homini, qui ſimilis tui eſt, nocebit impietas tua: & filium hominis adiuuabit iuſtitia tua.

9. Propter multitudinem calumniatorum clamabunt: & eiulabunt propter vim brachii tyrannorum.

10. Et non dixit: Vbi eſt Deus, qui fecit me, qui dedit carmina in nocte?

PARAPHRASIS.

1. 2. 3. 4. Cum Iobus nihil ad obiecta reſponderet, inchoatum ſermonem continuauit Eliu dixitque: Quid tibi in mentem venit, o hominum ſtultiſſime, vt iniuſtum diceres eſſe Deum, aut te illo ſaltem iuſtiorem eſſe diceres? Dixiſti placere Deo, quod rectum non eſt, & illum aliquod ex hominum peccatis captare compendium. Reſpondebo igitur ſermonibus tuis inſipientiæ plenis, & docebo amicos tuos, quorum nunc infantiam admiratus ſum: quomodo Dei cauſam & nomen a maledico ſermone tueantur. pag. 418.

5. 6. 7. 8. Suſpice cœlum, & æthercam regionem attentius intuere; vbi ſuum ſibi Deus domicilium locauit; ex quo ſi ſapis, facile cognoſces, quam ſit ſupra te longe ſublimior: vnde etiam colliges, ex tuis ſiue honeſte & iuſte, ſiue impie & ſcelerate factis ad Deum nihil poſſe pertinere, cum ad ſublimem illius locum hominum conatus atque conſilia non aſpirent. Quare illi nihil aut opis afferes, aut nocumenti. At homo, qui eodem tecum loco atque ordine viuit, tua ſæpe opera ac patrocinio iuuari, & tuis inſidiis ac fraudibus lædi ac violari poteſt. Quare illi tua iuſtitia proderit, aut nocebit impietas.

9. 10. Et ideo homines ad Deum clamant, vt tyrannorum frangat potentiam, aut vleiſcatur iniurias; quia a tyrannis opprimuntur, quos tamen Deus interdum audit, licet illum non tangat dolor aut iniuria. Interdum vero illos male iactari tyrannorum atque impiorum

vexatione permittit, quia creatoris sui nomen non agnoscunt illorum beneficiorum immemores, quæ nocturnæ quietis silentio celebrare debuerunt.

pag. 419. 11. Qui docet nos super iumenta terræ, & super volucres cœli erudit nos.

12. Ibi clamabunt, & non exaudiet, propter superbiam malorum.

13. Non ergo frustra audiet Deus, & omnipotens causas singulorum intuebitur.

11. 12. 13. Illud vero beneficium est maximum, quod instar obtinet omnium, quod homini data est intelligentia & mens, qua non iumenta solum, sed etiam volucres longissimo superat interuallo. Propter horum beneficiorum ingratam obliuionem non audiunt, cum vociferantur oppressi, quando illos improborum hominum superbia diuexat. Quare Deus non sine causa quorundam preces non admittit, aut respicit, quia in illis nulla inuenit merita, quæ ipsius misericordiam flectant atque sollicitent. pag. 419.

14. Etiam cum dixeris: Non considerat: iudicare coram illo, & expecta eum.

15. Nunc enim non infert furorem suum, nec vlciscitur scelus valde.

14. 15. Ergo, o Iobe, cum de Deo adeo fueris impie locutus, vt Deo prouidentiam & curam tam aperte negaueris, licet tantæ blasphemiæ aliquid hactenus pœnarum exolueris, plura tamen ab eius indignatione etiam atque etiam expecta. Neque enim satis dum expiatum est scelus, & adhuc habet iacula, quæ in tuum caput vltor intorqueat.

16. Ergo Iob frustra aperit os suum, & absque scientia verba multiplicat.

16. Quare, o viri sapientes, frustra Iobus & insipienter loquitur, & orat, dum de Dei queritur inclementia, aut a tot malis liberari desiderat. Cum impie loquendo diuinam in se concitet iram, neque illam morum mutatione placare studeat.

Vers. 1. *Igitur Eliu hæc rursus locutus est.*]

pag. 419. a 1. ACrius iam agit Eliu instimulante furore, quem ex Iobi taciturnitate conceperat, quia se putabat ab illo haberi despicatui. Illud *igitur* consecutionem indicat. hortatus enim fuerat viros sapientes, e quorum numero se esse putabat, vt Iobum vrgerent, rationumque vinculis constringerent, vt ab illo exculperent errorem illum intolerabilem, qui ipsius animo penitus insederat. Consentanee igitur ad hanc cogitationem, ad disputationem intercisam revertitur, & multa obiicit impia & stulta, quæ in hominem religiosum & prudentem convenire non possunt: quæ aut ipse fingit, aut male ratiocinando colligit ex verbis Iobi, quæ aut non intellexit, aut in alienissimos sensus malitiose detorsit.

Vers. 2. *Nunquid æqua tibi videtur tua cogitatio, vt diceres, iustior sum Deo?*] Quasi dicat: quid tibi in mentem venit, o homo hominum stultissime, vt iniustum diceres esse Deum, aut te saltem illo iustiorem prædicares? Vbi hæc dixerit Iobus, non habemus, neque ostendere potest Eliu, & sunt sine dubio longe falsissima: vnde tamen aut malitiose, aut insipienter intulerit, exploremus. Dixerat Iobus aut dixisse videbatur, se iustum esse atque innocentem, & tamen a Deo iniuste puniri. & *cap. XIX, 6. Saltem nunc intelligite, quia Deus non æquo indicio afflixerit me.* Et cum Iobus cupere se dicebat venire cum Deo in iudicium *cap. XXIII, 3.* ostendere videbatur, iustiorem esse suam, quam Domini pag. 419. b cau-

causam. Sed hæc, vt suis locis, & proxime *capite præcedenti* docuimus, sensum habent modestum & pium.

3. Vers. 3. *Dixisti enim, non tibi placet, quod rectum est: vel quid tibi proderit, si ego peccauero?*] Neque hæc verba vspiam a Iobo dicta inueniuntur. Sed ex verbis Iobi veris atque simplicibus, malitiose & callide cauillatur Eliu, & hanc vtcumque blasphemiam concinnat. videtur autem ex illis verbis hanc expressisse sententiam, quæ legimus *cap. IX, 22. Innocentem & impium ipse consumit.* & statim: *De pœnis innocentum rideat.* & *cap. X, 14. Quare mundum me esse non pateris? si impius fuero, væ mihi est; & si iustus, non leuabo caput.* Quare vt male meditabatur Eliu, iudicasse videbatur Iobus, ex hominum pœnis aliquid lucri captare Deum, quem putabat humanis iudicibus esse similem, qui hominum ideo peccatis gaudent, quia habent, quos iudicent & condemnent, & ex illorum iudicio aliquid lucri faciant. Quomodo etiam medici grassari morbos optant, precanturque hominum, maxime locupletum, corpora tentari, vt aliorum incommoda ipsis diuitias pariant. Ita puto secum cogitabat Eliu, dum hæc verba affingit veritati, & adscribit Iobo: dum ait illum dixisse: *Non tibi placet, quod rectum est.* Significat, Deo virtutem & pietatem non placere, quia non habet
pag. 420. a ex quorum damnatione compendium captet, cum dixit: *Quid tibi proderit, si ego peccauero?* Indicat ad Deum ex hominum peccatis aliquid voluptatis & lucri peruenire. Quis hæc de homine non prorsus insano cogitaret? Sane talis iudicabatur Iobus ab Eliu, cum dixit de illo *cap. XXXIV, 35. Verba illius non sonant disciplinam.* Addo ad extremum Gregorii verba, quæ absque dubio verissima sunt: *Si tota libri series attenditur, nihil horum beatus Iob dixisse monstratur. Sed arrogantes viri, sicut & superius diximus, habere hoc proprium solent. vt dum in nimia inuectione prodeunt, etiam inuehendo mentiantur. Et cum non possunt reprehendere iuste, quæ sunt, reprehendunt mentiendo, quæ non sunt.*

4. Vers. 4. *Itaque ego respondebo sermonibus tuis, & amicis tuis tecum.*] Satis piam causam suscepisse videri poterat Eliu, nisi ipse confinxisse peccata, quæ cum stomacho reprehenderet, & statuisset scopum sibi, quem iaculando peteret. Vult itaque respondere non Iobo, quia Iobus nihil eorum dixerat, quæ hic contumeliose confutantur; sed suis somniis atque deliriis, quæ alterius innocentiæ falso, atque prudentiæ supponit. Sed prouehitur vlterius huius arrogantia, neque enim tantum Iobum reprehendere atque docere vult, sed etiam tres amicos illius, qui & maiores erant natu, & sapientiæ opinione præstantes. Existimat enim, illos tale de Iobi sermonibus tulisse iudicium, quale ipse aut parum attentus, aut prorsus ignarus informarat. Cumque ad hæc, quæ ipse tantopere nunc exagitat, nihil contra attulissent, imperitos illos iudicabat, neque habere aliquid a sapientia præter nomen solitarium & vacuum. Quod satis ostendit, amplificauitque *cap. XXXII.* Ait ergo respondendum esse Iobi sermonibus impietatis & insipientiæ plenis, & docendos Iobi amicos, quomodo Dei causam & nomen a maledico sermone tueantur, & Iobo de ipsorum exultante victoria silentium indicant.

Vers. 5. *Suspice cœlum, & intuere, & contemplare æthera, quod altior te sit.*] Eo spectat hæc disputatio Eliu, vt probet, nihil ab homine siue boni, siue mali, ad Deum peruenire posse, atque ideo nihil Deum ab homine in iudicando ac puniendo spectare compendii. Argumentum vero, quo ad huius pronunciati confirmationem vtitur Eliu, illius indicat insignem ignorantiam. Concludit enim in cœlo Deum, ita vt neque terram, neque vniuersum compleat, neque cum hominibus sit. Ita putat Hieronymus & Beda; quod arrogantem illum Philosophastrum crassæ cuiusdam ignorantiæ coarguit. Tota enim ea ratio in locorum distantia ac diuersitate consistit, quasi ad Deum, qui tanto ab hominibus interuallo discluditur, peruenire nihil possit, peruenturum vtique, si prope nos esset, aut vbi a nobis adiri, aut conueniri difficile non esset. 5.

Vers. 6. *Si peccaueris, quid ei nocebis? & si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum?*] Ex hac locorum tanta distantia efficit Eliu, ex hominum peccatis nihil Deo 6.

acce-

accedere posse nocumenti, quia ad illius tabernaculum, cœlesteque domicilium, hominum conatus & scelerata consilia non aspirant. Quomodo vero peccata contristent Deum, aut per opera nostra Deo aliquid accrescat aut pereat, tractant subtilius scholastici Doctores. vide S. Thomam *1. 2. q. 21. art. 4.* & ibi interpretes illius.

pag.420.b

7. Vers. 7. *Porro si iuste egeris, quid donabis ei?*] Sicut ex hominum peccatis Deo nihil infertur damni, sic neque ex illorum iuste atque honeste factis nihil accrescit boni: in vtramque enim partem valet illa ratio, si tamen aliquid ratio valet Eliu, quia nimirum Deus in altis habitat, & ad illius sedem nostra qualiacunque facta non perueniunt. Quæ ratio valeret plurimum, si de hominibus esset institutus sermo, nam si locum elegissent præaltum, atque omni ex parte munitum, qui nullum hostibus præberet accessum, nullum timerent malum ab hostili manu: & quidem iuxta hominum sensum de Deo ita nonnunquam loquuntur homines. Sic sane Dauid *Psalm. XC, 9. Altissimum posuisti refugium tuum, non accedet ad te malum.* Quid si hoc modo loqueretur Eliu, haberet, quo suam sententiam assereret ab errore: sed quod aliter senserit, suadet facile, quod proxime succedit.

8. Vers. 8. *Homini, qui similis tui est, nocebit impietas tua, & filium hominis adiuuabit iustitia.*] Quasi dicat, homo, qui tecum commoratur, quem contrectare potes & affligere, qui tua sæpe opera & patrocinio iuuari potest, leuari tuo potest auxilio, & tua violentia atque calumnia torqueri. At Deus, qui altius posuit tabernaculum suum, quam quo attolli possit humana facultas, neque timet ab homine violentam manum, aut ab illius cauet insidiis, neque ab illo quicquam expectat emolumenti, aut auxilium implorat.

9. Vers. 9. *Propter multitudinem calumniatorum clamabunt, & eiulabunt propter vim brachii tyrannorum.*] Probat quod proxime dixit, hominibus hominum impietatem nocere, & miserorum ab aliis leuari posse calamitates. Alioqui qui calumniis violentorum & tyrannorum manibus opprimuntur, non clamarent eiularentque, vt vel Deus, vel homines potentes ac pii suppetias ferrent laborantibus, & vim iniustam iusta vi repellerent. Quos Dominus interdum audit, & licet illum proxime non tangat dolor, aut iniuria noceat: tangit tamen misericordia, quæ alienum dolorem facit suum: & quæ inferuntur aliis, irrogari sibi deputat iniurias. Et tacite reprehendit Iobum, quod negasse videbatur, vt falso putabat Eliu, diuinam prouidentiam: cum bonos ab improbis vexari permitteret, ac violenter opprimi. Et rationem reddit, cur miseros tyranni insectentur impune, vbi etiam indicat, cur Deus Iobum assidue miserabiliterque clamantem non audiat.

Vers. 10. *Et non dixit, vbi est Deus, qui fecit me: qui dedit carmina in nocte.*] Clamat miser & eiulat, cum violentorum vrgent calumniæ, & vexat improbitas: neque auditur ac liberatur a Deo. Non quia non possit, sed quia homo, qui talia patitur, non meretur: quia cum propter alia beneficia gratias non agat, neque Dei recordetur, a quo creatus est, neque vbi sit Deus inquirat, ad quem preces dirigat & vota, indignus est, quem Deus placido respiciat vultu, & se contra vim aliorum armatum protectorem opponat. 10.

Illud *qui dedit carmina in nocte*, varias habet explicationes. Septuaginta ita legunt: *Qui distribuit nocturnas custodias.* Quem locum varie exponunt Græci. Catenæ auctor hic diuinam protectionem videtur cognoscere, qui ita præest hominum custodiæ, sicut imperator, qui castris inuigilat, cauetque assidua ac singulari prouidentia, ne quid illis durum & repentinum accidat. Atque ideo noctem in quatuor diuidit vigilias atque custodias militari more. Chrysostomus hoc idem sentit, sed aliter explicat. Ait enim Deum prouidisse, ne quid homo patiatur a feris: dum enim illæ noctu vagantur, illi domi se continent, & somnos capiunt. Origenes nocturnas hasce custodias angelos putat: *Vniuersum, inquit, huius temporis spatium nox est: & quidem custodiis atque excubiis opus fuit, quæ hanc ipsam noctem tuerentur, vt illi, inquam, qui sunt in custodia collocati, nocturnasque vigilias agunt, eos, qui versantur in nocte,*

pag.421.a
11.

Deus hominum custos & vigil.

cte, a latronibus, a belluis, ab hostibus defendant. Sed quinam custodes sunt, nempe qui castra metantur, angeli. Iuxta quam expositionem indigni iudicantur homines, quos Deus in aduersitate respiciat & protegat, qui tot cumulati, imo & onerati beneficiis, neque quas possunt vices referunt Deo, neque illorum grata memoria recordantur.

12. *Nox in quatuor vigilias diuisa, quæ buccinæ clangore distinguuntur.* Neque Septuaginta lectio cum translatione vulgata conciliatur difficile: quæ enim a vulgata dicuntur *carmina*, eadem non male dicuntur a Septuaginta *custodiæ*. nam qui excubias agunt nocturnas, aut clamant assidue, aut clangunt buccina, denique aliquo modo se vigilare significant. De clamoribus, qui etiam appellari possunt *carmina*, est illud *Isai. LXII, 6. Super muros tuos Ierusalem constitui custodes, tota die & tota nocte in perpetuum non tacebunt.* De buccinarum clangore, qui nocturnas vigilias distinguit, multa reperimus apud profanos, quæ Idumæis quoque fuisse communia, non est improbabile. Sicut tertius, aut quartus lapis, pro certo locorum spatio sumitur, sic tertia, vel quarta buccina, aut tertius vel quartus tubarum clangor, pro tertia, vel quarta custodia seu vigilia noctis vsurpatur. Vegetius *lib. 1. cap. 81.* & Frontinus *lib. 1. cap. 5.* a buccinatore dicunt diuisas esse vigilias. Silius Italicus *lib. 7.* distingui dicit mediam, id est, tertiam vigiliam, a secundo buccinæ clangore:

—Mediam somni cum buccina noctem
Diuideret, iamque excubias sortitus iniquas
Tertius abrupta vigilaret ad arma quiete.

Hæc de Septuaginta translatione, quæ neque contemnenda est, neque admodum discrepat a vulgata.

13. Sed clarius vulgata, & ad Hebraicum textum accommodatius: *Qui dedit carmina in nocte.* Quæ verba varie exponunt interpretes. S. Thomas, Caietanus, & Lyra hæc carmina illustrationes esse putant, visionesque nocturnas, quibus instruuntur homines, & de morum conformatione aut futuris rebus admonentur. Alii in *carminibus* cœlorum ornatum, & ignearum formarum admirabilem ordinem & pulcritudinem intelligunt, quia nos ad diuinam sapientiam carminibus celebrandam inuitant. Ita communiter Hebræi, & Hebræorum asseclæ, Eugubinus, Vatablus & alii. Sunt, qui in *nocte* tribulationes intelligunt, & quicquid in malis numerat mortalis infirmitas; in *carminibus* autem diuinas laudes, aut alacritatem, quæ non solum patienter sustinet, sed etiam libenter subit & appetit ærumnas. ita Gregorius, Hieronymus, Beda, Titelmanus. pag. 421. b

14. Hæc ego, licet omnino probare non possim, improbare non audeo. Quid autem minus mihi videatur difficile, paucis ostendam. Et primum obseruo, vsitatum esse in Scriptura, vt actio, pro illius (vt dicunt Logici) obiecto adhibeatur. Sic arma, aut minæ inimicorum, quia terribilia sunt & formidanda, terror dicuntur, aut pauor, aut timor noster, *Isai. IIX, 12. Timorem eius ne timeatis*, id est, arma. Et paulo post: *Dominus ipse pauor vester, & ipse terror vester*, id est, timendus est vobis. Sic *visio* pro spectro, *spes* pro re sperata, & vt ad rem propius accedamus, *laus, & laudatio* pro re laudata, seu laudabili. *Psalm. CV, 12.* de Deo: *Laudauerunt laudem eius*, id est, facta laudabilia & illustria. *Ierem. XVII, 14. Quia laus mea tu es.* Quod item apud Latinos vsitatum. Virgil. *lib. 1. Æneid.* REGULA. *Actio pro illius obiectio.*

En Priamus, sunt hic etiam sua præmia laudis.

15. *Carmina pro rebus carmine celebrandis.* Sic etiam hic *carmina*, seu *cantica* sumuntur pro rebus aut beneficiis celebrari dignis: qualia sunt innumera, quæ a Deo in homines collata sunt. *Qui dedit carmina*, id est, qui largitus est dona immortali carmine & æterna laude celebranda, & quorum nunquam est deponenda memoria. Illa porro carmina data ideo dicuntur in nocte, quia laudando Deo nocturnum silentium magis est opportunum. Quare sæpe Deus aut laudatus dicitur aut laudandus in nocte. *Psal. XLI, 9. In die mandauit Dominus misericordiam; & nocte canticum eius*, id est, cantabo in nocte, quæ in die accepi beneficia, & *Psalm. CXIIX, 62. Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Psalm. CXXXIII, 2. In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum. Thren. II, 19. Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum.* Et *Sapient. XVI, 27.* Hebræi pro cœlesti cibo acturi Deo gratias, *Nox orationi & diuinis laudibus opportuna.*

tias, ante solem surgere iubentur. Sic autem ibi de Manna: *Quod enim ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo radio solis calefactum tabescebat, vt notum omnibus esset, quoniam oportet præuenire solem ad benedictionem tuam.*

16. Vers. 11. *Qui docet nos super iumenta terræ: & super volucres cœli erudit nos.*] Inter alia carmina, id est, beneficia celebranda carminibus, illud est pro mille, quod homini data est intelligentia & mens, quæ sunt reliquis animantibus negata. Quæ faciunt, vt quicquid est in vniuerso bonorum, id homo ad suum vsum voluptatemque conuertat. Quid enim est tam abstrusum atque reconditum, quid tam dissitum, aut infra nos, aut supra nos, quod non inueniat ratio, faciatque suum, ac tandem sibi admoneat atque coniungat: & quod homo viribus, aut velocitate obtinere nequit, id ingenio suo innataque solertia consequitur. *Efficimus* (inquit Cicero *lib. 2. de natura Deorum*) *domitu nostro quadrupedum vectiones, quorum celeritas, atque vis nobis ipsis affert vim & celeritatem. Nos onera quibusdam bestiis, nos iuga imponimus: nos elephantorum acutissimis sensibus, nos sagacitate canum ad vtilitatem nostram abutimur. Nos e terræ cauernis ferrum elicimus, rem ad colendos agros necessariam: nos æris, argenti, auri venas penitus abditas inuenimus, & ad vsum aptas, & ad ornatum decoras.* Et post pauca: *Quid vero? Hominum ratio non in cælum vsque penetrauit?* Quare cum Deus homini rationem indidit, & mentem, terram illi, mare, aëra, & cœlum quodam modo subiecit, & materiam dedit continui cantici. Indidit sane Deus animantibus aliis suam quoque intelligentiam, seu instinctum, & impetum naturalem ad opera plane admirabilia, de quibus non pauca postea *a cap. XXXIX.* Sed illa præ hominum intelligentia, aut nullo sunt aut exiguo loco.

Mens homini data, cui Deus res natura maximas, innumeraque subiecit.

pag. 422. a

17. Vers. 12. *Ibi clamabunt, & non exaudiet, propter superbiam malorum.*] Hæc, quæ de diuinis in hominem beneficiis dicta sunt, quæ homines ad carmina, id est, ad perpetuam laudem & commendationem inuitant, parentheſi videntur esse a reliquis disciudenda, & coniungenda cum *versu 9.* vbi clamaturi dicuntur a tyrannis oppressi. Qui ideo hic dicuntur non audiendi, quia tot onerati beneficiis, neque Deo gratias agunt illorum largitori, neque ab illo se quicquam accepisse recordantur. Horum autem verborum germana est facilisque sententia, hanc ob causam, ingratam videlicet obliuionem, non esse a Deo audiendos gemitus, aut admittendas preces miserorum, cum illos improborum hominum superbia & tyrannica potentia vexauerit.

Vers. 13. *Non ergo frustra audiet Deus, & omnipotens causas singulorum intuebitur.*] Rationem adhuc magis aperit & amplificat, & docet, non sine causa Deum quorundam preces non admittere, sed potius illos hiantes relinquere, & miserabiliter clamantes, quia videlicet in illis nulla inuenit merita, quæ ipsius misericordiam sollicitent & flectant. Et licet alii aliter sentiant, quia hic auctores varie dissentiunt, ego consequenter superiora hæc ad miseros & oppressos pertinere arbitror, qualis tunc erat Iobus, qui cum clamaret vrgentibus malis, clausas tamen videbatur Dei aures habere, aut inexorabilem animum, quia, vt cogitabat Eliu, frustra clamabat, qui cum Deo sibi nullam inierat gratiam, beneficiorum memor atque laudator, sed potius oratione blasphema atque impia illius animum procul auertisset. Ait igitur Eliu, Deum singulorum causas diligenter expendere, neque ignorare, quid quisque faciat, cogitetue. Quare si hunc audit, benigneque complectitur: illum vero deserit, & in suo squalore tabescere permittit, non esse sine causa. illum enim pium & humilem esse nouit, hunc vero impium, superbum, & totius humanitatis expertem. Quare licet aliquando sero, quia patienter expectat, vt meliorem amplectatur viuendi formam, punit tamen aliquando, & a sua misericordia prorsus excludit. Hæc videtur satis ad textum & mentem Eliu accommodata sententia. Alias omitto, quia variæ sunt, nec omnino solutæ, & ego longus esse nolo. Sed hic obseruandum, negationem prioris hemistichii repetendam esse in posteriori: quod apud Hebræos vsitatum est, in hunc sensum: Non ergo Deus sine causa a miserorum precibus aures: 18.

pag. 422. b

&

& non sine causa ab illorum miseriis oculos auertit.

19. Vers. 14. *Etiam cum dixeris, non considerat, iudicare coram illo, & expecta eum.*] Hæc manifesta ad Iobum, quem monet Eliu, vt suam causam semper expendat, moresque discutiat coram Deo: id est, illum suum esse iudicem accurate consideret, id enim valet, *iudicari cum Deo.* Etiam cum apud se cogitet, Deum humana neque curare, neque aspicere, ita vt plura expectet vulnera, & maiora rerum & corporis incommoda; neque enim exhaustæ sunt diuinæ vires, aut exaturatus furor, quem peccatorum prouocauit multitudo & grauitas. Hæc satis videntur dici consequenter. Possunt tamen aliter exponi, & fortasse melius, ita vt illud: *cum dixeris*, non sit. *quo tempore dixeris*, sed *quandoquidem dixisti.* Tunc vero hic erit sensus: Graue fuit peccatum illud, quod tunc admisisti, cum dicere ausus es, tantam in Deo obliuionem esse, tantam inertiam, vt nostra non consideret: illud itaque tecum, & coram Deo, etiam atque etiam considera: nam licet illud Deus tam acerbe videatur punire cœpisse, non tamen omnino supplicium sumpsit: adhuc brachium habet extentum, adhuc in pharetra sagittas habet, quas in tuum caput & præcordia iaculetur: illorum adhuc expecta tuorum scelerum rigidum vltorem.

Vers. 15. *Nunc enim non infert furorem suum, nec vlciscitur scelus valde.*] Hæc aperta sunt, & cum proxima explicatione consentanea: tantum enim dicit, Iobum pro meritis non satis dedisse pœnarum, sed amplius esse aliquid, quod timere debeat. 20.

Vers. 16. *Ergo Iob frustra aperit os suum: & absque scientia verba multiplicat.*] Colligit Eliu, quid hac sua disputatione efficere voluerit, neque id esse putat incertum aut exiguum. Hæc illius opinio est, aliorum, qui melius philosophantur, non item. Infert enim, verba Iobi fuisse nihil aliud, quam vacuos & sine mente sonos: in quibus nihil esset, quod scientiam oleret, aut sanam mentem. Dicitur autem os suum aperuisse frustra, aut quia nihil dixit, quod viri probent prudentes & pii, aut quia, dum petit a tot rerum & corporis incommodis liberari, assequatur nihil, quia lingua petulanti atque impia diuinam in se inflammauit iram, neque illam oratione supplice & morum mutatione placare studet. 21.

ARGVMENTVM CAP. XXXVI.

Captata Rhetorum more beneuolentia atque attentione, inchoatam disputationem persequitur Eliu, & Deum ab omni iniquitatis suspicione liberat, docetque, potentes homines, non quia potentes, sed quia peccatores, a Domino puniri: a cuius indignatione neque alieni sunt pauperes, nisi manus aut animum a scelere contineant. Deinde iustitiæ & æquitatis amantibus felicem promittit fortunam, & rerum abundantiam. Quare hortatur Iobum, si ad priorem statum aliquando redierit, in re iudiciali, nullo habito personarum delectu, æquitatem seruet, traditque præcepta ad iudiciorum integritatem opportuna valde. Et primum monet, vt meditetur secum, sapientem esse Deum, & potentem omnia, a quo timere omnia debet, quicumque de illo audacter aliquid aut temere loquatur, vt autem illius sapientiam ac magnitudinem ostendat, canticum repetit longum, & ab antiquis etiam sæculis cantari solitum, in quo admirabilia quædam explicantur, & sane non ineleganter, quæ diuina solertia quotidie ad hominum siue salutem, siue supplicium operatur.

CAPVT XXXVI.

pag. 423. 1. ADdens quoque Eliu, hæc locutus est:

2. Sustine me paululum, & indicabo tibi: adhuc enim habeo quod pro Deo loquar.

3. Repetam scientiam meam a principio, & operatorem meum probabo iustum.

4. Vere enim absque mendacio sermones mei, & perfecta scientia probabitur tibi.

5. Deus potentes non abiicit: cum & ipse sit potens.

6. Sed non saluat impios, & iudicium pauperibus tribuit.

7. Non auferet a iusto oculos suos, & reges in solio collocat in perpetuum, & illi eriguntur.

8. Et si fuerint in catenis, & vinciantur funibus paupertatis.

9. Indicabit eis opera eorum, & scelera eorum, quia violenti fuerunt.

10. Reuelabit quoque aurem eorum, vt corripiat: & loquetur, vt reuertantur ab iniquitate.

pag. 424. 11. Si audierint & obseruauerint, complebunt dies suos in bono, & annos suos in gloria.

12. Si autem non audierint, transibunt per gladium, & consumentur in stultitia.

13. Simulatores & callidi prouocant iram Dei, neque clamabunt, cum vincti fuerint.

14. Morietur in tempestate anima eorum, & vita eorum inter effœminatos.

15. Eripiet de angustia sua pauperem,

PARAPHRASIS.

1. 2. 3. 4. Neque hic constitit Eliu longa & ideo insuauis oratio, cui aliquid continenter attexuit, dixitque, ut sibi auditorem Iobum beneuolum redderet & attentum, non longe se progressurum esse dicendo; & eo præsertim orationem incumbere, vt Dei causam pro virium suarum facultate tueatur, cuius nomen Iobus audaci lingua violauerat. Repetam, inquit, quod pridem mecum meditatus sum, quodque esse volui meæ philosophiæ primum, maximumque principium; nempe in factore meo nullam inueniri posse iniustitiæ labem. Neque quicquam, o Iobe, affingam veritati, neque tu, vt opinor, scientiam meam, & eius fundamentum improbabis. pag. 423.

5. 6. 7. Et primum hoc statuo, non ideo homines a Deo contemni atque abiici, quod potentes sint; quia aliter Deus eodem seipsum iudicio damnaret, cum & ipse sit potens. Sed in hominibus potentibus impietatem & violentiam punit, dum causam tuetur & vlciscitur pauperum. Non enim Deus a iusto, quicumque fuerit, oculos auertit; neque iustum regem a solio deturbat, in quo perpetuo sublimis sedet & pacifice regnat.

8. 9. 10. Quin si pauperes ipsi egestate premantur, neque ab illa minus quam a ferreis vinculis constringantur, si tamen illi tyrannorum ingenium & mores imitati violenti fuerint, & aliis cooperti flagitiis, non leuius quam tyranni ac reges punientur. Alloquetur tamen illos Deus non molli atque paterna voce; sed seuera & graui, vt corripiat, & pungat, & ad æquitatem & iustitiam adducat.

11. 12. 13. Qui si audientes se diuinæ exhortationi præbuerint, felices implebunt atque gloriosos dies: sin autem diuina contempserint monita, prout illorum exigit vesanus stupor, ante suum tempus gladio cadent. Hi enim, qui sanctitatem simulant, & honestatis fucata specie turpitudinem celant, furorem in se diuinum acuunt; neque dum diris vrgentur incommodis, vtiliter clamant, quia non bene cum hypocrisi conuenit supplex oratio. pag. 424.

14. 15. Hi mortem oppetent infelicem & subitam, qualis solet in tempestate aut subita ruina contingere. Et vita tam erit ignobilis & sordida, qualis eorum esse solet, qui suos insti-

& reuelabit in tribulatione aurem eius.

instituerunt mores effœminate ac molliter, longe aliter accidet his, qui vt pauperes sunt, sic etiam ad suum statum consentance vitam agunt piam atque humilem, longe a tyrannorum ambitione diuersam. Hos enim benigne alloquetur Deus, & a malis vrgentibus eripiet.

16. Igitur saluabit te de ore angusto latissime, & non habente fundamentum subter se: requies autem mensæ tuæ erit plena pinguedine.

17. Causa tua quasi impii iudicata est, causam iudiciumque recipies.

16. 17. Quod si meliora, o Iobe, mediteris, & in voraginem, cuius est os angustum, & sine fundo immensa profunditas, fueris demersus, inde te Deus propitius eximet, & mensam prius inopem omnium ciborum suauitate complebit. Hactenus te quasi magnorum scelerum reum iudicauit, & vehementer afflixit; si honeste deinde vixeris, non minus tua merita liberali atque paterna manu compensabit.

18. Non te ergo superet ira, vt aliquem opprimas: nec multitudo donorum inclinet te:

19. Depone magnitudinem tuam absque tribulatione, & omnes robustos fortitudine.

18. 19. Si quando vero diuina te beneuolentia ad priorem fortunam & iudicialem potestatem reducat, ne rursus ab illo deturberis, eo tibi diligenter enitendum est, ne ira præceps, aut conturbato animo ad iudicandum accedas, nec te donorum multitudo a recta iudicandi via aliorsum agat. Teque ipsum in ferendo iudicio ita moderare, vt deponas inflatos spiritus, & ad aliorum te mediocritatem accommodes; ne illis tribulationi sis aut terrori. Neque te potentium fortitudo a recte iudicando deterreat, sed illos, quasi e media turba euocatos, æquali cum aliis lege constringe.

20. Ne protrahas noctem, vt ascendant populi pro eis.

21. Caue, ne declines ad iniquitatem: hanc enim cœpisti sequi post miseriam.

20. 21. Illud præterea caue, ne ad altam noctem opus iudiciale producas, quando in tenebris & solitudine multa audent homines; quæ in luce hominumque conspectu non auderent. Tunc enim ascendent populi frequentes, quorum turpis est causa, vt ea pro se dicant, quæ in luce, & spectantibus aliis probare non possint. Neque committas, vt quando iterum cum imperio ac potestate fueris, ad iniquitatem blasphemiamque declines, ad quam te, cum iaceres in sordibus, proiecisti.

pag. 425. 22. Ecce, Deus excelsus in fortitudine sua, & nullus ei similis in legislatoribus.

23. Quis poterit scrutari vias eius? aut quis potest ei dicere: Operatus es iniquitatem?

22. 23. Quod autem de Deo iudice reuerenter ac pie loqui debeas, multa non hortantur solum, sed etiam cogunt: primum, quia æquissimus est & sapientissimus legislator, & vsque adeo fortis, vt rebelles quoscunque puniat, & in officio inuitos licet & repugnantes contineat. Quis erit tam audacis ingenii, qui illius tentet scrutari consilia, aut tam stupidæ mentis, qui in illius operibus aliquid iniquum deprehendat? pag. 425.

24. Memento quod ignores opus

24. 25. 26. Memento, o Iobe, illius carminis

eius, de quo cecinerunt viri.

25. Omnes homines vident eum, vnusquisque intuetur procul.

26. Ecce, Deus magnus vincens scientiam nostram: numerus annorum eius inæstimabilis.

nis antiqua parentum nostrorum & recenti memoria celebrati, in quo docemur, diuina opera esse magna, neque posse ab humana intelligentia cognosci. In quo cantico iam vulgari ac trito hæc, quæ dixi, præcipue popularis etiam turba cantillat. Cuius carminis hoc est exordium, cognosci quidem ab hominibus Deum, procul tamen, & obscure. Ecce enim magnus est Deus, ad quem mentis nostræ acies, quantumcumque perspicax, aspirare non potest, cuius annorum numerus notari non potest, aut cognosci, cum illos vna tantum metiatur æternitas.

27. Qui aufert stillas pluuiæ, & effundit imbres ad instar gurgitum.

28. Qui de nubibus fluunt, quæ prætexunt cuncta desuper.

27. 28. Cuius imperio sic obsequuntur nubes, vt alibi terram sic relinquant aridam, vt nulla in illam gutta stillet e cœlo; alibi sic assiduis irrigent imbribus, vt illam vasti aquarum gurgites oppleuisse videantur. Quod eo magis est mirabile, cum nubes, ex quibus decidunt pluviæ, tam inæqualiter, æqualiter interdum totam terram operiant.

29. Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum.

30. Et fulgurare lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet.

29. 30. Si illi placuerit, momento temporis nubes expandit, ita vt totam circumfundant terram, & ipsos quoque maris terminos operiant, non secus atque si quis vellet explicare tentorium, quod inuolutum gestabat in via. Quæ nubes non aliter illuminantur & collucent fulgure, quam principum tentoria distincta gemmis lapillisque micantibus.

31. Per hæc enim iudicat populos, & dat escas multis mortalibus.

31. Per illas sontibus supplicia, & insontium meritis mercedem rependit. Per has minatur mala, & promittit quæ e terra mortalium vitæ sperari possunt alimenta.

32. In manibus abscondit lucem, & præcipit ei, vt rursus adueniat.

33. Annunciat de ea amico suo, quod possessio eius sit, & ad eam possit ascendere.

32. 33. Lucem vero ea facilitate dispensat, diffundit ac condit, qua nos illa ostendimus, aut claudimus, quæ gestantur in manibus, quæ explicata porrigimus manu, & eadem contracta negamus. Illam porro lucem, quasi possessionem propriam, suis Deus amicis promittit & annunciat, dicitque, illos visuros esse post tenebras lucem, & ad illam reuersuros esse fortunam, ex qua prius ad modicum tempus exciderunt.

Vers. 2. *Sustine me paululum, & indicabo tibi; adhuc enim habeo quid pro Deo loquar.*]

pag. 426. a 1.

LOngam orationem habuerat Eliu, & non temere existimabat, & Iobo præcipue, & aliis, qui aderant, accidisse molestam. Quare in exordio id præstat, quod Rhetores monent, quando auditores existimantur esse defessi, neque libenter audituri quod reliquum est. Tunc enim promittitur oratio breuis; & in qua res dican-

dicantur eiusmodi futuræ, vt nihil vulgare sonent: nihil non magnum, nihil non religiosum & pium, in quo audiendo neque opera ponatur inutilis, neque ingrata, aut difficilis attentio. Quare sermonem dicit se facturum pro Deo, cuius Iobus nomen exagitauerat audaci lingua. Quæ res facile inuitaret, attentasque redderet curiosas ac religiosas aures: quales erant illorum, qui prius contra Iobum pro diuina prouidentia atque æquitate certauerant. Obseruat autem hoc loco Gregorius in Eliu, in quo arrogantium hominum agnoscit ingenium, interdum qui in sua sibi sapientia placent, dum suæ student gloriæ, diuini ambitioni suæ nominis reuerentiam prætendere: *Quia sæpe*, inquit, *arrogantes sibi sentiunt silentii reuerentiam non deberi, Domini nonnunquam potentiam, de quo quasi loquuntur, insinuant; ac sub prætextu illius, sibi silentium exigunt, quod minime merentur: & dum specie tenus Deum proferunt, auditum sibi ex reuerentia eius exigentes, se student magis ostendere, quam illius facta prædicare.*

2. Vers. 3. *Repetam scientiam meam a principio: & operatorem meum probabo iustum.*] Comparata vtcumque beneuolentia & attentione, quod opus est exordii, qua de re instituenda sit disputatio, edocet. Et primum ne quid temere dixisse videatur, quod ab audacia iuuenili timeri poterat, ait nihil a se dicendum, quod non fuisset prius accurate ac diu meditatus, imo ab eo ductum sibi fuisse philosophiæ principium: id enim valere arbitror, *scientiam meam a principio*, de quo mox. Et tandem, vt gratum se ac memorem ostendat beneficii, quod a Domino recepit, cum ipsum in vitalem hanc & communem auram & lucem auocauit ex nihilo, iustum illum contra Iobi calumnias atque blasphemias probaturum esse dicit. Illud *scientiam meam a principio*, quidam sic exponunt, altius repetam, & a suo principio rem deducam. Quod Septuaginta indicant, cum ita transferunt: *Suscipiam scientiam meam de longe.* Quod recentiores etiam faciunt, quibus adde Chaldæum & Hispanicam translationem, quæ ita reddit: *levantare mi saber de luesie.* Et clarius Tigurina: *Afferam enim, quod cognitum habeo, verum non pressius agens.* Et communiter omnes sic accipiunt, a suis principiis & fontibus disputationem esse ducendam. Sed cur hæc communis explicatio minus placeat, facit, quod prius Eliu breuem promiserat orationem; ne quid ab ipso molestum acciperent auditores, quos ad reliquam disputationem habere volebat non difficiles. At quod breuitate promissa consecutus fuerat homo non stultus aut obliuiosus, id totum in orationis exordio destruxisset, si longe, id est, a suis principiis sermonem ordiendum esse proponeret. pag. 426. b Quare placet potius, quod ante cogitabam, dixisse nimirum Eliu, diu se illa, quæ dicturus est, fuisse meditatum, & illud suæ philosophiæ fuisse principium, vt bene de Deo sentiret, & vbique locorum & gentium illius consilia & opera probaret. Neque translationes aliæ, vna excepta Tigurina, contrarium probant. Illud enim *de longe* non magis dicit repetendum esse aliquid a fundamentis & rerum origine, quam quod longe ante illud tempus in suorum studiorum principio didicisset.

Vers. 4. *Vere enim absque mendacio sermones mei.*] 3. Hoc quoque ad attentionem & beneuolentiam facit, dum nihil dicit affingendum esse veritati. Quibus verbis oratorio more Iobum pertrahit in inuidiam, quasi mendacibus figmentis diuinam fidem & prouidentiam oppugnaret.

Vers. 5. *Deus potentes non abiicit, cum & ipse sit potens.*] *Deus potentes non odit, quia potentes sunt, sed alias ob causas.* Erat Iobus potens & Rex, vt norunt omnes, & nos supra *Proleg. 4.* pluribus ostendimus: putabatur etiam ab Eliu, & ab aliis etiam plurimis, impius & hypocrita, quia dæmon illos in falsam illam cogitationem impulerat. Cum autem nonnemo existimare posset, ideo Iobum a Deo horribili plaga fuisse percussum, quia potens erat, & potentium nomen inuisum putaret esse Deo, qui se pauperum patronum esse affirmat, ideo primum hanc de Deo suspicionem ex suorum auditorum animis remouet, dicitque, non ideo homines a Deo contemni atque abiici, quod potentes sint. Quod ea ratione probat, quia si potentes eo damnaret nomine, quod potentes sint, se ipsum vtique damnaret, cum & ipse sit potens. Quis autem nisi inuerecundus & amens illum arguat atque

que condemnet ob illud scelus, quod a se, vt maxime cupiat, remouere non potest. Cur autem Deus potentes oderit & cruciet, statim edocet.

4. Vers. 6. *Sed non saluat impios, & iudicium pauperibus tribuit.*] Contingit, idque multo frequentius, quam vellemus, vt qui potentes sunt, illi quoque sint impii, audaces ad omnia, quique existiment licere sibi quicquid libeat, imo & sibi ius datum a natura, vt alienis opibus vtantur pro suis: vnde pauperum sequitur spoliatio, indigentia, luctus, & clamor, quem exaudit Deus, & illorum consolatur mœrorem, & iniurias vlciscitur. Non igitur Deus Principes & potentes punit & cruciat, quia potentes sunt, sed quia impii, sed quia potestatem suam tyrannico corrumpunt imperio, quia pauperes euertunt & opprimunt, quia, dum suæ student gloriæ, diuinam produnt & abiiciunt. Hinc efficit Eliu, puniri Iobum, non quia opibus abundaret & regio splendore fulgeret, sed quia regio nomine & potestate abusus, spoliasset pauperes, quorum Deus suscipit & iudicat causas.

5. Vers. 7. *Non auferet a iusto oculos suos, & Reges in solio collocat in perpetuum.*] Hæc aperta sunt magis, quam vera, fauerent quidem, si modo vera, partibus Eliu. Nam si reges, qui iustitiam colunt, stabile habent atque perpetuum regnum, nunquam a regio solio depulsus esset Iobus, & ad sterquilinii sordes & ignominiam abiectus. Hoc fundamentum commune cum aliis Iobi amicis habuit Eliu, qui temporarium hoc supplicium, seu verius incommodum, indictum tantum esse sceleribus putabant, quasi iusti ab huiusmodi malis prorsus essent immunes. Quod sine dubio omnes a diabolo didicerant, qui acute nouerat illud magnam Iobo allaturum esse molestiam.

pag. 427.a

6. Vers. 8. 9. *Et si fuerint in catenis, & vinciantur funibus paupertatis, indicabit eis opera eorum, & scelera eorum, quia violenti fuerunt.*] Hæc plus quam proxima veritatis habent, licet enim Deus patronus dicatur, & pater pauperum, si tamen illi scelerati fuerint, & inflato spiritu, aut spirante minas, tyrannorum & Principum mores imitentur, eodem illos Dominus insectabitur modo, quo tyrannos crudeles & impios. Vt enim Deus non abiicit potentes, quia potentes sunt; sed quia inflati opibus, & abusi potentia tenuiores opprimunt, & a Dei obseruantia impudenter recedunt; Sic etiam non fauet pauperibus, quia pauperes sunt, sed quia humiles, modesti, addicti Dei voluntati, & qui in Deo spem locarunt suam. Nam si illi crudeles fuerint, raptores, violenti, non alio illos loco Deus habebit, quam potentes, & qui tyrannicos spiritus imbiberunt. Hoc autem modo Iobum in paupertate ac dolore, cum clamat assidue, a Deo tamen exaudiri negat, quia regios adhuc alit spiritus, neque adhuc tyrannicum exuit ingenium.

Deus non fauet pauperibus, quia pauperes, sed quia modesti & humiles.

7. Vbi obseruandus dicendi modus, quo pauperum significatur, aut ferinus animus, qui ad aliorum diripienda bona, aut etiam cædem anhelat: aut præceps alius & immoderatus affectus, qui tamen non erumpit in opus, quia a paupertatis incommodis impeditur. Sicut multi tamdiu furorem a vindicta cohibent, manus a rapina, lasciuos motus a damnata Venere, quia clausi tenentur in custodia, neque manus a manicis, neque pedes a vinculis expeditos habent. Sic quos paupertas impedit, neque quicquam ad vim & cædem facultatis concedit, licet manus habeant inermes, animos tamen habent armatos, & spirantes iram, quam explere non possunt. Hos itaque pauperes iudicat Deus, & punit seuere: non secus ac tyrannos, quia tyrannico sunt animo, etiam si manus habeant innocentes.

Pauperes in summis etiam angustiis despicit Deus, si inflato sunt animo.

8. Dixit hoc perquam optime Seneca *epist. 42.* cuius hic verba referre libuit. *Multorum*, inquit, *quia imbecilli sunt, latent vitia, non minus ausura, cum illis vires suæ placuerint, quam illa, quæ iam felicitas aperuit. Instrumenta illis explicandæ nequitiæ desunt. Sic tuto serpens etiam pestifera tractatur, dum riget frigore. Non desunt tunc illi venena, sed torpent. Multorum crudelitas, & ambitio, & luxuria, ne paria pessimis audeat, fortunæ fauore deficitur. Eadem velle eos cognosces, da posse quantum volunt.*

Multi in humili fortuna tyrannicos habent & superbos spiritus.

9. Vers. 10. *Reuelabit quoque aurem eorum, vt corripiat: & loquatur, vt reuertantur ab iniquitate.*] Hos autem viros siue pauperes, qui vitam semper tenuem & indigentem duxerunt,

Deus ea loquitur peccatori, quæ a peccando deterreant.

runt, qui tamen spiritus alunt insolentes, cum sint paupertatis vinculis impediti, (qui vocari possunt violenti, quia violentiam meditantur, licet ad tyrannica studia vires sint infir-
pag.427.b mæ) siue ex regio solio ad paupertatem & æqualem miseris fortunam descenderint, hos, inquam, viros alloquitur Deus. Neque enim illorum prorsus curam abiecit, hortaturque, vt saniora, quam antea cogitent, seque ipsos ita comparent, vt dignos inueniat, quos complectatur amanter, quos cumulet bonis, & ornet honoribus, quos vel habuere nunquam, vel quia illis abusi fuerunt intemperanter, amiserunt. Quid porro sit *aurem reuelare*, diximus nuper ad illud *cap. XXXIII, 16. Tunc aperit aures virorum.*

10. Vers. 11. *Si audierint, & obseruauerint, complebunt dies suos in bono, & annos suos in gloria.*] Sicut quæ proxime diximus, etiam hæc eo spectant, vt Iobum, qui vinculis paupertatis & dolorum constrictus a Domino tenebatur, ne, vt cogitabat Eliu, ad vim, rapinas, & cædes euolaret, ad pœnitentiam adducant, promittunt enim omnia, quæ homines amant, & deputant in bonis, & quibus dum abundaret Iobus, fortunatus censebatur: Quales sunt opes & terræ cumulati fructus, quæ ad finem vsque dicuntur non defectura; id enim valet, *complebunt dies suos in bono:* id est, ad sepulcrum vsque Dominum suum iam vita functum comitabuntur. Qualis item regia dignitas, subditorum obseruantia, & apud omnes prudentiæ & sanctitatis opinio, & quæ ipsius nomen reddunt venerabile & gratum, hoc enim promittit illud, *& annos suos in gloria.*

11. Vers. 12. *Si autem non audierint, transibunt per gladium, & consumentur in stultitia.*] Contraria contrariis opponit, & promissioni minas, his, qui se admonitioni diuinæ obsequentes præbent, dies promittuntur secundi & læti, & anni gloriosi; nunc iidem, si diuina monita respuerint, diræ obiiciuntur & horribiles minæ: dicuntur enim subituri gladiorum acies, in quibus omnia intelliguntur corporis vulnera, & valetudinis incommoda, quæ non erunt paucorum dierum, sed quæ vitam adæquent, neque deficient prius quam vita deficiet. Illud *in stultitia deficient,* aut significat tales homines, qui diuinam admonitionem aut reprehensionem non admittunt, donec e viuis excedant, iudicandos insipientes & stolidos: vel propter stultitiam stuporemque mentis obstinatæ morituros. *In* porro idem esse quod *propter*, satis est notum his, qui mediocriter in Scriptura sacra versati sunt. *Thren.III, 48. Diuisiones aquarum deduxit oculus meus in contritione filiæ populi mei:* id est, propter contritionem. & *c.IV, 20. Spiritus oris mei Christus Dominus captus est in peccatis nostris. Ies.L, 1. In iniquitatibus vestris venditi estis*, id est, propter peccata, & iniquitates.

Peccatorum quis exitus maneat.

In idem quod propter.

Vers. 13. *Simulatores & callidi prouocant iram Dei: neque clamabunt, cum vincti fuerint.*] 12.
Hæc verba licet de hypocritis, id est, de his, qui artificiose sanctitatem simulant, vniuerse dici videantur, directo tamen Iobum appetunt, eumque maxime cruento spiculo compungunt. Cum enim paupertatis illum vinculo constringerent, & talia pateretur, qualia ad tempus illud hominum nemo, quod ego legerim: tamen, vt male meditabatur Eliu, tam longe aberat, vt mutaret mores, & ad Deum supplex clamaret, vt ad rapinas, vim, & tyrannidem, blasphemiam addiderit, & pag.428.a
quem antea ad iram prouocarat hypocrisis, nunc blasphemia instigat & inflammat vehementius.

Vers. 14. *Morietur in tempestate anima eorum, & vita eorum inter effœminatos.*] Eadem iterum atque iterum inculcat Eliu, & malam Iobo atque immaturam mortem denunciat, & vitam ignobilem & turpem: moritur ille in tempestate, cui vis, aut alia quæuis causa grauis & turbida vitam adimit, neque illum pacate naturæ vis mitior, aut necessitas extinguit. Quod opponitur morti pacificæ, qua videlicet homo in Scriptura dicitur *in pace mori.* Sic *3. Reg. II, 6.* præcepit Dauid Salomoni filio, ne canos Ioab, quem expertus fuerat infidelem, ad sepulcrum deduceret pacifice. Quo loco diximus, *pacifice*, aut *in pace mori* illos, qui non vi extrinsecus allata perierunt, sed aut senio confecti, aut morbo consumpti: ita vt non tam homo a ferro, aut hominum iniuria, aut subita ruina, aut tempestate, quam a natura ipsa mortali videatur extinctus. Hoc puto significari *in tempesta-* 13.

Mori pacifice *seu* in tempestate *quid.*

te, quæ plerumque repente ingruit, & securum hominem, ante suum tempus abripit & perimit, vt in naufragio experiuntur quotidie, qui absorbentur a fluctibus; & quos vibrata e nubibus fulmina conficiunt. *Mori* itaque *in tempestate*, idem est, quòd immaturam mortem oppetere. Quod expressere Septuaginta, dum vertunt ἐν νεότητι, id est, *in iuuentute*, quod item alii pene omnes ex Hebraico textu transtulerunt, licet non eodem sensu. Nam quidam *in iuuentute* ætatem considerant immaturam & infirmam, & hoc communiter, alii stuporem & ignorantiam, vt expresse reddidit Tigurina: *Morietur*, inquit, *anima eorum per iuuenilem stoliditatem.*

14. *Effœminatorum vile nomen.* *Et vita eorum inter effœminatos.*] Effœminati illi dicuntur, qui molles alunt, imbelles, & muliebres spiritus, qui nullo aut certe vilissimo sunt apud omnes loco: aut certe qui muliebria patiuntur, & venali pudore quæstum faciunt omnino nefarium. Qui vt mulierum in modum aliorum se libidini prostituunt, sic virile nomen amiserunt, etsi non omnino fœminæ: licet ita nonnunquam, effœminati tamen appellantur. Hebraice dicuntur קדשים *kadesim*, qui sunt iidem, qui pathici, seu cinœdi. Hi vero tam sunt omnium opinione viles & abiecti, vt qui sordidissimi sunt, eorum dicantur esse similes. Simulatoribus itaque & hypocritis mortem denunciat Eliu intempestiuam & celerem, qualem afferre solet inexpectata tempestas: & vitam non magis honestam & decoram, quam ducunt effœminati, qui aut muliebri sunt, aut imbelli spiritu, aut muliebrem in modum aliorum libidini succumbunt. Cæterum vsitato Scripturæ more, inter illos aliquis esse dicitur, qui illis similis est, vt *Psalm. XXV, 6. Lauabo inter innocentes manus meas.* Neque apud profanos exempla desunt, & in hac ipsa materia optimum habes apud Iuuenalem *satyra 2.* vbi inter cynœdos esse dicitur, qui ea notatur infamia:

— Castigas turpia, cum sis
Inter Socraticos notissima fossa cynœdos.

Aliud effœminatorum genus adduximus pag.428.b *in nostris Commentariis in 2. Reg.* ad illud *cap. III 33.* de Abner: *Nequaquam vt mori solent ignaui, mortuus est Abner.*

Vers. 15. *Eripiet de angustia sua pauperem: & reuelabit in tribulatione aurem eius.*] Redit 15.
ad *versum 10.* in quo de paupere egerat, quem allocutus est Deus, vt iniquitatem detestatus, ad meliorem se referat viuendi modum. Interposuerat autem quædam *a versu 11.* quæ claudi poterant parenthesi, quia nonnihil ab instituto filo videbantur aliena. Si autem hæc cum illo *versu 10.* coniungas, non erit difficilis consecutio, ac sensus. dixerat enim: *Reuelabit quoque aurem eorum, vt corripiat, & loquatur, vt reuertantur ab iniquitate.* Nunc post parenthesim addit: *Eripiet de angustia*, &c. Quasi dicat, si pauper ille, quicumque sit, divinam vocem gratus acceperit: & meliora quam antea, meditetur, eripiet illum Dominus de paupertate & angustia, & cum graviores vrgeant ærumnæ, alloquetur illum, nimirum verba, non quæ timorem afferant, sed potius, vt detergant, non vt contrahant, sed vt diffundant atque exhilarent contractum animum.

Vers. 16. *Igitur saluabit te de ore angusto latissime, & non habente fundamentum subter se.*] Hæc inferni ac damnatorum carceris videtur non aliena descriptio, a quo liberandus dicitur, qui maturo consilio se a peccatorum sordibus opportuna pœnitentia purgauerit. Gehennalis namque custodia, angustum videtur os habere, quia cum facile sontes admittat & deuoret, non tamen deuoratos semel, aut euomit foras, aut exire permittit. Deinde vero latissime se explicat, quia plurimos capit & continet, neque fundamentum habet, id est, fundum, in quo consistat, ptopter quod abyssus dicitur, id est, locus impermeabilis; quo dicendi modo ingens significatur profunditas. Eodem prope modo infernus damnatorum carcer describitur *Apocal. IX, 2.* cum respectu, opinor, ad hunc locum, vbi vocatur puteus abyssi, id est, puteus, seu vorago immensæ profunditatis, quæ nullum habet fundum. Et quidem *abyssum* pro subterranea damnatorum dæmonumque custodia sumi, locus hic Apocalypseos docet, & ille *Lucæ IIX. 31. Rogabant eum* (nempe dæmones) *ne imperaret illis, vt in abyssum irent.* 16. *Inferni descriptio.*

Sed mihi videtur probabilius, loqui hic 17.
Eliu

Eliu de loco aliquo certo & noto, profunditatis immensæ, cuius angustum esset os, & sinus latissimi, qui prouerbiali specie pro loco sumeretur caliginoso & horrido, in quam custodiæ aut supplicii gratia demitterentur rei. Qualis apud Hebræos fuit puteus ille, in quem demissus fuit Ieremias *cap. XXXIIX, 6. Summiserunt Ieremiam funibus in lacum, in qua non erat aqua, sed lutum.* & quale fuit apud Athenienses barathrum. Vt autem hi loci pro locis ærumnosis & obscuris sumuntur, vbi homines, & dure torquentur, & vitam agunt morti quam simillimam, sic puto apud Idumæos vicinosue populos altitudinis immensæ aliquam fuisse voraginem, in quam coniicerentur magnorum criminum rei, vnde aut nunquam aut non nisi difficile ac raro extrahebantur. De hoc lacu nos aliquid ad locum Ieremiæ, de quo proxime, & in *cap. XII. Actor.* Ait igitur Eliu, etiamsi Iobus, aut alii in tales dicantur ærumnas coniecti, vt videri possint in voraginem illam, aut barathrum de-
pag. 429. a missi: inde tamen a Deo liberatum iri, si modo mores mutent, & se factori suo ex animo subiiciant.

18. *Requies autem mensæ tuæ erit plena pinguedine.*] Libertatem promiserat ab omni angustia, in *puteo* & *carcere* significatam, nunc rerum omnium ad vsus & delicias abundantiam promittit, quam in *mensa* significat, quam laute instruunt adeps & pinguedo, id est, adipati, splendidi ac delicati cibi, quos sumit *in requie*, id est, securo animo, quem neque dolor vllus affligat, neque metus conturbet, neque vlla malorum suspicio sollicitet.

19. Vers. 17. *Causa tua, quasi impii iudicata est: causam iudiciumque recipies.*] Mirum est quam varie hunc locum versent & accipiant interpretes, quorum si velim proponere & explicare sententias, longus sim. Ego hic duas in Iobo personas, aut status, temporaque considero: aut Eliu, vt reor, duos in Iobo considerabat status; alterum, in quo impie vixerat, & tyrannico spiritu, neque a Deo continebat audacem & petulantem linguam: alterum, in quo se peccasse cognosceret, & de placando Deo cogitaret. Prioris temporis, atque status dicit Iobum iam expendisse pœnas, dum spoliatus bonis, orbatus filiis, & toto percussus, atque fœdato corpore eo redactus est, vt tantum non obierit extremum diem. Hoc autem est, *iudicatam esse Iobi causam quasi impii*, id est, tale subiisse supplicium, quale a Deo impiis atque blasphemis infligi solet. Et quia forensi agitur, & iudiciali modo, quia Iobus in iudicium venire cum Deo desiderabat, iudiciali atque forensi verbo vsus Eliu. *Iudicatam* dicit, id est, perditam causam, quando quidem iussus est impietatis pœnas & blasphemiæ expendere. Nihilominus in statu secundo ac meliori promittit restitutum iri integram causam, a qua iam exciderat, & iudicium, ita vt quodammodo reuocata videantur, quæ de ipso prius statuta fuerant, & eo postliminio cum honore redeat; vnde fuerat cum ignominia depulsus. Quod tunc futurum pollicetur, cum mores mutet, & pœnitendo diluat, quas superbiendo contraxerat sordes.

S. Thomas, quem ex Latinis nonnulli sequuntur, hic duo tempora in Iobo considerat: quæ acute explicat, & valde ad superiorem Eliu distinctionem accommodate. 20.
Dixerat enim, potentes & principes non ideo male a Deo iactari, quia potentes sunt, sed quia pietatem & religionem abiecerunt, quare impietatem damnat, non potentiam, illam tamen ab impiis remouet, quia illos dominari, & inferiori multitudini præesse non vult. Quod si impietatem abiiciant, & suos mores ad modestiam & sanctitatem informent, recipient causam & iudicium: id est, potentiam & autoritatem, quam amiserunt, quia hæc cum religione & æquitate perquam belle, cum ambitiosa & barbara tyrannide nullo modo conueniunt.

Vers. 18. *Non te ergo superet ira, vt aliquem opprimas: nec multitudo donorum inclinet te.*] 21.
Iuxta ea, quæ proxime magis probabamus, duplex huius loci potest informari sententia: Altera est, vt Iobum iacentem & abiectum instruat Eliu, quomodo ad florentem fortunam, a qua ignominiose ceciderat, reuocari posset: & ideo præcepta quædam tradit recte viuendi, quæ ad finem vsque capitis producit, quæ dignum idoneumque faciunt admi-

pag.429.b nistratione publica, quique cum potentia ac splendore viuat. Altera, vt instruat iam florentem, & priori fortunæ restitutum, quomodo instituere debeat viuendi atque administrandi modum, ne rursus in eandem, aut etiam maiorem relabatur inopiam & ærumnam. Cumque vtraque videatur expositio probabilis, hæc tamen posterior placet magis, quam probat S. Thomas, & cum eo Dionysius, & Lyra. Illa porro documenta, quæ tradit Eliu, optima sunt, quæ natura ipsa docet, & vsu ipso principes edocti pernecessaria communibus rationibus esse didicerunt. Primum autem documentum est, ne quis ira præceps, aut conturbato animo ad iudicandum accedat, neque enim qui sui impos est, de aliorum causa recte iudicabit; neque is æquum se præbebit, quem amentem cœca illa animi violentia præcipitat. Prope autem est, vt innocentes opprimat, si in illos tunc temporis incurrit, quando furore cœcus æquum ab iniquo discernere non potest. Hoc documentum omni tempore maxime necessarium est illi, qui multitudini præest, ne qua in illo immoderatior affectio dominetur: sed præcipue dum alienas iudicat causas, & suum cuique ius seruare sancte atque legitime debet.

22. *Optimi iudicis partes.* *Nec multitudo donorum inclinet te.*] Hoc quoque non solum vtile præceptum, sed etiam necessarium, quod in Scriptura sæpe audimus, & experientia docet, iniustum esse sæpe venale iudicium. Non hic adducam ea loca, quæ optimum iudicem & principem informant, quia multa sunt, & e suis fontibus hauriri facile possent, tantum digitum ad fontes intendam, quos lector studiosus adeat. Quam ira aliena esse a iudicibus debeat, docuit apud Isaiam Christus *cap. XLII.* Cum enim optimus magister explicuisset omnia iudicis integerrimi munera, multo melius quam hic præscribit Eliu, vt Isaias tradidit *cap. XI.3.* tamen deinde *cap. XLII, 1.* de illius in iudicando clementia & mansuetudine multis agit: *Iudicium*, inquit, *gentibus proferet: non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox eius foris. Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet: in veritate educet iudicium. Non erit tristis, neque turbulentus*, &c. Optimam iudicii formam & exemplar proposuit in se ipso Iobus *cap. XXIX.* vbi quem in iudicando reque publica administranda modum tenuerat, expressit: quare hac Eliu admonitione aut informatione non egebat. Alia inuenies præcepta data iudicibus non longe ab hoc sæculo, a viro Madianita socero Moysis *Exod. XIIX.* & alia a Iosaphath *2. Paral. XIX.* neque pauca *Eccles. VII. Deut. VI.* Quæ tu ad hunc locum refer, & ab illis huic adde autoritatem & pondus. De muneribus est illud *Deuter. XVI, 19. Non accipias personam, nec munera: quia munera excœcant oculos sapientum, & peruertunt causas iustorum.*

Vers. 19. *Depone magnitudinem tuam absque tribulatione, & omnes robustos fortitudine.*] Si hoc sit consilium Eliu, non quod Iobus seruet, vt ab illis emergat ærumnis, in quibus tunc iacebat despectus ab omnibus, quod nobis videbatur non difficile, sensus est facilis: hortatur enim, ne cogitatione repetat antiquum gradum, ex quo cecidit; aut gloriam, in qua diu sibi immoderate placuit: feratque absque tribulatione, id est, patienter & alacri animo calamitatem, quam, vt ipsum a superbia tyrannicaque inclementia liberaret, Deus imposuit. Neque meditetur, quid alii interea possint, qua sint in maiestate, vt sibi fortunati sint, aliis obseruandi atque conspicui, sed quam sibi expediat durius a Domino tamdiu fuisse vexatum. Hæc iuxta priorem explicationem, quæ sane contemnenda non est. 23. pag.430.a

Si vero illa expositio placeat, quæ Sanct. Thomæ maxime placuit, hæc etiam expositio non displicebit, quam Sanct. Thomas adhibuit, nempe vt si Iudex pro tribunali sedeat, aut Rex in solio, deponat superbiam, & inflatam animi magnitudinem, seque ad aliorum mediocritatem, aut etiam tenuitatem accommodet, absque tribulatione, id est, antequam iterum a Deo in eandem compingatur conditionem & angustiam, ex qua Dei beneficio nuper emersit. Neque tamen ideo abiiciendus est animus, atque constantia, quæ in iudice & principe tanta esse debet, vt omnes robustos viros, qui opibus atque autoritate valeant, constanter iudicent, & 24.

in

in eorum caput pro meritis, quod leges iubent, libere atque audacter decernant. Quod etiam *Ecclesiastic. VII, 6.* præceptum est: *Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne forte extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua.* In posteriore porro hemistichio repetendum est verbum priori præpositum, in hunc sensum: depone robustos a fortitudine: id est, ne fortes esse consideres: sed illos quasi ex media turba euocatos, æquali cum aliis lege constringe.

25. *In protrahendo potentiorum iudicio multa æquitatis impedimenta.*

Vers. 20. *Ne protrahas noctem, vt ascendant populi pro eis.*] *Nox* pro re obscura ac dubia sumitur, in qua significatione sumit S. Thomas, qui admoneri putat Iobum, ne diu robustiorum, id est, potentium hominum iudicium suspendat, relinquatque dubium & obscurum: futurum enim dicit, vt homines, qui illorum subsunt imperio, aut qui illorum crudelitatis tyrannicæ conscii sunt, aut scelerum adiutores, armati, aut ferro, aut donis, quæ non minus oppugnant animos, & iudicia transuertunt, quam vis armata, & ascendant in iudicium, & conturbent omnia, ac tandem viri potentes iudicum potestatem datam a republica, aut principum legumque seueritatem effugiant. Quare intererit plurimum, ne nox protrahatur, id est, vt statim inquiratur in causam, expendantur merita, & si quid deprehendatur iniustum admisisse viri isti potentes, in eorum caput agatur lege. Hæc optime Sanct. Thomas in explicatione secunda.

26. *In nocte non bene iudicantur causæ.*

Ego aliter exponebam, neque meam cogitationem in medium afferre grauabor, de qua lector statuat, vt volet; suspicabar primum *noctem* in significatione propria esse sumendam, quæ maxime opportuna est insidiosis clandestinisque conuentibus, in quibus multa contra leges, contra fidem atque pudorem agitantur consilia. Atque ideo neque honestum est, neque tutum, ad multam vsque noctem exercere iudicia, quia multa occultantur tenebris, quæ lux proderet: cum ea, quæ in luce fiunt, accuratius disceti, & non sine testibus peragi soleant, quorum oculos iniqui etiam iudices verentur.

27. Deinde suspicor, illud *pro eis*, quod apud Latinos pronomen reciprocum non est, sumptum esse pro reciproco, & idem valere quod *pro se.* quod in Scriptura sacra infrequens non est, vt diximus supra *cap. XXVII, 23.* ad illud: *Stringet super eum manus suas, & sibilabit super illum.* & probauimus ad illud *Abac. I, 7. Ex semetipsa iudicium.* vbi diximus, non raro, cum reciproca est significatio, absolutum, & cum absoluta, reciprocum adhiberi pronomen. Absolutum posuit Zacharias *cap. XII, 10. Plangent eum planctu, quasi super vnigenitum.* Quod plane docuit Ioannes *Apocal. I, 7.* qui respectans ad hunc locum dixit, *plangent se.* In hunc sensum explicuimus illud *Isaiæ XXV, 11.* de Moab: *Humiliabit gloriam eius cum allisione manuum eius:* id est, gloriam suam cum allisione manuum suarum. Huius ratio est, quia affixum pronomen tertiæ personæ apud Hebræos non magis ad reciproci, quam ad non reciproci vsum patet. Quod si hæc tibi cogitatio placeat; hunc sensum, opinor, probabis non difficile; Ne ad altam noctem opus iudiciale producas, quando in tenebris & solitudine multa audent homines, quæ in luce hominumque frequentia non auderent. Tunc enim, cum venale iudicium non impedit pudor, neque publicus rumor, & offensio clamat, ascendent populi frequentes, quorum turpis est atque odiosa causa, vt pro se dicant, ea nimirum, quæ cum in die probare non possint, tenebras offundunt nocturnas, quibus suam tegant turpitudinem & infamiam, & iudices, aut astu decipiant, aut munerum largitione corrumpant.

REGVLA. Absolutum pronomen pro reciproco & contra. pag. 430. b

Alii admoneri hic Iobum existimant, ne segnis sit & iners in curanda republica, & quod in illa moderanda impendere debuit, illud somno aut otio tempus indulgeat; neque producat noctes dormiendo, aut operam dando nocturnæ voluptati, & eam ob causam ad ignauum otium, & indignas Principe delicias, aliquid de diurno tempore decerpat, adiungatque nocturno, sperans venturos interim esse populos, qui dum ipse stertit, rem tueantur publicam, & ab ea omne periculum auertant; sed est expedita magis explicatio prior. 28.

Vers. 21. *Caue, ne declines ad iniquitatem:* 29.

hanc

hanc enim cœpisti sequi post miseriam] Norat, vt apparet, Eliu, nunquam ante miseriam loquutum esse Iobum verba blasphemiæ. Fecisse alia auare, & crudeliter, & omnino tyrannice cogitabat, licet sua illum cogitatio falleret, & linguam exeruisse blasphemam non putabat, quod nuper dixit *cap. XXXIV*, 37. *Quia addit super peccata sua blasphemiam. Super peccata*, nimirum antiqua, *recentem blasphemiam.* Monet igitur, vt etiam linguam a blasphemia temperet: quam hoc loco vocat *iniquitatem;* nam licet ab iniquitate in administranda republica illum hactenus deterruerit, quia tamen blasphemiam peccatorum omnium maximum putabat; ideo antonomastice illam *iniquitatem* vocat.

30. Vers. 21. *Ecce Deus excelsus in fortitudine: & nullus ei similis in legislatoribus.*] Hinc non difficile colligo, *iniquitatem* proxime sumi pro blasphemia, quia quæcunque ad finem capitis referuntur, eo spectant, vt Dominum iustum esse probent; & illius leges esse omnium optimas, & spectare omnia, illisque commode atque opportune prouidere, in quibus, vt falso meditabatur Eliu, Deum Iobus impia lingua perstrinxerat. Deum primum *excelsum* vocat, atque ideo indicat, illum non posse omnino, aut plane ab homine cognosci, quia non ad illius sedem sublimem attollit sese hominum quantumcumque perspicax intelligentia, deinde *fortem*, quem nemo ex illa sublimi statione deiiciat, aut turbet: nisi mauis illud *excelsum in fortitudine* coniungere in hunc sensum: Excelsus est supra omnes in fortitudine: qui videlicet possit tyrannos & principes in nihilum redigere, si quæ indicta sunt ab eo præcepta violauerint. Et hoc mihi potius. Sed adhuc Deus videri cuipiam posset iniustus, cum suarum se legum vindicem præbet, quia leges esse poterant iniustæ, sicut omnibus ferme sæculis, ac gentibus plurimæ sunt, a rerum Dominis, seu legislatoribus inductæ; quæ sine peccato obseruari, aut a principibus sartæ ac tectæ conseruari non possunt. Eam ob rem addidit, inter legislatores neminem cum Deo posse conferri. Alii enim multas tulerunt iniustas, multas inutiles, indecoras non paucas: Neque tantum habuerunt potentiæ, vt ad illarum obseruationem subiectos sibi populos adigerent. At Deus nullam tulit legem, non iustam, non vtilem, non decoram, cui potestas est, eaque maxima, qua puniat rebelles, & in officio inuitos lice, & repugnantes contineat.

pag. 431. a

Deus optimarum legum lator, & vindex.

Versiculo 23. *Quis poterit scrutari vias eius: aut quis potest ei dicere, operatus es iniquitatem.*] Ideo proxime dicebamus Deum excelsum vocari, quia nemo illius vias & rationes scrutari potest, neque iniquitatem abiicere, cum neque in illius legibus quicquam appareat iniustum, neque a quoquam illius possint explorari consilia. Vide quæ supra diximus ad illud *cap. IX*, 12. *Quis dicere potest, quid ita facis?* & plura deinceps *in eodem capite* continenter. 31.

Vers. 24. *Memento quod ignores opus eius: de quo cecinerunt viri.*] Vulgatum videtur fuisse, & frequenti sermone vsurpatum ab Idumæis vicinisque populis, inscrutabilia esse opera Dei, quæ mortalium nemo assecutus fuerit, assequique possit, quantumcunque acres ingenii sui vires excutiat. Quod notum esse Iobo ostendit Eliu, cum dicit, *memento quod ignores opus eius.* Vnde autem hoc potuerit debueritve cognoscere, docet, dum ait, *de quo cecinerunt viri.* de quibus verbis multiplex est hominum cogitatio. Quidam dicunt, hos viros amicos esse Iobi, qui paulo ante de Deo verbis locuti sunt magnificis. Alii religiosos viros diuinis aliquando vacasse laudibus, easque numeris inclusisse poëticis, & cecinisse ipsos, & aliis tradidisse cantandas. Alii aliter, in hunc sensum omnes, aut paulo ab hoc sensu diuerse. Quid mihi in re obscura visum fuerit, probabilius ostendam. 32.

33. Et primum obseruo, ante hoc Iobi sæculum cantica fuisse numerose composita; eaque solemni atque legitimo ritu cantari solita, quod habemus ex *Genes. IV*, 21. vbi Iubal pater fuisse dicitur canentium in cithara & organis. Et si credendum est Hebræis, aliqui psalmi compositi fuerunt ab his, qui Iobi ætatem longe præcesserunt, vt ab Adamo, Melchisedec, Abraham. Sane solemne fuit Idumeis ante Iobum canticum, in quo excitabatur Leuiathan, vt diximus supra ad *cap. III*, 8.

Ante Iobi sæculum numerosa cantica.

pag. 431. b

ad

ad illud: *maledicam ei, qui maledicunt diei.* Quod carmen solemne atque legitimum fuisse diximus his, qui diras alicui & durum precarentur exitium.

Deinde mihi plus est quam verisimile, ver-
34. ba, quæ sequuntur, canticum esse vulgare, quo homines etiam rudes diuinam sapientiam celebrabant, quæ ex his, quæ quotidie sensu capimus manuque contrectamus, vbique se prodit. Quod canticum, quod reliquum est capitis, complet, & maiorem capitis sequentis partem absoluit. Quare a communi hominum sensu vulgari ode significato probat excelsum esse Deum, & illius inscrutabilem sapientiam, neque illius opera nisi admodum obscure a mortali ingenio posse cognosci. Neque mirum est, adolescentem Eliu vernante adhuc ingenio canticum integrum suæ orationi, aut disputationi inseruisse, cum idem fecerit ætate iam senili Isaias, qui duo antiqua capita suis prophetiis inseruit: alterum *cap. V.* de infideli & ingrata, alterum *cap. XXVII.* de grata atque fideli vinea. Et canticum satis longum, de quo idem *cap. XXVI.* antiquum videtur esse, & ab alio compositum. Et ad hanc cogitationem quod reliquum est Eliu verborum exponemus.

Quæ sequuntur vulgari cantico celebrata.

35. Vers. 25. *Omnes homines vident eum: vnusquisque intuetur procul.*] Hoc initium est vulgaris cantilenæ, quod satis est accommodatum materiæ, quæ Deum ab hominibus cognitum esse dicit, procul tamen, id est, obscure, & tantum ab effectu, nempe a rebus, quæ quotidie fiunt, quarum obscuræ caussæ, quæque fieri nequeunt ab humana potentia, qualia sunt meteora atque sublimia. Hæc eadem docuit Paulus, ad hoc, opinor, canticum intentus, vbi Deum eodem pene modo omnibus hominibus dicit non ignotum. Sic autem *Actor. XIV, 16. Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit benefaciens de cœlo, dans pluuias, & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda nostra. Et cap. XVII, 26. Definiens statuta tempora, & terminos habitationis eorum; quærere Deum, si forte attrectent eum, aut inueniant.*

36. Vers. 26. *Ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram*] Hæc obscura non sunt. dixit idem David *Psalm. CXXXIIX, 6. Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est & non potero ad eam.* id est, altior est ac mirabilior, quam vt ego consequi possim, quare, quantumcunque contendam ad illam aspirare atque eniti, non possum.

Numerus annorum eius inæstimabilis.] Hæc 37.
verba æternum Deum esse prædicant, quando illius anni certo aliquo numero comprehendi non possunt. Hoc sine dubio per posteriorum manus ab Abrahamo progenitore acceperunt Idumæi, qui genus suum ab Esau duxerunt, qui & ipse ortus fuerat ab Isaac.

Vers. 27. *Qui aufert stillas pluuiæ: & effundit imbres ad instar gurgitum.*] Harum re- 38.
rum consideratione viri sancti aut seipsos ad contemplandam Dei sapientiam excitabant, & alios ad illius amorem & obseruantiam hortabantur. Qua in re mirus est David, qui in harum rerum descriptione suam maxime eloquentiam ostendit. Vide *Psalm. CXLVII, 16.* & *CIII, 28.* & Iobum supra *cap. XXVI.* vbi per hæc opera, quorum admirabiles species sunt, & occultæ caussæ, cognoscitur & laudatur illorum auctor & moderator pag. 432. a
Deus. Hic porro duo vulgaris ista cantilena considerat: sic alibi aridam esse atque infelicem terram adeo, vt nulla in illam gutta stillet e cœlo, alibi sic assiduis irrigari pluuiis, vt illam vasti aquarum gurgites oppleuisse videantur. Est autem ea in re admirabilis diuina prouidentia, quæ regionibus aliis pluuias impertit sic attemperate, vt nihil aliud ad agrorum vbertatem frugumque maturitatem desiderent, qualis fuit terra promissionis, cui, nisi cum incolarum scelera punire voluit Deus, temporaneus atque serotinus imber nunquam defuit. Fuerunt autem aliæ sic infelices & æternæ sterilitati deuotæ, vt nihil capiant benignum e cœlo, quales fuissent montes Gelboë, si Deus Dauidis votis annuisset, quod nonnulli putarunt, in quibus Ambrosius fuisse videtur *lib. 3. de officiis cap. 9.* quod tamen nos *in nostris Commentariis ad 2. Reg. I.* non probamus. Quod eo magis est admirabile, quia interdum, vt obseruatur sequenti versu, nubes totam obducunt terram, æquali, vt apparet, aquarum gurgite grauidæ, neque tamen omnem terram irrigant & fœcundant æqualiter. Quod notandum esse

Dei potentia cognoscitur in dispensanda pluuia.

se quasi peccatorum supplicium, admonuit Deus *Amos IV*, 7. *Plui super vnam ciuitatem, & super alteram ciuitatem non plui. Pars vna compluta est, & pars, super quam non plui, aruit.*

39. Alii diuinam potentiam hic agnosci ex eo putant, quia nubes imbre grauidas laxat interdum, cum libuerit: & copiosos demittit pluuiarum gurgites, interdum comprimit, & imbres cohibet defluere paratos, & facit, vt nubes subito vanescant: obducit cœlum nubibus, & mundum turbat & obnubilat: iisdemque sublatis aperit cœlum & mundum exhilarat. Idem qui imbres largos horribilesque tempestates inducit, sic cœlum serenat, tempestates sedat, & nubes exsiccat ac difflat, vt neque vlla in terram stilla descendat; Non displicet hæc explicatio, quam iuuant ea, quæ supra diximus *cap. XXVI, 8.* quæ tu vide, placet tamen prior.

40. Vers. 28. *Qui de nubibus fluunt, quæ prætexunt cuncta desuper.*] Hi imbres, qui interdum eo impetu ac pondere de nubibus cadunt, quo ruptis aggeribus fluuiorum gurgites circumiectos campos complent & oblimant, ex nubibus defluunt, quæ vniuersam terram quam latissime obumbrant; vnde mirandum est, aliquas esse terras, in quas neque vna tantum stilla cadat. Illud præterea accidit in hac pluuiarum & nubium consideratione mirabile, quod obseruauimus supra *cap. XXVI, 8.* ad illud: *Qui ligat aquas in nubibus suis, vt non erumpant pariter deorsum.* Quia cum tenuis sit ac mollis nubium natura, contineat tamen atque suspendat tantam aquarum molem, ac Deo humanis rationibus prouidente, parce ac modice dispensent imbres stillante cœlo pluuiales guttas, non vomente torrentis in modum. Quo loco eadem pene persequitur Iobus, respectans, vt opinor, ad hoc vulgare canticum. Quare non erat, cur illud maxime, cum breuis esse cuperet, repeteret Eliu.

41. Vers. 29. 30. *Si voluerit extendere nubes, quasi tentorium suum: & fulgurare lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet.*] Potentiam Dei, & illius arcana, mirabilemque rationem ex eo cognosci posse, docet Eliu ex

pag. 432. b veteri ac vulgari cantico, quia ille momento temporis expandere potest nubes, ita vt totam occupent terram a mari vsque ad mare (id enim valent *cardines maris*, de quibus mox) quemadmodum si quis tentorium, quod conuolutum gestabat, in via explicare vellet, atque distendere, quæ non aliter fulgure illuminantur & collucent, quam Principum viatoria tabernacula distincta gemmis lapillisque micantibus. Nunc explicanda quædam.

Tentorium aliquid refert opere concamerato constructum: atque ideo tentorio comparatur cœlum, quia concaua facies fornicis, aut testudinis in modum informata videtur. *Psal. CIII, 3. Extendens cœlum, sicut pellem, qui tegis aquis superiora eius.* Eandem habent formam oppansæ nubes, saltem vt humani iudicant oculi, quæ alte videntur a nostro capite sublatæ, illarum tamen extremæ partes ad terram vsque demitti. *Nubes* autem thronus, aut vehiculum dicuntur esse Dei. Sic *Psalmo citato v. 4. Qui ponis nubem ascensum tuum.* Et quidem de nube sæpe locutus, & in nube apparuisse dicitur Deus *Exod. XVI, cap. XIX. c. XXIV. cap. XXXIII. cap. XXXIV. cap. XL.* & *Iobi XXXIIX.* de quo postea pluribus. In transfiguratione vox de nube dicitur audita: & *Actor. I, 9.* Christus in ascensione a nube susceptus. 42. *Cœlum & nubes Dei tentorium.*

Porro Principum tabernacula viatoria non ad vsum solum erant commoditatemque contexta, sed etiam ad dignitatem & elegantiam: ita vt si externam illorum faciem spectares, aliquid ibi regium agnosceres. Qua de re nos pluribus egimus *in nostris Commentariis in Cantica*, ad illud *cap. I, 5. Sicut pelles Salomonis*, id est, tabernacula, quæ egregio opere elaborata, & ornamento præclaro exculta dicebamus. Eiusmodi fuerunt aliorum Principum tentoria, in quibus ornandis non minus ponebant laboris & impendii, quam in aula stabilique cubili. Alexander Macedo, vt autor est Ælianus *de var. histor. lib. 9. cap. 3.* tabernaculo in castris vtebatur, quo domi non videbatur illustrius esse potuisse. *Alexandro*, inquit, *tabernaculum erat quinquaginta columnis interstinctum, quibus tectum suffulciebatur Ipsum vero tectum erat inauratum, & magnifica arte varietateque concinnatum:* Nero, vt prodit Plinius *lib. 37. c. 2.* cubicula viatoria, 43. *Principum viatoria tabernacula pretiosa & pulcra.*

id

id est, tentoria, vnionibus & lapidibus pretiosis construebat. De Herode prodit Trebellius Pollio eadem ferme, quæ de Nerone Plinius: *Erant sigillata tentoria, & aurati papiliones.* Sic ergo Deus nubes, id est, tentorium suum fulguribus illuminauit, quasi fulgentibus lapillis: sicut aliud tentorium sublimius, nempe cœlum, astrorum admirabili splendore ac varietate distinxit.

44. Extrema terrarum, quæ maris spatia definiunt & claudunt, cardines dicuntur, sicut cœlorum cardines, quæ extrema hominibus cœlorum apparent, vt diximus supra *c. XXII, 14.* vbi putabamus, hunc loquendi modum familiarem Idumæis. vide locum illum, & alium *1. Reg. II.* vbi multa diximus de terræ cardinibus. Cur autem extrema terræ *cardines* dicantur *maris*, ea videtur communis ratio, quia ibi terrarum moles suis circumscripta

pag. 433. a terminis definitur. Sed est hic peculiaris quædam ratio. Quia sicut in cardine vertuntur fores, quæ cum assidue & varie moueantur, non tamen cardo; qui pondus illud suspendit & continet, mouetur: sic intra terræ cardines, id est, intra littora agitetur mare, & cum a ventis perpetuo moueatur, non tamen e sua sede ac firmitate mouetur terra, sed in æternum stat. *Eccl. I, 4.* Alluitur quidem & verberatur a fluctibus, non tamen a sua statione conuellitur.

45. Vers. 31. *Per hæc enim iudicat populos, & dat escas multis mortalibus.*] Iudicare hoc loco punire est, vt alibi sæpe, licet interdum fauorem significet, & opus ab animo beneuolo profectum. Quod ex eo colligo, quia statim contrarium ab iisdem causis prouenire dicitur: quasi dicat, per nubes mille Deus hominibus commoditates affert, & mille iisdem infert infortunia, per illas sontibus supplicia, per illas insontium meritis mercedem rependit, per has minatur mala, & promittit quæ e terræ sinu sperari possunt alimenta vitæ. Quomodo in nubibus, quasi in thesauris aut armamentariis, illa Deus recondat tela, quæ in peccatorum capita contorqueat, dixit Dauid *Psalm. XVII.* quem etiam *2. Reg. XXII.* nos explicuimus. Cuius rei varia Deus documenta præbuit. Primum cum ruptis cœli cataractis Noëtico seculo mundum deleuit: & deinde Ægyptios grandinem desuper eiaculatus afflixit. & *Iudic. V, 20.* de cœlo contra Sisaram dimicatum esse dicitur. *1. Reg. VI, 10.* tonante cœlo perterriti atque fugati fuerunt Palæstini: sane Dei arma quædam in nubibus dicuntur esse reposita infra *cap. XXXIIX, 22.* Hæc autem procellæ, fulgura, tonitrua, fulmina, grandines, aut etiam immoderata, & alieno tempore aquarum effusa proluuies, quibus homines terret Deus, & eorum in agris alimenta prosternit: *Nunquid*, ait ibi Deus, *ingressus es thesauros niuis, aut thesauros grandinis aspexisti: quæ præparaui in tempus hostis, in diem pugnæ, & belli?* Per nubes etiam hominibus alimenta præbet, dum ex illis opportunos effundit imbres, & exhilarata herbarum viriditate terra, hominum etiam animos confirmat & exhilarat.

Ex nubibus Deus hominibus, aut magna largitur commoda, aut grauia ducit infortunia.

Vers. 32. *In manibus abscondet lucem: & præcipit ei, vt rursus adueniat.*) In *luce* non solum intelligitur, quod proprie sonat; sed etiam quod in ea metaphorico significatur sensu, nempe quicquid lætum est & optabile, qualis esset opportunus imber, cœlorum mitis & benigna tempestas. Hæc itaque omnia pag. 433. b 46.
Deus ea facilitate dispensat, id est, aut largitur, aut negat pro sua voluntate, qua negamus, abscondimus, aut porrigimus illa, quæ gestantur in manibus, quæ contracta manu absconduntur, neganturque, conceduntur explicata & aperta. Dicitur itaque Deus abscondere in manu, siue in propria, siue in metaphorica significatione lucem, quia momento temporis ornare potest bonos & cumulare bonis, & impios omnibus vitæ commodis & ornamentis euertere. Quod si ad modicum tempus iustis videatur lucem subtraxisse, iubet tamen, vt rursus adueniat; & contractum animum diffundat & exhilaret. de propria luce facilior est sententia, quam Deus subtrahit, obiectis soli nubibus, quæ terram obumbrent & opacent, & illis dissipatis illico reducit.

Vers. 33. *Annunciat de ea amico suo, quod possessio eius sit, & ad eam posset ascendere.*] 47.
Varias hic locus explicationes, aut admittit aut patitur. Quidam annunciari a Deo putant his, quos amat, quod ipsius sit lux, & non ad alium illius dispensatio pertineat, quando ipse pro suo arbitratu illam summo-

Tempestatis & imbrium signa a Deo.

vet & occultat, aut reducit & aperit. Tunc autem illud, *& possessio eius*, ad Deum pertinet, quasi Domini sit propriæ lucis aut metaphoricæ possessio, quæ ipsius omnino voluntati pareat. Alii possessionem hominis esse putant, quasi Deus hominibus amicis illam promittat & annunciet, dicatque, illos visuros esse post tenebras lucem, aut ad illam reuersuros esse fortunam, ex qua ad modicum tempus exciderunt. De vtraque luce signa sunt neque obscura, neque pauca, quæ ipsi etiam rustici nouerunt; & nautæ, quibus ad rei siue rusticæ, siue nauticæ gubernationem vtuntur. De lucido & sereno, seu turbido aut obscuro cœlo signa dedit Christus *Matth. XVI,* 2. *Vespere dicitur, serenum erit: rubicundum est enim cœlum: & mane, hodie tempestas: rutilat enim triste cœlum.* de felici tenuiue prouentu, de corporum aduersa seu prospera valetudine multa ex vario siderum congressu didicerunt astrologi. Signa ventorum, aut imbrium ex brutorum motu, & multiplici sono, obseruant, & sæpe sine errore illi etiam, qui inculto sunt ingenio. Quarum autores de re rustica tradidere non pauca, vide Virgilium *lib. 1. Georgic.* vbi hac de re copiose & optime, vnde cognosces, quam Deus suos amanter amplectatur, cum illos aut possessione, aut expectatione bonorum paterna sedulitate consoletur.

ARGVMENTVM CAP. XXXVII.

CVm præcedenti capite antiquum & illustre canticum adduxisset Eliu, & Dei ex eo admirabilem virtutem & prouidentiam ostendisset, ex benigna rerum meteorarum influentia; nunc ex eodem cantico, & ex iisdem causis adducit illa, quæ hominibus infortunium afferunt, aut prænunciant, Deum in prioribus humanum & placidum, in posterioribus, quæ late persequitur, docet esse terribilem. Quare impressiones illas meteoras proponit, quæ noxiæ sunt humanis commodis, aut sensibus horribiles. Et ad extremum docet ex eodem cantico hæc omnia, quæ hominibus vsui aut terrori sunt, in nubibus aëreaque regione concrescere: quæ incredibili celeritate, quasi in illis aliquid esset mentis, eo feruntur, quocumque illas diuinum destinaret imperium: Hic finitur canticum, cuius verba suis verbis & sensu explicat & amplificat Eliu. Et tandem docet, ab homine neque debere, neque posse diuinam explorari sapientiam, quibus verbis suam Eliu disputationem absoluit.

CAPVT XXXVII.

pag. 434. 1. SVper hoc expauit cor meum, & emotum est de loco suo.

2. Audite auditionem in terrore vocis eius, & sonum de ore illius procedentem.

3. Subter omnes cœlos ipse considerat, & lumen illius super terminos terræ.

PARAPHRASIS.

1. 2. Dum hæc verba ex antiquo cantico mecum ipse considero, sic afficior atque commoueor, vt a meipso mihi excidisse videar. Reputo illius horribilem potentiam, & esse præterea, qui in Deo prouidentiam aut æquitatem requirat. Nunc quando audistis ex illo cantico illustria quædam diuinæ prouidentiæ documenta, nunc ex eodem audite cantico minacem illius & horribilem vocem. pag. 434.

3. 4. 5. Prospectat Dominus omnia, quæ sub cœlo sunt, & illius oculi sic sunt in omnes terrarum terminos intenti, vt nihil illos lateat. Postquam autem Deus peccata hominum aspexit,

4. Post eum rugiet sonitus, tonabit voce magnitudinis suæ; & non inuestigabitur, cum audita fuerit vox eius.

5. Tonabit Deus in voce sua mirabiliter, qui facit magna & inscrutabilia.

6. Qui præcipit niui, vt descendat in terram, & hiemis pluuiis, & imbri fortitudinis suæ.

7. Qui in manu omnium hominum signat, vt nouerint singuli opera sua.

8. Ingredietur bestia latibulum, & in antro suo morabitur.

9. Ab interioribus egredietur tempestas, & ab Arcturo frigus.

10. Flante Deo concrescit gelu, & rursum latissimæ funduntur aquæ.

11. Frumentum desiderat nubes, & nubes spargunt lumen suum.

12. Quæ lustrant per circuitum, quocumque eas voluntas gubernantis duxerit, ad omne, quod præceperit illis super faciem orbis terrarum.

13. Siue in vna tribu, siue in terra sua, siue in quocumque loco misericordiæ suæ eas iusserit inueniri.

pag. 435. 14. Ausculta hæc Iob: sta, & consi-

xit, voce sua horribili & ingenti, nempe tonitru, irrugiit non sane temere, & sine causa. Atque ideo sicut tonitrui causæ obscuræ sunt & inscrutabiles, sic ab homine discuti non debent, & multo minus diuina damnari iudicia. Ille enim, qui opera edit, quæ nemo satis admirari possit, tonat cum libet, & terrore concutit genus omne mortalium.

6. Deus item niuem mittit in terram, & nimbos procellasque vehementes, quibus sternuntur segetes, & fames inducitur, & homines diuinis legibus minus obsequentes suorum scelerum pœnas exoluunt.

7. 8. Signa etiam præbet hominibus, quibus illi futuras temporum varietates ante præsagiunt, vt quid rerum fieri possit, non difficile videant, & manuum suarum operam ad temporum opportunitates accommodent. Neque hominibus solum signa dedit, sed etiam mutis rationisque expertibus animantibus, vt futuras agnoscant temporum mutationes; sibique ab illis matura fuga aut occultatione caueant.

9. 10. Ab austro, qui ab interiori nobisque occulto polo antarctico aspirat, tempestates excitantur, & nimbi; ab aquilonari polo frigus. Aquilone flante conglaciant atque concrescunt aquæ, aspirante austro intepescit cœlum, & coactæ prius aquæ largæ funduntur.

11. 12. 13. Frumentum, & alia terræ semina irrigari cupiunt ab aquarum pluuialium influxu: quorum votis nubes opportuna largitate respondent. quorum imber agrorum iure optimo vocari potest lumen, & vita; quia illo demisso virescunt, & quodammodo illuminantur fruges, quæ cum marcescerent, obscuræ videbantur & mortuæ. Hæ porro nubes totum orbem incredibili celeritate permeant: quocumque illas gubernatoris sui voluntas impulerit; siue vt irrigatis frugibus sedata atque benigna pluuia homines exhilarent, siue vt frigore & grandine conturbent & exterreant. Vtrumque autem diuinæ misericordiæ opus est, qui tam prosperis, quam aduersis nostram salutem operatur. Hæc autem rerum differentia non in vna tantum regione est, sed modo in vna tantum tribu, aut in vno loco, cum in aliis locis aut tribubus non eadem sit aquarum dispensatio.

14. 15. Audisti, o Iobe, antiqui cantici nu- pag. 435.

merosa

dera mirabilia Dei.

15. Numquid ſcis, quando præceperit Deus pluuiis, vt oſtenderent lucem nubium eius?

meroſa atque grauiſſima verba; nunc me a memetipſo loquentem accipe, & Dei mecum admirabilem & inſcrutabilem prouidentiam, & quo humana peruenire poſſit intelligentia, attente conſidera. Et primum rogo, an ſcias, quando Deus præceperit nubibus, vt quam conceperunt fœcunditatem & lucem, effundant in terras pluuiarum influxu.

16. Numquid noſti ſemitas nubium magnas, & perfectas ſcientias?

16. Nunquid noſti, quas habeant ſemitas, quave ſcientia illas ingrediantur, cum nullis ſint notatæ veſtigiis? vt ſciant imperata complere, & illas ſiue infeſtæ, ſiue benignæ, adire regiones, quas Deus fœcundare vult ſedata pluvia, aut procelloſa & inimica diſperdere?

17. Nonne veſtimenta tua calida ſunt, cum perflata fuerit terra auſtro?

18. Tu forſitan cum eo fabricatus es cœlos, qui ſolidiſſimi quaſi ære fuſi ſunt.

17. 18. Noſti, cur perflante auſtro veſtimenta tua concepto ex illius aſpiratione calore, tepeſcant. Quod ſi hæc ſublunaria atque inferiora non aſſequeris, quomodo putas, cognoſcere te poſſe cœleſtia? An cum cœleſtes orbes quaſi ex ære fuſili formaret Deus, tute illi adiutorem in eorum molitione, aut in deſcriptione conſiliarium præbuiſti?

19. Oſtende nobis, quid dicamus illi? nos quippe inuoluimur tenebris.

20. Quis narrabit ei quæ loquor? etiamſi locutus fuerit homo, deuorabitur.

19. 20. Quare, o Iobe, quando te ſapientem eſſe putas, & noſtris oculis ignorantiæ offuſam eſſe caliginem arbitraris, agedum doce nos, quid Deo non inepte reſpondere poſſimus, ſi quando noſtram velit explorare ſapientiam; & de his rebus interrogare, quarum diximus obſcuram eſſe cognitionem. Sed quis erit tam audax, vt ſuam præſente Deo in harum rerum expoſitione ſapientiam oſtendat? Quod ſi etiam locutus fuerit non inepte, euitare non poterit, quin ipſius ſapientia cum diuina comparata, non exiſtimetur inanis & futilis.

21. At nunc non vident lucem: & ſubito aër cogetur in nubes, & ventus tranſiens fugabit eas.

22. Ab aquilone aurum venit, & ad Deum formidoloſa laudatio.

21. 22. Cur autem illa ſuperiora atque meteora humanam fugiant intelligentiam, facit eorum grandis & repentina mutatio. Modo enim homo non videt pluuiam, quæ lumen appellatur; & cum ſubito in aërea regione concreſcant nubes, repente tamen aſpirans ab aquilone ventus illas fugat & diſſipat; vt enim ab aquilone magna interdum ſeſe oſtentat vtilitas, quæ auri ſignificatur accommodato vocabulo, ſic etiam ab eadem plaga aliquid interdum aſpirat aduerſum, quod non ſinit ſolidum eſſe gaudium, & ſine formidine puram voluptatem.

23. Digne eum inuenire non poſſumus: magnus fortitudine, & iudicio,

23. 24. Quod ſi meteora illa, imo & inferiora aſſequi poteſt nemo, & eorum cauſas inuenire,

& iustitia, & enarrari non potest.

24. Ideo timebunt eum viri, & non audebunt contemplari omnes, qui sibi videntur esse sapientes.

venire, quomodo inuenire possumus & cognoscere Deum, cuius fortitudinem, iudicium & iustitiam nemo cogitando assequi potuit, aut explicare narrando. Atque ideo viri, in quibus aliquid est sapientiæ, diuina speculari non audent, aut de Deo loqui nisi reuerenter & timide.

Vers. 1. *Super hoc expauit cor meum, & emotum est de loco suo.*]

pag.436.a TOtum hoc caput explicatio est, aut
1. continuatio præcedentis: in quo admirabilia quædam & arcana proponuntur, ad quorum perfectam cognitionem peruenire non potest humana solertia. Hæc porro verba sumpta non sunt ab Eliu e vulgari cantico, sed ex illius consideratione excitato spiritu, ab ipso ex suo sensu atque ingenio composita. Cur ex his, quæ ab illo cantico acceperat, pauorem conceperit, ita vt a seipso excessisse videatur, obscurum est, & ea de re interpretum varia cogitatio: dicam ego paucis, aliis omissis, quid mihi magis videatur expeditum. Impium antea, & blasphemum Iobum iudicarat Eliu, quia, vt ipse male cogitabat, iniquum in iudicando vocarat Deum, & in illo ad res administrandas desiderabat prouidentiam. Quæ omnia canticum illud vulgare condemnabat, quod æquitatem in Deo & prouidentiam ostendit, docetque, altiora, magisque occulta esse diuina consilia, quam quæ homo scrutari debeat, aut possit. Quare dicit, admirari se supra modum, & omnino expauescere, ita vt apud seipsum non sit, cum videat vilem homunculum ingenio inculto & hebeti non solum sublimia Dei explorare consilia, sed eo peruenisse dementiæ, vt in illis æquitatem & prouidentiam requirat. Quasi dicat, vix sum apud me præ admiratione stuporeque vehementi, cum videam hominem, in cuius auribus egregium illud & vulgare carmen toties personuit, sic esse aut imprudentem, aut stolidum, vt in Deo deprehendat, quod notet & damnet. vbi Vulgatus, *emotum est de loco suo*, Hebraic. est, נתר *natar*, quod *mouere*, *transferre*, aut etiam *subsilire* significat: quæ omnia animum indicant perturbatum, solicitum, quod interdum in Scriptura dicitur dissolutum & liquefactum: quod dum contingit, homo dicitur vix esse apud se: sic nos *in nostris Commentariis super Cantica* explicabamus illud *cap. V, 6. Anima mea liquefacta.* Hebr. *egressa est*, quasi diceret sponsa: excidit mihi mens, prorsus obstupui.

Vers. 2. *Audite auditionem in terrore vocis* 2.
eius: & sonum de ore illius procedentem.] Hæc etiam verba sunt Eliu, quibus animos præsentium comparat ad ea, quæ de vulgari cantico recitare vult, in quo de diuina prouidentia potentiaque admirabili sermo est: cumque de rebus aliis, quarum sunt obscuræ causæ, non pauca dicantur; agit tamen primo loco de tonitru, quod vox dicitur Dei, quia per illud nobis horribile aliquid, & ab ipsius offensione profectum significare vult. Sic sane pag.436.b
Dauid septies in *Psalmo XXIIX.* tonitru, cuius ibi horrificam vim & naturam exponit, vocem appellat Dei, & propter illam laudandum & colendum canit. Quem Psalmum ad huius imitationem, vel ad illum respectans videtur concinnasse. cum autem supra carmen illud de nubibus fulgetrisque egisset, iam alias meteoras impressiones contexit.

Vers. 3. *Subter omnes cœlos ipse considerat,* 3.
& lumen illius super terminos terræ.] Hæc verba sunt cantici, quæ ex alieno, non ex suo sensu recitat Eliu. Hic autem versus diuinam fatetur prouidentiam, cum canat Deum spectare ea, quæ sub cœlis sunt, & eius lumen, id est, oculos, vt dicemus statim, sic esse ad omnes terræ terminos intentos, vt nihil illos lateat. si quid autem in terra minus æquum aut religiosum acciderit, ex armamentariis suis spicula depromit, de quibus in hoc cantico: quæ vltrice manu in sceleratorum hominum capita contorquet.

Vers. 4. *Post eum rugiet sonitus, tonabit vo-* 4.

ce magnitudinis suæ.] In *lumine*, quod proxime antecessit, quidam fulgur intelligunt, quod communiter fulmen & tonitru comitantur. Prius autem, vt ratio demonstrat physica, & ipsa docet experientia, videtur fulgur, quam sonitus auditur a discissa nube. Atque ita illi hunc locum exponunt, post lumen, id est, fulgur, rugit sonitus, id est, tonat cœlum disrupta nube, vbi excussum est fulmen. Sed ideo sententia alioqui non improbabilis, mihi probatur minus, quia lumen, de quo proxime, super terræ terminos esse dicitur: vniuersos vtique, vt ex altero hemistichio mihi certum est: cuius per epexegesim hemistichium posterius continet, & explicat sententiam. At quis vmquam vidit fulgur ad vniuersos terræ fines excurrere? quare lumen, vt dixi nuper, oculi Dei sunt, qui vident omnia, quod refert hic pronomen *eum*, in hunc sensum: Post lumen, id est, postquam Deus hominum vidit opera non bona, quæ punire voluit, intonuit de cœlo, & ipso tonitru, & excusso pariter fulmine mulctauit. Et interdum tonitru ipsum, etiam si nullum excutiatur fulmen, supplicii satis habet, cum paulo est vehementius. De quo Seneca *lib. 2. naturalium qq. c. 27.* vbi cum alia tonitruorum adduxisset genera, addit: *Alia adduntur tonitrua; cum globata dissoluitur nubes, & spiritum, quo distenta fuerat, emittit. Hoc proprie fragor dicitur subitus & vehemens, quo edito, concidunt homines & exanimantur: quidam vero viui stupent, & in totum sibi excidunt, quos vocamus attonitos.*

5. pag. 437. a Quod autem lumina sumantur pro oculis, docet frequens Latinorum vsus, & nomen Græcum Φῶς, quod *lumen* valet, pro oculis sumi tradit Hesychius: idem ego crediderim de Hebræis, licet minus frequenter. Sane dum legis *Psalm. IV, 7. Signatum est super nos lumen vultus tui.* & *Psalm. LXVI, 2. Illuminet vultum suum super nos.* intentos diuinos oculos intelligis: & oculorum lumen frequenter audimus. Hæc cogitationem nostram satis faciunt probabilem, non minus quam alias omnes, quibus tamen suam probabilitatem non negamus.

6. Sed obstrepet aliquis, dicetque, non posse *lumen* a pronomine *post eum* referri, quia *lumen* neutrius est generis, *eum* vero masculini. Cuius ego obiectioni respondeo, valde esse interpreti nostro familiare, certe non infrequens, vt genus seruet in vertendo illius linguæ, vnde translatio fit. Exempla multa adduximus *in nostris Commentariis super Isaiam* ad illud *cap VII, 14. Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum.* duo ex illis accipe *Apocal. XI, 4. Duo candelabra stantes.* respexit interpres ad Græcam dictionem λυχνίας quæ generis est fœminei, *Matth. XX, 25. Reges gentium dominantur eorum* ad ἔθνος, quæ vox generis est neutrius.

REGVLA. In translatione sæpe seruatur genus originalis linguæ.

Tonabit voce magnitudinis suæ.] Id est, horribile edet tonitru, quale cieri solet a Deo, cuius vocem diximus esse ingentem illum sonitum, quem nubes a fulmine disrupta displodit. Porro quæ Dei sunt, vel ipso tantum nomine magna esse significantur, quomodo cedri & montes Dei esse dicuntur, quos supra modum sublimes haberi volumus, sic ergo Deus *tonabit voce magnitudinis suæ*, id est, voce sua terribili & omni natione formidanda. 7.

Et non inuestigabitur, cum audita fuerit vox eius.] Si de tonitru, vt res quædam naturalis est, hæc accipias, nihil videtur esse aliud, quam illius causam ab ingenio mortali non posse cognosci. Quod verum est eo sensu, quo quæ difficilia sunt, perinde habentur, ac si effici non possent; quod dicendi genus in Scriptura sacra inauditum non est. Aut quia rudiori illo sæculo tonitrui causa explorata non erat; quam æuo posteriori philosophi inuenisse se putant, an sua illos cogitatio fallat; nouit Deus. certe errasse in multis, de quorum sibi inuentione maxime placent, nemo, credo, cordatus aut negat, aut dubitat. de tonitrui causa vide Senecam *lib. 2. natur. qq. 27.* 8.

Quod si tonitru sumas pro supplicio, quo Deus peccata punire vult, multo minus est illis scrutabilis, aut vestigabilis causa. Quia multa videt Deus, quæ ignorat homo: multa leuia esse putat, neque graui vulnere plectenda; quæ æternis Domino videntur plectenda suppliciis: quia Domino oculi carnei non sunt, nec sicut videt homo, & ipse videt. Atque ideo ab homine discuti non debent, & multo minus diuina damnari iudicia. 9.

Vers. 5. *Tonabit Deus in voce sua mirabiliter,* 10.

ter, qui facit magna & inscrutabilia.] Nihil hic additur noui, sed tantum superiora explicantur magis, & alia proponuntur, quæ suo genere magna sunt, & humano ingenio atque solertia longe superiora, quæ deinceps ex vulgari eodem cantico recitat Eliu.

11\. Vers. 6. *Qui præcipit niui, vt descendat in terram, & hyemis pluuiis, & imbri fortitudinis suæ.*] Hæc opinor sic vibrantur e nubibus,
pag.437.b vt non tam seruiant humanis vsibus, quam incommodent, quæ non compensent pia & religiosa merita, sed puniant peccata. *Stillare* in Scriptura sacra aliquid indicat benignum & molle, quo irrigantur agri & crescunt segetes, & in plenas ac turgentes spicas adducuntur. Quales sunt pluuiæ sedatæ atque opportunis demissæ temporibus, quæ temporaneæ dicuntur, aut serotinæ in terra promissionis. Indicat etiam *stillare* aliquid horribile, quia etiam nubes aliquid iaculantur, quod horrent homines; quia sternunt segetes, populantur agros, hiantemque relinquunt agricolarum expectationem, postquam diu multumque sudatum est, in subigendis atque serendis agris, in quibus necesse est plurimum esse positum laboris & sumptuum. Tales sunt, quæ dicuntur procellæ, aut nimbi, grandines, lapides, fulmina, & si quid est aliud, quod vrit, aut sternit sata læta boumque labores: vnde etiam fit, vt *stillo* ambiguos habeat, & interdum contrarios, tam proprios quam metaphoricos sensus. De priori stillatione, aut pluuia, quæ terram sedate rigat & impinguat, egisse videtur pars illa cantici, de qua proximo capite. De posteriori, quæ homines exterret & punit, in præsenti. De priori est illud *Deut. XXXII, 2. Concrescat in pluuiam doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum, quasi imber super herbam, quasi stillæ super gramina.* & illud *Amos IX, 13.* & *Ioel. III, 18. Stillabunt montes dulcedinem.* De posteriori sunt exempla plura. *Ezech. XX, 46. Stilla ad africum, & propheta ad agrum meridianum;* iubetur autem eo loco minacem intorquere sermonem. *Dan. IX, 11. Stillauit super nos maledictio & detestatio 2. Paral. XII, 7 Non stillabit furor meus super Ierusalem.* Quales fuerint horribiles hæ procellæ, quas Deus ad impiorum plectenda peccata iaculantur e nubibus, habemus *Exod. IX, 23. Dominus dedit tonitrua, & grandinem, ac discurrentia fulgura super terram, pluitque Dominus grandinem super terram Ægypti: & grando & ignis mixta pariter ferebantur.*

Stillo ambiguas habet & contrarias significationes.

Huiusmodi arbitror esse, quæ modo dicit 12.
carmen illud antiquum & notum, a Deo e nubibus in peccatorum pœnam demitti solita. Niues enim licet molliter cadant, graues tamen sunt & molestæ, & interdum hominum valetudini & commodis non parum infensæ. *Imber fortitudinis Dei*, nimbus est, qui aliter, opinor, vehemens vocatur, vt *Prou. XXIIX, 3.* in quo, vt ibi dicitur, paratur fames, quia agricolarum opera disperdit & dissipat. De quo *Ezech. XIII, 13. Erumpere faciam spiritum tempestatum in indignatione mea, & imber inundans in furore meo erit: & lapides grandes in ira in consumptionem.* Idem ferme repetit *cap. XXIIX, 22.* de hoc iterum infra *cap. XXXIIX, 25. Quis dedit vehementissimo imbri cursum?* Hyemis pluuiæ procellæ sunt, aut certe imbres molesti, qui tempus illud reddunt ingratum & rigidum, turbidum, lutosum, odiosum & intractabile. Porro illud certum, hyemem tam apud Latinos, quam apud Græcos idem interdum valere, quod procella horridaque tempestas: quod satis norunt, qui in humanioribus studiis versati sunt mediocriter. Virgil. *lib. 1. Æneid.* ab hyeme, id est, a tempestate disiectas dicit esse naues:

Vicit hyems laxis laterum compagibus omnes,
Accipiunt inimicum imbrem, rimisque fatiscunt.

Et clarius *lib. 5.* pag.438.a

Olli cæruleus supra caput astitit imber,
Noctem hyememque ferens, & inhorruit vnda tenebris.

Lucanus *lib. 1.*

Tum vires præbebat hyems, atque auxerat vndas.

Quod hyems apud Latinos, idem etiam 13.
valet apud Græcos χειμών, quæ vox *tempestatem* significat, & *imbrem.* An apud Hebræos vox eadem, quæ hyemem, tempestatem etiam significet, non memini me legisse, sed non est improbabile, hyemalem pluuiam Hebræis esse molestam, quia non est tam opportu-

Hyems pro tempestate.

portuna agris, quam serotina atque temporanea, a quibus abest longe: Et sicut tempore messis, id est, tempore æstiuo grata dicitur nubes, *Isaiæ XIIX, 4. Sicut nubes roris in die messis.* Sic hyemali tempore futura videtur non nimis grata. Atque ideo sub Palæstino saltem cœlo supplicii loco videtur immissa pluuia, quia humida, lutulenta, & frigida, & eo tempore non adeo necessaria.

14. *Hic locus non fauet chiromanticis.*

Vers. 7. *Qui in manu omnium hominum signat: vt nouerint singuli opera sua.*] Hic locus sæpe ab astrologis, & præcipue a chiromanticis versatus est, ex quo sibi atque aliis persuadent, non esse vanam illam coniectandi scientiam, quæ ex lineis manuum de futurarum rerum euentu diuinat. Qui locus etiamsi nullam aliam explicationem admitteret, non tamen ideo multum illorum siue scientiæ, siue stultæ cogitationi faueret. Hæc enim verba, si sunt Eliu, non habent pondus canonicæ fidei: est quidem de fide, ab illo esse dicta, aut certe ex vulgari cantico recitata, veritatem tamen continere canonicam, de fide non est; sicut alia multa, quæ dixit Eliu, & alii, qui cum Iobo longam iniere disputationem, vsque adeo de fide non sunt, vt potius a Deo condemnata fuerint, vt constat ex *cap. XLII.* Neque mirum, si ex suæ gentis consuetudine diuinatoriam artem laudarit Eliu, & ex ea diuinam sapientiam atque potentiam commendauerit. Illa enim Idumæa natio huic superstitioni dedita fuit, vt docuit Balaam, qui ariolus dicitur fuisse *Num. XXII, 5.* qui non procul aberat ab Idumæa. Imo, vt multi volunt, vt nos obseruauimus ad *cap. XXXII. in principio*, idem fuit Balaam, & Eliu, quod si verum est, hic quoque erat ariolus, sed diuersum fuisse Balaam ab Eliu, eo loco, vt opinor, satis ostendimus.

REGVLA. *Multa scriptura recitat ab aliis dicta, quæ non probat atque ideo de fide non sunt.*

15. *Quid ex varia manuum delineatione coniectari possit.*

Nihilominus etiamsi diuinare nemo possit euentus, aut opera, quæ ab hominum libera voluntate suscipiuntur, illa tamen, ad quæ naturæ necessitate non cogimur, multa sunt, quæ, vt ex varia vultus conformatione, sic etiam ex varia manuum delineatione seu inscriptione coniectamus, vt quis in homine dominetur humor: quæ corporis constitutio, frigidane sit, an calida natura, firmane & constans, an debilis, aut varia valetudo. Hæc autem admirabilia sunt: & quorum obscuræ causæ, licet euentus non occulti. Qua de re disputarunt alii diligenter. Martinus de el Rio *lib. 4. Disquisit. Magic. a cap. 3.* Vallesius *cap. 32. Sacræ Philosophiæ*, vbi hunc locum explicat & illustrat. Pineda *hic*, vbi varias explicat sententias, quem tu vide, a quibus ipse, quia longus esse nollem, prudens abstineo. Quia tamen hæc verba nihil addunt auctoritatis & fidei arti, quæ ex manuum inscriptione euentus futuros a libera voluntate coniectat, & admirabilem Dei sapientiam ostendit, quod in hominum manibus naturalem illorum constitutionem inscripsit, ideo neque contemnenda puto, neque ab auctore cantici temere adiecta. Neque aliud existimo ad huius loci explicationem esse necessarium; aut aliud significare voluisse Eliu, aut eum, qui vulgare illud carmen primus inuenit, aliisque cantandum tradidit. Hebræorum explicationes varias adducit Eugubinus.

pag. 438. b

Hæc explicatio, nisi ego fallor, aut vera est, aut certe ad veritatis speciem proxime accedit. Sed aliam aliis probari video, quæ mihi visa est expedita magis, & his, quæ proxime succedunt, magis consentanea, ita vt Deus cœlestibus signis & meteorologicis impressionibus homines doceat, ad quæ opera admouere debeat manus: quod opus assumere, quod respuere, & in tempus aliud suspendere magis opportunum: quod in aliis rebus sæpe, in re tamen rustica & nautica sæpissime obseruandum. Egerat paulo ante de pluuia, de fulgure, de tonitru, ac nubibus, vnde agricolæ de varia temporum inclinatione certa signa capiunt. Vnde discant, quid in re domestica ac publica facto opus sit. Neque enim omne tempus ministeriis omnibus censetur idoneum. Serenum aliam, aliam turbidum tempus occupationem desiderat. Qua de re ex diligenti ac longa obseruatione varia Scriptores de re rustica tradidere præcepta. Plurima Virgilius *lib. 1. Georgic.* Plinius *lib. 18. cap. 35.* Ælianus *de hist. anim. lib. 7. cap. 7.* Columella *lib. 2. cap. 1. & 2.* vbi post alia dicit: *Temporibus accommodanda opera viris, vt permiserit status cœli. Itaque tempestatibus annotatis cautior villicus vel abstinere poterit* 16.

Cœlestia signa quid commode fieri debeat admonent.

rie ab operibus, vel festinationem adhibere. Porro dicuntur a Domino hominum signatæ manus, eo, opinor, sensu, quia ita certo ex cœli aërisque mutationibus, temporum mutationes præsagiunt, & vident, quemadmodum si eas in manibus inscriptas legerent, viderentque præsentes cui explicationi fauent, quæ deinde sequuntur. Aut certe conuersiones illas temporum in sua haberent potestate & manu, vsque adeo de illa temporum multiplici varietate non dubitant. Hæc mihi in re controuersa & dubia visa sunt impedita minus, meliora ab aliis, & cupio, & spero.

17. *Bestiæ futuras temporum mutationes præsentiunt.*

Vers. 8. *Ingredietur bestia latibulum, & in antro suo morabitur.*] Singularis Dei prouidentia fuit, qua hominibus signa dedit, caque non obscura, vt nossent, quodnam tempus esset magis rebus tractandis opportunum, sed illud in creatoris prouidentia magis admirabile, quod signa quædam dedit etiam mutis rationisque expertibus animantibus, vt futuras cognoscerent temporum mutationes, sibique ab illis matura fuga, aut occultatione cauerent. Quare cum imminentem pluviam multo ante præsentiant, & signa alia habeant tempestatum prognostica, vt illius vim & repentinum impetum effugiant, montium latebras subeunt, aut alio modo sobolis suæ incolumitati prospiciunt. Exempla tu ex aliis scriptoribus plura inuenies. Pauca accipe ex Plinio *lib. 8. cap. 28.* de muribus: *Ruinis* pag.439.a *imminentibus musculi præmigrant, aranei cum telis primi cadunt.* & *cap.37. Herinacei mutationem aquilonis in austrum condentes se in cubile præsagiunt.* & *cap.38. Præuident tempestatem sciuri, obturatisque, qua spiraturus est ventus, cauernis, ex alia parte aperiunt fores. lib. 11. cap. 10.* de apibus: *Vniuersæ prouolant, si dies mitis futurus est. Prædiuinant enim ventos, imbresque, & tunc se continent tectis.* de araneis idem *cap. 24. Incremento amnium futuro, telas suas altius tollunt, iidem sereno non texunt, nubilo texunt.* Hæc pro secunda explicatione superioris versus satis videntur opportuna. Si vero manus ideo dicuntur signatæ, vt homo ex signis illis sui corporis vires & constitutionem intelligat, aliud argumentum diuinæ prouidentiæ proponitur, cum ipsis quoque animantibus, quæ ratione carent, solertiam quandam indiderit, vt suæ naturæ accommodate cubilia sibi præparent, vbi commorentur & nidos construant, vbi pullos foueant & enutriant.

Vers. 9. *Ab interioribus egredietur tempestas, & ab Arcturo frigus.*] Interiora dicuntur illa, quæ australem, id est, meridionalem regionem spectant, vnde frequentes sunt pluviæ & tempestates horribiles: quia antarcticus polus interior nobis est & occultus, quia sub nostro & Idumæorum orizonte alte depressus, arcturus autem, supra orizontem eleuatus plurimum, & nobis semper, Idumæisque conspicuus. Sed quæ hic interiora dicuntur, idem esse puto, quod promptuaria, siue conceptacula ventorum, vnde euocantur venti, sicut ex Æolia in suis fabulis nugantur Poëtæ. Egerat prius de nubibus, vt vidimus, de pluuiis, de niuibus, de fulgure, ac tonitru, illud supererat, vt de ventis ageret, qui magna ex parte aërea hæc meteora moderantur & agitant. Cumque alii sint venti, quorum in terris varii & admirabiles effectus: duorum tantum meminit, aquilonis & austri, quia illorum vis, situs, & natura omnino contraria, & quia hi hominibus propter effectus contrarios maxime noti. Mirum est, quam isti duo venti in Scriptura sacra sæpe coniungantur, sicut supra *cap. IX, 9.* Et licet auster, qui a meridie aspirat, tempestates excitet horribiles, & turbines conglomeret vehementes, quia tamen nubes cogit, & terras largis irrigat imbribus, & contractum ab aquilone tempus suo tepore laxat & diffundit; expetitur communibus hominum votis. Quod tempestates cieat vehementes, docuit Isaias *cap. XXI, 1. Sicut turbines ab Africo veniunt.* Africus idem est, quod auster. *Zachar. IX, 14. Et vadet in turbine austri.* docent hoc profani sæpe. Aristoteles *lib. 2. Metcor. cap. 5.* ventum dicit esse vehementem. Virgil. *lib. 1. Æneid.* furentem appellat. In hoc tamen furore aliquid habet sibi familiare ac proprium, propter quod ab hominibus expeti solet, quia eo flante cœlum tepescit, & arbores germinant mitiori temperie. Quod statim magis explicuit Eliu *vers. 17. Nonne vestimenta tua calida sunt, cum perflata fuerit terra austro.* & ideo sponsus *Cant. IV, 16.* excedere

18. *Auster tempestates ciet & tamen lætus est.*

iubet aquilonem, & aduenire austrum, qui arbores floribus frondibusque conuestiat, aspirareque faciat odoriferos succos.

19. Quod autem aquilo, qui & boreas, qui a loco, vnde aspirat, arcturus dicitur, frigidus sit, & inamœnus, multa docent, quæ tu facile inuenies, dissipat enim nubes, quod agris & hominibus permolestum est. *Prov. XXV*, 23. *Ventus aquilo dissipat pluuias.* inducit frigus, contrahitque quæ laxarat auster: deinde quod viride erat & floridum, exurit. *Eccl. XLIII*, 22. *Frigidus ventus aquilo flauit, & gelauit crystallus ab aqua. Super omnem congregationem aquarum requiescet, & sicut lorica induet se aquis; & deuorabit montes, & exuret desertum, & extinguet viride, sicut igne.*

Aquilo frigidus, odiosus, horribilis.

pag. 439. b

20. Vers. 10. *Flante Deo concrescit gelu, & rursum latissime funduntur aquæ.*] Explicatio est præcedentis versus, vbi ostenditur Dei admirabilis sapientia, & de rebus humanis prouidentia & cura singularis. Sic enim ventorum temperata vicissitudine auras opportune dispensat, vt cumulatos agri referant fructus, & ita valetudini atque viui elaboratos atque dispositos, vt nihil videatur excogitari posse commodius. Neque enim minus agris & arboribus frigus, quam calor necessarius; & vtrisque opportuna valde ex vtroque composita, & tanquam a peritissimo artifice concinnata temperies. Quare emittit Dominus aquilonem, quo dissipantur nubes, & aquæ frigore conglaciant atque concrescunt, quia oportet aliquando serenum esse cœlum: & si continentes essent imbres aut assidui, essent arboribus & frugibus importuni & noxii. Humore etenim nimio, & immoderata luxurie, in herbas inutiles & vacuam viriditatem seges tota vanesceret. Ideo alternis aquilone & austro, vt alter contineat, & dissipet, alter suo tempore largos cogat, & suo calore soluat, & effundat imbres.

21. Vers. 11. *Frumentum desiderat nubes, & nubes spargunt lumen suum.*] Variè hic locus conuertitur, & explicatur a variis; Neque opus esset facile aut breue, omnium adducere & explicare sententias: præsertim si a nobis deinde confutandæ sunt. Tantum adducam translationem illam, quam ex Hebraico textu expresserunt recentiores quidam interpretes, quæque Vulgatam continent & explicant. *Serenitas sollicitabit, aut fatigabit nubem, & spargere faciet lumen suum.* Alii *irrigatio fatigabit.* Sed est eadem sententia, nimirum cum terra aret & sitit, nubem sollicitat, vt imbrem immittat, quo irrigetur, & segetes nutriat. & idem valet *irrigatio* passiua. Nam terra arida, vt irrigetur, nubem fatigat, metaphoricis nempe precibus. Noster interpres frumentum posuit, eandemque sententiam clarius expressit. ideo enim terra, cum cœlum serenum est & æreum, clamat, vt habeat humorem, quo segetes alantur & crescant, quod etiam facit irrigatio, id est, irrigationis passiuæ desiderium, quia sine illa frumentum arescet & peribit.

Illud obseruandum, tam *frumentum*, quam *nubes* in numero esse singulari. quare verbum illud *desiderat* tam cum nube, quam cum frumento conuenire potest: vtrumque autem pulcram habet sententiam, quæque diuinam prouidentiam magnopere commendat, cum ad hominum vsus, eam rebus etiam inanimatis inclinationem indidit, vt non solum non inuitæ, sed etiam cum magna ingenii pronitate humanæ commoditati seruiant. Neque enim minus pro opportuno hominum alimento nubes, quam terra atque frumentum laborant. Neque magis nubes pluuiam effundere, quam terra, & fruges illam excipere desiderant. Quod nos pluribus docuimus *in nostris Commentariis super Oseam* ad illud *cap. II*, 22. *Exaudiam, dicit Dominus; exaudiam cœlos: & illi exaudient terram, & terra exaudiet triticum & vinum.* Vbi, vt vides, terra clamat ad cœlos, id est, ad nubes, vt rorent desuper & pluant. Sic cœlum, id est, nubes clamant ad Deum, sibi, vt per illum liceat, opportunum imbrem in terram effundere, illamque reddere ad edendos fructus fœcundam & grauidam. vbi ex *lib. 8. Ethic. cap. 1.* sententiam Aristotelis adduximus, qui ex Euripide docet, esse inter terram & imbrem, atque adeo inter nubem & frumentum, quoddam quasi naturale connubium. Vt enim vir & fœmina coniugalem appetunt congressum, quia æque prolem amant, sic etiam non magis aridus & sitiens ager imbrem appetit, quam imber ipse in terræ gremium influere deside-

22.

Nubes, & res aliæ inanimatæ hominum commodis libenter seruiunt.

p. 440. a

23.

desiderat, vt ex ipso terra grauidata concipiat. Euripidis versus, quos ibi produxit Aristoteles, sic nos ad illum Oseæ locum ad Latinos numeros aptauimus:

Pandit terra sinus, pluuiasque a nubibus optat,
Cum macer ablato campus ab imbre sitit.
Nec minus a pluuiis, quæ turget in aëre nubes,
Optat in expansos larga venire sinus.

Illud tamen *desiderat* potius accommodo *frumento*, quod a nubibus suum optat, & quodam modo precatur alimentum, quam nubi, licet hoc etiam mihi non omnino displiceat, quod S. Thomas videtur non improbasse. Tunc autem *nubes* dicuntur *sparsisse lumen*, cum imbrem stillant & cœlestem rorem, qui lumen vocari possunt, quia illo demisso virescunt, & quodammodo illuminant fruges, quæ cum marcescerent, obscuræ videbantur & mortuæ.

24. Vers. 12. *Quæ lustrant per circuitum, quocunque eas voluntas gubernantis duxerit, ad omne, quod præceperit illis.*] Hæ nubes, vt diximus, instrumenta Dei sunt, siue ad punienda improborum peccata, siue ad compensanda merita, & hominum non solum necessarios vsus, sed etiam voluptates honestasque delicias. Quare hæ interdum pluuias effundunt, quas ad irrigandos agros conceperunt, sedatas & molles: interdum saxa eiaculantur & grandines, & cum ingenti fragore fulmina contorquent. Siue autem Deus fœcundare voluerit, atque exhilarare lugentes agros & emarcidas fruges; siue sternere ac vastare funditus, obsequuntur illius voluntati lubenter, & totum orbem obeunt, quocunque illas gubernatoris sui voluntas impulerit. Quod Deus ventorum efficit ministerio, qui modo sedato spirant & benigno inflatu: interdum incitato & tumido vehementer: ab illo mollis pluvia, ab hoc nimbus prouenit, & dira tempestas. Hæc eadem de nubibus dixit Baruch *cap. VI, 61. Nubes, quibus cum imperatum fuerit a Deo, perambulare vniuersum orbem, perficiunt, quod imperatum est eis.*

25. Vers. 13. *Siue in vna tribu, siue in terra sua, siue in quocunque loco misericordiæ suæ eas iusserit inueniri.*] Hunc locum omnium optime explicuit Amos *c. IV, 7.* vbi sic Dominus ad gentem peccatricem: *Ego prohibui a vobis imbrem, cum adhuc tres menses superessent vsque ad messem, & plui super vnam ciuitatem, & super alteram ciuitatem non plui: pars vna compluta est, & pars, super quam non plui, aruit.* Ad hunc locum *in nostris Commentariis super Amos* plura diximus, quæ non parum ad diuinæ prouidentiæ confirmationem faciunt: ex quibus pauca hæc accipe: probat eo loco Amos, sicut hic Eliu, seu quicunque canticum hoc vulgare composuit, non casu hæc fieri, sed a summo rerum arbitro, qui res humanas moderatur, & earum commoda suo arbitratu iuste sapienterque dispensat. Quare ciuitatem vnam largo irrigat pluuiarum influxu, & aliam sitientem & aridam relinquit. Quod a sola nubium aquarumque natura prouenire non potest, cum illa non habeat vllum in sui ipsius suarumque rerum dispensatione discrimen. Quod vero subditur, *pars vna compluta est, & pars, super quam non plui, aruit.* non solum affirmat, in aliqua regione seu prouincia vnam ciuitatem a cœlesti pluuia commaduisse: aliam vero nullum a nubibus habuisse beneficium, sed etiam in eadem ciuitate partem aliquam fuisse compluatam, aliam vero a macie & siti arentem esse, & squalore horridam. Sic enim Deus magis ostendit, opus illud esse suæ prouidentiæ, qua vlcisci vult peccatorum insaniam, & iustorum fauere pietati. Nam si nulla ciuitas, aut singularum pars nullo pluuiali humore commaduisset, putarent homines, vt ait Hieronymus *ad illum locum Amos*, aut lege naturæ, aut astrorum cursu hanc varietatem temporum regionibus aut vrbibus accidisse. At natura & astra non sic agunt libere, vt imbrem sic attemperate in vnam demittant partem, vt eundem ab altera suspendant. Hæc nos ad locum illum Amos, de quo proxime, tu plura vide.

Deus summa prouidentia non eodem modo pluuiam dispensat.

p. 440. b

26. Quod vero subditur, *in quocunque loco misericordiæ suæ eas iusserit inueniri*, nubes respicit benigniores, fœcundas imbribus, quas ad iustorum hominum agros dimittit; licet enim, vt Christus dixit *Matth. V, 45.* solem suum oriri faciat super bonos & malos, & pluat super iustos & iniustos, tamen illo præsertim tempore, in quo Deus iustis largius de tempo-

temporariis commodis prouidebat, opportunam illis atque vberem indulgebat pluuiam, quam alienis atque impiis aliquando negabat. Quod si aliquando aut his, aut illis parcius largiebatur, aut aliquandiu submouebat imbres, hoc quoque a misericordia proueniebat opus, quia ad illorum exigebat vsus, ne homo luxu & abundantia difflueret, ac tandem ipsa cogente fame disceret inuitus, quod abundaret & viueret, donum esse Dei. Et sane ita sæpe contingit, quos enim a Domino abundantia distraxit, hos sæpe inopia & fames fugitiuos ad Dominum reduxit. Sic cecinit Moyses *Deut. XXXII, 15. Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit: incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Dominum factorem suum.* Et *Ezech. XVI, 49. Hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium.* Quare qui panem aufert, saturitatem & abundantiam, opus facit a misericordia, studioque bene de aliquo merendi profectum. Hic finitur canticum. deinde iam sua verba resonat, & ampullat Eliu.

Tam aquarum inopia quam abundantia e Dei misericordia sunt.

27. Vers. 14. *Ausculta hæc Iob, sta & considera mirabilia Dei.*] Absoluto iam cantico, vnde vt Dei prouidentiam & arcana consilia confirmaret, argumenta sumpsit Eliu; iam a seipso loquitur, & nonnulla, quæ continebantur in cantico, inculcat accuratius, & studiosius exponit. Iubet igitur Iobo, vt hæc
pag.441. a Dei opera plane admirabilia, quæque assequi nullo modo potest humana solertia, studiose consideret, vt inde discat, quam alte de Deo sentiendum, quam de illo caute & religiose loquendum sit. Vnde apparet, canticum illud magnæ apud omnes esse auctoritatis, quando homo ea ætate Philosophus, ex eo suæ orationi conciliare voluit auctoritatem
28. & fidem. Cumque duo illa verba, *ausculta*, & *sta*, attentionem maximam ab auditore exigant: posterius *sta* reuerentiam præterea religiosam postulat, maxime apud Idumæos, Idumæisque finitimas regiones. Quod aliqua illarum gentium docent exempla. Balaam iisdem, quibus modo verbis Iobum attentum esse iubet Eliu, hortatus est Balac Moabitarum Regem, vt verbum acciperet a Deo missum, stans & erectus, non sedens aut iacens; dixerat enim Balac, *Num. XXXIII, 18. Quid locutus est Dominus?* Respondit Balaam, vt illum ad audiendum religiose disponeret, *sta Balac, & ausculta.* Nouerat hanc illarum gentium consuetudinem Aod iudex Israel, qui per insidias Eglonem Moabitarum Regem occidere parabat, cumque ad illud consilium referret plurimum, quo commodius illi plagam infligeret letalem, quæ illum temporis momento conficeret, illum stare erectum, rationem excogitauit, qua illum talem inueniret statu recto, vt plagam acciperet, quæ necessariam & breuem mortem adduceret. Quare dixit, verbum se habere a Deo: quod vt religiose de more acciperet, stetit rectus, locumque aperuit letali vulneri. Sic autem de vtroque *Iud. III, 20. Sedebat* (Eglon) *in æstiuo cœnaculo solus, dixitque* (Aod) *verbum Dei habeo ad te. Qui statim surrexit de throno.* Sic ergo Eliu state iubet & auscultare Iobum, quasi diuinum aliquod oraculum auditurum: quia fortasse tale putabat canticum, quod explicare moliebatur iuxta patriæ consuetudinis religionem. Vbi obserua, eodem modo ad audiendum diuinum oraculum excitatum esse Iobum ab Eliu, quo Balac Moabitarum princeps a Balaam, quia fortasse ille erat familiaris attentionis captandæ modus his, qui diuinum aliquid nunciare aut iubebantur vere, aut se iussos esse falso simulabant. Hic Gregor. aliquid pro re morali adducit opportunum. Ait enim, il- 29.
los, qui Dei verba meditantur & audiunt, id stantes facere debere, paratos vtique, quæ ibi meditando, aut auscultando didicerunt, statim re ipsa aggredi, & sedulo præstare. *Eliu*, inquit, *quasi in comparatione sui iacentem vidit Iobum, quem ad verba tantæ prædicationis, vt staret, admonuit. Sed licet Eliu bona, quæ dicit, nesciat pensare, cui dicit, nos tamen indagare verba eius subtiliter debemus. Stare quippe est recta agere, vnde per Paulum dicitur* 1. Corinth. 10. *Qui se existimat stare, videat ne cadat. Iacentes ergo Dei miracula considerant, qui eius potentiam sciendo pensant, sed viuendo non amant. Per contemplationem quidem in consideratione oculos tendunt, sed tamen per intentionem sese a terra non erigunt.* Hæc Gregorius, & ex eo Odo Cluniacen-

Dei verbum a stantibus audiri solitum.

Quod quis in oratione audierit statim executioni mandandum.

Sacræ Martyrum historiæ in templis ab astantibus auditæ. niacensis. Augustinus *lib. 50. hom. hom. 26.* indicat, quando Martyrum passiones leguntur, aut lectiones etiam longiores, consueuisse auditores stare: *Ante aliquot*, inquit, *dies propter eos, qui aut pedibus dolent, aut aliqua corporis inæqualitate laborant, paterna charitate sollicitus consilium dedi, & quodammodo supplicaui, vt quando passiones prolixæ, aut certæ aliquæ lectiones longiores leguntur, qui stare non possunt, humiliter, & cum silentio sedentes attentis auribus audiant quæ leguntur.* pag. 441. b

30. Vers. 15. *Numquid scis, quando præceperit Deus pluuiis, vt ostenderent lucem nubium eius.*] Refert se iam Eliu ad illa exponenda atque amplificanda, quæ nuper recitarat, e vulgari carmine: & docet, versare Dominum arbitratu suo illa, quorum effectus magnæ hominibus esse admirationi debent. Experitur homo stillantes imbres ex resolutis nubibus, quando vero, aut quomodo præcepto suo pluuias euocauerit, ignorat. Pluuias autem esse nubium lucem, supra putabamus non improbabile, ad illud *vers. 11. Nubes spargunt lumen suum.* Quod etiam censent communiter Hebræi, & ita legunt Pagninus, Tigurina, & Osorius. Cur pluuia *nubis lumen* appellari potuerit, diximus *ad illum locum.* Alii fulgura putant, aut cometas, aut certe solis, aut astrorum splendorem, quem nubes in se concipiunt, quo ipsæ solis imitantur lumen, & nonnunquam, vt in parcliis obseruamus, illius referunt expressam imaginem. Sane splendorem maximum apud Maronem nubes solaribus inflammata radiis ostendit *lib. 8. Æneid.*

—Qualis cum cærula nubes
Solis inardescit radiis, longeque refulget.

Sed mihi explicatio videtur magis soluta illa, quæ in *lumine* pluuiam agnoscit, licet hanc posteriorem, magisque communem improbare non audeam.

31. *In nubibus huc atque illuc impellendis diuina elucet sapientia.* Vers. 16. *Nunquid nosti semitas nubium magnas, & perfectas scientias.*] Egit sæpe de nubibus, quæ terram operiunt & lustrant, quæ modo huc, modo illuc, quocunque illas egerit diuina voluntas, impelluntur: de quibus cum tam hoc capite, quam præcedenti multa cecinerit vulgare canticum, videtur tamen Eliu respexisse *ad vers. 12.* vbi de nubibus dicitur: *Quæ lustrant per circuitum, quocunque eas voluntas gubernantis duxerit ad omne, quod præceperit illis super faciem orbis terrarum.* Hunc credo versum nunc respicit, & considerare Iobum hortatur Eliu. Sane nubium semitæ magnæ sunt & variæ, per quas totum obeunt mundum, & variis illum aut exhilarant & augent incrementis, aut affligunt & conturbant incommodis. Nam quemadmodum raræ cuiusdam est & exquisitæ scientiæ, nosse vias, per quas sine errore maritimi diriguntur cursus, cum tamen in mari naues nullam relinquant viam, nulla vestigia, sicut in terra plaustra: sic etiam non vulgaris est scientiæ, in aëre obseruare semitas, per quas sine vllo errore vagentur nubes, & eo perueniant, quo a Deo mittuntur. Obseruarunt 32.
negotiatores, qui transmarinas conuehunt merces, vnde gemmæ, lapilli, pretiosa metalla, aromata, pauones, & simiæ, ebur, & alia plurima, quorum audis nomina *3. Reg. X.* essent asportanda, notaruntque vias, quæ eo deduxerunt, vbi earum rerum vis maior, & ex eorum negotiatione pretiosa magis, maius compendium. Norunt deinde, quo in loco exponendæ merces, quæ per tot viarum dispendia comportatæ sunt. Hoc plane mirabile, & non nisi post multa sæcula inuentus modus, qui regiones interfuso oceano disclusas coniungeret, & asportandis deportandisq; vernaculis diuersarum prouinciarum prouentibus; quæ propria singularum essent, fierent per mu- pag. 442. a
tationem communia. Sed si hoc ipsum sine remige & nauta, sine gubernatore efficerent naues ipsæ; quæ in tractu inuio certas haberent vias; per quas ad certas appellerent regiones, vbi se mercibus onerarent, easdemque in locis opportunis & lucrosis exponerent, iuxta sui artificis ac Domini consilium; illud plane esset mirabile, cum vias nossent: vbi nulla essent nauigantium, aut nauium impressa vestigia, & scientiam haberent ligna quædam rudia, tabulis asseribusque compacta, vt mercium cognoscerent commoditatem & pretium, illasque ex vna sumerent regione, & in aliam cum magno emolumento transmitterent.

Hoc idem, quod miraremur in nauibus, ex- 33.

perimur in nubibus, in quibus iuxta diuinam voluntatem & imperium hominibus afferuntur, vel incrementa maxima, vel detrimenta plurima; oneratas Deus vult esse nubes imbribus, qui sedate fluant, item aquis, quæ vasta mole cum impetu delapsæ spem agricolarum euertant; interdum lapidibus, interdum igne & fulmine, quod cum fragore torqueant, nonnunquam sanguine, nonnunquam lacte, aut carne, lana, ferro, lateribus coctis, vt docet Plinius *lib. 2. cap. 56.* aut etiam piscibus, & ranis, vt prodit Athenæus *lib. 8. cap. 2.* quæ sic fuerunt Pæoniæ & Dardaniæ graues, vt illarum habitatores alio commigrare compulerint. Vbi vides, pluuias alias gratas esse atque vtiles hominibus, vt aquas lacteas, laneas; alias vehementer infensas & noxias, vt quæ sanguinem stillarent, & quæ vibrarent ferrum, lateres, grandines, ranas, quibus aut terrentur & vastantur homines, aut exhilarantur, & ditiores fiunt, quæ omnia ex illis aduehuntur locis, & ad illas comportantur regiones, quas Dominus designauit, & quas ornare bonis, aut malis onerare constituit.

34. Rogat igitur Eliu a Iobo, an nouerit, per quas vias moueantur nubes, & aquis, lapide, grandine, igne aut etiam interdum sanguine compleantur, & quam habeant scientiam; quam necesse est, cum nunquam errent, certissimam esse & maximam, vt viam in tractu inuio certam inuenerint, vt abeant & redeant, & assidue commeent, & onus in eo loco deponant, quem Dominus ad varios effectus destinauit.

35. *Nubes creduntur in mare descendere, & inde pluuiales aquas exsorbere.* Hæc mihi videtur non difficilis expositio, cui plurimum fauet crassus quidam error, in quo fortasse tunc erat Eliu, sicut nunc vltra oceanum quædam regiones esse dicuntur, quæ putant nubes in mare descendere, aut flumina, & aquosa loca, & inde exsorbere abundantes aquas, quas postea per stillas & pluuias in loca magis opportuna diffundant. In quam illi cogitationem venerunt, quia nonnunquam cum aqua pisces quoque & ranæ ceciderunt e nubibus. Ita sane Athenæus *lib. 8. cap. 2. Noui*, inquit, *Deum multis in locis piscibus pluisse. Nam & Phanias lib. 2. Prytanæorum Eresiorum Deum tres dies scribit piscibus in Cherroneso pluisse.* Quod idem refert proditum a Philarcho, & ex Heraclide refert: *Deum circa Pæoniam & Dardaniam eam ranarum abundantiam pluisse, vt domus & viæ late illarum multitudine complerentur.* Sane de iride plurimi existimarunt olim, non Poëtæ solum, sed etiam Philosophi. de qua sic Martialis *l. 12. epigr. 19.*

Ceruinus gelidum sorbet sic halitus anguem,
Casuras alte sic rapit iris aquas. p.442.b

Plautus *in Curcul.*

Ecce autem bibit orcus, pluat credo hodie.

Quod item sensisse aliquos scribit Plutarchus *lib. 3. cap. 5. de placitis Philosophorum.* Quod si ita cum aliis putabat Eliu, non abs re videtur rogasse Iobum, an semitas, scientiamque perfectissimam nubium cognouisset.

Vers. 17. *Nonne vestimenta tua calida sunt, cum perflata fuerit terra austro.*] Sentiebat Iobus, & quiuis alius de cœlo Idumæo, perflante austro aërem intepescere, & vestes consequenter illius tepore calefieri, vt autem causam ignorabat Eliu, sic Iobo & aliis obscuram putabat esse causam, & fortasse in rudiori illo & illiterato sæculo res erat ignota. Nunc Philosophi nostri causam inuenerunt, quia ventus ille aspirat a meridie; quare a regione calida, illius quoque halitus calidus est. Accedit, quod Idumæis australis, seu meridionalis plaga deserta est atque arida, atque ideo necesse est, ventum, qui regionem illam perflat, & a qua, quod illius est proprium, mutuatur & delibat, esse calidum. 36.

Vers. 18. *Tu forsitan cum eo fabricatus es cœlos.*] Ignorare Iobum dicit Eliu, quæ sunt sub cœlo: de quibus hactenus, quæ solum ab eo despectari possunt, pleneque cognosci, qui in cœlo, quique hæc inferiora ex alto, & quasi ex specula contemplatur. Atqui ille in cœlis solus est, qui illius architectus fuerit, & conditor (nihil hic fortasse de angelis meditabatur Eliu) ille ergo solus inferiora hæc & sublunaria perfecte cognouit. Seu potius hic agit de cœlestium orbium natura, compositione, & influxu, vnde ad orbem hunc inferiorem multiplices deriuantur facultates & vires, quæ varias inducunt rerum vicissitudines, & statas & admirabiles temporum mutationes. Hæc vero, quæ supra cœlos, ex quibus humana magna 37.

gna ex parte dependent, qui nouit, nisi qui cœlos condidit, & in cœlis est; cum autem Iobus in cœlorum fabrica administrum se Deo & socium non præbuerit, consequens est, vt cœlestium orbium naturam & ordinem ignoret, & eorum plurima, quæ in terris sunt, quæque supernæ lationes moderantur.

38. *Qui solidissimi, quasi ære fusi sunt.*] Longe erat Iobus, aut quicunque alius, præter Deum, & cœlestem molem, tam sublimem atque præclaram, tam artificiose cœlestium flammarum splendore distinctam architectari posset. sed addit hic aliam difficultatem Eliu, quam superare non posset humana solertia, atque facultas: sicut enim cœli solidissimi, ea duritie & firmitate, vt ex ære fusili conflati esse videantur. Quibus molliendis, atque ad naturalem figuram efformandis, nulla fornax & folles, nulli vectes ac ferramenta sufficerent. Ex qua materia cœlestia corpora a summo opifice Deo conflata fuerint, disputant Philosophi; quid illi statuant, non admodum refert huc afferre, cum ipsi, sicubi, hic maxime diuinent. Et quidem ille non omnino male, qui dicit τὰ ὑπὲρ ἡμᾶς οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. Illud non omittendum, a quibusdam Hebraicas voces, pro quibus Vulgatus transtulerit *quasi ære fusi*, ita conuerti, *quasi speculum fusum*, aut *sicut visio fusilis*, quia videlicet in cœlo, sicut in pellucido crystallo, aut in ære polito & terso, variæ apparent & elegantes species.

pag.443.a
39. Vers. 19. *Ostende nobis quid dicamus illi: nos enim inuoluimur tenebris.*] Hæc cum stomacho aut irrisione subamara videtur dixisse, quasi in sua disceptatione superior, & de Iobo triumphans Eliu. Quasi dicat, age nunc o Iobe, quando tam te sapientem & iustum esse putas, vt de sapientia atque iustitia cum Deo ipso certare posse tibi videaris; ostende nobis, quos præ te nihil esse arbitraris, quique ignorare fatemur ingenue illa, de quibus modo te cogitare volui. Si Deus velit nunc nostram explorare sapientiam, & de his rebus interrogare, quarum obscuram diximus esse cognitionem, & humano captu superiorem; quid illi respondere non inepte possumus, vt inertiæ atque ignorationis declinemus infamiam, videamurque non esse omnino rudes, & in re Philosophica prorsus ignari. Tibi enim, vt præ te non obscure fers, hæc omnia nota, cui lux affulsit maior; nos horum nihil videmur assecuti, quibus ignorationis profundæ offusæ sunt tenebræ, neque spes vlla superest discutiendæ caliginis.

Vers. 20. *Quis narrabit ei, quæ loquor? etiam si locutus fuerit homo, deuorabitur.*] 40.

Nostra sapientia cum diuina comparata ignorantia est.

Ironiam explicat, & iam serio animi sui cogitationem aperit, dicitque, nemini facultatem esse, vt hæc, quorum est proxime obiecta disputatio, cognoscat, neque vlli futuram audaciam, vt suam præsente Deo sapientiam exponat. Nam etiam si locutus fuerit non inepte: at quia humana sapientia infima est, & in rebus, quæ videntur non obscuræ, ignorat plurima, in aliis incertis ducitur coniecturis, hallucinatur in aliis, non poterit recusare, quominus, quæ sapientia videtur coram hominibus eximia, videatur stultitia coram Deo, vt dicit Paulus *1. Corinth. III, 19. Sapientia enim huius mundi, stultitia est apud Deum.* quod vt probet Apostolus, adducit illud Eliphaz supra *cap. V, 13. Comprehendam sapientes in astutia eorum.* Quare tam homo, qui coram Deo de rebus hisce loqui voluerit, quam eius sapientia deuorabitur: id est, perinde habebitur, ac si nihil esset omnino: ad eum modum, quo aquæ stillæ absorbentur a mari, & lux exigua nitedulæ a solari lumine, & arida stuppa a vehementi consumitur incendio. *Deuorari* autem vsitata Latinorum metaphora dicitur id, quod facile a potentia maiore superatur, quo modo stipula deuorari dicitur ab igne, deuorari pauperes a tyrannis, & similia non pauca in Scriptura sacra. Hæc mihi videbantur impedita minus: neque tamen improbo, quod probant frequentes alii, eam esse materiæ difficultatem & pondus, vt si quis de illa affatim intelligat, vincatur tamen ab illius magnitudine, & sic absorbeatur ab illo impermeabili gurgite, vt si velit ad littus enatare, non possit.

Vers. 21. *At nunc non vident lucem: subito aër cogetur in nubes, & ventus transiens fugabit eas.*] 41.

Duas hic video Interpretum sententias: alteram, vt continuetur varietas admiranda & subita earum rerum, quas in sublimi aëreæ regionis parte contemplamur, maxime

xime in nubibus, de quarum natura proprie & philosophice disceptat. Et tunc, vt paulo ante docuimus, in *luce* pluuiam intelligimus, cuius etiam ratio a nobis nuper tradita est, in hunc sensum: Non facile cuiuis cognitu est, cur tanta sit nubium & tam repentina mutatio; modo enim homines non vident
pag.443.b lucem nubium, id est, pluuiam, cum tamen illam vehementer desiderent, & cum concrescant nubes, promittantque hominum votis aquarum abundantiam, & aër videatur ab illis obductus luculenter, repente tamen aspirans ab aquilone ventus illas fugat ac dissipat, & agrorum agricolarumque sitim relinquit hiantem. Hæc in re tanta, tamque omnibus aspectabili subita mutatio cognosci non potest ab humana solertia; & multo minus illa, quæ nostros effugiunt oculos, qualia sunt diuina consilia & inscrutabilia iudicia: quæ quia Iobus scrutari videtur voluisse, male prius a tribus amicis, & nunc durius accipitur ab Eliu. Huc inclinant Pineda, Stunica, & Lyra.

42. Altera expositio *lucem* hic, & *nubes* metaphoricas videt, & in *luce* cognitionem, in *nubibus* offusis illius impedimenta considerat. Qua metaphora id efficere videtur Eliu, vt probet obscuram & exiguam esse scientiam, quam suo labore atque ingenio tenere se putat natura mortalium, cum enim nunc lucem videt, aut videre se putat, statim illam eripit, aut confundit nubes, quæ serenam ante aëream plagam tenebris obnubilat. Quod si aquilone perflante summotis nubibus serenitas redear, statim tamen auster, aut turbidus alius ventus nubes reducit, & obnubilatur rursus aër, qui iam videbatur illustratus lumine; atque ideo illa lux & serenitas omnino videtur esse momentanea. In hanc pene sententiam Hieronymus, Beda, Caietanus, Dionysius, Hugo, licet non eodem omnes modo.

43. Vers. 22. *Ab aquilone aurum venit, & ad Deum formidolosa laudatio.*] Hic locus mire distrahit ac torquet interpretes, cum in varias, easque dissimiles expositiones pateat. Quidam in regione sepentrionali ac frigida aurum inueniri dicunt, illudque nobile: neque rationem deesse dicunt, cur illa glacialis plaga auri illius nobilissimi existimetur esse maxime ferax; vtcumque se res habeat, nihil ea de re certum esse credo. Neque minus fortasse auri ex australibus calidisque regionibus, quam ex aquilonaribus & frigidis aduehitur. Certe Salomon ex australi plaga plurimum instructa classe in mari rubro comportauit auri, fieri fortasse potuit, vt aurum ex frigidis regionibus effossum nobilius sit, saltem si Idumæorum situm & clima consideres. Sed mihi in re vsque adeo incerta, neque diuinare, neque immorari libet. Suspicor autem ex aquilonari plaga Idumæis factum esse locum vulgari prouerbio: quo docemur, ex aliquo loco interdum bonum, nonnunquam malum asportari solitum, ita vt neque ex illo pura solidaque voluptas: neque sine aliqua admixtione voluptatis capiatur dolor.

Quod si hoc prouerbium est, *aurum* pro magna aliqua commoditate sumitur, quod sæpe fit in omni, vt reor, idiomate. Sane aurum vocari, aut aureum, quod pretiosum est & pulcrum, non est nouum; purum oleum, & nobile aurum vocari putant nonnulli, ad illud *Zachar. IV, 12. Suffusoria ex auro.* venit itaque ab aquilone aurum, res nimirum pretiosa. Sed ab eodem simul venit ad Deum formidolosa laudatio, id est, aliquid molestum & graue, quod voluptatem turbet, & vocem exultationis & gratulationis impediat; aut quod facit, vt moderatius, magisque timide homo in sua sibi felicitate placeat. Porro *Dei laudatio* ingentis gaudii significatio est, cum enim aliquid nobis ex voto contigisse cognoscimus, quicquid illud p.444.a
sit, ipsa docente atque instimulante natura, gratias Deo agimus; quæ vox non tam interdum est gratiarum actio, quam interiectio lætantis. Sicut vox *Alleluia* ita Deum laudat, vt animi iucunditatem ostendat. Et Dei laudem & benedictionem significare superbum animi immoderate exultantis motum pluribus ostendimus supra *cap. I.* ad illud *v. 5. Ne forte peccauerint filii mei, & benedixerint Deo in cordibus suis*, quem locum omnino vide. laudabit itaque homo cum formidine Deum, quia cum aliquid acceperit iucundum & felix, aliquid timet etiam aduersum, quod non patitur veram esse solidamque lætitiam.

44. *Ab auro, quæ pretiosa sunt, nomen sumunt.*

45. Hæc fortasse non abs re. Sed vide, an melius

lius & acoommodate magis sic interpretere. Aquilonem significare aliquid inamœnum & durum, notum est omnibus, & in Scriptura frequens, & nos paulo ante aliquid diximus *v. 9.* ad illud: *ab Arcturo frigus.* Sumitur autem *aquilo* pro vita ærumnosa & ægra, pro dolore aut infortunio, & pro quocumque successu, qui hominum iudicio putatur adversus. Dolor autem, & felicis fortunæ infausta mutatio, facit, vt homo, cuius oculos aperit dura necessitas, & cui dat intellectum aspera vexatio, de se cogitet & sentiat humilius: Quare in bonis ideo minus exultat iuveniliter, quia timet mala, quæ contrahunt animum, atque ideo formidolosa est Dei laudatio: id est, vt dicebamus proxime, exultantis animi significatio, quia impendentis mali metus solidum ac purum gaudium esse non sinit: Hæc autem ideo Iobo proponit Eliu, vt ostendat, quid commodi capere possit ab aquilone, id est, a dolore, paupertate, & ignominia; nempe vt præter alia, quæ arrogantes deprimit spiritus, seipsum in sua sapientia atque innocentia minus amet. Quod illi instar erit auri, & omni auro pretiosisque lapillis multo pretiosius.

Magnus in dolore & paupertate thesaurus.

46\. Addo tertiam explicationem, vt ex illis, quam malueris, eligas, nisi omnes reiiciendas putes. Aurum, quod ab aquilone aduehitur, pretiosum est, & eo ipso nomine hominibus gratum. Comparatur autem cum auro aquilonari, Dei ab spiritu afflicto atque humili formidolosa laudatio. Sicut enim ad hominem ab aquilone gratum affertur aurum, sic ad Deum accedit grata laudatio, quæ cum metu ac religione fit. Spiritus enim humilis, suæque tenuitatis conscius, non sine formidine aggreditur diuinas laudes, quas supra humanam facultatem esse videt; & quam ipse parum possit agnoscit: maxime ex quo vexatio dura aperuit oculos, & dedit intellectum. Hæc expositio mihi facilis est, &
p.444.b optime sibi consequentia contexit, & Iobo tunc temporis accommodata valde, quem Eliu hortatus, vt suam cognoscat infirmitatem, & Deum fomidolosa laudatione commendet.

Grata Deo laus ab animo afflicto.

47\. Vers. 23. *Digne eum inuenire non possumus, magnus fortitudine, &c.*] Hoc attulit aquilo, id est, paupertas & dolor, commoditatis, vt homo suam tenuitatem & diuinam potentiam magis cognoscat; & quæ dicta sunt omnia admirabilia, & quorum obscuræ causæ, ne speret homo inuenire se posse, quæ Deus humanam intelligentiam latere voluit, & Deum ipsum multo minus, cuius nemo virtutem, iudicium atque iustitiam, vt maxime cupiat, enitaturque, cogitando assequi, aut explicare narrando poterit.

Sed iuxta tertiam expositionem ratio redditur, cur homini de Deo omnis formidolosa debeat esse laudatio. Quia cum exile sibi ingenium esse consideret, & talem Dei gloriam, qualis in cor hominis nunquam ascendit, quia est *magnus fortitudine, & iudicio, & iustitia, & enarrari non potest:* Sic passim aut legimus, aut audimus oratores, qui timide se dicunt alicuius laudes celebrandas suscipere, quia sui ingenii atque imbecillitatis conscii sunt: & materiam vident tam esse vberem & lautam, vt omnis illam facundia tentare metuat, omnis labor ac studium, omnis tam corporis, quam animi contentio sustinere non possit. Dixit hoc idem, quod Eliu, *Ecclesiasticus c. XLIII, 33. Exaltate illum, quantum potestis: maior enim est omni laude. Exultantes eum replemini virtute: non laboretis, non enim comprehendetis. Quis videbit eum, & enarrabit?* Quare multo silentio dicunt laudandum esse Deum potius, quam hymnis & canticis, & in illum sensum explicant Dauidicum illud *Psal. LXIV, 2. Te decet hymnus Deus in Sion.* Quod alii legunt: *Te decet silentium.* 48.

De diuinis laudibus agendum timide.

Vers. 24. *Ideo timebunt viri, & non audebunt contemplari omnes, qui sibi videntur esse sapientes.*] Dum hæc cogitant viri, in quibus aliquid est sapientiæ, imo aliquid mentis, non audent contemplari Deum, & illius enarrare potentiam, quod si faciunt aliquando, faciunt titubanter ac timide, ita vt sit laudatio illa formidolosa, tum quia magna tentat, quibus omnis eloquentia atque contentio succumbit; tum quia multa ignorat, quæ de Deo possent prædicari magnifice, vt dixit *Ecclesiasticus* vbi proxime *v. 36. Quis magnificabit eum, sicut est ab initio? multa abscondita sunt maiora his: pauca enim vidimus operum eius.* vbi autem multa sunt, quæ celebres, pauca dixisse iniuria est. Hic disputatio finitur Eliu. 49.

ARGVMENTVM CAP. XXXVIII.

CVm iam omnino ab Eliu, tribusque aliis peroratum esset, Dominus de turbine Iobum aggreditur, vt quem peracto certamine ornare vult, ignorantiæ prius manifeste conuincat, & per suiipsius maiorem cognitionem ad maiora etiam beneficia disponat. Quare de rebus occultis, quas humana nequit intelligentia consequi, quæstiones proponit; & multa a se perfecta dicit, a quorum molitione, quam longissime abest humana facultas. Quibus rebus non solum ignarus ostenditur homo, sed etiam infirmus. Multa quærit de cœlorum ornatu, multa de terra, terrenisque omnibus, multa de aere atque aqua, deque admirandis in vtroque elemento plurimisque miraculis, multa de quorundam animantium genere: quæ in hoc argumento enumerari non magnum habet operæ pretium.

CAPVT XXXVIII.

pag. 445. 1. REspondens autem Dominus Iob de turbine dixit:

2. Quis est iste inuoluens sententias sermonibus imperitis?

3. Accinge sicut vir lumbos tuos: interrogabo te, & responde mihi.

4. Vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi, si habes intelligentiam.

5. Quis posuit mensuras eius, si nosti? vel quis tetendit super eam lineam?

6. Super quo bases illius solidatæ sunt? aut quis demisit lapidem angularem eius?

7. Cum me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filii Dei.

8. Quis conclusit ostiis mare, quan-

PARAPHRASIS.

1. 2. Cum iam perorasset Eliu, suam Deus disputationem exorsus est: & sic de turbine, vento videlicet in seipsum vehementer contorto, quasi de sua cathedra hunc ad Iobum sermonem habuit. Dixitque ad Eliu, qui multa locutus est, moderate tamen, & contra quam humanitas & Iobi conditio postulabat. Quis est iste tam inurbanus & insolens, qui sententias neque leves, neque imperitas, imperitis tamen sermonibus includit atque contaminat. pag. 445.

3. Nunc tibi, o Iobe, futura mecum concertatio; quare te virum præsta non ignauum & languidum, & te quamprimum ad respondendum compara, & disces, quam sis rerum ignarus, quam habeas futile & tardum ingenium:

4. 5. 6. Et primum si in tua tibi sapientia, & abditarum rerum cognitione places: si quid habes intelligentiæ, dic age, ex quo loco expectabas me vniuersorum opificem, aut vbi gentium eras, cum prima terrenæ molis fundamenta posui. Quis partes vniuersi tam aperte descripsit, quis mensuras tectonicas, quis lineas, perpendiculum, & regulam adhibuit? quo bases illius firmauit & solidauit artificio, quis lapidem illius angularem ad totius molis firmamentum demisit?

7. Quo tempore cœlestes spiritus tam præclarum opus admirati, & ipsa astra tam splendida, tamque apte ac numerose disposita nihil habuerunt prius, quam vt me festiuo ac matutino cantico celebrarent.

8. 9. Quis de terræ sinu erumpenti mari claus-

do erumpebat, quasi de vulua procedens?

pag. 446. 9. Cum ponerem nubem vestimentum eius, & caligine illud quasi pannis infantiæ obuoluerem?

10. Circumdedi illud terminis meis, & posui vectem, & ostia?

11. Et dixi: Vsque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.

12. Numquid post ortum tuum præcepisti diluculo, & ostendisti auroræ locum suum.

13. Et tenuisti concutiens extrema terræ, & excussisti impios ex ea?

14. Restituetur vt lutum signaculum, & stabit sicut vestimentum:

15. Auferetur ab impiis lux sua, & brachium excelsum confringetur?

16. Numquid ingressus es profunda maris, & in nouissimis abyssi deambulasti?

17. Numquid apertæ sunt tibi portæ mortis, & ostia tenebrosa vidisti?

18. Numquid considerasti latitudinem terræ? indica mihi, si nosti omnia?

claustra opposuit, ne se, qua terra patet, totum effunderet, & commodam hominibus habitationem eriperet? pag. 446. *Quis e terræ visceribus ortum mare nocturna caligine & nubibus obuoluit, non aliter ac recens natum infantem nutrix infantilibus fasciis.*

10. 11. Opposui autem vastam terræ molem, quam supra aquarum gurgitem eleuaui, quæ quasi agger obiectus in suis aquas continerent sinibus, neque paterentur e suis sedibus & claustris foras excedere. Cui edixi, ne vltra definitos sibi terminos exundaret, sed ad oppositos vectes, atque repagula, tumentes allideret & frangeret fluctus.

12. Numquid natus eras, o Iobe, quando formatus est sol; aut postquam in viuis esse cœpisti, præscripsisti illi, quomodo suos obiret cursus constantes & ratos? ostendisti ne locum, vbi occidens absolueret cursum, & oriens inchoaret?

13. 14. 15. Concussisti ne extrema terræ, quæ vulgus hominum cardines esse putat, aut columnas eius, vt sceleratis & impiis sublatis illam a scelerum colluuione purgares. Quod si terram concussam atque disiectam destituere voluero, nam maiori difficultate præstabo reducamque ad priorem speciem, quam reducto sigillo instauratur effigies, quæ fuerat a cera aut argilla deleta, aut dissutum indumentum a sartore consuitur. Sic tu, o Iobe, cuius omnia ablata aut deformata sunt, quasi rursus inducto sigillo reformaberis. Longe aliter accidet his, qui ad violentum imperium impietatem addiderunt. Ab illis enim sic auferetur lumen, vt non redeat, sic excelsum confringetur brachium, vt nulla soliditate firmetur.

16. 17. 18. Nunc ad mare deuenio, rogoque, an ad occultos profundosque recessus aliquando descenderis, & quæ ibi marini inuoluunt gurgites, & cauernæ abscondunt abditissimæ, contemplatus fueris. Quod si illa ignoras, quæ illustrantur lumine, quia portas habent, per quas splendor se solaris insinuet: quomodo illa cognosces, quæ in terræ visceribus, aut mortuorum regionibus latent, a quibus vasta moles, & immensa quædam opacitas omne lumen auertunt. Magna hæc sunt in rebus prioribus; magisque peruiis experiri volo tuam intelligentiam. Quare scire abs te volo, an terræ latitudinem, & quæ in illa visuntur vniuersa cognoueris.

19. In qua via lux habitet, & tenebrarum quis locus sit:

20. Vt ducas vnumquodque ad terminos suos, & intelligas semitas domus eius.

21. Sciebas tunc quod nasciturus esses? & numerum dierum tuorum noveras?

22. Nunquid ingressus es thesauros niuis, aut thesauros grandinis aspexisti?

pag. 447. 23. Quæ præparaui in tempus hostis, in diem pugnæ & belli?

24. Per quam viam spargitur lux, dividitur æstus super terram?

25. Quis dedit vehementissimo imbri cursum, & viam sonantis tonitrui?

26. Vt plueret super terram absque homine in deserto, vbi nullus mortalium commoratur?

27. Vt impleret inuiam & desolatam, & produceret herbas virentes?

28. Quis est pluuiæ pater? vel quis genuit stillas roris?

29. De cuius vtero egressa est glacies, & gelu de cœlo quis genuit?

30. In similitudinem lapidis aquæ durantur, & superficies abyssi constringitur.

31. Nunquid coniungere valebis micantes stellas Pleiadas, aut gyrum Arcturi poteris dissipare?

32. Numquid producis Luciferum in tempore suo, & Vesperum super filios terræ consurgere facis?

33. Numquid nosti ordinem cœli, & pones rationem eius in terra?

19. 20. Nosti, quæ sit lucis & tenebrarum domus; aut illarum nosti semitas, vt pro rerum opportunitate modereris tempora, & noctes inducas subducto, aut dies inducto solari lumine reducas?

21. 22. 23. 24. Tam autem aberas longe, vt diei ac noctis spatia dispensares, vt neque tunc scires, an vnquam visurus esses lucem, aut quam esset vsura vitæ tuæ, ac lucis futura diuturnæ. pag. 447. *Sed neque illa nosti, quæ concrescunt in aëre, in quo Deus suos habet thesauros, & armamentaria, vnde expromat tela, quæ in peccatorum caput intorqueat, cum tempus pugnæ & hostium ingruerit. Quales sunt niues & grandines, fulgura & fulmina, & alia, quæ humana commoda & vires euertunt & frangunt. Neque item nosti, quomodo lux atque æstus, quæ a sole trahunt commune & naturale principium, tam cito magna permeent & compleant spatia; seque in alias atque alias regiones non eadem mensura atque ordine dispertiant.*

25. 26. 27. Nunquid assecutus es, quis nimbo aut turbini cursum dederit & impetum vehementem: aut tonitruo, qua se late diffundat, viam aperuerit, vt imbrem effundant in ipsam etiam solitudinem, vbi neque mortalium vllus commoratur, & ibi conuestiant & exhilarent agros, vnde ad homines nulla possit peruenire commoditas.

28. 29. 30. Quis pater est & auctor pluuiæ, & illam maiori quadam mole & largitate diffundit? quis pater roris, qui sedate & molliter familiarius stillat? quis fecit, vt aquæ natura fluidæ conglaciarent frigore & gelu, pruinaque concrescerent? cumque aqua vsque adeo sit mollis & liquida, sic tamen obdurescat & rigeat, vt lapidi sit in sua duritie quam simillima?

31. 32. 33. Neque quicquam efficies, o Iobe, si respondeas, hæc omnia non a Deo, sed a naturali causa prouenire, a pluuialibus nempe sideribus, quales sunt Arcturus, Orion, Pleiades. Neque enim tu, aut quiuis alius vim illam frigoris sideribus tribuit, aut in ea cœli regione collocauit, vnde ad pruinam & glaciem vis esset & natura potentior. Quare sicut nunc illa dissociare non poteris, aut de suo loco commouere, sic etiam neque tunc coniungere potuisti. Numquid mortalis homo euocare poterit Luciferum, aut Vesperum, qui hominibus nocturna tempo-

tempora, ad varias curas atque opera distinguant? aut cœlorum ordinem & motum, quæ hominum manus atque studia dirigunt, in terra describere? aut vim illam tantam, tamque constantem e cœlo ad hæc inferiora deducere? Atque illa in terra præstare, quæ Deus in cœlis operatur?

34. Numquid eleuabis in nebula vocem tuam, & impetus aquarum operiet te?

35. Numquid mittes fulgura: & ibunt, & reuertentia dicent tibi: Adsumus?

34. 35. Numquid, o Iobe, tonabis in nubibus, aut ex illis vim aquarum maximam effundes, quæ te operiat & obruat, quod ego facio, cum libuerit? aut micabit, te iubente, cœlum coruscante fulgure, quod tuo statim obsequatur imperio, siue abire iubeat, siue abeuntem reuocet.

36. Quis posuit in visceribus hominis sapientiam? vel quis dedit gallo intelligentiam?

37. Quis enarrabit cœlorum rationem, & concentum cœli quis dormire faciet? pag. 448.

38. Quando fundebatur puluis in terra, & glebæ compingebantur?

36. 37. 38. Quod si quid est in quocumque animalium genere intelligentiæ, si quid solertiæ, quo sibi caueant, & de necessariis rebus abunde prouideant, id certe a communi formatore ac patre inditum est. Et vt ab homine animalium omnium nobilissimo incipiam, quis illi nisi Deus sapientiam indulsit? quis gallo, vt temporum notaret doceretque discrimina, præter Deum dedit intelligentiam? Quis autem silere faciet gallum, ne tempora suo cantu discriminet, aut cœlorum varios atque constantes motus: ex quibus admirabilis ac numerosus efficitur concentus? Qui cœlorum concentus tunc incepit, quando terra, quæ primum arida fuit, & in puluerem soluta, ab erumpentibus ex ipsius vtero aquis circumfusa fuit, & in glebas lutumque coacta. pag. 448.

39. Numquid capies leænæ prædam, & animam catulorum eius implebis.

40. Quando cubant in antris, & in specubus insidiantur?

39. 40. Ecquis erit, qui leænam doceat, quomodo sibi & catulis venetur prædam, & tam suam expleat, quam filiorum famem? tunc maxime, quando in suis latent cubilibus, neque satis habent ad prædandam virium, cum infirma est ætas; sed prædam interim, & insidias meditantur, quas in ætate adulta vtiliter exerceant.

41. Quis præparat coruo escam suam, quando pulli eius clamant ad Deum, vagantes, eo quod non habeant cibos?

41. Quis alit præter me coruum, odiosam alioqui volucrem, & pullis eius implumibus, & a parente derelictis, idoneos parat & porrigit cibos? cum clamant ad Deum, seque huc atque illuc assidue volutant & versant, cum fames, quæ illos diuexat atque vrit, quiescere non sinat.

Vers. I. *Respondens autem Dominus Iob de turbine dixit;*]

p.448.a 1. EMersimus iam ex disputationibus hominum, quæ licet graues & acutæ, in errore tamen aliquo versari, & indecore labi potuerunt, sicut reuera accidit non semel. Neque id mirum, cum illi, qui cum Iobo disputationem longam inierunt, suo instimulati spiritu loquerentur, non afflati diuino; imo vt putabamus esse non improbabile, instigati fuerint a dæmone, sicut vxor, domestici, & qui aliquando Iobi suberant imperio; vt talia iactarent conuitia, aut obiicerent crimina, quæ illum excruciarent vehementius, & ad impatientis animi immoderatos impetus adigerent. Nunc iam loquitur Deus, cuius singula verba suspicere, & eorum maiestatem venerari debemus. Sed sunt nonnulla hic obseruanda diligenter.

2. Primum ex vsu Scripturæ idem esse *respondere*, quod loqui. Neque enim necesse est interrogata præcedant, quibus satisfaciat reddita responsio; sed interdum vox ista sermonem orditur percontante nemine. Mille occurrunt exempla. Duo hæc accipe, tu plura non difficile inuenies. *Matth. XI, 25. Respondens Iesus dixit, confiteor tibi Pater.* & *cap. XVII, 4. Respondens autem Petrus dixit ad Iesum.* vtroque in loco nullum præcesserat verbum, cui esset respondendum: nisi quis malit, respondisse Dominum pro Iobo, quem cum oratione aculeata & libera non semel perstrinxisset Eliu, nullo tamen verbo ab illo repercussus ac violatus est. Cum ergo ad se
p.448.b potius, quam ad Iobum contumelias illas pertinere iudicaret Deus, qui pauperum iniurias irrogari sibi putat, & illas pro suis numerat & vlciscitur; respondit verbis contumeliosis Eliu, & vno verbo illius ostendit leuiculum ingenium, & imperitam & garrulam suggillat
3. eloquentiam. Neque hoc postremum mihi displicet, quod S. Thom. videtur significasse, cum dicit, hanc responsionem factam propter Iobum. Sed est omnino dicendum id, quod alii putant communiter, Deum vere & proprie respondisse Iobo, licet non fuerit immediate locutus, quia prius aliquid locutus fuerat, cui a Deo satisfactum oportuit; quia in loquendi modo excessisse nonnihil a pia religiosaque modestia videbatur, quod amicis & aliis offensioni fuit, in viris autem sanctissimis, qualis erat Iobus, etiam quæ leuissima sunt, non leuiter notanda & castiganda sunt.

Neque dubitandum, non intelligibilem tantum esse sermonem, sed omnino sensibilem, quique non a Iobo solum, sed etiam ab illis, qui cum eo aderant, audiri potuerit. Audierunt certe amici Iobi, quæ locutus est Deus *c. XLII.* quibus eo loco iussit Deus, vt sacrificium offerrent, & pro se deprecatorem Iobum adhiberent. Et si prima verba, quæ locutus est Deus, ad Eliu pertinent, quæ illius iuuenili atque luxurianti eloquentiæ respondent, quod mihi cum pluribus aliis magis probatur, quis dubitat hæc quoque verba ab illo fuisse vniuerse percepta? locutus autem videtur Deus simul atque loquendi finem fecit Eliu, quod expressere Septuaginta, dum vertunt: *Postquam quieuit Eliu loqui, dixit Dominus.* 4. *Deus cum Iobo sensibili sermone locutus.* p.448.b

Locutus hic videtur angelus cum Iobo, sicut aliis locis plurimis, vbi apparuisse dicitur vel locutus Deus, vt est communis Scholasticorum sententia, apparuerunt aut locuti sunt angeli. Quod aperte docuit Stephanus *Actor. VII, 38.* vbi angelum locutum esse dicit cum Moyse in monte Sinai, & cum Patribus, quibuscum iisdem locis expresse Deus locutus esse dicitur. Ad quem locum nos ea de re non pauca. Primum quod angelus fuerit, qui cum Moyse locutus est in monte Sinai, habemus in Actis ab Stephano loco citato: *Cum angelo, qui loquebatur ei in monte Sinai, & cum patribus nostris.* At *Exod. XXXI.* sæpius dicitur cum Moyse in monte Sinai locutus esse Deus. De Abraham dicitur *Gen. XXII, 11. Ecce angelus Domini de cœlo clamauit, Abraham, Abraham:* & statim addit verba, quæ non ad alium, quam ad Deum pertinent: *Non pepercisti vnigenito filio tuo propter me.* De Iacob multo clarius; nam *Gen. XXXI, 11.* narrauit Iacob vxoribus suis somnium his verbis: *Dixitque angelus Dei ad me in somnis, Iacob, & ego respondi, adsum. Et dixit, ego sum Deus Bethel.* Hæc eadem nos supra *cap. I, 6.* vbi 5. *Angelus apparuit, vel locutus est multis locis, vbi Deus apparuisse dicitur.*

vbi diximus, angelum esse illum, qui dæmoni in Iobum, vna excepta anima & vita, reliqua permisit. Quod item hoc loco dicendum putamus. An vero Deus in turbine aspectabilem aliquam speciem obiecerit, dicemus infra *cap. XLII, 5.* ad illud: *Nunc autem oculus meus videt te.*

6. De turbine locutus est Deus, multi metaphoricum dicunt esse turbinem, & nihil aliud significare, quam sermonem increpatorium & durum: quo Deus Eliu primum, deinde Iobum acriter reprehendit, & accusat. Ego in *turbine* nihil aliud intelligo, quam quod proprie sonat, neque est, cur ad figuratum sermonem confugiamus, quando proprius nihil habet aut inuoluit absurdi; sane nullus nisi audacter & temere negabit, Deum fuisse in nube eo tempore, quo egressus est Israel de Ægypto per desertum, & ad mare rubrum, vt habes *Exod. XIII, 21.* & in Christi transfiguratione *Matth XVII, 5.* neque videtur improbabile, sicut Deus in columna nubis & ignis, id est, in igne & nube, in columnæ aut turris similitudinem efformatis locutus est Deus, de quo *Exod. XIII, 21. Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis.* Sic etiam nunc apparuisse in columna aëris, cuius turbo aptam refert & expressam imaginem. Est enim turbo non ventus late diffusus, & nullo ambitu terminatus, sed ventus circumactus, & eundem ambiens locum, & se in ipsa concitans vertigine, ex Seneca *lib. 5. natural. qq. cap. 13.* neque displicet quod Thyræo nostro placet *lib. 2. de apparition. cap. 8.* turbinem esse hoc loco nubeculam in gyrum, id est, in seipsam frequenti vertigine rotatam. Quod plane docet Septuaginta translatio, quæ vbi vulgata *turbinem*, ipsa transtulit *procellas, & nubes*, & qui translationem illam sequuntur, omnes nempe Græci, qui sunt *in Catena*, & Augustinus *in Annot. in Iob.*

7. Cur autem in turbine apparuerit, aut ex

p. 449. b turbine locutus fuerit Dominus cum Iobo, causas afferunt interpretes morales, quas hic ego libenter adduco, quia grauissimæ sunt, & ad confirmandos animos eorum, quos tribulationum æstus exagitat, opportunæ valde. Prima est, quia Deus increpare voluit Iobum,

Cur Deus apparuit in turbine.

quia minus de Deo modeste locutus fuerat, ideo in turbine apparuit, cuius impetus est vehemens, & si paulo sit incitatior, effectus horribilis. Si quando enim turbo in mari incubuerit, vbi dicitur typhon, non solum vela & alia minora contorquet, frangit & absorbet, sed ipsa etiam nauigia, quæ interdum sursum secum abripit. Et in terra euellit stirpitus arbores, conuellit saxa, & magnas subuertit & dissipat moles. Vt ergo Iobus intelligeret, Deo neque vires deesse, neque instrumenta, vt peccatorem puniat, cui exprobrat peccata, & in quem minaces intorquet voces, ex turbine loquitur, id est, ex idoneo sui furoris instrumento: qui non multo antea domum euerterat, & conuiuantes filios miserabiliter obtriuerat; & vt discat homo, cum a Deo corripitur, illi proximum esse turbinem, & instrumenta, quibus exigat pœnas ab eo, quem prius oratione minaci perstrinxerat.

In turbine suam Deus potentiam ad puniendum ostendit.

Secunda ratio est, vt quiuis intelligat, a Deo vel immitti, vel permitti mala, quibus probetur & exerceatur homo; etiamsi illa excogitata & inflicta videantur a dæmone. Neque enim Deus ab illis abest ærumnis, aut tormentis, quæ homines excruciant, aut euertunt bonis, aut maciem attenuant atque debilitant: neque magis tunc erat in turbine innoxio, ex quo loquebatur ad Iobum, quam in illo horribili, qui subruit domum, & totam ferme Iobi progeniem extinxit. Quare cum homo dure se a lingua & manu hominum, aut a morbo, seu mala fortuna exerceri sentit, non est, cur in hominum, aut morosum ingenium, aut inuidiam, & odium conferat culpam; cum Deus hæc videat & permittat; imo & sæpe illis non solum vt adiutor & socius, sed etiam vt præses & autor intersit. Quod ante hæc tempora nouerat Iobus, cum *cap. I, 21.* dixit: *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Est præterea in turbine Dominus, vt illius moderetur impetum, neque sæuire patiatur supra id, quod homo ferre sine dispendio possit. Quare cum in Iobum diabolo potestatem dedisset, qui nihilo turbine mitior est, ita tamen temperauit, vt neque vitam auferret, cum maxime cuperet, neque animæ vulnus inferret, nisi admodum leue. 8.

A Deo permittuntur, aut immittuntur mala, quibus exercetur homo.

Deus est in ipso doloris nostri instrumento.

Tertia ratio est, vt ostenderet Deus, se in suo- 9.

Deus, quando nos patimur, ipse quoque quodammodo patitur. suorum passione compati, & in eorum dolore dolere simul. Dixerat Iobus supra *c. IX, 23.* Deum de pœnis innocentium ridere, & *cap. XXX, 21.* Deum sibi incrudelem esse factum, & alia in hanc sententiam plurima. Hanc igitur opinionem, aut cogitationem, vt ex Iobi iustorumque, qui variis conflictantur incommodis, animis exueret, in turbine apparere voluit, vt ex symbolo ostenderet, dolori sibi esse innocentium dolorem, & quatenus humanæ cogitationi proponi potest, non minus Deum ipsum excruciari, dum alios videt in equuleo, quasi ipse idem in equuleo tormentum subiret. Quare cum Iobus esset tunc in turbine, a morbo, a vermibus, a solitudine & inopia, ab omni hominum genere varie vexatus: neque quiescens vnquam
p. 450. a a rapida continentique vertigine; in simili Deus visus est vertigine ac turbine, vt quo esset in Iobum studio atque animo, significaret, non obscuro symbolo. *Deus cur apparuit in ardenti rubo.* Sic sane Deus apparuisse existimatur Moysi in ardenti rubo, id est, aculeato frutice, in quo expressa videbatur ærumnosa Hebræorum conditio, qui variis ab Ægyptiis pungebantur aculeis, & igne tribulationis vrebantur eodem temporis articulo: tum vt illis spem obiiceret libertatis, cum rubus ille non consumeretur, tum vt sibi dolori esse aut curæ illorum calamitatem ostenderet. Coniectus est in carcerem Ioseph *Genes. XXXIX, 20.* in eadem quodammodo vincula coniectus est Deus, de quo *Sap. X, 13. Descenditque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit illum.* Eiusdem est vox illa *Psalm. XC, 15. Cum ipso sum in tribulatione.* & *Psalm. LXXX, 8.* in tempestate & turbine se fuisse dicit, & tribulatis inde se fuisse subsidio; *Exaudivi eum in abscondito tempestatis.*

10. Quarta ratio est, vt ex hoc spectro confirmaretur Iobus, qui iam videbatur dolorum acerbitate frangi: & ad aliorum tolerantiam languere; & alii, quibus similis erat vitæ conditio, vt non solum constanter, sed etiam alacriter subirent, imo etiam adirent futura certamina. *Christi exemplum ad ferenda patienter mala potentissimum.* Vt enim magnas recepit vires, cum Christi suscitati gloriam agnouit, ex qua resurrectione suam etiam futuram aliquando præsentit, cuius spem in sinu suo reposuit, & abscondit, futuram sibi in duro rerum certamine solatio; sic nunc cum Deum in turbine, id est, in eodem quasi conflictu atque tormento videt, magnos spiritus & robur ad quidvis tolerandum assumit. Quod si in apparitionibus illis, quæ factæ fuerunt in testamento veteri Christus apparuit, aut angelus, qui venturi Christi imaginem referret, multo maiorem vim habet hæc nostra cogitatio. Sic sane putant Patrum quam plurimi. Theodoretus *quæst. 5. in Exod.* Iustinus Martyr *dialog. cum Tryphone.* Tertull. *lib. 2. contra Marcionem.* Hilar. *lib. 4. & 12. de Trinitat.* Ambros. *lib. 1. de fide.* Chrysostomus *in cap. 7. Actor.* id quod non videtur ignorasse Iobus, qui redemptorem suum Christum viderat *cap XIX, 25.* vtique ex passione & morte resurgentem. Species igitur Christi in turbine, id est, in duro passionis mortisque certamine confirmare Iobum magnopere potuit, vt quicquid deinceps malorum acciderit, sustineret alacriter.

Sane ipse rerum vsus, & omnium pene sæculorum experientia docuit, magnam subditum & ingenuum populum, ex virorum principum atque sanctorum exemplo ad perferendos labores accipere constantiam. 11. *Principum exemplum ad laborum patientiam potens.* Multa hic dici, nec iniucunda possent, de animorum mutatione, in summa desperatione atque periculo, propter illorum exempla, quos habuere in eodem discrimine duces atque consortes. Tritum est illud Lucani *lib. 9.* vbi docet plus habuisse momenti ad confirmandos ad quidlibet audendum militum animos Catonis exemplum, quam proposita munera, edicta minacia, aut quodlibet aliud ab humana solertia quæsitum artificium:

Ipse manu sua pila gerens præcedit anheli
Militis ora pedes: monstrat tolerare labores,
Non iubet.

pag. 450. b

Accipiunt homines etiam ignaui & timidi illum animum, quem ex Sextii cuiusdam viri magni exemplo ac verbis accepisse se dicit Seneca *epist. 64.* *In quacunque*, inquit, *positione mentis sim, cum lego hunc, libet omnes casus prouocare, libet exclamare. Quid cessas fortuna? congredere: paratum vides: Illius animum induo qui quærit, vbi se experiatur, vbi virtutem suam ostendat.*

Spuma-

Spumantemq; dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fuluum descendere monte leonem.

Libet aliquid habere, quod vincam, cuius patientia exercear. Hæc Seneca. Simile aliquid accidit his, qui fugientem e ciuitate Dauidem a facie Absalom prosecuti sunt. Quibus graue non fuit, cliuosum & asperum ascensum pedibus superare, quia suis pedibus ascendentem Regem viderant. vide quid nos hac de re *in nostris Commentariis ad 2. Reg. XV, 18.* & deinde *cap. XVII. v. 11.* quam sit grave ad confirmandos militum animos, Principum exemplum atque præsentia.

Deus prius reprehendit quos ornare vult.

12. Vers. 2. *Quis est iste inuoluens sententias sermonibus imperitis.*] Dubitant hic Interpretes, an hæc verba ad Iobum sint seu ad Eliu referenda. Quidam ad Iobum putant, quia Iobo Deus in principio capitis respondisse traditur, & in longa disputatione aliquid videtur dixisse Iobus, in quod apte caderet diuina hæc reprehensio. Deinde quia Deus quos docere & illuminare vult, aut suis ornare, aut commendare sermonibus, prius aliquid obiicere solet, quo illos & pudore suffundat, & suæ tenuitatis conscios reddat, & quo se ad maiora comparent beneficia, si quid habent inflati spiritus, id totum abiiciant. Sic Petro paternas sordes, & generis, & ministerii ignobilitatem obiecit, dum Simonem vocat, & Ioannis filium, quando illi tradit claues cœlorum, & pastorem constituit, facitque sui ipsius in terra vicarium. Et cum sponsam, quæ thalamum prodidit coniugalem, ad fœdus iterum connubiale reuocat, *Ezech. XVI.* & *Oseæ II.* eidem sordes exprobrat antiquas. Neque rationes aliæ, quæ in hanc cogitationem afferuntur, infirmæ sunt, quæ faciunt sententiam hanc non improbabilem, quas hic omitto, quia neque esse longus vellem, neque hoc esse puto admodum necessarium.
13. Plerique eo incumbunt, vt dicant: hac seuera reprehensione accusari leuitatem & ambitionem audacem Eliu, qui cum sententias attulerit graues & veras, illas tamen sermonibus imperitis implicuit & inuoluit, quia aut dixit loco non suo, & in illum intorsit, a cuius animo exprobratum crimen plurimum abhorrebat. Cadit autem in illum optime reprehensio, qui proxime longam habuerat orationem, eamque plenam ambitiosæ facundiæ, & extra scopum plurima iaculantis. Neque videbatur hic futurus immunis ab increpatione, cum alii tres, qui non magis inhumane & inscite cum Iobo disputarant, tam fuerint acriter reprehensi *cap. XLII.* In posteriorem hanc sententiam magis propendet assensio, licet a priori non prorsus abhorreat. Imperiti autem dicuntur sermones, quibus graues sententias implicat Eliu, quia illi im- pag. 451. a moderatius inflati fuerunt, & inurbanæ cuiusdam acerbitatis pleni, neque satis ad Iobi statum & necessitatem attemperati: quique nocerent potius, quam prodessent exulcerato atque mœrenti animo: sicut etiam imperitus magno suo merito, existimatur esse medicus, qui medicinam ex suo genere nobilem, neque suo porrigit tempore, neque iuxta id, quod exigit ægroti corporis vera, & non ab inerti medico simulata aut ignorata necessitas.

Vers. 3. *Accinge sicut vir lumbos tuos, interrogabo te, & responde mihi.*] Cur Deus 14.
nunc interroget Iobum, & iubeat ad respondendum esse paratum, quærunt Interpretes, & eorum non pauci, adfuisse dicunt Deum accersitum, imo & prouocatum a Iobo, & suum disceptatione publica nomen voluisse ab omni suspicione vendicare. Dixerat enim Iobus *cap. XIII, 3. Disputare cum Deo cupio.* Et *v. 18. Si fuero iudicatus, scio, quod iustus inueniar.* Et *v. 22. Voca me, & ego respondebo tibi, aut certe loquar, tu responde mihi.* Hoc mihi semper duriusculum visum est. Neque enim de Dei sapientia ac fortitudine, aut de prouidentia circa res humanas dubitabat Iobus, vt ideo his de rebus disceptare cum Deo desideraret, sed de sua innocentia, aut de leuioribus culpis, quas longe supra merita Deus punire videbatur. Ea enim de re responderi sibi velle ostendit, cum dicit: *Quantas habeo iniquitates*, &c. *Ostende mihi, cur faciem tuam abscondis? & arbitraris me inimicum tuum?* At Deus hic non agit de peccatorum momentis, quæ Iobus admisit, neque de suppliciorum pondere, quo in illa, aut iudex, aut vltor, animaduertit, sed de humani ingenii imbecillitate, quæ vix minimam illarum rerum partem assequitur, quas diuina

solertia architectata est. Hanc tamen sententiam sic interpretor, amplectorque, si dicat, Deum a Iobo ad certamen illud iudiciale provocatum, hac vna ratione illius os obstruere, & linguam constringere voluisse, quod diuina consilia prorsus ignoret: atque ideo de illis iudicare non possit, & cum humanis rationibus, nisi insipienter & superbe, & cum intolerabili errore componere. Id autem eo argumento probat, quia cum hæc humana, quæ spectamus oculis, & manu tenemus, nostram intelligentiam effugiant, multo minus assequemur, quæ abscondita sunt, & quorum in rebus non apparent, nisi incerta & obscura vestigia, de quibus rebus interrogatus Iobus, & quid respondere posset ignarus, fatetur se peccasse, & ideo agere se velle pœnitentiam in fauilla & cinere. Eodem artificio vsus est Eliu *cap. XXXVI.* & *XXXVII.* vt Iobum ignorantiæ & stultitiæ conuinceret, cum disceptare vellet cum illo, cuius essent opera admirabilia, & inscrutabile consilium. Imo videtur Deus explicare magis, & angustius premere voluisse, quod *cap. XXXVII, 18.* dixit Eliu: *Tu*, inquit, *forsitan cum eo fabricatus es cœlos? Ostende nobis, quid dicam illi, nos quippe inuoluimur tenebris. Quis narrabit ei, quæ loquor?*

15. *Accinge sicut vir lumbos tuos.*] Hæc prouerbialis est dicendi forma, quæ strenuum hominem significat, & ad omne opus, quodcumque illud sit, expeditum & proprium. Orta autem videtur ex Hebræorum, & vt hic locus indicat, item ex Idumæorum consuetudine, qui tunicis vtuntur ad talos vsque defluentibus, quæ non possunt non esse impedimento his, qui viam carpere, & aliquod aliud opus aggrediuntur. Quare cum maturato opus est, ne quid longæ laciniæ afferant impedimenti, ac moræ, accingunt se arctius hi, quibus id negotii datum, & fluentes sinus ad cingulum reducunt. Quare sæpe qui ministrant, dicuntur accingi, aut præcingere, seu accingere se, aut renes, siue lumbos, cum expedite ac celeriter in aliquod negotium incumbendum est. Sic Eliseus cum Giezi famulo suo eam celeritatem in via commendauit, vt salutaret neminem, neque salutatus alicui responderet, præcepit prius *4. Reg. IV, 29.* vt lumbos accingeret: quod etiam, quia prouerbialis est dicendi modus, dixisset Eliseus, etiam si breuem haberet & expeditam vestem, sicut nunc Deus præcepit Iobo, vt lumbos accingat, cum tamen erigere se non posset; in quo solum statu succinguntur vestes, & accinguntur lumbi, neque fortasse tunicam habuit in suo sterquilinio, quam accingeret. Quocirca qui ex hoc loco colligeret, talari Iobum indutum esse veste, nihil efficeret: quia hæc prouerbialis forma id tantum agit, vt hominem comparet & excitet, vt studiose ac prompte aliquod opus faciendum suscipiat.

Accingi lumbos strenui est & festinantis animi signum.

pag. 451. b

16. Quia vero expedite & strenue aliquid facere, opus est virorum, quos neque frangat labor, nec tardet difficultas: ideo iubetur Iobus, vt eo accingat modo lumbos suos, quo viri solent, id est, quo viri se ad magnum & difficile negotium accingunt & comparant. Aliter enim se delicatæ atque otiosæ fœminæ præcingunt, virique molles, qui quietem amant, muliebresque delicias; aliter, qui militiam & arduum aliquod opus meditantur. Illos enim Deus reprehendit, & ipsi etiam profani dedecus vocant, & ignominiam hominum, & terræ denique pondus inutile; hos autem laudat, & requiem honoremque promittit. Vide parabolam seruorum, qui præcinctis lumbis dominum expectant, *Lucæ XII.* & *Matth. XXIV.*

17. Vers. 4. *Vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi, si habes intelligentiam*] Incipit iam Deus interrogare atque vrgere Iobum, & eo paulatim adigere, vt se rerum ignarum esse cognoscat, & fateatur ingenue. Et primum iubet, vt ostendat, quo tunc esset loco, quando prima terrenæ mollis fundamenta posuit, quod cum videre non posset, cum nondum esset natus, neque illa modo humanis oculis appareant; necesse est a Iobo ignorentur omnino. Loquitur autem de vniuersi fabrica, eo prorsus modo, quo aliquis de molitione aliqua singulari atque priuata loqueretur: cum tamen hæc ab illa toto distaret cœlo. Quare in hac admirabili constructione audimus fundamentum, angularem lapidem, lineas, bases, mensuram, quæ vulgares adhibere solent architecti, dum

Homines de diuinis quasi de humanis operibus cogitant.

dum vulgarem aliquam fabricam moliuntur. Quæ tamen omnia cordati homines removent ab vniuersi molitione; quia summo rerum opifici necessaria non fuerunt, neque opportunum aliquem vsum videntur habere potuisse. Sic sane Cicero *lib. 1. de natura Deorum*, vbi Platonem reprehendit, quod novam quandam rationem ostendit, qua Deus vniuersum architectatus est: *Quibus*, inquit, *oculis intueri potuit vester Plato fabricam illam tanti operis, qua construi a Deo atque ædificari*
pag.452.a *mundum fecit? Quæ molitio, quæ ferramenta, qui vectes, quæ machina, qui ministri tanti operis fuerint? Quemadmodum autem obedire & parere voluntati architecti aër, ignis, aqua, terra potuerunt?* Qua ergo ratione negat Cicero Platonem scire potuisse, quem in vniuersi fabrica Dominus seruarit modum: eadem nunc Deus aut probat, aut indicat hoc ipsum ignoratum a Iobo.

18. *Fundamenta terræ quæ.* *Fundamenta terræ.*] Fundamenta ædificiorum illa dicuntur, quæ totam molem suspendunt & sustinent: quales sunt columnæ, & toti fabricæ subiecta saxa, super quæ tota molis altitudo consurgit. Quæ sint terræ fundamenta, diximus supra *cap. LX, 6.* ad illud: *Qui commouet terram de loco suo, & columnæ eius concutiuntur.* & *cap. XXVI, 7.* ad illud: *Et appendit terram super nihilum.* Neque videtur necessarium esse aliquid, quod addamus. Est autem fundamentum, aut bases, seu columnæ terræ, medium illius, quod Latini *punctum*, Græci κέντρον, id est, *centrum* appellant; dixit hoc optime Tullius *lib. 2. de natura Deorum: Nihil maius, quam quod ita stabilis est mundus, atque ita cohæret ad permanendum, vt nihil ne excogitari quidem possit aptius: omnes enim partes eius vndique medium locum capessentes nituntur æqualiter. Maxime autem corpora inter se iuncta permanent, cum quodam quasi vinculo circumdata colligantur. Quod facit ea natura, quæ per omnem mundum omnia mente & ratione conficiens funditur, & ad medium rapit, & conuertit extrema. Quocirca si mundus globosus est, ob eamque causam omnes eius partes vndique æquales ipsæ per se, atque inter se continentur, contingere idem terræ necesse est, vt omnibus eius partibus in medium vergentibus (id autem medium insimum in sphæra est) nihil interrumpat, quo labefactari possit tanta contentio grauitatis & ponderum.*

Vers. 5. *Quis posuit mensuras eius, si nosti, vel quis tetendit super eam lineam?*] Deus pro hominum captu, ad cæmentariorum artem accommodate, vniuersi ac terræ fabricam & molitionem describit, cumque his instrumentis Deus in admirabili hoc opere construendo vsus non fuerit, non est, cur de illorum vsu in hac constructione inuestigando laboremus. Certum est, Deum in pondere, numero & mensura disposuisse omnia, *Sap. XI, 21. Omnia in mensura, numero, & pondere disposuisti.* Quod de terræ fabrica negare, impii esset & audacis ingenii. Neque minoris esset audaciæ, asserere, Deo opus esse lineis atque mensuris, aliisque tectonicis instrumentis, vt admirabilem illam molem, quam produxit ex nihilo, & firmaret admirabili connexione, & ordine vario, & multiplici varietate digereret; *Ipse enim dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt.* Neque præter voluntatem suam aliquid admovere opus fuit. 19. *Deus ad mundi fabricam tectonicis instrumentis non eguit.*

Porro architectus primum locum eligit, metatur spatia, quæ occupare debet moles, quam ædificat. Ad quem vsum adhibet mensuras, quibus loci magnitudinem metitur, deinde lineis describit ædificii partes, & latera, an directa consurgant, perpendiculo explorat, in his autem paucis complura alia artificum instrumenta per synecdochen intelligit, quibus poliuntur & exsculpuntur lapides, & totum denique opus ad extremum absoluitur. 20.

Vers. 6. *Super quo bases illius solidatæ sunt: aut quis dimisit lapidem angularem eius.*] Non sunt in terra bases vllæ, nisi figuratæ, aut metaphoricæ, sumpta similitudine ab aliarum molium substructione, aut columnarum, quas supposita basis sua firmitate sustentat. *Basis* terræ, vt nuper dicebamus, centrum est, & vis illa naturalis, qua cuncta grauitas & pondus ad centrum, id est, ad id, quod est in sphæra medium, sua inclinatione & natura rapitur. Nisi mauis *bases* esse, quæ *cap. XXII, 14.* & *XXXVI, 30.* cardines vocantur: quo loco nos plura de terræ cardinibus. *Lapis* 21. *Basis terræ quæ.* pag.452.b

autem

autem *angularis* ille dicitur, qui vtrumque in ædificio parietem coniungit; qui angularis dicitur, quacumque in parte anguli locari contingat. *Lapis angularis quis?* Id non obscure ex epistola *ad Ephes. cap. II, 14. sq.* vbi cum dixisset Apostolus, Christum duos coniunxisse populos, & medio pariete disiecto fecisse vtraque vnum; statim appellat summum angularem lapidem. Vbi summus lapis esse dicitur, quia principem obtinet, id est, supremum locum, quique totum absoluit & ornat ædificium. Et ita putant Interpretum multi; qui in summo, id est, in excelso loco constituunt, quia lapis ille *Psalm. CXVII, 22.* & *1. Petri II, 7.* factus esse dicitur in caput anguli, cum tamen prius reprobatus esset atque contemptus. Quasi dicat, cum nullo esset apud homines pretio, iudicareturque dignus, qui nunquam hominum oculis appareret: summum locum obtinuit, & pretiosus est habitus. Adde quod Græce ἀκρογωνιαῖος dicitur, vox autem ἄκρος plerumque altissimam partem significat ædificii, montis, arboris, &c. nonnunquam vero lapidem significat imum, quique primus in fundamento ponitur. *Isai. XXIIX, 16. Mittam in fundamentum Sion lapidem probatum, & angularem.* Neque dubium est, hoc loco de fundamentali lapide esse sermonem, tum quia cum basibus coniungitur, & demissus dicitur, quæ duo in caput, id est, in excelsum locum minime conueniunt. Proverbium porro esse putabamus apud Hebræos; lapidem reprobatum fieri in caput anguli, *in nostris Commentariis super Acta ad v. 11. cap. IV.* vbi illius prouerbii verisimilem originem adduximus.

22. *Astra matutina quæ.* Vers. 7. *Cum me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filii Dei.*] Locus hic non parum Interpretibus negotii dedit, & quia obscurus est sensus, & quia cum antecedentibus non facilis nexus. In *astris matutinis, & Dei filiis*, qui iidem esse existimantur, quidam angelos esse putant, qui admirati diuinam sapientiam, quam in terræ fabrica meditabantur, in illius laudes proruperunt omnes cum cantico & iubilo. Ita Hieronymus, Gregorius, Beda, & e recentioribus nonnulli. Alii *stellas* idem esse volunt, quod sonant, nempe astra, quæ ideo matutina dicuntur, quia mane apparent, ante videlicet, quam oriatur sol, ipso enim primum oriente, statim a maiori fulgore oppressa latent. Sed quod ego potius arbitror, ideo astra matutina vocantur, quia simul atque esse cœperunt, quo potuerunt modo, diuinam sapientiam celebrarunt. *REGVLA. Quæ primo quoque tempore fiunt, mane fieri dicuntur.* Quæ autem primo quoque tempore fiunt, illa mane, aut matutino tempore fieri dicuntur, quia primum diei tempus matutinum est. Neque in Scriptura sacra raro accidit, vt quod quam citissime factum dicimus, mane dicamus esse factum, aut diluculo; ita vt nullum tempus, aut negotium illi occupationi aut tempori præuertatur. Porro illi, qui mane aliquod aggrediuntur opus, ex Latinorum vsu *matutini* dicuntur. pag. 453. a *REGVLA. Quod proprium est temporis, his, qui aliquid in tempore faciunt, accommodatur.* Est enim vsitatum, vt quod proprium est temporis, ad eos, qui in aliquo tempore quidpiam fecerunt, accommodetur. Sic *matutinus* vocatur, qui matutino, id est, primo quoque tempore aliquam curam suscipit. Virgil. *lib. 8.*

Nec minus Æneas se matutinus agebat.

Vespertinus vocatur lupus, qui vespertino, id est, nocturno tempore prædas agit, *Abac. I, 8. Et velociores lupis vespertinis.* Horatius *lib. 2. satyr. 4.*

Si vespertinus subito te oppresserit hospes.

Sic *nocturnus* dicitur fur, insidiator, adulter. Sic ergo *astra* vocari possunt matutina, quia mane, id est, in principio suæ lucis & creationis laudauerunt Deum. Quare idem est matutina astra laudant, atque mane laudant.

Qui in *astris* nihil intelligunt, nisi quod sonant, iidem in *filiis Dei* angelos agnoscunt. 24.
Cur autem angeli filii dicantur Dei, diximus supra *capite I, 6.* Hæc autem sententia, quæ in priori hemistichio astra, in posteriori angelos agnoscit, patronos habet non contemnendos: & mihi magis videtur expedita, quam tenent S. Thomas, Eugubinus, Stunica, Pineda, Burgensis. Quod autem stellæ & res inanimatæ laudent Deum; mille docent exempla in Psalmis & Canticis, in quibus res rationis & sensus expertes aut laudare dicuntur Deum, aut ad diuinas laudes inuitantur.

Ex hoc loco quidam colligunt, antequam terra conderetur, creatos esse angelos & stellas, 25.

las, quæque hoc loco astra, seu lumina matutina dicuntur. Quid ea de re dicendum sit, disputant Scholastici Doctores luculenter, & grauiter; vide ex nostris Pererium *lib. 1. comment. in Genesim.* Molinam *1. p. q. 61.* Valentiam *q. 12. de Angelis, puncto 2.* Gabrielem Vasquez *1. p. disp. 224.* Ego hic nihil definio, quia res est longa, neque ab aliis deserta, quorum est magis propria, quam illorum, qui diuinam Scripturam interpretantur. Tantum dico, ex his verbis argumentum non sumi, quod in vtramuis partem plurimum vrgeat. Vox enim *cum*, siue *quando*, aut similia in Scriptura sacra non ita certum aliquod tempus aliorum respectu comparatione que significant, vt ad illud tempus anguste & presse coarctentur, in quo aliud contigisse dicitur, sed si aliquandiu præcesit, aut subsecutum est, factum tamen fuisse traditur, quando illud aliud factum esse dicitur. Exempla sunt plurima ab egressu filiorum Israel, qui vna nocte accidit, nec pauca Scriptura sacra alibi suppeditat. *Exod. XVI.* datum dicitur manna, quando filii Israel egressi sunt de terra Ægypti, & lex data *Deut. IV. Leuit. XXVI.* & *3. Regum IIX.* quæ tamen data fuit die post egressionem quinquagesimo. Quare etiamsi quando terra creata est, astra non fuerint, quæ Deus quarto produxit die: neque angeli; optime tamen eo tempore, quo fundata fuit, & astra matutina, & angeli laudasse Deum dici possunt, quia proxime a terræ fundatione abfuit illa astrorum laus, & angelorum iubilatio. Ita hæc mihi posterior explicatio placet, vt prior non displiceat, neque magis hanc, quam illam lectori persuadeo.

REGULA. Quando, cum & similia non presse illud tempus indicant, in quo aliquid factum fuisse dicitur.

26. Nunc videndum, cur cum terræ fundatione coniuncta fuerit illa astrorum, angelorumque laudatio. S Thomas id indicat dixisse Deum, quasi significare vellet, terram a se non fuisse fundatam, quia illa indigeret, aut hominum laudes expeteret, cum haberet cœlum, vbi habitaret ipse, neque deessent astra, & angeli, quorum laudes assidue personarent. Alii ideo admisceri putant diuinas laudes terra fundata, vt significetur, quanta fuerit in illius fundatione diuina solertia, quam ipsi admirantur angeli, quorum longe maior est intelligentia, vt vel hinc Iobus intelligat, quam absit longe, vt arcana Dei consilia cognoscat; cum neque terræ rationem & symmetriam intelligat, quam ipsi etiam cœlestes spiritus admirantur.

pag. 453. b

Mihi placet, quod visum est Caietano, hic adhiberi a Deo, qui humanis se cogitationibus & sensibus accommodat, illa omnia, quæ ab hominibus ad alicuius domus, aut egregiæ molis constructionem adhiberi solent. Et quemadmodum mensuræ, lineæ, basis, angularisque lapidis meminit, quia his humani vtuntur artifices: sic etiam iubilationis & laudis, quæ dum prima iaciuntur fundamenta, resonant, ab his, qui domui, & illius conditori bene precantur. Quod nostris temporibus vsitatum est, & pene legitimum. Quod autem id antiquo tempore vsitatum fuerit, optima habemus non ex profana solum, sed ex sacra etiam literatura vestigia. 27.

Magnarum molium fundamenta cum iubilo iaciuntur.

Quando prima templi secundi fundamenta a Zorobabele posita sunt, personuisse ab exultante populo laudes & cantica, habemus ex *1. Esdr. III, 10. Fundato igitur a cæmentariis templo Domini, steterunt Sacerdotes in ornatu suo cum tubis, & Leuitæ filii Asaph in cymbalis, vt laudarent Deum.* De hoc rursus templo secundo & de priori a Salomone constructo est illud *Zachar IV, 7. Educet* (Zorobabel) *lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ eius.* Quidam legunt, *acclamationes*, quæ sunt festiui quidam clamores, & plausus, quales excitari solent in theatris. Tales clamores dicuntur futuri, cum in ædificio secundi templi primus lapis fuerit a Zorobabele locatus. Tunc autem *exæquabit gratiam*, id est, gratulationem *eius*, id est, templi prioris *Gratia*, id est laus, & gratulatio posterioris. Idem credo antiquissimis sæculis factum a profanis, non solum absoluto opere, (id enim satis omnibus exploratum, & docent magnorum & publicorum operum dedicationes, quales fuerunt illius theatri, quod construxit dedicauitque Pompeius, de quo Cicero *lib. 7. epist. 1.* & amphitheatri, cuius insana fuit Domitiani dedicatio, de qua Martialis *in suo Amphitheatro.* Vide quæ diximus *in nostris Commentariis in Danielem cap. III.* vbi de statuæ Nabuchodonosoris dedicatione non pauca.) Non solum, inquam, absoluto opere, sed in principio constructionis, 28.

Vtriusque templi fundamenta cum clamore festiuo posita.

nis, cum fundamentum aperitur, aut primus supponitur lapis, acclamationes fieri, & signa edi publicæ lætitiæ, docuit ex nota Gentium consuetudine Virgil. *lib. 7.* vbi sic de novæ Troiæ fundamento:

Dicitur hic subito Troiana per agmina rumor
Aduenisse diem, quo debita mœnia condant.
Certatim instaurant epulas: atque omine magno
Crateras læti statuunt, & vina coronant.

Siue ergo fundatam consideras, siue absolutam terram: quod idem ferme fuit, cum eodem temporis momento inchoata fuerit atque perfecta tanti operis tam præclara molitio, illius tamen causa humana consideratione ac sensu laudarunt Deum astra matutina, & cum festiuo clamore, & plausu iubilarunt angeli, qui filii Dei vocati sunt. pag.454.a

29. Vers. 8. *Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat, quasi de vulua procedens?*] Hactenus de terra. Iam Iobum Deus ad maris considerationem aduocat, & admirandam in eo siue educendo, siue comprimendo solertiam ostendit. Et accommodate ad hominum sensum oriri dicit mare de terræ visceribus, & quasi de vulua; quia experientia didicit homo, fontes nasci de terra, & ex illis componi, & magis atque magis augeri flumina, quæ tandem in latissimos maris sinus illabuntur. ex quibus putant vulgaria hominum ingenia, vastam illam oceani molem & abyssum esse collectam. De origine atque ortu maris varia sensere Philosophi, vt tradit Aristoteles *lib. 2. Meteor. in principio*, & Plutarchus *lib. 3. de placitis Philosophorum c. 16.* Qua de re hic pluribus nobis agendum non est, sed explicandum paucis, quænam dici posit, aut existimari vulua illa, quæ tantum monstrum videtur peperisse. In qua constituenda varii sunt interpretes, neque ego aliquid inuenio, in quo mihi ipsi omnino satisfaciam.

Vnde origo maris.

30. Quidam *vuluam*, seu *vterum*, vnde eductum est mare, diuinam putant esse sapientiam, ex qua ortum est mare, & quicquid est in rerum natura. Ita fere S. Thomas, Eugubinus, Lyra, Dionysius. Alii *vuluam* esse putant locum, vbi primum, & naturali sibi loco fuerunt aquæ, vnde postea diuino imperio congregatæ sunt, vt appareret arida, quæ commoda esset hominum habitatio. Vt autem infans, a quo in hac narratione similitudo ducitur, primum est in vulua, & cum inde egreditur, in alium locum secedit: sic aqua cum e terræ superficie, quam prius oppleuerant, in certos sinus & cauitates se receperunt, ex sua vulua videntur egressæ, quasi e maternis visceribus infantes. ita Caietanus & Dionysius.

Quæ vulua, vnde ortum est mare.

31. Alii in principio creatam esse dicunt rerum omnium materiam informem, quam sacer historicus terram appellat inanem & vacuam; & ex hac, quasi e vulua, corruptibilia omnia fuisse producta: imo & cœlestes etiam orbes arbitrati sunt. Quam sententiam antiqui Philosophi videntur amplexi, ex quorum mente Ouidius in principio *suæ Metamorphosis:*

Ante mare, & terras, & quod tegit omnia, cœlum
Vnus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere chaos, rudis, indigestaque moles.
Nec quicquam nisi pondus iners, congestaque eodem
Non bene iunctarum discordia semina rerum.

A qua sententia non videtur abhorruisse prorsus Augustinus *lib. 1. de Genesi contra Manichæos cap. 7.* vbi illam latius tractat, neque tamen refellit, aut improbat. Neque desunt alii, qui hæc aut tenent aut indicant, de quibus late Scholastici Doctores, qui hæc aut probant, aut infirmant, & respuunt. Vide Molinam nostrum *in opere sex dierum*, & Franciscum Suarez de eodem argumento *lib. 1. cap. 8.* Quod si ita foret, non esset difficile cognoscere, quænam fuerit illa vulua, vnde productum mare, illa videlicet informis materia rerum omnium, seu chaos aut indigesta moles, vnde reliqua omnia prodiisse dicuntur. p. 454. b

Hæc quæstio difficilior est & longior, quam vt ab interprete Scripturæ sacræ tractari debeat, qui ita literam sectatur & explicat, vt a quæstionibus abstineat longioribus. Quod Scholastici Doctoris negotium est, maxime cum res ad scholasticum puluerem deduci, & scholasticis argutiis agitari solet. Scio, communem esse Scholasticorum sententiam, primo

mo die creatum esse cœlum & terram, & media omnia, quæ inter hæc duo extrema continentur, ignem videlicet, aërem, & aquam, licet horum trium nihil, quod ad ordinem faciat, a Moyse in Genesi proditum sit. Qui etiam addunt, non solum eodem die, sed etiam eodem temporis momento elementa omnia simul cum cœlo & terra fuisse congenita.

32. *Primo die elementa cum cœlo creata, cum aliquo tamen ordine.* Ego primum statuo, cum aliis ferme omnibus, primo die elementa quatuor simul cum cœlo fuisse creata: neque tamen videri improbabile ac durum, in horum productione ac genesi fuisse aliquem ordinem. Vt enim alia omnia in diuersis diebus orta sunt, & variis ornamentis illustrata, sic etiam hæc in variis eiusdem diei partibus videntur prodiisse, ita vt post cœlum terra, deinde aqua, tertio loco aër, deinde ignis in suum quemque locum prodierint. Quod autem terra, aquarum generationem, aut saltem illarum partum, seu egressum de vulua præcesserit, docet Hieronymus, & Beda hic; *Vulva*, inquiunt, *de qua mare procedebat* κατα-χρηστικῶς *ipsam terram subiacentem possumus intelligere, vt de ea, & in ea aquam creatam a Deo esse credamus. Duas enim partes mundi magnas, cœlum & terram, Deus ex nihilo fecit, & ima earum de materia informi, cæteras autem creaturas distinctas, siue formatas instituit. Inter quarum creationem, & aquas credimus factas, quarum quidem conditionem in principio Genesis scriptam non legimus.*

33. *Aqua e terræ visceribus educta.* *Vuluam*, vnde erupit mare, vastam quandam cauitatem & sinum esse arbitror, vnde Deus ingentem illam aquarum molem euocavit: quam in illo sinu creauit Deus, post terræ formationem, & deinde quasi terræ partum obstetricante manu in lucem produxit. Aut certe creauit Deus terram non inanem, sed grauidam aquis; quæ licet eodem temporis momento creatæ fuissent, non tamen foras eodem temporis momento prodierunt. Quod autem sinus fuerit, qui dici potuerit terræ vulua, similis fœminarum vtero, vnde fœtus erumpit, argumenta sunt in Scriptura sacra non infirma. *Abyssus magna terræ qua.* Primum est *Genes. VII, 11. Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ.* vbi sermo est de diluuio, quod Noëtico sæculo orbem inundauit, vastauitque; ad quam inundationem aperti dicuntur fontes abyssi magnæ. Abyssus autem cauerna existimatur amplissima, vt in hunc locum indicat Caietanus, & docet aperte noster Pereira, quæ plena est aquis, quæ ideo modo in terram non erumpunt, quia ora non habent, per quæ vim illam aquarum maximam euomant. Esse autem sub terram in illius inclusa visceribus lacus, flumina, maria, ex eo probat, quia id produnt non leuis fidei historici Cosmographi, & experientia ipsa constat, cum motu pag. 455. a
aliquo graui terra dehiscit, existere nouos fontes, & flumina, vbi ante illud tempus visa non fuerant. Quod in Hispania accidit aliquando, vbi ego fluuium vidi non paucis annis iam fluentem, qui tamen multis ante annis in montium, vt apparet, cauitate latuerat. Sane Plinius *lib. 31. cap. 5.* terræ motibus aquas profundi & absorberi dicit, & in Coryco monte erupisse amnem, postquam cœptus est coli. Hunc sinum, aut hanc terræ vuluam, quæ aquas concipit & continet, quidam tartarum esse putant, qui est prope centrum, vbi antiqui non Poëtæ solum, sed etiam Philosophi fluuiorum & fontium originem & conceptaculum esse putauerunt, de qua Plato *in Phædone* in persona Socratis. A qua cogitatione non procul absunt ex nostris Oleaster, Vatablus *in hunc locum Genesis*, & Franciscus Georgius *1. tomo problematum probl. 88.*

34. Alius locus est *2. Reg. XXII, 16.* in eo Psalmo, quem parum immutatum habes in Psalterio *numero XVII, 16.* vbi enim hic legis: *Apparuerunt fontes aquarum, & reuelata sunt fundamenta orbis terrarum*, illic habemus: *Et apparuerunt effusiones maris, & reuelata sunt fundamenta orbis.* Quem locum *in nostris Commentariis in libros Regum* de tempore diluuii interpretati sumus. Neque enim, vt ibi ostendimus, in aliquem locum aut tempus, quæ ibi dicuntur, omnia accommodari possunt. ex ea itaque abysso, siue terræ vulua, ea vis aquarum erupit, vt mare quoddam vastum in spatiosum hunc mundum videretur effusum. Reuelata sunt autem fundamenta terræ, partes nimirum illæ centro proximæ (quod paulo antea terræ fundamentum esse diximus) quia exhaustis aquis, quæ sinus illos

illos implebant, operiebantque, apparuerunt vacua & nuda terræ fundamenta. Huc facit, quod statim *v. 16.* vbi Vulgatus habet: *Nunquid ingressus es profunda maris?* Septuaginta legunt: *Venisti ad fontem maris.* nimirum ex quo tanquam ex vtero Oceanus emersit. Vide quid nos infra *vers. 38.* ad illud: *Quando fundebatur puluis in terra.* qui locus perquam optimus est. Hæc mihi videntur dici posse non improbabiliter, neque video, quid huic cogitationi obiici possit, quod admodum incommodet. Non tamen sic in hanc sententiam constanter afficior, vt alias improbem.

Quis conclusit ostiis mare.] Quomodo Deus erumpentes e terræ vulua gurgites cohibuerit, neque permiserit operire terram, & inutilem reddere; dicemus statim *v. 10.*

35. *Mare quo modo inuolutum caligine.* Vers. 9. *Cum ponerem nubem vestimentum eius, & caligine illud quasi pannis infantiæ obuoluerem.*] De mari erumpente de vulua eo modo loquitur, quo de infante recens in lucem vitalemque spiritum suscepto, qui statim atque de materni vteri claustris exceptus est, pannis obuoluitur & infantilibus ligatur fasciis. Sic Deus hunc siue sapientiæ suæ, siue terræ vteri admirabilem partum, quasi nouæ prolis indulgentissima puerpera, aut sedula obstetrix obuoluit nubibus & caligine, quod non siluit Moyses *Genes. I, 2. Et tenebræ erant super faciem abyssi.* Quod si prima die creata est terra, & ex eius vulua productum mare, non videtur facile intellectu, quomodo
pag. 455. b fuerit inuolutum caligine tanquam infantilibus pannis, cum eadem die lux quoque dicatur esse creata. Cum enim dixisset Moyses, factam esse diem, & tenebras a luce fuisse diuisas, addidit: *Factumque est vespere, & mane dies vnus*, id est, primus. Solutio difficilis non est, si in priori parte primi diei, id est, in vespere, tempore videlicet nocturno, a quo incepit dies, terram & mare dicas esse producta. Neque enim sine causa Moyses ex vespere & mane prodit factum esse diem, quia præcessit nox, & facta iam luce successit dies. Cum igitur primum e vulua processit mare, paratas habuit tenebras Deus, quibus illud obuolueret, non secus atque ab obstetrice recenter natus fœtus obuoluitur. Ita de primo die noster Molina *de opere sex dierum disput. 7.* Porro quia nubes plerumque obscuræ sunt, & ideo passim a Poëtis dicuntur atræ, nigræ, piceæ, imo interdum tenebræ, & nox: ideo hoc loco idem esse reor *nubem* & *caliginem*, quasi eadem sit iterata sententia. Quod Hebræorum poësi familiare est. Verba Hebraica ad verbum sic habent: *Posui nubem vestimentum eius, & caliginem fasciam eius.*

Vers. 10. *Circumdedi illud terminis meis, & posui vectem, & ostia.*] Hic agitur de aquarum diuisione, quæ facta est die tertio, de qua *Genes. I, 9. Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum vnum, & appareat arida.* Quod autem aquæ totam oppleuerint & obduxerint terram; licet non habeamus in Genesi, ex aliis tamen Scripturæ sacræ locis satis constat. Tum ex aliis locis, tum ex *Psalm. CIII, 5. Qui fundasti terram super stabilitatem suam,* &c. *Abyssus sicut vestimentum amictus eius, super montes stabunt aquæ.* vbi dicitur terra amicta abysso, omni videlicet ex parte, sicut proxime dicebamus mare amictum esse, aut inuolutum caligine, sicut vestimento. Et ideo dicuntur stetisse super montes aquæ. Quod si montes operuerunt, operuisse quoque oportet depressa & plana loca, ad quæ descensu prono ex montium cacumine decurrunt. 36. *Terra principio aquis operta.*

Has itaque aquas, quæ principio latissima terrarum spatia circumdederunt, operueruntque, diuisit Deus, ita vt pars esset arida, quam habitarent homines, & quæ in aquis non possunt animantia viuere, & quæ ad innumeras animantium species alimenta produceret, quæ fluctibus, iisdemque salsissimis obducta non posset. Quanta vero pars terræ ab aquis nunc extet, & incoli nunc possit ab his, qui marinos horrent secessus, & arentem amant, solidamque regionem, incertum est. Illud iam certissimo eorum, qui nostro sæculo in varias & hactenus ignotas regiones felici nauigatione penetrarunt, experimento compertum est, ampliora esse spatia aridæ terræ, quam olim antiqui Philosophi & Patres arbitrabantur; imo & multi maiorem esse partem apertæ & aridæ, quam opertæ ab aquis terræ censuerunt. Si canonicus esset liber Esdræ 37. *Aquis diuisis apparuit terra.* *An maior pars terræ arida, quam quæ aquis operitur, dubium.*

Esdræ quartus, facile quæstionem omnem absoluisset; ille enim *cap. VI, 42.* sic terræ partes arentes humentesque partitur: *Tertia,* inquit, *die imperasti aquis congregari in septima parte terræ: sex vero partes siccasti & conseruasti, vt ex his sint coram te ministrantia seminata a Deo, & culta.* Franciscus Suarez
pag.456.a *lib. 2. de opere sex dierum cap. 6.* rem dicit esse dubiam, sibique verisimile videri ex nauigantium experientia, aut æquales esse partes humentes & aridas, aut certe non admodum inæquales. Molina *in 1. p. S. Thomæ q. 50. art. 3. disp. 1.* maiorem dicit esse aridam.

38. Quomodo aquæ, quæ totam vbique terram operuerunt, diuisæ fuerint, & in vnum locum congregatæ, disputant Scholastici in *1. p. Sanct. Thomæ*, & Sancti *in Hexaëmeron, & in commentariis super Genesim*, quos, si libet, adeat curiosus lector. Ego breuiter dico, quod etiam visum est Pereiræ ad illud *Genes. I, 9. Congregentur aquæ.* & Conimbricensibus *sectione 1. problemate 3.* & Francisco Suarez *supra*, terram principio fuisse æqualem, & sphæricam, & tunc commode ab aquis, non tamen adeo altis atque profundis, amictam esse quasi vestimento. Deinde tertio die excitatos esse montes in continenti terra, & insulas in mari; & profundas relictas esse valles, & loca depressa, ad quæ ex locis magis eleuatis defluxerunt aquæ, a quibus maiore gurgitis altitudine repletæ sunt valles & sinus, ab illa terrarum inæqualitate relictæ. Illæ porro partes, quæ magis eleuatæ sunt, pro aggeribus & vallis fuerunt, quæ aquas in suis continerent angustiis, neque paterentur ex suis sedibus, & quasi claustris foras excedere. Hæc porro littora, eminentesque partes vectes fuerunt & ostia, id est, impedimenta, quæ concluserunt aquas, prohibueruntque, ne ex destinatis sibi carceribus exundantes terram, quam initio circumfuderant, rursus obruerent. Quod *Psalm. CIII, 8.* non obscure significauit Dauid, vbi cum de hac aquarum diuisione & congregatione præcessisset sermo, subiecit: *Ascendunt montes, & descendunt campi in locum, quem fundasti eis; terminum posuisti, quem non transgredientur, neque conuertentur operire terram.* id est, non iterum operient terram. id enim valet *conuerti,*

Qua maris claustra & termini.

reuerti, & similia. *Psalm. LXXVII, 41. Conuersi sunt, & tentauerunt Deum.* id est, iterum tentauerunt. & *Iobi VII, 7. Non reuertetur oculus meus, vt videat bona.* vide quæ nos supra ad hunc locum. Porro ostia 39.
hoc loco non sunt apertæ cauitates, in muris, *Ostia maris quæ.*
verbi gratia, disruptis, per quas ingressus hominibus, & egressus patet; sed portarum claustra, aut impedimenta, quæ apertis obiiciuntur locis, vt homines ab ingressu seu egressu repellant & arceant, quæ fores communiter & claustra dicuntur. Sic Maro sæpe cum portis claustra coniungit. Terram autem altiorem esse mari, licet alii contra senserint, communis est recentiorum sententia. Neque, vt bene Caietanus ad illud *Gen. I, 9. Et appareat arida,* alio indiget argumento hæc sententia, quam oculorum applicatione. Qua de re vide Pereiram *ad eundem locum Gen.* Conimbricenses *in lib. Meteorol. tractat. 8. cap. 1.* Molinam *de opere sex dierum disputat. 11.* Suarez *lib. 2. de eodem argumento cap. 6.* Clauium *ad 1. capit. Sphæræ.* & ex antiquis Hieronymum *ad illud Psalm. XXXII, 7. Congregans sicut in vtre aquas maris.* & ad illud *Psalm. CXXXV, 6. Qui firmauit terram super aquas.* Chrysostomum *homil. 9. ad populum.* Damascenum *lib. 2. fidei cap. 9.* Hæc vero Deus ita disposuit, iuxta commune aquarum & naturale pondus; quam legem perpetuam p.456.b
& ratam esse voluit, non tamen ita, vt non aliquando marinas aquas ex oppositis aggeribus & claustris effluere permittat, vt hominum peccata puniat. Quod aliquando accidisse produnt historici. vide Augustinum *lib. 18. de ciuit. cap. 8. & 10.*

Et dixi, vsque huc venies, & non procedes 40.
amplius, & hic franges tumentes fluctus tuos.] Hic locus ex superioribus a nobis explicatus est. Posuit enim Dominus extremas terræ partes altiores marinis vndis, quæ excitatos cohiberent, & frementes vastitatemque minantes frangerent fluctus. Quod nos videmus quotidie, & Scriptura sacra, tanquam illustre creatoris opus sæpius inculcat, *Ierem. V, 22 Qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum, quod non præteribit. Et commouebuntur, & non poterunt, & intumescent fluctus eius, & non transibunt illud. Psal. CIII, 9. Terminum*

minum posuisti, quem non transgredientur, neque conuertentur operire terram. Prouerb. IIX, 29. Et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos. Similia habes in oratione Manasse, quæ est in fine *lib. 2. Paralip. Tu ligasti mare verbo præcepti tui, & conclusisti abyssum, & signasti eam laudabili & terribili nomine tuo.* Hic obiter notandum, *æternum, sempiternum, non amplius, non vltra*, & similia in Scriptura non semper valere, quod apud Latinos. nam nonnunquam idem significant, quod diuturnum, aut quod raro contingit. Quod ostendimus *in nostris Commentariis super Isaiam* ad illud *cap. II, 4. Non exercebuntur vltra ad prælium.* Quare licet Ieremias supra hoc pactum cum mari sempiternum dicat, & Deus hic mare non processurum amplius extra assignatos sibi fines, non tamen obstat, quod aliquando fines excesserit, excessurumve sit in posterum, si quando peculiaris aliqua prouidentia postulauerit. Ab illa sæpe diluuia quædam inundarunt, aut totam terram, vt tempore Noë, aut partem aliquam eius, vt de Ogygis, Deucalionisque diluuio dixit Augustinus *supra.* Et Plinius *lib. 2. cap. 88. 89. 90. 91. 92.* multas ciuitates & insulas a mari dirutas aut absorptas esse dicit, ruptis nimirum claustris, quæ ipsum diu in suo sinu & carcere concluserant.

Quomodo mare aliquando e suis finibus egressum.

41. Vers. 12. *Nunquid post ortum tuum præcepisti diluculo, & ostendisti auroræ locum suum?*] Progreditur Deus ad opus diei quarti, in quo creatus est sol, ad quem aurora pertinet & diluculum, occasus & ortus, id est, orientalis & occidentalis plaga, quæ ab occidente, siue oriente sole nomen acceperunt. Rogat autem de sole idem, quod proxime de terra: vbi nimirum terrarum tunc esset prius, quando fundata est terra? vbi diximus, tunc neque natum esse Iobum, atque ideo neque fundationis illius gnarum aut conscium esse potuisse, cum post fundatam terram natus fuerit. Nunc vero post solis creationem natus esse dicitur Iobus, atque ideo neque adesse potuisse Deo in formando sole, neque cognoscere, quam Deus in eo formando rationem & modum instituerit. Aut certe dicit, & hoc clarius, neque tunc Iobum in viuis fuisse; cum creatus est sol, neque postquam in viuis esse cœpit, lucis & noctis habenas suscepisse, vt auroræ præciperet, quando se mundo primum ostenderet, & quando succedenti nocti mundum a luce vacuum, & a tenebris occupandum relinqueret. *Aurora, & diluculum*, quia aliquid sunt solis, lux nempe solis, aut sol ipse oriens, pro ipso sole sumitur. Quia vero hic de rerum ortu præsertim agit Deus, vt de terra fundata, de mari e vulua infantis in modum erumpente; sic etiam nunc agit de nascente luce, seu sole, id est, de aurora seu diluculo. Quæ sic didicerunt seruaruntque creatoris imperium, vt ortus & occasus sui locum nouerint, in eoque aut occidendo cursum diurnum absoluant, aut oriendo inchoent; idem autem esse arbitror *nosse locum ortus & occasus, aut ortum & occasum suum, & suo loco oriri solem, & occidere.* Sic *Psalm. CIII, 19. Sol cognouit occasum suum.* Est autem mira ortus & occasus solis pro diuersitate temporum varietas: cum enim via solis, id est, zodiacus obliquus sit, modo tardius mouetur, modo velocius: modo in hac, modo in illa orizontali plaga oritur, aut occidit, prout his aut illis subiicitur signis. *Præcipere* autem *diluculo* idem est apud Deum, quod creare; neque enim ad creandum, seu quoquo modo producendum opus, Deus ferramenta adhibet, aut machinas: sed suo tantum imperio perficit omnia. Quare ad hanc vocem: *Fiat lux, & fiant luminaria*, prodierunt statim sol & luna, & reliqua sidera, quæ terram illuminant, & cœlestes orbes mira varietate distinguunt. Et de omnibus tandem dicitur *Psalm. XXXII, 9. Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt.* p. 457. a

Qualis astrorum obedientia.

Vers. 13. *Et tenuisti concutiens extrema terræ, & excussisti impios ex ea.*] Postquam de rerum creatione interrogauit Dominus Iobum: nunc de aliis elementorum effectibus aut operibus, quæ vna Dei omnipotentia ad hominum siue salutem, siue perniciem operatur, sermonem traducit; sed est admodum difficile statuere, quid sit terram concuti, & ab illa excuti sceleratos homines. Illud videtur certum, in *terræ concussu* graue aliquid significari, quod impios homines exagitet & perdat, vnde tamen ducatur hæc metaphora, prorsus 42.

Deus valde terram concutit & purgat.

ſus obſcurum. S. Thomas his verbis deſcribi putat terræ motum, quod terram concutit, non ſecus atque veſtimentum manu concuſſum, vt ex eo aut tineæ excutiantur, aut puluis. Hieronymus & Beda metaphoram ſumi putant a cribro, cuius extremas partes manus cribrantis tenent quatiuntque, donec a palea & puluere frumenta purgentur. *Deus,* inquit, *qui ſecundum prophetam menſus eſt aquas pugillo, & cœlos palma ponderauit, & tribus digitis appendit, ipſe pro magnitudine vtraque manu tenens margines terræ, quaſi cribrum huc atque illuc concutit, ſiue excutit tanquam veſtimentum, vt impios velut paleas & lolium excutiat a frumento iuſtorum.* Et adducit illud *Amos IX, 9. Ecce mandabo, & concutiam in omnibus gentibus domum Iſrael, ſicut concutitur triticum in cribro.* Concutiuntur extrema terræ, id eſt, agitantur immiſſa tempeſtate, fame, peſte, bello, ſicut diluuium pag. 457. a Noëtico ſeculo purgauit a ſceleratis totam terram, & reliquit ex ea perpaucos in arca, quos inuenit ex tanta multitudine iuſtos. Et deinde ſubuerſa Pentapoli, vt terram mundaret, incendio cœleſti turpiſſimam illius maculam exuſſit. Concuſſit Deus obſidione longa, fame, & peſte Hieroſolymam Veſpaſiani tempore, & illam ita cribrauit, vt ſceleratos extinxerit, pios & religioſos reliquerit incolumes. Qua de re nos aliquid *in noſtris Commentariis ſuper Zachariam* ad illud *c. XIII, 8. Partes duæ in ea diſpergentur, & deficient & tertia pars relinquetur in ea*, & ſupra *cap. XIV, 2.* ad eadem prope verba. Sane Theodoretus *cap. XIV, 1.* ad illud: *Ecce dies veniunt.* putat omnes fideles, qui in vrbe erant, quo tempore ad illam appulit Romanorum exercitus, exceſſiſſe ex vrbe matura fuga, antequam ab hoſte occluderentur exitus ad fugam. *Fama eſt*, inquit, *Veſpaſiano & Tito bello comparantibus, & ſuſcipientibus, id temporis vrbem reliquiſſe.* Et quod Deus facit in vniuerſa terra, vt illam a peccatorum colluuione purificet: id etiam facit in magis abbreuiato mundo, in homine videlicet, quem μικροκόσμον appellamus, a quo Dominus admoto igne tribulationis rubiginem excoquit, & coagitatum quaſi cribro longo, continentique concuſſu a peccatorum leuiumque culparum paleis expurgat. Quo modo Iobum hoc tempore varie iactauit atque concuſſit, vt purum putumque ab omni aut gluma, aut puluere, aut quacumque concretione relinqueret. Quod Hieronymus proxime citatus ſtatim indicat, cum addit: *Proinde hæc omnia operantis non ſolum fortitudo, verum & iuſtitia demonſtrat, & inde eſt, quod Sancto Iob Dominus cum imprecatione loquitur: quare dixerit innocenti ſibi pœnam acerrimæ tentationis illatam:* Quaſi dicat, aliquid eſſe in Iobo, tametſi innocentiſſimo atque ſanctiſſimo, quod purgaret concuſſus ille cribri, aut fornax tam duræ iactationis excoqueret.

43. Dominus dure interdum hominem concutit & purgat.

44. Addam hic ego explicationem aliam, aut potius aliam adductæ ſimilitudinis originem. Id dicitur concuti, quod vehementi quatitur, & hinc inde frequenti mouetur impulſu, qualis adhiberi ſolet ab eo, qui arborem deiicere conatur atque conuellere, ſicut columnæ molem aliquam ſuperpoſitam ſuſtinent, quales fuerunt illæ, quibus Dagonis templum incumbebat, quas concuſſit Samſon *Iudic. XVI, 30.* & deiecto templo Philiſtinorum multitudinem oppreſſit. Sic etiam terra ſuas videtur habere columnas. Sic certe vulgus hominum putat, putabantque, opinor, in eo rudi atque illiterato ſæculo Idumæi, quorum ſe Deus cogitationibus accommodat, ſicut fecit alibi Scriptura ſacra non raro. *Columnæ* vero ſunt cardines terræ, de quibus ſupra *cap. XXII, 14.* & *cap. XXXVI, 30.* & proxime *v. 6.* vbi baſes etiam audimus, quæ columnarum partes & fundamenta ſunt. Cardines autem munus ſuſtinere columnarum, quæ totam ſuſpendunt molem ædificii, docet illud pag. 458. b *1. Reg. II, 8. Domino enim ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem.* Et clarius *Pſalm. LXXIV, 4.* terræ dicuntur eſſe columnæ; quas, ne terra corrueret, confirmauit Deus: *Liquefacta eſt terra, & omnes, qui habitant in ea: ego confirmaui columnas eius.* Et clarius *Iob IX, 6. Qui commouet terram de loco ſuo, & columnæ eius concutiuntur.* Concuti autem terræ cardines, ſeu columnas, nihil videtur aliud, quam terram liquefieri atque diſſolui, ſeu quod idem eſt, vaſtari, ita vt in illa relinquantur non tam domus & ciues, quam domorum & ciuium immane buſtum,

Terram concuti quid?

aut

aut antiquæ formæ deforme monumentum. Spectasse autem videtur Deus ad sæculum Noëticum, in quo Deus, quasi terræ cardinibus columnisque concussis, dissipauit terram, & ab fœdissima peccatorum proluuie, inducta aquarum inundatione, purgauit, cui ea, quæ proxime succedunt, perbelle consonant.

45. *Deo facile dissoluta instaurare & excitare collapsa.* Vers. 14. *Restituetur, vt lutum signaculum, & stabit sicut vestimentum.*] Postquam Deus inductis aquarum inundationibus mundum subuertit, ita vt non amplius videretur restitutum iri, aut posse restitui, restituit tamen ita perfecte in priorem speciem, vt videri posset nunquam tam grauem & latam subiisse ruinam. Quod duabus similitudinibus perquam belle explicat, tum signaculi, in materia tractabili & molli, qualis est lutum & cera: tum vestimenti, quod, si discissum fuerit aut dissutum, resarciri facile potest, & ad priorem speciem renouari. *Signaculum*, aut sigillum est, seu signum, vt ita loquar actiuum, quod sui imaginem in cera aut argilla relinquit, aut certe passiuum, vt in creta, aut cera species expressa ab impresso sigillo. Fieri potest, vt in cera, aut luto adhuc molli ac lento deleatur imago, sed nullo negotio illam rursus idem signaculum in materia lenta atque obsequenti restaurat: sic Deus variam terræ & illustrem imaginem deleuit inducto diluuio, sed illam instaurauit vsque adeo facile, vt videretur luto admouisse sigillum; & vsque eo priori similem, sicut priori, & iam obliteratæ similis est imago, quam secundo imprimit & informat idem omnino signaculum. Eandem vim habet a vestimento sumpta similitudo: & multo magis, si in terræ concussione terræ motum intelligas. Nam quemadmodum si vestimentum dissuatur, non difficile in priorem formam restituitur, & stat, nempe integrum. Sic terra, si concussa tremat atque dehiscat, facile Deus rimas explet & solidat; & si dissoluatur & intereat, non maiori negotio difficultateque restituet, quam si vestimentum consuat & instauret. Ad hunc fortasse locum respexit Dauid *Psalm. LXXIV, 4. Liquefacta est terra, & omnes qui habitant in ea: ego confirmaui columnas eius.* Hæc mihi explicatio non videtur omnino contemnenda, quia nihil habere videtur violentum atque distortum: aliæ plurimæ ab aliis adducuntur, quas ego non refero, quia neque longus esse velim, & facile a suis auctoribus peti possunt. Neque in hac mihi omnino satisfacio. Sane locus est difficilis, & in quo extricando si aliquis dixerit aliquid verisimile, a benigno lectore respuendum non est. pag.458. b
Alii sensus mystici adducuntur a sanctis, præclari illi quidem, & ad mores plurimum opportuni, quos vide apud Hieronymum, Gregorium, & Bedam, sed hic credo præcipue Dei & naturæ opera spectanda sunt, de quorum cognitione Iobum Deus interrogat, vt Deus illum sublimiorum rerum ignarum esse conuincat, quando harum rerum occultæ rationes illius fugiunt intelligentiam. Sed fortasse sententia, quam ad sequentis versus explicationem iam adduco, aliquid etiam habet probabilitatis.

Vers. 15. *Auferetur ab impiis lux sua, & brachium excelsum confringetur.*] Ideo inductus est de diluuio sermo, vt supra putabamus, vt terra purgaretur ab illa peccatorum proluuie, quæ prius illam non minori exitio compleuerat atque vastauerat, quam illa aquarum multarum abundantia: quam Dominus ad illius purificationem induxit. Hunc igitur effectum indicare videtur Deus, dum ait ab impiis ablatam esse lucem; & potentium, a quibus perquam raro abesse solet impietas, confractum esse brachium. Neque enim aliter eluit Dominus labem illam ab huiusmodi hominibus inolitam terræ, nisi horum hominum frangendo brachium atque potentiam, & si quid in illis splendoris esse videbatur, auferendo. Porro futurum sumi pro eo, quod fieri solet, aut debet; quod significare solent nomina in bilis, res est nota, & nos plurima adduximus exempla *in nostris Commentariis* ad illud *Abdiæ v. 12. Et non despicies in die furoris tui.* 46.

Sed fortasse eo spectant tam hæc, quam quæ præcedenti versu dicta sunt, vt significet Deus, quid spectaret, dum terram concutit: id est, dum homines fame, peste, morbis, tempestate, aut aliis exagitat incommodis, nempe vt impios deleat & iustos purificet: & postquam diluuio tribulationis sordes eluerit, bonis 47. *Facile est Deo subito honestare pauperem.*

bonis augeat, & si quid ablatum & deformatum est, instauret & restituat. Quam ad rem accommodatas adducit similitudines, sigilli atque indumenti, quibus ostendit Deus, etiamsi iustos dura vexatione concutiat, & illos omnino deleturus videatur: non tamen se abiecisse prorsus, & illorum deposuisse memoriam. sic enim iustos premit, vt non opprimat; sic vrit, vt emundet potius, quam consumat; sic deformat ablata seu fœdata specie, vt illam inducto iterum signaculo restauret. Quod etiam videtur dixisse, vt confirmet Iobum, & mœrentem consolando reficiat. Sic erat Iobus a morbo consumptus, sic a seipso mutatus, vt priorem videretur amisisse speciem & alienam sumpsisse. Quod perinde est, atque expunctam esse imaginem, quam diuinum sigillum prius impresserat, ita vt familiares & amici illum non agnoscerent. De quibus supra *cap. II, 12. Cumque eleuassent procul oculos suos, non cognouerunt eum.* Sed Deus in molli luto impressit rursus sigillum, & quam amiserat speciem, rursus induxit: & factus est Iobus sibi quam simillimus;
pag.459.a cum rediisset caro, succus, & calor, quæ ademerant fames, morbus, & vermes, redierunt bona, eaque cum magno rerum incremento. Neque minor fuit, aut præclara, & luculenta minus filiorum seruorumque familia, vt constat ex *capite vltimo*, vbi Iobi describitur restituta fortuna, *luti* vero meminit, quod a sigillo facile consignatur, quia Iobus se luto compararat *cap. XXX, 19 comparatus sum luto*, & ideo Deus vestimentum reparari & resarciri posse dixit, quia eodem loco *v. 18.* corrosum & consumptum dixit a vermibus vestimentum suum. *In multitudine eorum* (vermium) *consumitur vestimentum meum.* Imo & seipsum *cap. XIII, 28.* cum vestimento comparat a tinea corroso. Quare antiquam formam promittit Deus a reformatore signaculo, & vestimentum splendidum atque integrum, excussis tineis, & squalore deterso.

48. *In mari multa, quæ diuinam prædicant sapientiam.*

Vers. 16. *Nunquid ingressus es profunda maris, & in nouissimis abyssi deambulasti?*] Postquam illa Deus Iobo proposuit, quæ magis homini videntur abscondita, & ipsa sunt admirabilia valde; ad maris illum & abyssi profunditatem vocat, rogatque, an ad occultos profundosque recessus aliquando descenderit, & quæ ibi marini inuoluunt gurgites, & cavernæ abscondunt abditissimæ, contemplatus fuerit, vt inde tandem sibi persuadeat non esse scrutanda diuina consilia, quæ longe sunt supra nos, & supra omnem humanam intelligentiam, cum ea, quæ infra nos sunt, tam longe se ab humana cognitione subduxerint. In maris autem, abyssique profundis & latissimis finibus, multa natant, multa nascuntur atque concrescunt, quæ diuinam commendant sapientiam, & prouidentiam prædicant admirabilem; vbi varii nascuntur frutices & arbores, vt auctor est Plinius *lib. 13. cap. 25.* ibi piscium incredibilis multitudo, & ad miraculum vsque visenda diuersitas. *Quot* (ait Cicero *libro 2. de nat. Deorum*) *genera, quamque* 49. *Piscium concharumque mira varietas.*
disparia partim submersarum, partim fluitantium, & innatantium belluarum, partim ad saxa natiuis testis adhærentium. In conchis vero ea est pulcritudo, ea diuersitas, vt in illis cælandis atque fingendis lusisse natura, & suas vires expromere atque ostentare voluisse videatur. Qua de re sic Plinius *lib. 9. cap. 33. Firmioris iam testæ murices, & concharum genera, in quibus magna ludentis naturæ varietas, tot colorum differentiæ, tot figuræ, planis, concauis, longis, lunatis, in orbem circumactis, dimidio orbe cæsis, in dorsum elatis, leuibus, rugatis, denticulatis, striatis, vertice muricatim intorto, margine in mucronem emisso, foris effuso, intus replicato. Iam distinctione virgulata, crinita, crispa, canaliculatim, pectinatim, imbricatim vndata; cancellatim reticulata, in obliquum, in rectum expansa, densata, porrecta, sinuata breui nodo ligatis, toto latere connexis, ad plausum apertis, ad buccinam recuruis.* Hæc Plinius, quæ ideo produxi, vt ex his cognoscat diuinorum contemplator, quam multiplex sit, quam speciosa atq; mirabilis in ipsius etiam abyssi profunditate diuersitas. De mari etiam dixit *Eccles. c. XLIII, 27. Illic præclara opera, & mirabilia, varia bestiarum genera, &* pag.459.b
omnia pecorum, & creatura belluarum.

Vers. 17. *Nunquid apertæ sunt tibi portæ* 50. *Mortis & inferni quæ portæ.*
mortis, & ostia tenebrosa vidisti?] Illa omnia, de quibus hactenus, illustrantur a lumine, & spectari possunt adhibita solertia ab humanis oculis,

oculis, nunc ad illa traducit orationem, quæ magna interiecta mole assequi non potest mortalis aspectus. Portæ seu fenestræ dicuntur illæ, quæ nobis ad ea, quæ clausa sunt, aditum aperiunt, aut quæ oculos admittunt ad illa spectanda, quæ videre non patitur, quæ interposuit corporis opacitas. Vt autem portæ mundi dicuntur ortus & occasus, quæ solis etiam dicuntur portæ; quia per illas sol ingreditur & egreditur, & diffusa luce facit, vt illa videantur, quæ latebant in tenebris; Sic etiam lux, quæcumque illa fuerit, *porta* dici potest, quia aperit nobis ea, quæ celarant atque inuoluerant tenebræ. Sane duas mundi extremasque partes, orientalem nimirum, quæ nascentem excipit, & occidentalem, quæ abeuntem abscondit atque dimittit solem, *portas* appellari diximus *in nostris Commentariis super Ieremiam cap. II.* ad illud *vers. 12. Et portæ eius desolamini vehementer.* & *cap. XV*, 7. *Et dispergam eos ventilabro in portis terræ.* Ait igitur Deus Iobo, si ea, quæ illustrantur a luce, quia portas habent, per quas ad eas se solaris splendor infundat, occulta sunt, multo illa magis erunt abscondita, ad quæ nullus e cœlo ac sole splendor admittitur, quia nullam habent fenestram, nullam portam. Qualia sunt, quæ in abditis terræ visceribus latent, vt metalla, lapides, vt primæ fontium & fluuiorum origines, etiam æternus damnatorum carcer, qui aut centrum continet terræ, aut certe non longe distat a centro. Portæ autem dicuntur mortis, aut quia damnati mortem subeunt sempiternam, & hoc fortasse verius: aut quia in morte tenebræ significantur obscuræ valde & densæ, quales patiuntur mortuorum corpora in sepulcris, aut illo tempore in Abrahæ sinu defunctorum animæ. Certe tenebras cœcas & crassas sæpe cum vmbra mortis coniunctas esse legimus. Dicuntur autem *portæ mortis*, id est mortuorum; quod genus loquendi familiare est, in quo forma pro formali suo effectu frequenter adhibetur. Neque mihi videtur esse durum, si quispiam dicat, idem esse portas mortis, & ostia tenebrosa. Ex vsu etenim Hebræorum eadem sententia diuersis verbis iterari solet, maxime in oratione numerosa, qualis est hæc.

Septuaginta paulo aliter legunt: *Aut tibi aperiuntur metu portæ mortis, aut ianitoris inferni videntes te timuerunt?* Quæ verba Græci Patres *in Catena* de eo tempore accipiunt, in quo Christus ad infernum descendit, vt quos ibi profundus ille locus incluserat, ad lucem euocaret & gloriam. 51.

Vers. 18. *Nunquid considerasti latitudinem terræ? Indica mihi, si nosti omnia.*] Latissima sunt terrarum spatia, & in illis pro vario locorum & cœlorum temperamento, dissimillimæ rerum formæ, & belluarum, atque ideo hominum mores & ingenia. Quæ sane vidisse non potuit Iobus, qui ex Idumæorum finibus nunquam excesserat. Quanta sit rerum pro regionum varietate diuersitas, tradunt Geographi, quique de rerum natura historiam texuerunt. Et nos magna belluarum atque plantarum genera quotidie videmus, quæ parentes nostri ad hoc vsque tempus ignorarunt. Quæ sicut aliis ante hanc ætatem in antiquo orbe, sic etiam Iobo fuerunt ignota. Notum est illud Maronianum *libr. 1. Georg.* 52.

Magna rerum pro regionum varietate diuersitas. p. 460. a

India mittit ebur, molles sua thura Sabæi,
&c.

Vers. 19. *In qua via lux habitet, & tenebrarum quis locus sit?*] Hic locus variis expositionibus patet. Agit nunc de luce, aut loco, aut illustratione, & cursu: quæ non vbique eodem tempore aut modo terras illuminat, neque eodem modo vbique diei ac noctis spatia metitur. Sane quod ad viam attinet, obscurum valde est, quæ sit via solis, per quam modo accedit, modo recedit a verticali puncto, quod *zenith* appellamus. Deinde quæ sit domus solis, vbi lateat nocturno spatio, & vnde mane prodeat, vt exigat ex orbe tenebras, & lucem diffundat, quæ expulsa nocte orbem illuminet & reducat diem. Aut quod sit tenebrarum domicilium & sedes, quibus definito tempore relictis occupet rursus terras, & redeant dierum & noctium iteratæ vices, & hyemis & veris post longos anfractus anniuersaria vicissitudo. Sic puto cogitabant eo sæculo homines, ad quorum sensus, vt alibi sæpius, sermonem suum Deus accommodat. Hæc obscura non sunt. Sed, credo, hæc multo patent latius, & non tantum de locis agi subterraneis, ad quæ nullus vnquam 53. 54.

Varia lucis tenebrarumque dispensatio.

quam solis radius admittitur, sed etiam de locis apertis, quibus tenebræ videntur insedisse sempiternæ, aut propter crassam nebulam, qualis occupauit Ægyptum *Exod. X, 21.* quæ longam induxit noctem, ita vt diebus tribus nemo nouerit fratrem suum, aut se de loco mouerit, vbi consedisset antea. An aliqua in terris plaga fuerit, quam eiusmodi tenebræ horribiles obsederint, incertum mihi est; esse autem regionem sempiternæ caligini deuotam, prodit Solinus Polyhistor. *cap. 20.* vbi sic de regione vltra Rhiphæos montes: *Damnata pars mundi, & a rerum natura in nubem æternæ caliginis mersa, ipsisque prorsus aquilonis conceptaculis rigentissima. Sola terrarum non nouit vices temporum; nec de cœlo aliquid accipit, quam hyemem sempiternam.* Idem Virgilius de aquilonari regione, vbi æternas dicit esse tenebras *libro 3. Georg.*

Tunc sol pallentes haud vnquam discutit vmbras,
Nec cum inuectus equis altum petit æthera, nec cum
Præcipitem Oceani rubro lauat æquore currus.

Idem de Cymeriis cecinit Homerus *Odyss. lib. 11.* de quibus ait:

Qui caligine & nubibus tecti sunt, neque vnquam eos
Sol lucidus aspicit radiis.

55. Vers. 20. *Vt ducas vnumquodque ad terminos suos, & intelligas semitas domus eius*]
p. 460. b Hæc ex superioribus difficilia non sunt, quæ etiam accommodanda sunt ad hominum cogitationem & sensum, vt dicebamus nuper, qui ex certis locis & quasi domiciliis egredi putant lucem & tenebras, vt variis motibus iisdemque in sua varietate ratis atque constantibus, aut obscurarent subducto, aut illustrarent inducto lumine. Neque hic loquendi modus nostris astrologis inusitatus aut peregrinus est, qui pro variis temporum differentiis, varias soli & diei constituunt in zodiaco domos, quod etiam faciant nocti necesse est. nam eodem puncto, quo sol & dies excedunt ex orizonte, in illum nox ingreditur. Quare si sol domum mutat, nox etiam mutet suam necesse est. Ad suas autem domos terminosque reducere, aut quos egrediendo relinquunt, aut quos progressu obeunt, non est humanæ facultatis aut solertiæ; & ita tenere, vt sine errore suos conficiant orbes & anfractus, opus est longe maius, quam vt mortalium virtus præstare, aut sapientia regere, aut assequi possit.

Vers. 21. *Sciebas tunc, quod nasciturus esses, aut numerum dierum tuorum noueras?*] 56.
Idem rogat, quod paulo antea *versu 4.* vbi dixerat, Iobum non esse natum, cum fundaretur terra. Tam autem longe erat, vt eo tempore viueret, cum primum terræ fundamenta iaciebantur, aut cum luci ac nocti dimensa sunt spatia, & occasui atque ortui definitum tempus, vt neque tunc sciret, an vnquam suscipiendus esset in lucem, & quam esset vsura vitæ futura diuturna.

Vers. 22. *Nunquid ingressus es thesauros niuis, aut thesauros grandinis aspexisti: quæ præparaui in tempus hostis?*] A sole & luce ad aëream regionem descendit, & tradit ea, quæ ibi apparent admirabilia: quæ diuinam sapientiam assidue prædicant & commendant; Vt autem prius luci ac tenebris certum constituit locum, vbi se definitis temporibus conderent, aut vnde ad suos se siue diurnos siue anniuersarios cursus efferrent; sic etiam nunc grandini ac nubi sua tribuit quasi reconditoria ac horrea: quæ *thesauros* appellat, vbi illa seruet ad tempus pugnæ, & e suis veluti armamentariis ad hostium suorum oppugnationem expromat. Porro loca, vnde Deus siue bona ad hominum vsus, siue mala ad eorum interitum depromit, *thesauri* dicuntur. *Deuter. XXIIX, 12. Aperiet Dominus thesaurum suum optimum cœlum, vt tribuat pluuiam terræ tuæ in tempore suo, benedicetque cunctis operibus manuum tuarum.* Hæc aperta sunt, neque in illis nobis diutius immorandum est, quia quæstiones tractare meteorologicas non est animus, neque id necessitas exigit ab interprete. Alii hæc tractarunt diligenter, a quibus id curiosus lector discet non difficile. Ego ab his libenter abstineo, quod meo iure facere posse, cum interpretem agam non Aristotelis Philosophi, sed Scripturæ sacræ, qui quæstiones hasce leuiter attingit, non longe aut accurate persequitur; vide Doctores Conimbricenses, & Valesium *in sacra philosophia a cap. 50.* vbi

pag.461.a50. vbi hoc *cap. XXXIIX.* grauiter exponit.
58. *In tempus hostis & belli* dicit Deus hæc in promptuariis esse reposita, quia his terret & interdum exanimat rebelles homines, qui indomitas habent ceruices & proteruos animos: cum niuibus opprimit eorum segetes, & grandine verberat & confringit calamos. Et hæc etiam in hostes iaculatur, & quos aliorum arma non possunt: arma hæc diuina e nubibus vibrata deiiciunt & sternunt. Quam sæpe Deus contra peccatores de cœlo dimicaverit, quot torserit tela ex aërea plaga, expertus est Pharao, & Ægyptiorum populus, expertus duce Sisara exercitus Iabin, de quo *Iudic. V, 20. De cœlo dimicatum est contra eos, stellæ manentes in ordine, & cursu suo, aduersus Sisaram pugnauerunt.* Sic Samuelis tempore contra Philisthæos pugnauit *1. Reg. VII, 10.* Plura nos in hanc sententiam diximus *2. Reg. XXII, 10.* ad illud: *Inclinauit cœlos, & descendit, & caligo sub pedibus eius.* Et in illud *Nahum I, 3. Dominus in tempestate, & turbine viæ eius. Iosue X, 11. Dominus misit super eos* (Gabaonitas) *lapides magnos de cœlo, & mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filii Israel.* Illam autem grandinantem nubem, & lapidum auxilium suis à Deo precibus obtinuisse Iosue, habes *Ecclesf. XLVI, 6. Inuocauit Iesus altissimum potentem in oppugnando inimicos vndique; & audiuit illum magnus, & sanctus Deus in saxis grandinis.* Quod etiam in sua qualicunque Theologia censuere Gentiles, qui hæc meteora, quæ terrificant & sternunt homines, arma dixerunt esse Iouis, de quo ex communi sui sæculi sensu cecinit Horatius *lib. 1. ode 2.*

De cœlo sæpe contra peccatores dimicatum.

Iam satis terris niuis, atque diræ
Grandinis misit pater, & rubente
Dextera sacras iaculatus arces
Terruit vrbem.

59. Vers. 24. *Per quam viam spargitur lux: diuiditur æstus super terram?*] Hoc etiam plane mirabile est, quod lux, quæ a sole trahit commune & naturale principium, tam cito magna permeet & compleat spatia, cum tam a solari corpore procul distent. Quidam in *luce* aut pluuiam intelligunt, aut fulgura, aut cometas: Sed cum de his statim sermo succedat, aliquid aliud videre mihi videor, quod nihil est aliud, quam quod proprie sonat. Et quidem mirabile est, illa viarum compendia inuenisse lucem, per quæ immensa terrarum & aliorum elementorum spatia sese temporis momento dispertiat. Quo vero modo id fiat, docent Physici, ab illis tu, si libet, disce, neque enim mihi tantum otii est a re mea, alienam vt curem. Neque minoris est negotii, aut intelligentiæ, nosse, quomodo æstus, siue ille calor sit a sole productus; a quo etiam tanquam a suo fonte lux emanauit; siue ventus calidus & vrens, de quo mox. ille enim licet non eadem celeritate, qua lux, breui tamen inferiora calefacit, & a suo principio longe lateque deductus, ad omnia terræ latera diffunditur. Qua de re vide Valesium *de sacra Philosophia cap. 53.*

Vbi Vulgatus *æstus*, Hebraice est קדים 60.
cadim, quæ vox ventum orientalem, seu vrentem, & subsolanum significat; vnde ali- pag.461.b
qui in æstu non calorem intelligunt, sed ventum subsolanum, Græce Eurum, & in eo per synecdochen omnem ventum. Quod mihi non displicet, tum quia Hebraica vox ventum etiam significat vrentem, seu calidum, tum quia cum ventus sit pars in vniuerso præcipua, non videbatur omittenda. Neque ventorum origo & causa facile ab humana intelligentia cognoscitur, de quibus Christus *Ioan. III, 8. Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, sed nescis vnde veniat, aut quo vadat.* Quæ verba quidam ex Patribus non de Spiritu sancto, sed de vento hoc interpretantur, in quibus sunt Chrysostomus, Cyrillus, Euthymius, Theophylactus, S. Thomas, & Augustinus *quæst. noui & veteris Testamenti cap. 59.* de quo est etiam illud *Ecclesf. XI, 5. Quomodo ignoras, quæ sit via spiritus.* Hæc explicatio mihi difficilis non est, sed in eam libentius propendeo, quam propria indicat æstus significatio.

Vers. 25. *Quis dedit vehementissimo imbri* 61.
cursum.] De imbre vehementi, id est, de nimbo atque procella, satis a nobis dictum est *capite præcedenti.* Illud hic admirandum proponit, vnde tantopere procellarum impetus incitari posit, cuius a Iobo Deus rationem sciscitatur. Philosophi nostri non tam sunt

assecuti, quam experti, qui mira considerant de vento, typhone, & turbine; Sed mirum est, quam in ratione reddenda varii sint, quamque alii aliis vicissim displiceant. Quos velle componere, & causas curiosius inuestigare, longi est & alieni negotii. Illud dico, procellarum vim esse vehementem, & impetum vix non in mari solum, sed etiam in terra tolerabilem. Neque opus erit aliunde petere testimonia, cum vbicumque terrarum occurrat familiaris experientia.

62. *Et viam sonantis tonitrui.*] Vox Hebraica חזיז *chaziz*, pro qua Vulgatus reddidit tonitruum, ab aliis interdum aliter conuertitur. *Zachar. X, 1.* vertit *niues*, alii *nubem*, *Iob. XXIIX, 26. procellam. Quando ponebam pluviis legem, & viam procellis sonantibus.* Septuaginta φαντασίας, id est, *apparitiones.* hæ vero esse videntur coruscationes & fulgura, quæ omnia procellas & vehementissimos imbres comitantur. Ex quo fit, vt quia hæc simul plerumque sunt, & sibi ipsis vicina, & eiusdem tempestatis partes; aut commune habeant, aut commutabile vocabulum. hæc eadem verba habes *cap. XXIIX, 26.* supra, vbi Vulgatus reddidit, *Et viam procellis sonantibus.* Explicationem longiorem inde pete.

63. *Dei admiranda liberalitas.* Vers. 26. *Vt plueret super terram absque homine in deserto, vbi nullus mortalium commoratur.*] Fœcundissimæ sint, oportet, nubes, & magno ferantur ventorum impulsu, quæ non irrigant solum agros, qui hominum vsibus atque deliciis seruiunt, sed etiam syluestria atque deserta loca, quæ neque habitat homo, neque ad hominem inde vlla aduehuntur commoda. Quod ventorum Deus præstat impulsu, qui nubes pluuiis grauidatas huc illucque circumfert & agitat, vt nulla sit pars, quantumcumque infelix & deserta, in quam non influat aliunde collectus aquarum humor. Nam licet ex arido solo non ascendat vapor, qui concrescat in pluuiales nubes: pag. 462. a concretas tamen ex alieno vapore, & oneratas aquis, ad regiones impellit arentes, etiam vbi homines non sunt, neque quicquam quod ad humanæ vitæ vsus necessarios, aut honestos pertineat. vt ex hoc Iobus intelligat, ibi nullam hominum operam intercessisse, quando neque vbi vllus est homo, neque inde ad se vllum emolumentum exportat, deinde vt singularem suam prouidentiam ostendat, qui sola illa loca, atque inaccessa & inuia, inornata esse noluit & vasta: & feris syluestribus, montanisque volucribus inducta pluuia de opportuno victu prouidere voluit.

Vers. 27. *Vt impleret inuiam, & desolatam.*] Horum ex superioribus explicatio constat.

Vers. 28. *Quis est pluuiæ pater: vel quis genuit stillas roris.*] Ex aërea regione aqua defluit, quæ fœcundat & exhilarat agros, & ros nocturnus, qui ad fœcunditatem & speciem plurimum confert. Horum autor est & pater Deus, qui rerum ita composuit disposuitque naturas, vt partus hic tam humanis commodis opportunus, suis ederetur temporibus. Ex eadem regione gelu prouenit & glacies, quæ nihil aliud sunt, quam aquæ duratæ atque constrictæ, quas in illam cogit duritiem vis quædam frigoris, quam Dominus indidit ventorum naturæ facile mutabili, his præsertim, qui regiones perflant boreales, aut glaciale cœlum, & inde concepto frigore reliquas permeant, gelantque vehementer, & ideo additur. 64.

Vers. 29. *De cuius vtero egressa est glacies, & gelu de cœlo quis genuit?*] Sicut supra *vers. 8.* nonnulli putabant, in quibus fuit S. Thomas, maris vuluam esse diuinam prouidentiam atque sapientiam, vnde tanquam e suo conceptaculo prodiit: sic nunc vterum glaciei & gelu eandem Dei sapientiam appellare possumus. Et hic multo magis, quia verba a Deo genitam esse glaciem, & gelu significant. In sacris autem Deo vterus tribuitur, & vulua. *Isai XLVI. 3. Qui portamini a meo vtero, qui gestamini a mea vulua.* & *cap. LXVI.* a *vers. 9.* Deo vbera tribuuntur, & lac: & idem dicitur parere, neque id inusitatum est, vt hæc in Scriptura viris tribuantur. *Genes. XV, 4.* sic Deus Abrahamo: *Qui egredietur de vtero tuo, ipsum habebis hæredem.* & *2. Paralip. XXXII, 21.* de Senacherib: *Filii, qui egressi fuerant de vtero eius, interfecerunt eum.* Nihil itaque aliud hic dicendi modus significat, quam a Deo mare, gelu, & glaciem esse creata: sed si quis alium, præter Deum, plu- 65. *Deo attributus vterus, vulua, lac, vbera.*

 viæ

viæ & roris, atque adeo glaciei & gelu parentem quærat; is erit vapor, qui ex humidis locis extractus & eleuatus a sole, concrescit in nebulam, aut nubem, & inde a sole tepefactus liquescit & soluitur.

66. *Flumina & maria gelu durata sicut saxa.* Vers. 30. *In similitudinem lapidis aquæ durantur, & superficies abyssi constringitur.*] Hoc etiam diuinæ sapientiæ documentum & opus admirabile, cum res vsque adeo mollis & fluida sic contrahatur & rigeat, vt lapidi aut marmori sit in sua duritie quam simillima; de glacie constat, vt ipsa docet in boreali cœlo experientia quotidiana. Nam ita summa fluuiorum, imo marium aqua, frigore constringitur & durescit, vt in aquis eadem omnino fiant, quæ in terra arenti & solida, ibi plaustra a bobus trahuntur, discurrunt equites, fiunt equestres ludi, imo veræ committuntur pugnæ: & tamen glacies totam illam belli
pag. 462. b molem, & pondus vel terræ ipsi formidabile sustentat; de quo Maro *lib. 3. Georg.*

Concrescunt subitæ currenti in flumine crustæ,
Vndaque iam tergo ferratos sustinet orbes,
Puppibus illa prius patulis, nunc hospita plaustris.

Dimicatum esse, & exercitum constitisse in congelato flumine, dixit Plinius *in Panegyrico: Danubius ripas gelu iungit, duratusque glacie ingentia tergo bella transportat.* Diodorus *lib. 5. cap. 9.* sic de Gallia: *Glacies quoque immensa adeo regionem occupat, vt flumina congelata sint peruia transeuntibus, non solum paucis, sed exercitibus quoque, cum curribus atque impedimentis.* *Crystallus ex aqua.* Quod si niues, vt vult Plinius *lib. 37. cap. 2.* aut vt alii, aquæ in crystallum durantur, satis constat, quo modo in lapidis similitudinem durentur aquæ; cum crystallus in lapidibus numeretur.

67. Vers. 31. *Numquid coniungere valebis micantes stellas Pleiadas: aut gyrum Arcturi poteris dissipare?*] Rogarat Deus proxime a Iobo, quem pluuiæ & stillæ roris patrem haberent, & ex quo vtero glacies geluque prodierint. Cum autem Iobus non ignoraret, Pleiadas, & Arcturum, & alia quædam sidera, quæ *cap. IX, 9.* supra nominarat, tempestates vere, & frigus inducere, quod etiam *cap. XXXVII, 9.* nouerat Eliu, vbi dicit egredi frigus ab Arcturo, respondere posset Iobus, patrem pluviæ esse Pleiadas, Hyadas, aut Orionem, & ab Arcturo gigni glaciem & gelu, cuius Deus cogitationi tacitæ respondit. Etiamsi a pluvio Pleiadum atque Hyadum sidere oriantur imbres, & ab Arcturo glacies; tamen non ab alio, quam a Deo congregatæ sunt Pleiades, & Arcturus in ea cœli regione collocatus. Neque ab alio data vis illa generandi atq; immittendi pluuiam & frigus. Quare quacumq; id ratione consideret, pluuiarum frigorisq; patrem Deum agnoscat, necesse est: cum neque Iobus, neque vllus e mortalium genere, possit illum stellarum siue aceruum, siue chorum coniungere cum illa gelandi atque humectandi facultate: neque congregatam illam societatem disiungere, aut inditam humoris frigorisque facultatem adimere. De his nominibus astrorum, quæ varie a variis, immo a nostro Interprete non eodem semper modo vertuntur, egimus supra ad illud *cap. IX, 9. Qui fecit Arcturum, & Oriona, & Hyadas*, inde pete, & alia plura, quæ huc valde faciunt, atque ideo ab illis prudens abstineo.

Vers. 32. *Nunquid producis Luciferum in tempore suo, & Vesperum super filios terræ consurgere facis.*] Tam superiora sidera, de quibus proxime, quam hæc, de quibus in præsentia, cum plures alios habeant vsus & commoda, illos habent maximos, quod tempora diuidunt, eorumque rationes atque mensuras hominibus ostendunt. Sane rustici Luciferum consulunt, & Vesperum, ipsis astra notissima. Helicem, & Arcturum, quæ suo circumactu & gyro nocturni temporis spatia distinguunt, item Pleiadas & Orionem, quia magnitudine, splendore, & numero facile se produnt. Hæc autem præclara sunt diuinæ prouidentiæ documenta & beneficia, vt homo norit, quo tempore suscipiendus, aut deponendus sit labor. De Lucifero ac Vespero multa alii, a quibus ego libenter abstineo, quia alieni laboris est. Illud non omittendum, Luciferum appellari etiam *Phosphorum*, & Vesperum *Hesperum*, & esse vnum idemque astrum; vocatur enim Lucifer, cum solem antecedit, & ideo pro tempore matutino sumitur; Hesperus vero, quando subsequitur, & nocturnum significat. Lucifer seu Phosphorus ad laborem euocat, Vesper, seu 68. *Astra quæ distinguunt nocturni temporis spatia.* pag. 463. a

ſeu Heſperus a labore reuocat, & domum reducit. Quod ſignum ſuper terram conſurgere, & ſui muneris homines admonere, qui facere potuit, præter Deum, qui tam vigili largaque prouidentia humanis rationibus conſultum eſſe voluit?

69. Verſ. 33. *Nunquid noſti ordinèm cœli; & pones rationem eius.*] Mirus fuit cœlorum ordo, ſiue cœleſtes orbes conſideres, qui variis nituntur motibus, & mutuo ſe complexu cohibent; ſiue aſtra, quæ & ipſa ſpecioſa ſunt, & illorum ordo longe pulcherrimus, ex quibus in terris magnæ fiunt rerum conuerſiones. Vrget igitur Iobum Deus, & rogat, an nouerit ordinem cœlorum; quomodo illorum curſus ſit in tanta varietate tam ratus & conſtans, quæ vis in terras tanta, tum ex cuiusque natura; tum ex vario illorum inter ſe multiplicique congreſſu. Rogat item, an in terram illorum ordinem & ſpeciem, aut certe vim & proprietatem transferre queat. Prius hemiſtichium obſcurum non eſt; poſterius nobis magis explicandum.

70. *Et pones rationem eius in terra?*] Non vno modo poteſt cœleſtium orbium ratio, curſus, & ſpecies in terra poni, quia deſcribi poteſt & efformari, vt ſit cœlorum in terra quoddam ectypon, & expreſſa ad viuum effigies, quæ motus omnes & varios planetarum aſpectus congreſſusque definiant. Quod quibusdam machinis aſtrologi videntur aſſecuti, quæ ſic mouentur, & alios atque alios circulos artificioſe connectunt atque implicant, vt in illis ſpectare videamur & contrectare manibus, quæ tam a noſtro orbe atq; conſpectu diſtant. Quam rationem inueniſſe & expreſſiſſe Syracuſanum Archimedem tradit Cicero *libro 1. Tuſcul. Cum Archimedes*, inquit, *lunæ, ſolisque quinque errantium motus in ſphæram colligauit, effecit idem, quod ille, qui in Timæo Platonis mundum ædificauit Deus: vt tarditate & celeritate diſſimillimos motus vna regeret converſio.* Hanc porro ſphæram vitream fuiſſe dicunt, aut certe ſic incluſam vitro, vt commode ab omnibus varii cœlorum motus ſpectari poſſent, & cum perſpicua diſtinctione notari. In quam ſphæram acute luſit Claudianus:

Archimedes in ſphæram cœlorum motus alligauit.

Iupiter in paruo cum cerneret æthera vitro,
Riſit, & ad ſuperos talia verba dedit:
Huccine mortalis progreſſa potentia curæ?
Iam meus in fragili luditur orbe labor.
Iura poli, rerumque fidem, legesque Deorum
Ecce Syracuſius tranſtulit arte ſenex.
Incluſus variis famulatur ſpiritus aſtris,
Et viuum certis motibus vrget opus.
Percurrit proprium mentitus ſignifer annum,
Et ſimulata nouo Cynthia menſe redit.
Iamque ſuum voluens audax induſtria mundum
Gaudet, & humana ſidera mente regit.

Qui hæc aſſecutus eſt mente, & cogitationem ſuam artifice manu exprimere potuit, p. 463. b 71.
cœlorum ordinem in terra videtur poſuiſſe, ſed ſane mortuas in ſua ſphæra imagines deſcripſit, non expreſſit viuas: neque illas virtutes indidit, quæ pluuias inducunt, tempeſtates cient aut ſerenant, durant aquam in glaciem, aut tepefactam in liquidam naturam reducunt. Neque præterea certum eſt, an tales ſint aſtrorum atque cœlorum motus, quales in ſua ſphæra deſcribit aſtrologus. Quare neque hoc modo cœlorum ordinem in terra quisquam diſpoſuit, præſertim cum omiſſa fuerint alia quamplurima, quæ neque oculus videt, neque vlla capit intelligentia.

Alio modo videtur cœlorum ac ſiderum ordo poſſe in terra deſcribi, ſi videlicet in terra 72.
cognoſcatur, quæ ſit aſtrorum vis & influxus in hæc inferiora, quid in terris cœlorum conuerſioni ac ſiderum variæ congreſſioni reſpondeat, quæ aſtra in hanc, vel illam naturam poteſtatem habeant; ita cum S. Thoma alii plures. Qua de re multa Philoſophi; qui planetas varios, variis humoribus dominari dicunt: quod item de humani corporis partibus ætatibusque decernunt: Quod item putant de plantis & metallis. Soli enim aurum ſubeſſe tradunt, argentum Lunæ, Marti ferrum & chalybem; Saturno plumbum, Ioui ſtannum & electrum; Mercurio argentum viuum, Veneri æs. Qui hæc in terris nouit, ille rationem cœli in terris poſuiſſe exiſtimari poteſt. Sed licet horum aliqua humana intelligentia, adhibito ſtudio atque ſolertia, cognoſcat, imperfecte tamen cognoſcit & obſcure, & multo plura atque maiora penitus ignorat.

Varia metalla variis planetis ſubiecta.

Mihi non diſplicebat, hic agi tum de cœleſtium 73.

ſtium orbium conuerſione, quæ varias in terras mutationes inducunt; tum de his, quæ concreſcunt in nubibus, & ad terram poſtea, aut emiſſa, aut reſoluta deſcendunt. Rogat igitur Deus, an rationes illas & ordines rerum, ſiue aëreos, ſiue cœleſtes, ipſe, aut quilibet alius homo in terris moderetur, ita vt præcipiat Lucifero, ſeu Heſpero, vt modo ſubſequentem antecedat ſolem, modo antecedentem ſubſequatur: vt erumpant e nubibus fulmina, reſonent tonitrua, emicent fulgura, defluant imbres: denique ſuperiorum corporum teneat habenas, & illorum ordinem ſuo arbitratu moderetur. Hæc mihi ſententia videtur non difficilis, & eam, qui ſequuntur proxime, verſiculi confirmant.

74. Verſ. 34. *Nunquid eleuabis in nebula vocem tuam, & impetus aquarum operient te?*] *Nebula* ab Ariſtotele ſterilis nubes appellatur, quia in aërem potius, quam in aquam reſoluitur, quæ terris incubat, & eſt plerumque ſerenitatis indicium, in qua eſſe poteſt homo, quia proxima terræ. In *nube* præterea Deus eſſe dicitur, tanquam in ſuo throno, ſeu vehiculo, vnde ad homines loquitur, vt in huius capitis principio pluribus oſtendimus. Ex his ſe ſtatim prodit facilis huius loci ſententia. Ex nube Dominus ſuperiore, & ſplendente magis imperat aliis nubibus, vt terram irrigent ac fœcundent, ſeu vt obruant & vaſtent iuxta hominum merita, cui illico obſequuntur nubes. Iubet igitur Deus, vt quando nubibus
p. 464. a Iobus inſidere non poteſt, e nebula tamen, quam habet proximam, eleuet vocem, & e nubibus euocet vim aquarum maximam, quæ ipſum operiat, id eſt, ſuper ipſum cadat, quod fiet facile, quia ipſe in nebula eſſe, & ex ea clamare fingitur: Nebula autem inferior eſt, & ſubiecta nubibus. Hoc porro eſt, quod nuper cenſebamus rationem cœlorum in terra ponere, & cœleſtia, & meteora ab humana ſapientia atque virtute ex terra gubernari.

75. S. Thomas *vocem* tonitruum eſſe putat, quod vox dicitur Dei, & in nubibus, quæ etiam vocantur nebulæ, reſonat & mugit. Quare loqui cenſetur, cum tonat Deus, iuxta quam ſententiam ſenſus eſt non difficilis; Nunquid, o Iobe, tonabis, ſicut ego facio in nubibus, aut ex illis vim aquarum maximam effundes, quod ego ſæpe facio, ita vt te copioſus imber operiat & obruat. Hoc autem etiam eſt rationem cœlorum in terra ponere, quia poteſtas tunc daretur in terra, quæ res ſublimes atque cœleſtes adminiſtraret. Quæ ſententia mihi ſatis apparet expedita & facilis.

Verſ. 35. *Nunquid mittes fulgura, & ibunt: & reuertentia dicent tibi, adſumus?*] Quod de tonitruo & imbre, id etiam nunc de fulgure Iobum interrogat. Quod ita Dei præceptis obſequitur exacte, vt cum dicto abeat, & eadem facilitate reuocatum redeat, quo promptum ſignificatur ſubditorum in obediendo ſtudium & alacritas. Sic nos pluribus *in noſtris Commentariis ſuper Zachariam* oſtendimus, ad illud *cap. IX, 8. Circumdabo domum meam, & his, qui militant mihi, euntes, & reuertentes.* Dicuntur autem *ire, & reuerti,* qui aſſidue Dominis ſuis atque in omni miniſterio ſeruiunt. Sicut enim in ingreſſu atque exitu omnia intelliguntur, quæ ab aliquo fiunt; ſic etiam in progreſſione ac reditu, ſiue in eundo ac reuertendo. Nam ſerui fideles, & in dominorum ſuorum oculos & imperium intenti, non minus prompti reuocati redeunt, quam ad præſtanda mandata feſtini conuolant. Quo ſenſu dixiſſe videtur centurio apud *Matth. IIX, 9. Dico huic, vade, & vadit, & alii veni, & venit.* Hoc itaque dicendi modo nihil, opinor, ſignificatur aliud, quam prompta ſeruorum & alacris obedientia, qui, cum milites miſſi fuerint & reuocati, adeſſe ſe dicunt, vt iterum, & ſæpius ad alia atque alia mandata obeunda mittantur. 76.

Verſ. 36. *Quis poſuit in viſceribus hominis ſapientiam?*] Poſtquam de rebus animæ & rationis expertibus magisque aſpectabilibus egit Deus, ad animantia deducit interrogationem, in quibus maiora operata eſt diuina ſolertia; & primum agit de animalium hominum nobiliſſimo, nempe de homine: & dicit, a ſua ſapientia & prouidentia ſingulari viſceribus, id eſt, cordibus hominum inditam eſſe ſapientiam, qua intelligerentur aliqua Dei opera, licet eorum pleraque rudi quadam & obſcura cognitione. Nam licet aſtrologi, qui ſe cœleſtium rerum & aſtrorum ſcientiam tenere profitentur, incerta ſæpe, & falſa non raro, & ludicra tradiderint, aliqua tamen, aut 77.

vere

vere cognoscunt, aut acute coniectant, quod opus est sapientis animi, quem, præter Deum,
p. 464. a nullus instruere potuit, aut ad illam cognitionem attollere.

78. *Textura & ars polymitaria fœminarum propria.*

Septuaginta aliter legunt hoc prius hemistichium: *Quis dedit mulieribus texturæ sapientiam, aut variegandi scientiam?* Magnum aliquid videntur significare Septuaginta, cum texendi opus, & illustrem in opere textili picturam, in qua multum est ingenii atque artis, mulieribus attribuunt: cuius inuentrix Pallas existimatur a gentilibus, quibus ars illa digna visa est, cui dea præesset, sed de illius inuentione egimus supra *cap. II, 4.* ad illud: *Pellem pro pelle.* vide Plinum *lib. 7. cap. 56.*

79. *Gallus suo cantu nocturna tempora distinguit.*

Vel quis dedit gallo intelligentiam?] Opportune Deus, cum agere de animalibus instituit, quibus nulla inest rationis facultas, a gallo incepit, qui rerum cœlestium, & temporum, quæ astrorum maximus & quasi princeps sol suo cursu moderatur & notat, aliquam videtur habere cognitionem. Quando nocturnum solis cursum sentire videtur, certe illius accessum varia vocis modulatione hominibus annunciat, de quo Plinius *lib. 10. cap. 21. Proxime gloriam sentiunt: & hi nostri vigiles nocturni, quos excitandis in opera mortalibus rumpendoque somno natura genuit. Norunt sidera, & terras, distinguunt horas interdiu cantu. Cum sole eunt cubitum, quartaque castrensi vigilia ad curas laboremque reuocant; nec solis ortum incautis patiuntur obrepere, diemque venientem nunciant cantu, ipsum vero cantum plausu laterum.*

Quæ galli intelligentia.

Ad gallorum intelligentiam facit, quod statim idem subiicit Plinius: *Si palma contingit, statim in victoria canunt, seque ipsi Principes testantur; victus occultatur silens, ægreque seruitutem patitur: Cœlumque sola volucrum aspicit crebro.*

80. Vers. 37. *Quis enarrabit cœlorum rationem, & concentum cœli quis dormire faciet?*] Incidimus in locum, qui plurimum torquet & distrahit Interpretes, non solum in diuersas sententias, sed etiam translationes. Septuaginta sic reddunt: *Quis est, qui numerat nubes sapientia? quis cœlum in terram inclinauit?* Chaldæus: *Quis constituit stellas cœli in sapientia, & nubes cœli, quæ comparantur vtri, quis mitigat?* Idem aliter: *Quis constituit septimanas cœli in sapientia, & in reuolutione cœli quis habitauit?* Tigurina: *Quis sapientia sua ætheri dictabit, quæ faciat? & lagenas cœli quis sistet?* Pagninus: *Quis numerauit cœlos in sapientia, & quæ descendunt de cœlo quis quiescere fecit?* Ad has referri possunt translationes aliæ, quæ paucæ non sunt. Quod vero, vbi Vulgatus legit *concentum*, alii reddiderint *inclinauit*, alii *descendunt*, alii *lagenas*, alii *vtres:* fecit vox Hebraica נבל quæ pro punctorum varietate *cadere* significat, & *vtrem*, item instrumentum musicum, vtri simile, quod inflat, fistulaque & varium reddit ac multiplicem sonum.

Sanct. Thomas priorem partem ad gallum 81.
refert, & ad intelligentiam admirabilem, qua cœlorum videtur motus cognoscere, & illorum partes cantu distinguere. Quare hemistichium prius sic explicat: *Quis enarrauit gallo cœlorum rationem, id est, proportionem cœlestium motuum, vt possit ex hoc determinatas horas cognoscere, seu discernere ad cantandum?* Cum S. Thoma sentit Lyra. Neque
deest, qui de gallo etiam interpretetur, quod pag. 465. b
statim subditur de cœli concentu, quem separabit nemo, aut silere faciet. Quasi nemo possit prohibere, quin suis temporibus cantet gallus, & nocturni temporis spatia distinguat, vsque adeo illi constanter, & sine errore Deus indidit canendi tempus & modum, ita vt cum temporibus aliis quiescat & dormiat, dormire tamen & quiescere non possit, quo tempore mandatum a Domino accepit, vt homines ad diurnas occupationes, aut cœlestium rerum meditationem exsuscitet.

Alii hic nihil putant affirmari de gallo, sed 82.
de cœlorum specie varia, ex varia astrorum dispositione & ordine. Quam vocari putant rationem atque concentum, quæ tunc primum apparuerunt in cœlis, quando creata sunt astra, & duo luminaria: quo tempore etiam cœli moueri cœperunt, & suo motu diurno, menstruo, & anniuersario distinguere dies, menses, & annos. Ex quibus motibus, licet diuersis, mira tamen ratione atque ordine consentientibus, efficitur ille concentus & harmonia, quam silere nemo, aut quod idem valet, dormire faciet. Quæ expl-

plicatio omnium mihi maxime placet. Sed aliqua hic nobis obſeruanda.

83. *Admirabilis cœleſtium motuum conſenſio.* Primum rationem cœli eſſe cœlorum diſpoſitionem & ornatum, qui eſt ad ſpeciem præclarus, & ad hominum vſus neceſſarius: præſertim cum ex illorum motibus multiplex fiat Planetarum congreſſus, & ex eo in terra miræ rerum viciſſitudines. Iſte cœlorum ornatus & ordo, concentus quidam eſt, & admirabilis quædam harmonia: qualis eſſe ſolet in vocibus; quarum cum aliæ acutæ ſunt, aliæ graues, aliæ ex vtriſque temperatæ, ſic tamen illas in cantu & cithara moderatur magiſter, vt ex multis vna exiſtat ſymphonia, quæ mirum in modum complet & recreat ſitientes aures. Ex hac vocum ſonorumque conſonantia, ſiue concentu, multæ ducuntur tranſlationes, quæ varias in rebus conſenſiones oſtendunt. Sic virtutum concentus dicitur illa virtutum omnium conſpiratio, qua ad vnum aliquod opus mutuo ſe iuuant. Sic actionum, quæ ad vnum finem ſpectant, congreſſio, concentus vocatur. Sic humanæ aut alterius naturæ conſenſio partium ad actiones alias, & ipſius naturæ conſeruationem, eodem appellatur nomine. Sic Cicero ſtellarum ex diſſimilibus motibus congreſſionem concentum appellauit. Quem prohibere non poterit, aut mutare vis vlla creata, aut humana ſolertia.

82. Mitto hic cogitationem illorum, qui ex cœleſtium corporum colliſione cieri crediderunt perpetuos & numeroſos ſonos, cuius ſententiæ auctor fuit Pythagoras, quem alii deinde ſecuti ſunt. *Ex cœlorum motibus existimatur certus concentus.* In quibus fuit Philo Iudæus *in lib. de Somniis*, vbi cœlum vocat archetypum muſicæ inſtrumentum, atque ideo tam ſcite atque affabre fuiſſe elaboratum. Plura alia addit in eam ſententiam, quæ libens omitto, ne illa prætercam, quæ *in ſomnio Scipionis* in eandem ſententiam adduxit eleganter Cicero, qui eadem ſenſit cum Pythagora, apud quem ſic Scipio: *Quis hic, quis eſt, qui complet aures meas tantus, & tam* p.465.b *dulcis ſonus? Hic eſt, inquit ille, qui cum interuallis coniunctus imparibus, ſed tamen pro rata proportione diſtinctis, impulſu, & motu ipſorum orbium conficitur, qui acuta cum grauibus temperans varios æquabiliter concentus efficit. Neque enim ſilentio tanti motus incitari poſſunt; & natura fert, vt extrema ex altera parte grauiter, ex altera autem acute ſonent. Quam ob cauſam ſummus ille cœli ſtelliferi curſus, cuius conuerſio eſt concitatior, acuto & excitato mouetur ſono, grauiſſimo autem hic lunaris, & infimus.* Hæc Cicero.

Sed plane alius eſt cœlorum concentus, 85. *Cœli laudant diuinam ſapientiam.*
qui diuinas laudes perpetuo perſonat, hic nempe, qui paulo ante a nobis deſcriptus eſt. Stellæ enim ſuo ſplendore atque ordine, & cœli conſtanti atque ſibi ipſi quam ſimillimo motu, diuinam prædicant ſapientiam, illamque mortalium oculis oſtendunt & annunciant. *Pſalm. XIIX, 2. Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.* & ſtatim de eiſdem cœlis: *In omnem terram exiuit ſonus eorum.* ille autem ſopiret, aut dormire faceret hunc cœlorum concentum, qui illorum aut adimeret curſus, aut aſtra refigeret, aut illorum lucem obſcuraret. De hoc cœlorum concentu, ac laudatione Auguſtinus *ad illud Pſalm. CXLIIX, 13. Confeſſio eius in cœlo, & in terra. Quid eſt*, inquit, *Dei confeſſio? Quia ipſe confitetur? non, ſed quia illum omnina confitentur, omnia clamant, omnium pulcritudo quodammodo vox eorum eſt confitentium Deum. Clamat cœlum Deo, tu me feciſti, non ego. Clamat terra, tu me condidiſti, non ego. Quomodo ergo clamant iſta? Et hoc inuenitur. Ex tua conſideratione clamant: ex voce tua clamant.* Cum ad vocem Ioſue *cap. X.* ſol ſtetit Hebr. ſolis indicatur ſilentium, dum ſtetiſſe dicit; vbi enim Vulgatus, *Sol ne mouearis, Ioſue X, 12.* Hebr. eſt דום *dom* quod idem valet, atque *ſile*, & ſtatim de ſole וידם *vaiidom*, id eſt, *ſiluit*, quo modo legunt Biblia Regia. Quare tunc cœli cenſendi ſunt ſilere, aut dormire, cum non mouentur, & qui motum illius retardaret, aut tolleret, ille aut premeret, aut ſopiret concentum: quod nemo faciet mortalium.

Verſ. 38. *Quando fundebatur puluis in terra, & glebæ compingebantur.*] Terra ſua natu- 86.
ra arida eſt, & quaſi ſolutus puluis, qui tamen, ſi humor accedat, in aliquid cogitur continuum & ſolidum, quod in compactis glebis ſignificatur. Qui dicendi modus aliquo

quo modo fauet illi cogitationi, quæ mihi videbatur non improbabilis, quod prius esset creata terra, fœcunda tamen & grauidata aquis & abysso magna, & deinde erumpentibus quasi e vulua, circumfusa fuerit vndecumque ab aquis, a quibus, quæ soluta fuerunt atque concreta, & in glebas coacta. Cur autem post cœlorum concentum fundatæ terræ Deus meminerit, duæ succurrunt rationes: altera sumitur ex cœlorum concentu; altera ex concentus dormitione, siue silentio. Ex concentu quidem, quasi dicat Deus, cœlorum ordinem, speciem, & ratos atque constantes cursus, ex quibus efficitur ille concentus, cœpisse, quando terra in glebas admixtis aquis coacta est, id est, quando fundata est terra. Neque moror, quod ante solem & stellas; imo fortasse antequam cœli
p.466.a mouerentur, id est, ante cœlorum concentum, terra fundata fuerit, & compactæ glebæ: nam vt pluribus ostendimus nuper *ad v.8.* quæ proximo aut vicino tempore ac loco fiunt, in eodem tempore ac loco dicuntur esse facta. Et ideo licet hic cœli concentus post terram creatam aut humefactam cœperit: quia non longe cœpit, simul cum terra sonuisse dicitur.

87. Altera ratio sumitur a dormitione concentus, & tunc hic est sensus: Quis erit, qui cœli concentum dormire faciat, id est, cessare, ita vt ad illum statum reuocentur cœli, in quo fuerunt, cum fundata est terra, & superinfusis aquis irrigata & coacta in glebas, quo tempore, quia neque astra fuerunt, neque motus, soporata videbatur, immo neque orta cœlestis harmonia. Hæc explicatio ita mihi probatur, vt prior videatur magis esse probabilis.

88. Vers. 39. *Nunquid capies leænæ prædam, & animum catulorum eius implebis?*] Hinc putant multi incipiendum esse *cap. XXXIX.* quia absolutis meteoris, nouam quandam de rebus inferioribus disputationem aggreditur Deus, vbi agit de animantibus, quæ gradiuntur in terra, quæ volant in aëre, quæ natant in aquis. Quæ distinctio mihi non displicet: neque enim olim Scriptura sacra diuidebatur in capita: sed vno continebatur corpore quicumque liber, neque in plura dissecabatur membra, vt pluribus ostendimus *in nostris Commentariis super Daniel. cap. XII. non longe a principio*, & *super Acta cap. II. in fine.* Quod docuit Elias *in prooemio 3. Massoreth.* vnde factum est, vt varia a variis facta fuerit capitum diuisio. Sed quocumque distinguas modo, parum, aut nihil refert, cum eadem sit sententia, & eadem firmitas & pondus argumentorum.

Docet igitur Deus ex diuersa animantium natura atque instinctu, quo sibi, aut pullis, seu catulis *escam* quærunt, suamque vitam ac vires tuentur & confirmant; sibi illorum curam non esse proiectam, & suam singularem esse sapientiam, quam nemo assequi mortalium potuit, aut illius opus intelligere. Incipit autem a duobus animantibus, in suo quoque genere voracissimis, leone & coruo, in quorum catulis alendis diuina elucet sedulitas, & mirabilis clementia. Est leo voracissimus, illi tamen Dominus solertiam indidit, vt non solum sibi, sed etiam catulis, cuius est acuta fames, prædam quærat & capiat; qua & suam abundanter & leunculorum famem expleat. Quod magis est mirabile, cum ad rabidam famem accedat quoque naturalis ferocia, de qua multa rerum naturalium scriptores Virgil. *lib. 9.* 89.

Leo & coruus voracissimi.

Impastus ceu plena leo per ouilia turbans,
Suadet enim vesana fames, manditque trahitque
Molle pecus, mutumque metu trahit ore cruento.

Hanc tamen naturalem ferociam, vesanamque famem atque edendi rabiem vincit susceptæ prolis amor, & esuriens, ipse catulorum rugientium necessitati deesse non vult. Ideo puto hoc inductum leænæ, seu quod idem esse reor, leonis exemplum. De quo sic ad Iobum Deus: Docebisne, o Iobe, leonem, quo modo sibi & catulis venetur prædam, & tam suam expleat, quam catulorum famem? leænæ potius meminit, quia hæc indulgentior est, & prolis amantior. Sic sane indicat Horatius *lib. 3. carm. ode 20.* 90. p.466.b

Non vides quanto moueas periclo,
Pyrrhe, Getulæ catulos leænæ.

Et Statius *lib. 9.*

Vt leo cui paruo mater Getula cruentos

Sugge-

Suggerit ipsa cibos, cumprimum crescere sensit
Colla iubis, toruosque nouus respexit ad vngues,
Indignatur ali.

91. Vers. 40. *Quando cubant in antris, & in specubus insidiantur.*] Catuli quando infirmo sunt corpore, neque adhuc idoneo captandæ prædæ, in suis latent cubilibus, vbi a matribus, aluntur, aut vbere, aut præda quam leones pro matrum, vt opinor, ac filiorum victu venati sunt, donec ætati aliquid accedat roboris, & ipsi suam sibi vitam seruare & sustentare possint. Tunc ipsi impatientes famis & claustri, vbi probe se instructos vident vnguibus & dentibus, foras erumpunt: interim in latebris meditantur insidias, & se ad venationem & rapinam comparant. De quibus Statius *supra:*

—Tandemque effusus apertos
Liber amat campos, & nescit in antra reverti.

De leonibus pro nostro instituto satis superque. Si plura cupis, vide Plinium *lib. 8. c. 16.*

92. *Dei in coruorum pullos singularis prouidentia.* Vers. 41. *Quis præparat coruo escam suam, quando pulli eius clamant ad Deum vagantes, eo quod non habeant cibos?*] En aliam Dei indulgentissimam prouidentiam in auem multis nominibus odiosam, quæ ideo dignissima existimari poterat, quam Deus abiiceret & perire sineret. Sed non obliuiscitur Deus operis manuum suarum; sed vitam, quam dedit, tuetur, & ætatem prouehit. De hac coruorum cura multa tradunt, & sancti Patres, & Scriptores profani. Gregorius ad hunc locum: *Editis pullis, vt fertur, escam illis plane præbere dissimulat, priusquam plumescendo nigrescant: eosque inedia affici patitur, quoadusque in illis per pennarum nigredinem sua similitudo videatur. Qui huc illucque vagantes in nido, & ciborum expetunt aperto ore subsidium, aut cum nigrescere cœperint, tanto eis præbenda alimenta ardentius requirit, quanto illos alere diutius distulit.* Idem pene Isidorus *lib. 12. Etymol. cap. 7.* Hieronymus *ad illud Psalm. CXLVI, 9. Et pullis coruorum inuocantibus eum*, ex Philosophorum sententia ait, e cœli rore viuere cornorum pullos derelictos. Idem eodem loco Cassiodorus Chrysostomus *in Catena* pullos hosce coruinos deseri dicit parentibus, ali tamen a Deo paruis quibusdam bestiolis, quæ nascuntur in nidis. Sed *homil. in Eliam*, illorum coruorum alimentum esse dicit, volitantia quædam animalia, quæ ex nido captant atque degluttiunt. Priorem partem videtur sumpsisse ex Plinio, quem citat Seruius *ad illud Georgic. 1.*

Tum liquidas corui pressas ter guttura voces. p. 467. a

Plinius, inquit, *in naturali historia, dicit coruos esse obliuiosos & plerumque minime ad suos nidos reuerti, sed quadam ratione naturæ hæc congerant ad suos nidos, quæ vermes possint creare, ex quibus relicti eorum pulli aluntur interdum.* Profani pullos a parentibus ex nido pelli dicunt. Sic Aristoteles *lib. 6. histor. cap. 6.* Plinius *lib. 10. cap. 12.* Hinc Cassiodorus *ad Psalm. CXLVI.* non diuinam tantum prouidentiam agnoscit, qui coruos implumes adhuc & a parente proditos pascit & sustentat, sed genus quoddam indicat indulgentiæ, cum cœlesti rore nutriat, quia parentes fœtenti alimonia, e putrido cadauere fuerant nutriendi. *Pulli*, inquiunt, *coruorum, vt Physiologi volunt, cœlesti rore vescuntur, & adhuc paternas escas, id est, cadauerum fœtores beneficio ætatis ignorant.* Quare multo melius agitur cum coruorum pullis, quando a parentibus reiiciuntur, & diuinæ omnino curæ permittuntur, quam dum ab illis in nido, si qui tamen in nido relinquuntur, fouentur & aluntur. Pascerentur enim e putrido cadauere, quod pater vorax & impurus ex cruce, aut ex sterquilinio apportet, non e cœlesti rore, qui purissimus est. Coruus enim fœtenti alitur & putrido cibo, vt videmus quotidie. Occurrunt enim in agris maxime suburbanis, iumentorum cadaueribus insidentes, immo & immersi corui: inueniuntur in crucibus, vbi affixa sunt aut suspensa cadauera: denique illis fœtor, & sanies pro ciborum condimento est. De coruis est illud Horatii:

93. *Pulli coruorum indulgentius a Deo, quam a parentibus nutriuntur.*

Bene cum illis agitur, qui a parentibus relicti a Deo nutriuntur. p. 467. b

Non pasces in cruce coruos.

Faciunt autem, opinor, corui, quod de vulture dixit Iuuenalis *satyra 14.*

Vultur iumento, & canibus, crucibusque relictis
Ad fœtus properat, partemque cadaueris affert.

Clama-

94. *Quomodo coruorum pullos clamant ad Deum.*

Clamari dicuntur *ad Deum*, quia licet ipsi neque de Deo cogitent, neque Deum esse noverint, tamen Deus ad se clamorem illum spectare videt, quia communis est pater, & omnibus animantibus escam porrigit in tempore opportuno. *Vagari* etiam dicitur, quia licet implumis sit, neque volatu vagari possit, & mutare sedes, in suo se tamen nido, aut eo in loco, in quem e nido cecidit, volutat & versat, neque fames, quæ intus diuexat & vrit, quietum esse sinit.

ARGVMENTVM CAP. XXXIX.

PRoponit Deus quorundam animalium admirabilem naturam, in quibus magis apparet diuina prouidentia cum admirabili sapientia coniuncta; quo magis Iobum in concepta prius cogitatione confirmet. Adducit autem ibicem, ceruum, rhinocerotem, equum e quadrupedum genere; e volucrum vero coruum, accipitrem, & aquilam, in quibus aliquid apparet eximium, quod a mortalium nemine præstari potuit. Cum autem hæc Iobo Deus interrogando proponat, neque Iobus ad illa quicquam adduceret, iubet illi ad extremum, vt ad interrogata respondeat, & si quid habeat, quod excitatam de se suspicionem eleuare possit, afferat in medium. Iobus nihil contra adducit, nisi modestiam, & de verborum leuitate pœnitentiam. Quæ contra Deum vtilis est & honesta contentio.

CAPVT XXXIX.

1. NVmquid nosti tempus partus ibicum in petris, vel parturientes ceruas obseruasti?

2. Dinumerasti menses conceptus earum, & scisti tempus partus earum?

3. Incuruantur ad fœtum, & pariunt, & rugitus emittunt.

4. Separantur filii earum, & pergunt ad pastum, egrediuntur, & non reuertuntur ad eas. pag. 468.

5. Quis dimisit onagrum liberum, & vincula eius quis soluit?

6. Cui dedi in solitudine domum, & tabernacula eius in terra salsuginis.

7. Contemnit multitudinem ciuitatis, clamorem exactoris non audit.

PARAPHRASIS.

1. 2. Interrogaui te hactenus, o Iobe, de his, quæ in cœlo subiectisque elementis admiranda contingunt. Nunc audi minutiora alia de quorundam animantium natura, & si potes ad interrogata responde: Numquid nosti, quo tempore ibices suos in petris fœtus ex vtero deponant? aut quo tempore, aut quam difficili nixu ceruæ parturiant? quo tempore concipiant? quamdiu vterum gerant? quo, & quoto a conceptu mense a partu leuentur?

3. 4. In duro ac difficili puerperio distorquent sese, incuruantur, & rugiunt. Continentur hinnuli sub materna disciplina, cum vero satis pag. 468. *fuerint ad suam vitam salutemque tuendam instructi, egrediuntur ad pabulum, & cum sese sibi sufficere sentiunt, non amplius ad maternam custodiam aut curam reuertuntur.*

5. 6. De onagro habeo quod abs te quæram, est primum, a quo illi concessum fuerit, vt liber viuat, neque plaustrale lorum aut iugum subeat; cur solitudinem amet, & in illa plerumque commoretur, & in salsuginosa ac sterili regione sua sibi constituat tabernacula.

7. 8. Quia ciuitates fugiat hominumque conuentus, non timet hominum minaces clamores,

8. Circumspicit montes pascuæ suæ, & virentia quæque perquirit.

res, aut imperium, qui exactoris in modum ab illo quotidiana & dura exigant ministeria. Qualia subeunt aselli domestici, sed e sublimi loco circumiecta spatia, & virentia sibique consentanea pabula prospectat.

9. Numquid volet rhinoceros seruire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum?

10. Numquid alligabis rhinocerota ad arandum loro tuo: aut confringet glebas vallium post te?

9. 10. Numquid tua solertia atque assiduitate obtinebis, o Iobe, vt cicuratus rhinoceros studio tuo ac voluntati seruiat; aut præsepi tuo illum assuefacies, vt inde ad rusticum opus non inuitum abducas? numquid aratro alligabis loro, vt præcedentem secutus aratorem terram proscindat & molliat? aut eo adiges, vt glebas in vallibus impresso vomere confringat?

11. Numquid fiduciam habebis in magna fortitudine eius, & derelinques ei labores tuos?

12. Numquid credes illi, quod sementem reddat tibi, & aream tuam congreget?

11. 12. Numquid quia illum magnæ molis ac roboris esse vides, tuas in illum curas, neque labores deriuabis & conferes? aut futurum sperabis, vt magnos referat ex semente prouentus, eosque congreget, & terat in area?

13. Penna struthionis similis est pennis herodii & accipitris.

14. Quando derelinquit oua sua in terra, tu forsitan in puluere calefacies ea?

15. Obliuiscitur, quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat.

13. 14. 15. Nunc agnosce, o Iobe, meam in struthiocamelo prouidentiam. Cum auis non sit, alas tamen illi herodii atque accipitris similes affixi, vt illius in tanta mole tarditatem aueherem. Et cum propter insignem stuporem oua in puluere peritura relinquat, quod nemo posset sua præstare solertia, ego illa calefacio, & quod maternus efficit incubitus, ego ex illis maturos & vitales fœtus mea prouidentia in lucem excludo. Neque enim mater amplius de sobole aut ouis curat, neque illis ab hominum, seu bestiarum iniuria cauet, aut vllam seruat sobolis excludendæ aut fouendæ memoriam.

16. Duratur ad filios suos, quasi non sint sui; frustra laborauit nullo timore cogente.

17. Priuauit enim eam Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam.

18. Cum tempus fuerit, in altum alas erigit, deridet equum & ascensorem eius.

16. 17. 18. Neque magis filios suos aut amat, aut curat, quam alienos. Quare suum laborem, quem in ouorum nixu pertulit, perire sinit. Quod facit, non vt oblatum a potentiori hoste periculum euitet, sed cogente nemine, propter stuporem suum & animi duritiem, qua suorum studium & curam abiecit. Quæ tamen licet in filiorum cura atque custodia stolida sit, in sua tamen salute procuranda, neque iners est, neque desunt illi a natura, & a diuina prouidentia subsidia, cum enim id exigit temporum angusta necessitas, alarum adiumento ea se alacritate incitat ad cursum, vt neque equum, neque equitem curet, quorum præuertit cursum, & studium eludit.

pag. 469. 19. Numquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo eius hinnitum?

19. 20. Numquid tu, o Iobe, aut alius præter me fortitudinem equo, aut spiritus bellicos inseuit? circumdare quidem poteris equino collo pag. 469.

lo

20. Numquid suscitabis eum quasi locustas? gloria narium eius terror.

lo baccata monilia, & ornamenta alia, quibus elatus gaudio tollat hinnitum; at hinnitum ipsum illius collo circumdare non poteris; quia dare non poteris spiritum, & organa, ex quibus formatur equinus ille fremitus. Numquid suscitabis, aut fugabis equum proposito terrore, sicut suscitantur fugantque locustæ? nequaquam: ea enim illi data est a mea prouidentia constantia, vt obiectus terror ad iram potius, quæ fumare facit nasum, quam in metum trahat.

21. Terram vngula fodit, exultat audacter: in occursum pergit armatis.

22. Contemnit pauorem, nec cedit gladio.

23. Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta & clypeus.

21. 22. 23. Tam longe est, vt obiectus terror generosos equi spiritus a cursu cohibeat, vt tunc si carceribus oppositis, aut adductis habenis, clangente buccina retardatur, toto connitatur corpore, & cum ferocia quadam audaciam ostendat, terram excauet vngulis, & vltro armatis atque infensis hostibus occurrat. Neque micantes horret gladios, & quæ aliis iniicere solent pauorem, omnino contemnit, neque terretur, si eques, qui illi insidet, subitos edat strepitus, vel ab hasta vibrata, vel ab emisso spiculo, vel a percusso clypeo, vel a pharetra, quam inclusæ quatiunt & resonare faciunt sagittæ.

24. Feruens & fremens sorbet terram, nec reputat tubæ sonare clangorem.

25. Vbi audierit buccinam, dicit: Vah, procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & vlulatum exercitus.

24. 25. Idem impatiens moræ, & exilire gestiens, non solum vngulis quatit & fodit, sed etiam ore mordet & exorbet terram, cuius spatia incredibili celeritate metitur. Neque a cursu retardat buccinæ clangor, quem non horret magis, aut curat, quam si non audiret. Imo cum audit tubarum sonitum, ingentis edit lætitiæ signum. Et multo ante quam pugnandi tempus aduenerit, & tubæ resonet excitatorius clamor, ipse præsagit bellum, dum orationem ducum hortatoriam audit, & voces militum in acie confusas.

26. Numquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad austrum?

26. Numquid docuisti accipitrem, quomodo veteres & cariosas plumas exueret, & assumptis nouis iuuenesceret? quod facit ad austri tepentem afflatum conuersus, & excussis ibi alis agitatione vehementi, & crebra.

27. Numquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum?

28. In petris manet, & in præruptis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus.

29. Inde contemplatur escam, & de longe oculi eius prospiciunt.

27. 28. 29. Numquid ex tua doctrina didicerunt aquilæ, quo loco sibi nidos commode construerent, & vt rupes amarent, & sublimia montium, inaccessaque fastigia: & inde spectarent prædam, quam acutissima oculorum acie in locis etiam procul dissitis intuentur.

30. Pulli eius lambent sanguinem: & vbicumque cadauer fuerit, statim adest. pag. 470.

30 Aquilini pulli, cum adhuc implumes commorantur in nidis, sanguinem exsorbent, a parentibus abunde porrectum. Cum autem iam sunt instructi pennis, & grandiori ætati aliquid accessit roboris, ipsi sibi cibos quærunt, & eo aduolant, vbi se illorum oculis cadauer ostendit. pag. 470.

31. Et adiecit Dominus, & locutus est ad Iob.

32. Numquid qui contendit cum Deo, tam facile conquiescit, vtique qui arguit Deum, debet respondere ei?

31.32. Cum Deus pro se longam & grauem orationem habuisset, suamque de natura rerum prouidentiam luculenter probasset: cum sæpius interrogatus Iobus nihil respondisset contra id, quod disputantium ferebat consuetudo, his illum verbis aggressus est: Qui cum Deo acerrimo videlicet aduersario contendit, silere non debet, & is, qui tantum sibi iuris assumpsit & audaciæ, vt Deum insimulet, rationem reddat oportet, cur hæc audeat, & interroganti aut redarguenti respondeat.

33. Respondens autem Iob Domino dixit.

34. Qui leuiter locutus sum, respondere quid possum? manum meam ponam super os meum.

35. Vnum locutus sum, quod vtinam non dixissem; & alterum, quibus vltra non addam.

33.34.35. Ad hæc Iobus sic modeste humiliterque respondit, dixitque: cum locutus fuero parum considerate & leuiter, ipsa in loquendo leuitas respondere non sinit. Quare satius duxi, continere linguam, & pro responsione adhibere silentium, quod ad eleuandum crimen plus habet interdum virium, quam oratorius sermo. Vnum fateor, & alterum verbum locutus sum, cuius me vehementer pudet ac pœnitet: neque committam vnquam, vt in verbum aliquod deinceps simile prolabar.

Vers. 1. *Nunquid nosti tempus partus ibicum in petris?*]

p.470. a QVi sint ibices, obscurum est, neque

1\. ex autoribus aliquid habemus cer-

Ibicum mirum ingenium. tum, cum alii alio abeant; & pene in solo genere conueniant. Hebraice dicitur יעלים *iaalah*, quam vocem Hieronymus hic, & *1. Reg. XXIV, 3. ibicem* reddidit. vbi nos de ibice non pauca. Sed *Prouerb. V, 19.* transtulit *hinnulum.* Alii *hircum*, alii *ceruum*, Septuaginta *tragelaphum*, id est, hircoceruam reddiderunt, animal nimirum biforme, & ex mixto atque confuso genere, ex hirco videlicet & ceruo compositum. Hoc nos animal appellamus ibicem necesse est, quando ita vulgus hoc loco conuertit. Quod esse a caprarum genere docuit Plinius *lib. 8. cap. 53. Capræ*, inquit, *in plurimas similitudines transfigurantur. Sunt capreæ, sunt rupicapræ, sunt ibices pernicitatis mirandæ, quanquam onerato capite, vastis cornibus, gladiorumque vaginis: in hæc se librant, vt tormento aliquo rotati in petras potissimum e monte aliquo in aliud transire quærentes, atque recussu pernicius quo libuerit exultant.* De his pluribus Ælianus *lib. 14. cap. 15.* Hi porro illi esse creduntur, qui Sardiniæ insulæ familiares sunt, quique vulgari sermone appellantur *Moslones.* De horum partu nihil habemus p.470. b
peculiare, aliquid tamen esse, in quo diuina eluceat prouidentia, notabile, ex hoc loco verosimile est. Quod tamen ideo ignoramus, quia in petris locisque abditis & abruptis pariunt vbi a mortalium nemine aut nunquam, aut nonnisi perquam raro videri possint. Cum autem hæc, quæ in terris fiunt a feris, occultentur,

tentur, quid mirum, si homo diuina, quæ tam superiora sunt, non assequatur?

2. *Vel parturientes ceruas obseruasti?*] In ceruarum puerperio hinnulorumque nutricatione aliquid sine dubio maius est & admirabilius, quam scriptores de re naturali cognoverunt prodideruntque; nam quæ illi tradunt, aut communia sunt cum aliis, aut certe non admodum diuersa. Illud videtur certum ex hoc loco, qui plus affert lucis ad cognoscendum partum conceptumque ceruarum, illarum partum esse difficilem, & nixum cum

Ceruarum partus qualis.

3. grauissimo dolore coniunctum. Quod satis indicat, quod dicitur statim *vers. 3. Incuruantur ad fœtum, & pariunt, & rugitus emittunt.* Quæ omnia grauissimi doloris documenta sunt. Ad quam difficultatem leniendam aliquot Deus benigna prouidentia leuamentis obstetricatus est. Primum indidit ceruis paulo ante durum pariendi conflictum,

pag. 471. a appetitum, studiumque quærendi herbam, quæ vterum laxat & claustra mollit: quæ seselis dicitur, de qua Cicero *lib. 2. de natura Deorum: Ceruæ*, inquit, *paulo ante partum perpurgant se quadam herbula, quæ seselis dicitur.* Idem Plinius *lib. 8. cap. 32.* & addit, statim a partu contra dolorem, opinor, & languorem a puerperio & enixu contractum, adhibere cognitam sibi medicinam. *Fœminæ*, inquit, *ante partum purgantur herba quadam, quæ seselis dicitur, faciliori ita vtuntur vtero. A partu duas habent herbas, quæ aros* (alii chorion legunt, & fortasse melius) *& seselis appellantur.* Hoc idem docet Aristoteles *lib. 9. de histor. animal. cap. 5.* vbi dicit, statim atque enixa est fœtum, ceruam comedere seselim, & inuolucrum, in quo fœtus inuolutus fuerat: cui vis medica inesse existimatur, vt ipse docet ad finem capitis. Hæc autem in ceruarum partu videntur admiranda. Illud deinde diuinæ solertiæ argumentum est, quod eo tempore contingit ceruarum partus, quando frequentia sunt tonitrua, quæ ceruas natura timidas & puerperii dolorem refugientes, horribili sonitu sic afficiunt, vt cogitationem auertant a dolore & metu, & tandem ad maiorem nixum præparant, & cunctantes acuunt. Quod indicauit Dauid *Psalm. XXIIX, 9. Vox Domini præparantis ceruos.* vox autem

Cerua quomodo se ad partum præparat & ab eo se purgat.

Cerua tonitru ad partum iuuatur.

Domini tonitruum est. Atque ideo, vt docet Aristoteles *lib. 6. de histor. cap. 29.* ab arcturi ortu ceruæ ineuntur a maribus, id est, mense Augusto, & mense Septembri implentur, atque concipiunt, cum autem, eodem teste, octonis mensibus vterum ferant, necesse est, vt partus in mensem Aprilem incidat, id est, in vernale tempus iam adultum, quando cum fulmine & fulgure increbescere incipiunt & inhorrescere tonitrua. vide Plinium *lib. 2. cap. 50.* vbi causam reddit, cur horrificæ hæ impressiones in vere potius autumnoque contingant? Hoc de conceptus tempore, & de octomestri vtero docet etiam Plinius *lib. 8. cap. 32.*

Vers. 2. *Dinumerasti tempus conceptus earum, & scisti tempus partus earum?*] Hic locus pene a nobis explicatus est ex Aristotele & Plinio, qui tempus conceptus statuunt sub ortum arcturi, id est, sub mensem Septembrem, partum vero sub Aprilem adulto iam vere, cum frequentior est tonitruorum horror, qui idem ceruis beneficium præstat, quod obstetrix puerperis. 5.

Vers. 3. *Incuruantur ad fœtum*, &c.) Hoc etiam ex proxime dictis satis liquet, neque aliud sibi, opinor, vult, quam cum ingenti dolore contingere ceruarum partum.

Vers. 4. *Separantur filii ceruarum, & pergunt ad pastum: egrediuntur, & non reuertuntur ad eas.*] Maxima prudentia præditam esse ceruam, prodit Aristoteles *lib. 9. de histor. animal. cap. 5.* tum ob alia, de quibus proxime, tum quia hinnulos ad vitæ modum & conseruationem prius sedulo instituunt, quam a se dimittant. Quare quia seipsos iam tueri possunt, & res curare suas, ad matres suas non reuertuntur. Hoc idem tradit Plinius *lib. 8. cap. 32.* *Editos*, inquit, *partus exercent cursu, & fugam meditari docent, ad præcepta ducunt, saltumque demonstrant.* 6.

Ceruæ quomodo hinnulos instituunt.

Vers. 5. *Quis dimisit onagrum liberum, & vincula eius quis soluit?*] De onagrorum natura, intemperantia, libertate, satis nos multa ad illud *cap. XI, 12. Tanquam pullum onagri se liberum natum putat.* & ad illud *cap. XXIV, 5. Alii quasi onagri in deserto.* vbi diximus, hoc videri Idumæis familiare prouerbium, quo significant hominem suis studiis libidini, 7.

Qualis onagri libertas.

8. Circumſpicit montes paſcuæ ſuæ, & virentia quæque perquirit.

9. Numquid volet rhinoceros ſeruire tibi, aut morabitur ad præſepe tuum?

10. Numquid alligabis rhinocerota ad arandum loro tuo: aut confringet glebas vallium poſt te?

11. Numquid fiduciam habebis in magna fortitudine eius, & derelinques ei labores tuos?

12. Numquid credes illi, quod ſementem reddat tibi, & aream tuam congreget?

13. Penna ſtruthionis ſimilis eſt pennis herodii & accipitris.

14. Quando derelinquit oua ſua in terra, tu forſitan in puluere calefacies ea?

15. Obliuiſcitur, quod pes conculcet ea, aut beſtia agri conterat.

16. Duratur ad filios ſuos, quaſi non ſint ſui; fruſtra laborauit nullo timore cogente.

17. Priuauit enim eam Deus ſapientia, nec dedit illi intelligentiam.

18. Cum tempus fuerit, in altum alas erigit, deridet equum & aſcenſorem eius.

pag. 469. 19. Numquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo eius hinnitum?

res, aut imperium, qui exactoris in modum ab illo quotidiana & dura exigant miniſteria. Qualia ſubeunt aſelli domeſtici, ſed e ſublimi loco circumiecta ſpatia, & virentia ſibique conſentanea pabula proſpectat.

9. 10. Numquid tua ſolertia atque aſſiduitate obtinebis, o Iobe, vt cicuratus rhinoceros ſtudio tuo ac voluntati ſeruiat; aut præſepi tuo illum aſſuefacies, vt inde ad ruſticum opus non inuitum abducas? numquid aratro alligabis loro, vt præcedentem ſecutus aratorem terram proſcindat & molliat? aut eo adiges, vt glebas in vallibus impreſſo vomere confringat?

11. 12. Numquid quia illum magnæ molis ac roboris eſſe vides, tuas in illum curas, neque labores deriuabis & conferes? aut futurum ſperabis, vt magnos referat ex ſemente prouentus, eosque congreget, & terat in area?

13. 14. 15. Nunc agnoſce, o Iobe, meam in ſtruthiocamelo prouidentiam. Cum auis non ſit, alas tamen illi herodii atque accipitris ſimiles affixi, vt illius in tanta mole tarditatem acuerem. Et cum propter inſignem ſtuporem oua in puluere peritura relinquat, quod nemo poſſet ſua præſtare ſolertia, ego illa calefacio, & quod maternus efficit incubitus, ego ex illis maturos & vitales fœtus mea prouidentia in lucem excludo. Neque enim mater amplius de ſobole aut ouis curat, neque illis ab hominum, ſeu beſtiarum iniuria cauet, aut vllam ſeruat ſobolis excludendæ aut fouendæ memoriam.

16. 17. 18. Neque magis filios ſuos aut amat, aut curat, quam alienos. Quare ſuum laborem, quem in ouorum nixu pertulit, perire ſinit. Quod facit, non vt oblatum a potentiori hoſte periculum euitet, ſed cogente nemine, propter ſtuporem ſuum & animi duritiem, qua ſuorum ſtudium & curam abiecit. Quæ tamen licet in filiorum cura atque cuſtodia ſtolida ſit, in ſua tamen ſalute procuranda, neque iners eſt, neque deſunt illi a natura, & a diuina prouidentia ſubſidia, cum enim id exigit temporum anguſta neceſſitas, alarum adiumento ea ſe alacritate incitat ad curſum, vt neque equum, neque equitem curet, quorum præuenit curſum, & ſtudium eludit.

19. 20. Numquid tu, o Iobe, aut alius præter me fortitudinem equo, aut ſpiritus bellicos inſeuit? circumdare quidem poteris equino col- pag.

lo

20. Numquid suscitabis eum quasi locustas? gloria narium eius terror.

lo baccata monilia, & ornamenta alia, quibus elatus gaudio tollat hinnitum; at hinnitum ipsum illius collo circumdare non poteris; quia dare non poteris spiritum, & organa, ex quibus formatur equinus ille fremitus. Numquid suscitabis, aut fugabis equum proposito terrore, sicut suscitantur fugantque locustæ? nequaquam: ea enim illi data est a mea prouidentia constantia, vt obiectus terror ad iram potius, quæ fumare facit nasum, quam in metum trahat.

21. Terram vngula fodit, exultat audacter: in occursum pergit armatis.

22. Contemnit pauorem, nec cedit gladio.

23. Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta & clypeus.

21. 22. 23. Tam longe est, vt obiectus terror generosos equi spiritus a cursu cohibeat, vt tunc si carceribus oppositis, aut adductis habenis, clangente buccina retardatur, toto connitatur corpore, & cum ferocia quadam audaciam ostendat, terram excauet vngulis, & vltro armatis atque infensis hostibus occurrat. Neque micantes horret gladios, & quæ aliis iniicere solent pauorem, omnino contemnit, neque terretur, si eques, qui illi insidet, subitos edat strepitus, vel ab hasta vibrata, vel ab emisso spiculo, vel a percusso clypeo, vel a pharetra, quam inclusæ quatiunt & resonare faciunt sagittæ.

24. Feruens & fremens sorbet terram, nec reputat tubæ sonare clangorem.

25. Vbi audierit buccinam, dicit: Vah, procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & vlulatum exercitus.

24. 25. Idem impatiens moræ, & exilire gestiens, non solum vngulis quatit & fodit, sed etiam ore mordet & exorbet terram, cuius spatia incredibili celeritate metitur. Neque a cursu retardat buccinæ clangor, quem non horret magis, aut curat, quam si non audiret. Imo cum audit tubarum sonitum, ingentis edit lætitiæ signum. Et multo ante quam pugnandi tempus aduenerit, & tubæ resonet excitatorius clamor, ipse præsagit bellum, dum orationem ducum hortatoriam audit, & voces militum in acie confusas.

26. Numquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad austrum?

26. Numquid docuisti accipitrem, quomodo veteres & cariosas plumas exueret, & assumptis nouis iuuenesceret? quod facit ad austri tepentem afflatum conuersus, & excussis ibi alis agitatione vehementi, & crebra.

27. Numquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum?

28. In petris manet, & in præruptis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus.

29. Inde contemplatur escam, & de longe oculi eius prospiciunt.

27. 28. 29. Numquid ex tua doctrina didicerunt aquilæ, quo loco sibi nidos commode construerent, & vt rupes amarent, & sublimia montium, inaccessaque fastigia: & inde spectarent prædam, quam acutissima oculorum acie in locis etiam procul dissitis intuentur.

30. Pulli eius lambent sanguinem: & vbicumque cadauer fuerit, statim adest. pag. 470.

30 Aquilini pulli, cum adhuc implumes commorantur in nidis, sanguinem exsorbent, a parentibus abunde porrectum. Cum autem iam sunt instructi pennis, & grandiori ætati aliquid accessit roboris, ipsi sibi cibos quærunt, & eo aduolant, vbi se illorum oculis cadauer ostendit. pag. 470.

31. Et adiecit Dominus, & locutus est ad Iob.

32. Numquid qui contendit cum Deo, tam facile conquiescit, vtique qui arguit Deum, debet respondere ei?

31. 32. Cum Deus pro se longam & grauem orationem habuisset, suamque de natura rerum prouidentiam luculenter probasset: cum sæpius interrogatus Iobus nihil respondisset contra id, quod disputantium ferebat consuetudo, his illum verbis aggressus est: Qui cum Deo acerrimo videlicet aduersario contendit, silere non debet, & is, qui tantum sibi iuris assumpsit & audaciæ, vt Deum insimulet, rationem reddat oportet, cur hæc audeat, & interroganti aut redarguenti respondeat.

33. Respondens autem Iob Domino dixit.

34. Qui leuiter locutus sum, respondere quid possum? manum meam ponam super os meum.

35. Vnum locutus sum, quod vtinam non dixissem; & alterum, quibus vltra non addam.

33. 34. 35. Ad hæc Iobus sic modeste humiliterque respondit, dixitque: cum locutus fuero parum considerate & leuiter, ipsa in loquendo leuitas respondere non sinit. Quare satius duxi, continere linguam, & pro responsione adhibere silentium, quod ad eleuandum crimen plus habet interdum virium, quam oratorius sermo. Vnum fateor, & alterum verbum locutus sum, cuius me vehementer pudet ac pœnitet: neque committam vnquam, vt in verbum aliquod deinceps simile prolabar.

Vers. 1. *Nunquid nosti tempus partus ibicum in petris?*]

p.470. a

I. *Ibicum mirum ingenium.*

QVi sint ibices, obscurum est, neque ex autoribus aliquid habemus certum, cum alii alio abeant; & pene in solo genere conueniant. Hebraice dicitur יעלה *iaalah*, quam vocem Hieronymus hic, & *1. Reg XXIV, 3. ibicem* reddidit. vbi nos de ibice non pauca. Sed *Prouerb. V, 19.* transtulit *hinnulum*. Alii *hircum*, alii *ceruum*, Septuaginta *tragelaphum*, id est, hircoceruum reddiderunt, animal nimirum biforme, & ex mixto atque confuso genere, ex hirco videlicet & ceruo compositum. Hoc nos animal appellamus ibicem necesse est, quando ita vulgus hoc loco conuertit. Quod esse a caprarum genere docuit Plinius *lib. 8. cap. 53. Capræ*, inquit, *in plurimas similitudines transfigurantur. Sunt capreæ, sunt rupicapræ, sunt ibices pernicitatis mirandæ, quanquam onerato capite, vastis cornibus, gladiorumque vaginis: in hæc se librant, vt tormento aliquo rotati in petras potissimum e monte aliquo in aliud transire quærentes, atque recussu pernicius quo libuerit exultant.* De his pluribus Ælianus *lib. 14. cap. 15.* Hi porro illi esse creduntur, qui Sardiniæ insulæ familiares sunt, quique vulgari sermone appellantur *Moslones*. De horum partu nihil habemus p.470. b
peculiare, aliquid tamen esse, in quo diuina eluceat prouidentia, notabile, ex hoc loco verosimile est. Quod tamen ideo ignoramus, quia in petris locisque abditis & abruptis pariunt vbi a mortalium nemine aut nunquam, aut nonnisi perquam raro videri possint Cum autem hæc, quæ in terris fiunt a feris, occultentur,

tentur, quid mirum, si homo diuina, quæ tam superiora sunt, non assequatur?

2. *Vel, parturientes ceruas obseruasti?*] In ceruarum puerperio hinnulorumque nutricatione aliquid sine dubio maius est & admirabilius, quam scriptores de re naturali cognoverunt prodideruntque; nam quæ illi tradunt, aut communia sunt cum aliis, aut certe non admodum diuersa. Illud videtur certum ex hoc loco, qui plus affert lucis ad cognoscendum partum conceptumque ceruarum, illarum partum esse difficilem, & nixum cum

Ceruarum partus qualis.

3. grauissimo dolore coniunctum. Quod satis indicat, quod dicitur statim *vers. 3. Incuruantur ad fœtum, & pariunt, & rugitus emittunt.* Quæ omnia grauissimi doloris documenta sunt. Ad quam difficultatem leniendam aliquot Deus benigna prouidentia leuamentis obstetricatus est. Primum indidit ceruis paulo ante durum pariendi conflictum,

pag. 471. a appetitum, studiumque quærendi herbam, quæ vterum laxat & claustra mollit: quæ seselis dicitur, de qua Cicero *lib. 2. de natura Deorum: Ceruæ*, inquit, *paulo ante partum perpurgant se quadam herbula, quæ seselis dicitur.* Idem Plinius *lib. 8. cap. 32.* & addit, statim a partu contra dolorem, opinor, & languorem a puerperio & enixu contractum, adhibere cognitam sibi medicinam. *Fœminæ*, inquit, *ante partum purgantur herba quadam, quæ seselis dicitur, faciliori ita vtuntur vtero. A partu duas habent herbas, quæ aros* (alii chorion legunt, & fortasse melius) *& seselis appellantur.* Hoc idem docet Aristoteles *lib. 9. de histor. animal. cap. 5.* vbi dicit, statim atque enixa est fœtum, ceruam comedere seselim, & inuolucrum, in quo fœtus inuolutus fuerat: cui vis medica inesse existimatur, vt ipse docet ad finem capitis. Hæc autem in ceruarum partu videntur admiranda. Illud deinde diuinæ solertiæ argumentum est, quod eo tempore contingit ceruarum partus, quando frequentia sunt tonitrua, quæ ceruas natura timidas & puerperii dolorem refugientes, horribili sonitu sic afficiunt, vt cogitationem auertant a dolore & metu, & tandem ad maiorem nixum præparant, & cunctantes acuunt. Quod indicauit Dauid *Psalm. XXIIX, 9. Vox Domini præparantis ceruos.* vox autem

Cerua quomodo se ad partum præparat & ab eo se purgat.

Cerua tonitru ad partum iuuatur.

Domini tonitruum est. Atque ideo, vt docet Aristoteles *lib. 6. de histor. cap. 29.* ab arcturi ortu ceruæ ineuntur a maribus, id est, mense Augusto, & mense Septembri implentur, atque concipiunt, cum autem, eodem teste, octonis mensibus vterum ferant, necesse est, vt partus in mensem Aprilem incidat, id est, in vernale tempus iam adultum, quando cum fulmine & fulgure increbescere incipiunt & inhorrescere tonitrua. vide Plinium *lib. 2. cap. 50.* vbi causam reddit, cur horrificæ hæ impressiones in vere potius autumnoque contingant? Hoc de conceptus tempore, & de octomestri vtero docet etiam Plinius *lib. 8. cap. 32.*

Vers. 2. *Dinumerasti tempus conceptus earum, & scisti tempus partus earum?*] Hic locus pene a nobis explicatus est ex Aristotele & Plinio, qui tempus conceptus statuunt sub ortum arcturi, id est, sub mensem Septembrem, partum vero sub Aprilem adulto iam vere, cum frequentior est tonitruorum horror, qui idem ceruis beneficium præstat, quod obstetrix puerperis. 5.

Vers. 3. *Incuruantur ad fœtum*, &c.) Hoc etiam ex proxime dictis satis liquet, neque aliud sibi, opinor, vult, quam cum ingenti dolore contingere ceruarum partum.

Vers. 4. *Separantur filii ceruarum, & pergunt ad pastum: egrediuntur, & non reuertuntur ad eas.*] Maxima prudentia præditam esse ceruam, prodit Aristoteles *lib. 9. de histor. animal. cap. 5.* tum ob alia, de quibus proxime, tum quia hinnulos ad vitæ modum & conseruationem prius sedulo instituunt, quam a se dimittant. Quare quia seipsos iam tueri possunt, & res curare suas, ad matres suas non reuertuntur. Hoc idem tradit Plinius *lib. 8. cap. 32. Editos*, inquit, *partus exercent cursu, & fugam meditari docent, ad præcepta ducunt, saltumque demonstrant.* 6.

Ceruæ quomodo hinnulos instituunt.

Vers. 5. *Quis dimisit onagrum liberum, & vincula eius quis soluit?*] De onagrorum natura, intemperantia, libertate, satis nos multa ad illud *cap. XI, 12. Tanquam pullum onagri se liberum natum putat.* & ad illud *cap. XXIV, 5. Alii quasi onagri in deserto.* vbi diximus, hoc videri Idumæis familiare prouerbium, quo significant hominem suis studiis libidini, 7.

Qualis onagri libertas.

abdomini intemperantius obsequentem, indocilem iugi, qui priuatis inuigilat commodis, aliena & publica prodit & euertit. Multa de onagro, quæ valde faciunt ad hunc locum, diximus *in nostris Commentariis super Ieremiam* ad illud *cap. II, 24. Onager assuetus in solitudine.* Huc omnia spectant, quæ eo loco de onagro dicuntur. Rogat igitur Deus Iobum, a quo huic asello data sit ea naturæ pronitas, vt velit, & ea vis & facultas, vt possit sine lege viuere, iugum excutere, & sua regi libidine, non alienæ parere voluntati. Vincula illius soluit Deus, quando illum a iugo & vinculo liberum creauit.

Illi soluti dicuntur legibus, qui legibus nunquam fuerunt subiecti.

Neque enim ille tantum solutus dicitur a seruitute & a legibus, qui cum prius legibus teneretur, postea tamen principis beneficio immunitatem consecutus est; sed ille, qui ea conditione natus est, ne seruitutem subiret, aut pareret legibus. Quo sensu principes soluti quibusdam legibus esse dicuntur, non quia, subiecti fuerint aliquo tempore, sed quia, ne subessent, vtpote legibus superiores, cautum est. Sed reus a vinculis liberatus dicitur ab eo, qui suo siue consilio, siue solertia egit, ne compingeretur in vincula, & homo liberatus a morbo, medici prouidentia, quæ, ne ille in morbum incideret, effecit.

Onagri libidinosi & zelotypi.

Tam autem sunt imperii & libertatis amantes onagri, tam profusæ libidinis, vt non patiantur quemquam imperii, aut venerei congressus esse consortem. Quare, vt auctor est Solinus *cap. 30.* prolem masculam aut perimunt, aut propagandæ soboli reddunt inutilem. *Africa*, inquit, *onagros habet, in quo genere singuli imperitant gregibus fœminarum. Æmulos libidinis suæ metuunt: inde est quod grauidas suas seruant, vt in editis maribus, si qua facultas fuerit generandi, spem morsu detruncent.*

8. Vers. 6. *Cui dedit in solitudine domum, & tabernacula eius in terra salsuginis*] Quædam animalia, aut natura mansueta, aut artificio & vsu cicurata, ciuitates non horrent, & hominum conuentus: inter quos habitant non inuita, & suas cum illis delicias habent, & ludos exercent. Non ita onagri, qui solitudinem amant & deserta loca, quæ hic ideo *salsuginosa* dicuntur, aut *terra salsuginis*, quia quæ eiusmodi, vtpote sterilia & parum humanis vsibus opportuna, habitare non solent.

Vers. 7. *Contemnit multitudinem ciuita-* 9.
tis, clamorem exactoris non audit.] Contemnit multitudinem ciuitatis, aut quia cum hominibus in ciuitatibus habitare renuit, aut quia, si ipsum hominum multitudo venationis gratia persequatur, non timet; quia ad loca confugit inaccessa atque inuia, quo aspirare non potest sine periculo, aut inutili fatigatione venatorum anhelata contentio.

pag.472.a

Et quia ipsi tanta est in locis præsertim arduis, & tam expedita in summo etiam impedimento pernicitas, vt neque canum sagacitatem, neque equorum velocitatem atque impetum metuant.

Onagri difficile a venatoribus capiuntur.

Sane aliquid simile refert Xenophon *lib. 1. de expeditione Cyri ad medium*, vbi cum ageret de onagrorum venatione, ait: *Onagri quidem cursu equos facile superabant: cumque iam ad eos equites proxime accessissent, ad cursum illi incitabantur: restitabant deinde, cum abessent longius, atque ita sæpius iterata fuga equites fallebant.* Dicitur autem exactoris clamorem non audire, quia procul ab hominibus in syluis habitat, secus atque asini domestici, qui onerosa dorso portant, & interdum iugum subeunt, & aratrum trahunt. Quos homines insectantur & vrgent, modo fuste verberant, modo stimulis pungunt, & varia ab illis exigunt ministeria. Hi, credo, dicuntur exactores, quos non timet onager, quia neque illorum seruit vsibus, neque illos aspicit, nisi oculo fastidienti ac libero. Et fortasse exactor est, qui illum canibus, venabulo, & equis exagitat, quem vsque adeo non timet, vt ipso venationis ardore magis de pabulo cogitet, quam de fuga vitandoque periculo.

Vers. 8. *Circumspicit montes pascuæ suæ,* 10.
&c.] Despectat a sublimi loco pascua, & eo se corripit, vnde maior se ostentat pabulandi commoditas. Aut fortasse, dum magis exactor, id est, venator vrget, & cingit indagine saltus, instigat canes, & intentat lato venabula ferro: ipse animo securo, quasi nullus immineret hostis, circumspicit montes, & virentia quæque pabula perquirit. Neque posterior explicatio omnino displicet, cui fauet exactoris clamor: nam vt venatores canes

Venatoribus familiaris clamor.

ferunt,

ferunt, & retia, & instrumenta alia ad prædam opportuna, sic etiam clamorem adhibent, ad acuendos canes, turbandam prædam, & inducendam in retia, vel in foueam. De quo Maro *3. Georg.*

Sæpe volutabris pulsos syluestribus apros
Latratu turbabis agens: montesque per altos
Ingentem clamore premes ad retia ceruum.

Esse autem clamorem in venatione quasi legitimum, indicat ex profanis Martialis *lib. 10. epigrammat. 37.*

Hic olidam clamosus ages in retia vulpem,
Mordebitque tuos sordida præda canes.

Item Nazianzenus *in oratione funebri Basilii*, vbi tradit, quomodo Sanctus ille Doctor & venator egregius ad Christi retia traheret numerosam prædam: *Quibus*, inquit, *equis? quibus canibus? quo latratu & clamore? quo iuuenum studio viarum exitus, vt venationis leges ferunt, occupantium? orationis tantum iusteque partitionis vinculo constricti.* Quem locum sic Nicetas ex Cyri Theodori scriptis illustrauit:

Venator arte subdola captat feras
Clamore sæuo, nexibus, latratibus,
Venantur autem nobiles serui Dei
Votis profusis, & fide firmissima.

p.472.b His, quæ de onagrorum velocitate, robore & animositate diximus, non parum incommodat, quod *lib. Georg. 3.* Virgilius timidos appellat onagros, quique cursu capi & superari possunt:

Sæpe etiam cursu timidos agitabis onagros.

Sed huic obiectioni satisfieri non difficile potest, si dicas, non idem esse onagrorum ingenium in Italia, de quibus loquebatur Maro, & eorum, quos gignit Idumæa & Syria, quorum ingenium Iobus optime nouerat. Fieri autem solet, vt pro regionum diuersitate omnes viuentium formæ diuersissimæ sint, vt cuiuis explorare facile est. *Onager tenellus expetitus pro mensis.* Seu certe de onagris adhuc teneris, quique materno pascuntur lacte, quique ad mensarum delicias expetuntur, loquebatur Maro; de quibus Plinius *lib. 8. cap 44. Onagri*, inquit, *in Phrygia, & Lycaonia præcipui, pullis eorum ceu præstantibus sapore Africa gloriatur, quos lalisiones appellat.* De his Martialis, tanquam de exquisito atque delicato cibo, ita loquitur *lib. 13. epigram. 97.*

Dum tener est onager, solaque lalisio matre
Pascitur, hoc infans, sed breue nomen habet.

Tunc autem non difficili superari cursu potest a venatore perdite, & comprehendi, sicut in ea ætatula leonum & tigridum capiuntur catuli, cum tamen ferociores sint natura, & magis quam onagri formidabiles.

Vers. 9. *Nunquid volet rhinoceros seruire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum?*] Quæ hic de rhinocerote dicuntur, obscura non sunt. Tantum enim ostendit Deus, illum indocilis esse naturæ, neque condocefieri ab homine posse, vt iugum subeat aut frænum, seu lorum patiatur, vt ex eius robore aliquam homo commoditatem capiat, sicut ex equo, aut boue. Hæc omnium, quæ de rhinocerote dicuntur, summa complexio. Nunc quædam explicanda, & primum, quid sit rhinoceros, de quo plurima, & varia tum diuinarum Scripturarum interpretes, tum etiam illi, qui de rebus naturalibus texuerunt historiam. Sed ego ex hac longa atque incerta tractatione emergam, quam breuissime potuero, sine vlla tamen, quoad potero, commentationis iniuria. 12.

Hebraice dicitur ראם *reem*, quam vocem Vulgatus modo *vnicornem* reddit, modo *rhinocerotem*. Quidam vnicornem & rhinocerotem eundem esse credunt. Plinius inter vtrumque non leue statuit discrimen. Agit de rhinocerote *lib. 8. cap. 20.* de monocerote, seu vnicorni *lib. eodem cap. 21.* Monoceros vnum creditur habere cornu, longum & acutum, quod e fronte pullulat. Rhinoceros cornutum habet nasum, & instructum, aut vno cornu, vt multi volunt, aut duobus, vt opinantur plures; & hoc potius. Ita Pausanias *lib. 9. Rhinoceroti*, inquit, *in summa nare est cornu, & aliud supra illud non magnum.* Quod item Martialis dixit *in suo amphitheatro epigr. 22.* vbi sic de rhinocerote in arenam producto: 13. *Rhinoceros quid.* *Duo habet cornua.*

Namque grauem gemino cornu sic extulit vrsum: pag.473.a
Iactat vt impositas taurus in astra pilas.

An monoceros sit in rerum natura, multi dubitant, & fabulosa putant, aut assinia fabulis 14. *Monoceros an verus vel fabulosus.*

lis multa, quæ de illius ingenio atque virtute afferri solent. At de Rhinocerote nemo prudens dubitare potuit, cum in Romanorum theatrum productus fuerit, primum a Cæsare Augusto, vt auctor est Dion *lib. 51.* Deinde a Domitiano, vt *in amphitheatro* canit non semel Martialis, & nostri viderunt in Oriente sæpe, & nostris temporibus vidit Hispania, in quo ego obseruaui attente, & per otium ea ferme omnia, quæ de Rhinocerote produnt historici, qui a nostris hoc tempore vocatur *Bada.*

15. *Rhinoceros non cicuratur.* Rhinoceros porro nullo artificio, aut vsu, cicurari potest. Quare illum non minus magistri metuunt, qui tenerum, & adhuc imbellem pullum venati sunt, quam alii quique, quos nunquam antea viderat. Quare Martialis *in suo amphitheatro epigr. 22.* Rhinocerotis magistros timidos vocat:

Sollicitant pauidi dum Rhinocerota magistri.

Sane Rhinoceros ille, quem ego in Hispania vidi, ipsi etiam magistro, a quo alebatur, & cuius vocibus diu assuetas aures habuerat, non minus quam aliis erat formidabilis. Quare illi, dum adhuc esset tener & innoxius, effossi sunt oculi, excisa cornua, neque tamen ideo, qui prope aderant, erant a metu vacui, cum audiret strepitum & vocem, & vel ipso odore aliquid adesse sentiret. His positis reliqua obscura non sunt: tantum enim significant, vastam illam belluam cicurari non posse, neque doceri ea munera, quibus hominum vsibus seruire posset, cum tamen aliæ feræ neque mole minores, neque prius magis tractabiles, domentur vsu, & mansuescant obsequio. Hoc ergo *versu 9.* negat Deus, adduci posse Rhinocerotem, vt hominum vtilitatibus seruiat, aut alligetur præsepio, sicut bos, & dorsum oneri, & collum iugo lorove subiiciat.

16. Vers. 10. *Aut confringe glebas vallium post te?*) Confert, opinor, Deus Rhinocerotem cum boue, cui esse dicit longe dissimilem. Bos enim deposita naturali ferocia iugum subit, & bubulci stimulos patienter sustinet, & illius omnino studiis obsequitur, quod nullo modo a Rhinocerote obtinebit, etiamsi diu multumque contenderit. Scimus, boues, dum plaustra trahunt, sic a bubulco regi, vt antecedat currum, & extenta pertica iugoque imposita, sequentes boues, quamcumque in partem velit, ducat non reluctantes: quod etiam dum primum domantur, & aratro assuescunt ac labori rustico, fieri quotidie videmus, & docuit Columella *lib. 6. cap. 2.* quod etiam fieri quondam, dum aratrum trahunt, & glebas confringunt, sicut cum plaustrali alligantur iugo, probabile valde est. Sane cumprimum syluestre & senticosum solum aperitur & proscinditur, cum durus est ager, neque sulcus impressus; quem tanquam regulam sequatur bubulcus, quotidie faciunt aratores Hispani, etiam cum ab equis, aut mulis terra proscinditur, vt vnus antecedat, qui ducat, alter qui sequatur, & stiuam teneat, & tardantes acuat voce, & stimulis agitet. At Rhinoceros neque sequetur præeuntem, nisi vt sternat & laceret, neque a subsequente vrgebitur, cum stimulos non sentiat, cum ea sit tectus & loricatus pelle, vt non sentiat stimulos, sed retundat & frangat, non aliter atque si silex esset aut chalybs. Sane experimento compertum est, neque in bombarda & sclopo contra Rhinocerotem quicquam esse virium: nam cum pabulo esset intentus, & ænea pila a bombarda petitus, neque se commouit, neque reliquit pabulum, non magis quam si inserta laneo tomento pila foret percussus. Glebæ porro dicuntur vallium, quia hæ aratro plerumque subiguntur. nam aspera & confragosa loca aliam habent culturam.

Arandi durum & syluestre solum modus bis tatus.

pag. 473. b

Vers. 11. *Nunquid fiduciam habebis in magna fortitudine eius; & derelinques ei labores tuos?*] Curas nostras & onus in eos secure deriuamus, quos obsequentes esse, & fideles nouimus, tum præterea ita strenuos, vt pondus quantumcumque graue sustinere possint. Cum hoc posterius possit in magna fortitudine sua præstare Rhinoceros, non tamen illud prius, cum ingenium habeat indocile, neque naturalem possit eruere ferociam. Quare illi neque labores suos poterit, neque si qua intercidunt in colendis agris, aut rebus conuehendis, molimina permittere. 17.

Vers. 12. *Numquid credes illi, quod sementem reddat tibi, & aream tuam congreget?*] Explicatio est superioris versus, quasi dicat, sperandum non esse, vt ager a Rhinocerote 18.

sub-

subactus sementem acceptam cum vsura reddat, quasi dicat, ab illo non esse subigendum agrum, neque ex eius opera vllum sperandum esse prouentum: quod magis adhuc exponit, dum dicit, ex illius cultura, sicut ex boum labore, non esse implendam aream, ex qua frumentum deinde comportetur in horrea.

19. *Struthionis proprietas.* Vers. 13. *Penna struthionis similis est pennis herodii & accipitris.*] Sicut aliqua sunt animalia amphibia, quæ non facile statuas an aquatilia sint, aut terrestria; sic etiam alia sunt, quæ numerari non magis possunt in volatilibus, quam in terrestribus, qualis est vespertilio, qui non aliud esse videtur, quam mus pennatus, aut struthiocamelus, qui, vt vox ipsa sonat, nihil est aliud, quam alatus camelus; qui vocari possunt aut vtriusque naturæ participes, aut vtriusque expertes; de hoc igitur nunc instat sermo, quem paucis descripsit Plinius *libr. 10. cap. 11. Auium*, inquit, *grandissimi, & pene bestiarum generis struthiocameli Africi, vel Æthiopici, altitudinem equitis insidentis equo excedunt, celeritatem vincunt, ad hoc demum datis pennis, vt currentem adiuvent. Cæterum non sunt volucres, nec a terra tolluntur. Vngulæ his ceruinis similes, quibus dimicant bisulcæ, comprehendendis lapidibus vtiles, quos in fuga contra sequentes ingerunt pedibus, concoquendi sine delectu deuorata mirā natura. Sed non minus stoliditas in tanta reliqui* p. 474. a *corporis altitudine, cum colla frutice occultauerint, latere se existimantium. Præmium ex iis oua, propter amplitudinem pro quibusdam habita vasis: conosque bellicos, & galeas adornantes pennæ.* Hæc Plinius.

20. Vbi Vulgatus *struthiones*, Hebr. est רננים *renanim*, quod aliquid indicat speciosum & lætum. Quare hæc spectantes quidam *pauonem* reddiderunt: quia illius speciosæ sunt pennæ, in quibus ipse se plurimum amat. Ita cum Rabbinis Hebraizantes quidam, in quibus sunt Pagninus, & Hebræus apud Caietanum, a quo ipse non dissentit. Chaldæus *gallum syluestrem* esse putat. Sed quæ sequuntur non satis cum pauone gallove syluestri conueniunt. vbi Vulgatus *herodii*, Hebraice est חסידה, quæ varie a variis, imo a nostro interprete variis in locis varie redditur. *Zachar. V, 9. miluius; Ierem. IIX, 7. ciconia; Deut. XIV, 18. porphyrio; Leuit. XI, 19. Psalm. CIII, 17. herodius*, sicut *hic*. Septuaginta cum aliis locis *vpupam, herodiumque* conuertunt, *hoc* tamen *loco*, & *Ieremiæ IIX, 7.* nomen ipsum Hebraicum reliquerunt, dixeruntque *asidam*. vide quid nos *in nostris Commentariis* in *cap. V. Zachar.* Iuxta varias conversiones, variæ etiam sunt Interpretum sententiæ, in quibus commemorandis aut refellendis nihil moror, quia neque admodum puto necessarium, cum vni ex omnibus vulgatæ translationi hæreat nostra commentatio, neque prodigus esse velim temporis, quo non nimis abundo.

Dum herodii, id est, alati cameli meminit 21. Deus, suæ prouidentiæ admirabile producit documentum. Imprimis quia animali tantæ molis, & vt ex totius corporis constitutione coniectare licet, tardo, certe non admodum veloci, pennas addidit, licet inter volucres numerari non debuerit. Sicut neque aliqui pennati serpentes, aut pisces maris, qui alarum remigio non minori velocitate in aëre sublimes, quam illi in terris, aut in aquis mouentur, in volatilium genere censentur. Alis autem, licet alienæ quodammodo naturæ affixis, struthionis tarditatem leuauit & acuit, & illius præterea incolumitati consuluit, sicut dicemus statim *vers. 18.* dum autem alas struthionis similes vocat alis herodii, ostendit, struthionem non numerandum inter aues, quando alas dicitur habere & plumas, quasi esset auis. Sane Plinius *supra* e bestiarum genere esse dicit, & clarius Isidorus *lib. 12. cap. 7. etymol.* Aliud autem suæ prouidentiæ argumentum singulare exhibuit in pullorum incubatione & vita, de quo mox.

Vers. 14. *Quando derelinquit oua sua in terra.*] Sicut in coruorum pullis, quos ex ni- 22. dis expulere parentes, Dei sese indulgentissima prouidentia prodit, dum illos sustentat nutricis in modum; sic in fouendis excludendisque ouis struthionum non minus elucet diuina prouidentia. Cum enim ediderit oua, & in illis filiorum spem, & pene matura semina, illa tamen, quasi forent aliena, derelinquit, illorum immemor: neque propter stuporem naturalem curat, an calcetur ab humano pede, aut laceretur, ac rumpatur a belluis, illorum *Struthionis oua quomodo curat Deus.*

tamen Deus curam suscepit, & aluit pro suis.

De struthionis ouis, aut fotis, aut animatis, multa dicuntur ab his, qui de rerum natura
p.474.b historiam concinnarunt, quæ ideo minus placent, quia cum hoc loco non omnino consentiunt. Minus tamen ex omnibus placet Ælianus, nisi fortasse de aliquo struthionis genere loquatur, quod valde sit diuersum ab eo, de quo nunc Deus: nam struthioni incubationem tribuit, & amorem in pullos ardentissimum: tum etiam solertiam singularem

Qualis existimatus struthionis in pullos amor.

in construendo nido; quæ omnia negat Deus, & ex stupore & obliuione struthionis suam docet commendatque prouidentiam. Sic autem Ælianus de formando nido. *lib. 14. c. 6. Pedibus*, inquit, *sabulum architectans in solo humilem nidum fingit & construit: cuius medium concauum efficit, labra nidum ambientia alte exaggerat, ac tanquam muro circummunit, vt munitio eminens pluuiam in nidum influere, & pullos etiam nunc teneros alluere prohibeat.* Ecquid hic stuporis apparet?

23. De ouis vero fouendis excludendisque, & alendis pullis sic idem *lib. 4. cap. 36. Etsi permulta oua parit, non tamen omnia ad frugem producit; at fœcunda ab infœcundis secernit, tantumque frugiferis incubat; simul & ex his pullos excludit, & oua sterilia comedenda editis pullis præbet.* De affectu in sobolem, aut duritia, multa dixit contra id, quod statim habemus e sacro textu, tam etiam e Ierem. *Thren. IV, 3* cum enim modum traderet, quo struthio a venatore capitur *lib 14. cap. 7.* ait: *Cum incubantem struthionem vir eius venationis bene peritus animaduertit, peracutas ex ferro cuspides spiculorum more rectas circum nidum defigit: & alicubi prope in occulto latens ex insidiis rei euentum acerrime expectat. Struthio vero, quoniam amore, quem erga fœtus suos acerrimum habet, flagrans sitienter cum eis versari cupiat, ex inquisitione pastus reuertitur: ac nimirum prius quam in nidum introeat, huc, illuc versans oculos circumspectat, quod metuat, ne quis se e speculetur. Deinde ardentissimo pullorum studio victa, & si ferrum splendescit, ita tamen alis passis, tanquam velis contento fune explicatis, intra nidum miserabiliter ingreditur. Nam cuspidato ferro transfixa, acerba morte afficitur. Venator vero repentinus eo accedit, & simul cum matre pullos capit.* Hæc Ælianus satis, vt vides, contra ea, quæ Scriptura tradit.

Tu forsitan in puluere calefacies ea?] Hæc satis ostendunt, oua relicta a struthione non foueri; sed speciali aliqua Dei prouidentia: quæ sicut coruorum pullos respicit & nutrit: sic etiam struthionis ex calefactis ouis pullos excludit, eosdemque prouidentia non minori sustentat. Quomodo vero Deus oua illa confoueat, formetque pullos, educetque animatos, ex rudi confusaque materia, scito opus est. Neque curo quod alii dicunt, oua illa aspectu struthionis confoueri, quod dixit Cælius *lib. 10. cap. 5* magis videtur verisimile ab ipso puluere solis ardore calefacto animari fœtum illum, & tandem excludi. ita Isidorus *lib. 2. cap. 7. etymol.* vbi sic de struthione: *Oua sua fouere negligit, sed proiecta tantummodo fotu pulueris animantur.* Idem pene Albertus *de animalibus lib. 23.* Plura hac de re vide apud Conradum Gesnerum *lib. 3. de auibus*, vbi de struthione multa. Foueri sine matribus oua, & ex illis pullos excludi, docent Aristoteles, & Plinius; ille *lib. 6. de animalib. cap. 2.* hic *lib. 10. cap. 54 & 55.* Vterque dicit, in Ægypto ex ouis in fimeto obrutis magnam procreari pulliciem, id est, pullorum multitudinem. & idem contingere, si in vasis calidis includantur oua. Quod etiam in Sinarum regione nunc fieri tradit Maphæus *lib. 6 histor. Indicæ.* quod artificium illi prouinciæ quæstuosum esse dicitur. Sic autem ibi: *Sunt qui intra naues altilium atque anatum præsertim ingentes alant turmas, & facillima est soboles: propterea quod ex ouis non matris incubitu, sed leni tepore ex ignibus temperatis adhibito, quotquot visum est pullos excludant.* Eo modo arbitror oua ab arena aut puluere calido foueri, donec maturescant, & excludantur fœtus: & in eo spectari diuinam prouidentiam, quod eo tempore contingit struthionis fœtura, quando ad pullationem magis est attemperatus calor: ille autem est mense Iulio, vt supra citatus obseruauit Albertus.

Est etiam circa pullos iam editos singularis alia prouidentia: nam quemadmodum coruorum pullos clamantes audit Deus, eisque de victu prouidet necessario: sic etiam exclusos

---

Right margin notes:

24. *Quomodo relicta struthionis oua foueuntur a Deo.*

Quomodo absque auium incubitu excludantur pulli.

pag.475.a

25.

clusos pullos ex struthionis ouis non minori benignitate sustentat. Clamare autem pullos illos a parentibus orbatos indicat Michæas *cap. I, 8. Faciam planctum velut draconum, & luctum quasi struthionum.* Quod de pullis videtur intelligi posse melius, quam de parentibus. Vide quid nos *in nostris Commentariis ad illum locum*, & supra *cap. XXX, 29.* ad illud: *Frater fui draconum, & socius struthionum.*

26. Vers. 16. *Duratur ad filios suos, quasi non sint sui: frustra laborauit nullo timore cogente.*] Non magis filios suos curat quam alienos, neque laborat aut curat, ne conculcentur aut opprimantur a feris, aut prædæ fiant serpentibus, aut vilioribus belluis: quare suum laborem, quem in ouorum enixu pertulit, perire sinit, quod facit, non vt vitam suam tueatur, proposito metu a potentiori bellua (tunc enim parentes alii filiorum salutem nihili habere solent, dum tueantur suam) sed cogente nemine, sed animi duritie & stupore grandi, quo suorum studium & curam abiecit. Quod statim Dominus explicat, dum ait: *Priuauit enim eam Deus sapientia.* Quod sine dubio propter hanc obliuionem & inertiam dictum est, non autem, vt *ad v. 9.* diximus ex Plinio, quia tunc se omnino securum esse putat a venatore & fera, si caput occultet, quasi putet, si caput lateat, totum etiam latere corpus. Hæc autem struthionis siue durities siue obliuio in prouerbium abiisse videtur. de quo *Threnor. IV, 3. Filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto.*

Struthionis duritia *prouerbialis.*

27. *Struthioni cur alæ datæ?*

Vers. 18. *Cum tempus fuerit, in altum alas erigit: deridet equum, & ascensorem eius.*] Diximus, struthionem non esse omnino volucrem: quia licet habeat alas herodii similes, aut accipitris, non tamen supra terram eleuatur in aëra, quod faciunt volucres, quibus campus, vbi discurrant, seque explicent magis & oblectent, aër est. Nihilominus magnum ex alis vsum capiunt, quia quemadmodum velis remisque velocius aguntur rates, & facilius aut assequuntur hostes, aut effugiunt
pag. 475. b pericula? sic struthio, quæ graui mole est, & incessu tardo, adhibito alarum quasi remigio, sic se mouet velociter, vt illam non assequatur equus, quantumuis calcaribus excitatus ad cursum. Hoc aperte habemus ex hoc loco, & in verbo *deridet.* est in eo genere maior vis, perinde enim est ac si dicat Deus: ludum esse struthioni equum effugere, & cum equite de cursus celeritate contendere. Addunt tamen aliqui, in extremis alis habere quosdam aculeos, ex ossea duraque materia, quibus se calcarium instar excitat & pungit; quo fit, vt non solum equos currendo prævertat, sed etiam volucrum pari velocitate adæquet: de hac velocitate Xenophon *lib. 1. de expeditione Cyri ad medium: Struthiocamelum*, inquit, *nemo omnino capere potuit, tam longe enim & pedum pernicitate, modo vero alarum quasi velificatione promouebant, vt statim equites desperata præda insequi desinerent.*

Vers. 19. *Nunquid præbebis equo fortitudi- 28.
nem, aut circumdabis collo eius hinnitum?*] *Equi laus.*
Meminit proxime equi, cuius anteuertebat cursum struthio alarum subsidio; nunc ab equi specie & generoso spiritu argumentum sumit, vt suam in illo formando sapientiam probet, & insipientiæ lobum atque impotentiæ conuincat. In illo primum *fortitudinem* commendat, quæ spectari potest tum in ferendis oneribus in longo & impedito cursu, in toleranda militia: in omnibus denique, quæ statim sigillatim numerantur, quæ audaciam probant, & timorem excludunt. In *hinnitu* vero strenuus indicatur, audax, impauidus, & generosus animus. In eo etenim sono nihil apparet ignobile, nihil abiectum, nihil querulum, sicut in tauro saucio aut ægroto leone. Loquendi modus minus vsitatus, & si seorsum sumatur, paulo durior: verum non item, si hinnitum cum equorum phaleris, & omni alio ornamento coniungas. Circumdat homo equum natura nobilem & superbum, equestri instructu, quo sic ille superbit, vt alacritate, incessu, hinnitu lætitiam suam dissimulare non possit. Bucephalus Alexandri equus phaleratus, quasi alius esset a seipso, & ornamentorum venustatem & pretium agnosceret, neminem sessum præter Alexandrum admittebat; cum autem ephippia & equestria tollerentur insignia, facilem se præbebat & obsequentem aliis. Quare præcipua equorum ornamenta in frænis sunt, & in collo, iis denique locis, quæ

equorum oculis subiecta sunt. Sic Claudianus *in epigram.* de equo ornando:

—Virides spumis perfunde smaragdos,
Luxurient tumido gemmata monilia collo,
Nobilis auratos iam purpura vestiat armos.

Virgil. *lib 7. Æneid.*

Aurea pectoribus demissa monilia pendent
Tecti auro, fuluum mandunt sub dentibus aurum.

29. *Equus phaleratus superbit.* Cum autem equi ornari se vident, tunc superbiunt elatis animis, & quasi gratulati, aut assentati Dominis hinniunt, & alia edunt exultantis animi documenta. Sic sane Ælianus *lib. 6. cap. 10. Equus*, inquit, *cum freni crepitum, & strata & cætera ornamenta videt, tunc fremit, & exultans vngularum supplosione obstrepit, & ex eorum conspectu quasi furoris afflatu ad iter accenditur: voce equisonis excitatur, & aures erigit, & naribus inflatis celerem festinationem anhelat, quodam incredibili cursus studio ad currendi memoriam rediens.*
p.476.a Quod si hæc adimas, demittit animos, & rarior est, minusque clarus & alacer hinnitus; imo vt legisse me memini, licet in præsentia locus non succurrat, si quis iubas, quæ equinæ ceruicis ornamentum sunt, tondeat, statim quasi iniuriam agnoscat, abiicit spiritus, & demisso capite, mœrorem ostendit. Ita indicant *hic* Sanct. Thomas, Lyra, Dionysius, licet hi detonsis iubis sedari dicant rabidam libidinem; non restingui ac comprimi præferoces ac rabidos spiritus. Sed vtrumque indicat externis ornamentis delectari equum, & superbire, & illis detractis spiritus abiicere exultantes ac superbos.

30. His positis sic locum explico, circumdabis equi collo baccata monilia, & reliqua ornamenta, quibus elatus equus gaudio tollat hinnitum; at hinnitum ipsum illius collo circumdare non poteris, quia dare non poteris spiritum, ex quo formatur equinus ille fremitus. Neque apta animalis illius organa, quæ sonum illum cieant & forment. Alii in *hinnitu* crepitacula intelligunt ærea inserta monilibus, quæ motu, & collisione sonant, quæ ex collo pendent. Sed est nimis dura translatio, neque proprietas deserenda, cum a re ipsa & textu aliena non est.

31. Vers. 20. *Nunquid suscitabis eum, quasi locustas?*] In *locusta* multa sunt notanda, siue in figura, siue in saltu, siue in tegumento, sive etiam in multitudine & acie, qua irrumpunt in segetes, & temporis momento populantur, & perdunt: in quo horum equus similis videatur locustis, incertum est. Quidam secuti translationem Septuaginta, similitudinem sumunt ab armis, quibus cataphractus equus locustarum refert similitudinem: Quasi dicat Deus, nunquid tu eo modo equum armabis ad pugnam, hominumque terrorem, quomodo armatæ incedunt locustæ. Caietanus in *locusta* tremorem agnoscit, qui tremor in equo audaciæ signum est, & fortitudinis ad magnum aliquod opus gestientis, iuxta illud Virgil. *lib. 3. Georg.*

—Si qua sonum procul arma dederunt,
Stare loco nescit, micat auribus, & tremit artus.

S. Thomas equum locustæ assimilari putat in saltu, vt enim locustæ saliendo se mouent, sic etiam equus vehementer salit, contra morem multorum quadrupedum. Cum Sanct. Thoma sentiunt Dionysius, & Lyra, qua similitudine velocitatem equi significari putant: vt enim locustæ ita frequenter & alte saliunt, vt non facile statuas, volentne an saliant, quia saltus ille non admodum differt a volatu: sic equus sic salit, sic currit velociter, vt illum volare putes potius per aëra, quam per terram incedere, quam vix, dum currit, videtur pedibus attingere. Et certe equo Scriptores profani pro cursu dant volatum, & dicunt, nulla velocis cursus in terra relinquere vestigia: Hoc nos docuimus *in nostris Commentariis* ad illud *Danielis IIX, 5.* de hirco, in quo portendebatur Alexandri velocitas. Ecce autem hircus caprarum veniebat ab Occidente super faciem, & non tangebat terram, quasi volare potius videretur, quam incedere. De curribus dixit Virgil. *3. Georg.* 32. *Velocitatis summæ fictata hyperbole.*

—Volat vi feruidus axis,
Iamque humiles, iamque elati sublime videntur
Aëra per vacuum ferri, atque assurgere in auras. p.476.b

De equis Claudianus *Panegyr. 3. in consulatu Honorii:*

Nobis Ionia virides Neptunus in alga

Pascit

Pascit equos, qui summa freti per cærula possent
Ferre viam, segetemque leui percurrere motu,
Nesciat aut spumas, nec proterat vngula culmos.

Silius Italicus:

Erectus in auras
It sonipes, rapidaque volans per aperta procella,
Tenuia vix summo vestigia puluere signat.

Hæc dixi pro sententia Diui Thomæ, quam aliqui e recentioribus sequuntur, quæ mihi non displicet.

33. Sed magis suspicor, argumentum hic adduci non a locustarum similitudine, sed a dissimilitudine potius, ita vt non hic similis equus dicatur locustæ in saltu, sed dissimilis in debilitate, pauore ac fuga. Nam locustæ exiles sunt, & ad resistendum infirmæ, & quæ ad leuem aliquem strepitum aut motum aufugiunt, & locum relinquunt, quem insederunt. Non sic autem equi, quos neque strepitus, aut clangor turbat, neque metus debilitat ac frangit. Quare locum sic interpretor: Numquid suscitabis equum, aut e suo loco, aut statione mouebis, aut strepitu, aut obiecto terrore, quemadmodum excitas locustas, & abigis e locis, quæ disperdunt & vastant: quasi dicat; Nequaquam. Quam explicationem, quæ statim succedunt, facile confirmant. Nam potius strepitu atque clangore militari acuitur & inardescit equus, quam terretur & languet. Ita putat Eugubinus, Titelmanus, Isidorus, Stunica, & indicat vox Hebraia רעש *raas*, quæ tremorem indicat; atque ita transtulit Pagninus, & Caietanus: *Numquid timere facies equum, sicut locustam?*

34. *Gloria narium eius terror*] Hic locus duas admittit explicationes, easque, vt apparet, non inuitas. Altera est, vt nares patulæ atque fumantes, quæ maxima est equorum gloria, venustas, & si qua esse potest, in belluina facie maiestas, ambitio, aliis terrorem incutiat. Quod certe explicuit, aut certe non obscure indicauit Ioel *cap. II, 4.* vbi cum Chaldæorum acies descripsisset horribiles, & Chaldæos ipsos truculento ac præferoci vultu, cum equorum comparauit aspectu; qui sane cum fumat nasus, obuio cuique timorem incutit vehementem: *Quasi aspectus*, inquit, *equorum aspectus eorum.* Quod autem equus e naribus fumum emittat, aut etiam ignem euomat, res est nota, & nos statim exemplorum satis adducemus.

Altera explicatio mihi facilior est & expedita magis, quæ terrorem non illum interpretatur, quem aliis obiicit fumans equorum nasus, sed quem alii equo obiiciunt; dum opponunt arma, dum obstrepunt inimico clamore ac strepitu, & lituorum clangore, a quo tam longe est, vt terreatur, & retrorsus abeat, vt potius inde ardorem concipiat, & furorem bellicum, & tunc magis fumos aspiret: quod magis est incitati ac strenui, quam languidi atque pauentis animi. Quare sensus erit: Non suscitabis equum proposito metu, aut edito clamore, aut strepenti pede, sicut suscitantur locustæ. Terror obiectus equo illi est gloria narium, id est, ad iram potius, quæ fumare facit nasum, mouet, quam in metum trahit. 35. *Equus impauidus.* pag. 477. a

36. *Nasus fumans furoris signum.* Quod autem flatus vehementior; & spiritus in naso iram efferbescentem prodat, & pro graui furoris æstu per metonymiam vsurpetur tam in sacris, quam in profanis, multa docent. De his prius vrsus fumante naso suam ostendit iam ebullientem, & foras erumpentem iram. Sic de illo Martialis *lib. 6. epig. 64.*

Sed miserere tui, rapido ne perditus ore
Fumantem nasum viui tentaueris vrsi.

De indignato sane id dixit Isaias *cap. II, 22. Quiescite ergo ab homine, cuius spiritus in naribus eius est.* Dauid *2. Reg. XXII, 9. Ascendit fumus de naribus eius.* De equo id quotidiana docet experientia, qui dum ardet ad pugnam, & clangente buccina incitatur ad cursum, maxime si adductis habenis gestientem erumpere coërceas, non fumum solum, sed ignem etiam e naribus expirat. Sic sane Poëtæ varii, & sæpe. Statius *1. Sylua.*

Bistonius portat sonipes, magnoque superbit
Pondere, nec tardo raptus prope flumina cursu
Fumat.

Silius Italicus *lib. 6.*

—Frænoque teneri

Impatiens crebras expirat naribus ignes.

Claudianus *de 4. consulatu Honorii:*

Vtque tuis primum sonipes calcaribus arsit
Ignescunt patulæ nares.

Virgil. *lib. 3. Georg.*

—Si qua sonum procul arma dedere
Stare loco nescit, micat auribus, & tremit artus,
Collectumque premens voluit sub naribus ignem.

Hæc explicatio mihi visa est expedita magis, a qua non videtur abhorrere S. Thomas & Lyra. Neque ideo improbo illam, quam huic adduxi proximam.

37. Verſ. 21. *Terram vngula fodit, exultat audacter.*] Hæc, & quæ sequuntur, obscura non sunt. Tantum enim explicant mirabiles equorum proprietates, & naturam audacem & ingenuam. Hæc porro, quæ hic commemorantur, tunc accidunt maxime, quando illa proponuntur, quæ aliis metum inferre solent, quia, vt dicebamus, tunc maxime incitatur equus, & exhalatur fumus, aut emicat ignis ex illius naribus, quando occurrit tremor, id est, illa, quæ tremorem ignobili belluarum generi afferre solent. Huc enim spectant omnia, quæ nunc de equorum præferoci spiritu & audacia prædicantur. Quod terram fodiat, quotidie videmus, quod facit plerumque impatiens moræ, cum carceribus oppositis, aut adductis fortiter habenis, cohibetur a cursu. Nemo ferme est, qui nobilem describat equum, qui hanc excauati soli notam prætereat. Virgil. *lib. 3. Georg.*

At duplex agitur per lumbos spina, cauatque
Tellurem, & solido grauiter sonat vngula cornu.

Vide quid supra diximus ex Æliano *lib. 6. cap. 10.* vbi hanc terræ excauationem vngularum supplosionem vocat. De hac Nemesianus:

—Vngula terram
Crebra ferit, virtusque artus animosa fatigat.

P.477.b

38. *In occursum pergit armatis*] Adeo non timet, aut refugit arma, seu periculum, vt illa appetat & ægre ferat, teneri se, donec laxentur claustra, aut quibus arcetur, subducuntur, aut franguntur carceres. Hoc ipsum explicatur magis, cum statim subditur.

Verſ. 22. *Contemnit pauorem, nec cedit gladio.*] *Pauor*, *tremor*, *timor*, & similia, pro his rebus sumuntur, quæ aliis afferunt timendi causam, quales sunt hostes, feræ, arma. 39. vnde Deus *Geneſ. XXXI, 42.* dicitur *timor Isaac*, quia illum timebat Isaac. Et inimicorum arma, minacesque clamores *timorem* vocat Petrus *1. epist. cap. III, 14. Timorem eorum ne timueritis.* Sic ergo hoc loco *pauor* pro armis sumitur & periculis, quæ non horret aut curat generosus equus. Qua de re alii multa, nos pauca adducemus. Virgil. *3. Georg.*

Primus & ire viam, & fluuios tentare minaces
Audet, & ignoto sese committere ponto.
Nec vanos horret strepitus.

Columella *lib. 6. cap. 29.* hæc tradit equi generosi signa prognostica. Si fossam sine cunctatione transilit, pontem flumenque transcendit, & alia, quæ non aggreditur, nisi ille, cui naturalis est virtus & innata nobilitas. Oppianus aliquid maius narrat de equis, quos alit Euphrates:

—Qui habitant virides Euphratis ad vndas
Magnanimis vtuntur equis ad bella leonum
Lumina glauca vibrant, & magnum in pectore robur.
Efferat audaces animos ad feruida bella,
Accedit leuitas cursus, quodque ora leonis
Intrepide perferre valet.

40. Verſ. 23. *Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta, & clypeus*] Ingenui est animi, & bellicæ virtutis argumentum, non terreri aut commoueri strepitu inopinato, aut aspectu rerum horribili: quod assecuta est nobilis equi generosa indoles; cum enim eques hastam gerat & vibret, & clypeum, qui ab hoste percussus acutum aliquid sonat, & grauidam pharetram sagittis, quas torquet sonante arcu, & nostro sæculo sclopum, qui æreis globulis explosis reboat horrendum aliquid: quod homo diu in acie versatus sine timore non audiret, id equus securus & intrepidus audit. Hoc signum equi nobilis tradit Columella nuper citatus: *Si intrepidus sineque conspectu, nouaque rei auditu terretur.* Quomodo

Equus quomodo docetur horribilia non timere.

modo autem ad harum rerum contemptum nouitius equus assuescat, ex Persarum disciplina præcepta quædam tradit Ælianus *lib. 4. cap. 25. Ne armorum*, inquit, *fremitum, & gladiorum ad clypeum resonantium crepitum equi extimescant, eos ad strepitum & sonitum assuescere cogunt, armataque cadauerum simulacra sub ipsum fœnum subiiciunt. Vt cæsorum conspectum in bello ferre consuescant, ne rerum terribilium metu affecti ad rem militarem inutiles sint.* Quod ab Homero etiam obseruatum esse dicit. Idem Xenophon monet equorum domitorem in suo Hipparchico, *vt per turbam circumferat: admoueant illum variis specibus, & fragoribus.*

41. Vers. 24. *Feruens & tremens sorbet terram.*] Equus, cum huc atque illuc se versat impatiens moræ, & classicum expectat, vt in aciem prodeat, interim suos despumat ardores, & vndantes & interno æstu fumos expi-

p. 478. a rat: & quia hostem prope non habet, in quem ardorem illum & furorem effundat, in terram ipsam, quam subiectam habet pedibus, totus desæuit; quam ita furiosus & indignabundus appetit vngulis, & morsu, vt illam absorbere videatur. Porro *absorbere, vorare*, & similia, in omni, vt reor, idiomate idem sunt quod euertere, dissipare, sine vllo labore, vel impendio, aut certe non longo difficilique negotio. Fortasse sicut pro regionum varietate varia etiam sunt animantium ingenia, sic etiam equorum, quos habuit Idumæa, quosque Iobus solum, aut maxime nouerat, ea erat natura, vt in furore terram morsu appeterent, sicut faciunt vngulis, quod etiam equi nostri, licet non ita sæpe faciunt aliquando.

42. *Illa deuorari dicuntur, quæ facile & sine molestia fiunt.* Quidam hoc ad celeritatem referunt, qua magna spatia equi breuissimo tempore currendo conficiunt. In his sunt Eugubinus, & Vatablus. Et quidem, vt dicebam nuper, quæ breui, facile, & sine molestia facimus, illa deuorare, & quod idem est, sorbere dicimur. Sic sane de equo, qui longa exiguo tempore metitur spatia, loquitur Hispanus; qui talem equum appellat *traga leguas*. A qua loquendi forma non abhorret Latinus, qui helluonem librorum vocat eum, qui multos libros auide volutat, quem Hispanus diceret *traga libros*. Eugubinus hanc sibi sententiam persuadet, & explicat similibus dicendi modis: *Absorbere*, inquit, *terram per translationem dicitur, vt apud nostrates carpere iter, radere littora. Sic equus velocitate terram, spatiaque absumit.* Hæc sententia posterior ideo placet magis, quia de terra equorum vngulis verberata & fossa, iam ante dictum fuerat *v. 21.* neque videbatur omittenda illorum in currendo celeritas, quæ in eo genere laus est præcipua, quæ optime eo dicendi genere significatur. vt enim optime equus dicitur corripere, aut carpere viam, sic etiam corripere, aut carpere, &, quod his affine est, sorbere terram.

His addo explicationem aliam, quam persuadeo nemini, sed quæ nonnihil habet probabilitatis. Equum sorbendo bibere tradit Aristoteles *lib. 8. de animal. cap. 6.* eundemque aquam bibere turbidam, id est, terræ confusam, atque permixtam docet idem, *eodem lib. cap. 8. & cap. 24. Bibunt*, inquit, *aquas libentius turbidas, quod si clara est, inturbant eam vngulis suis.* Sorbere autem aquam altius demerso capite, ex quo necesse est plus hauriat terræ, docet Plinius feruidioris ingenii signum esse, *lib. 8 cap. 42. Quo quis*, inquit, *acrior, eo profundius nares mergit.* fortasse vt magis fumantes nares & ardentes refrigeret. Hoc autem videtur idem, aut perinde esse, ac sorbere terram. 43. *Equus aquam bibit turbidam.*

Nec reputat tubæ sonare clangorem] Si de equorum ardore, quo impatiens moræ, dum gestit ad cursum, seu in aciem erumpere, feruet, & fremit, quod proxime præcedit, intelligas, non est huius loci explicatio difficilis. Fert etenim ipsa rerum natura, vt quæ maxime cupimus, si paululum differantur, adfutura nunquam existimemus, idque non obscure significatur. Hinc illorum, qui aliquid amant, si quicquam intercedat moræ, desperatio. Hinc dies pro annis, imo & pro sæculis computari. Sic cum carceribus cohibetur equus, & exilire desiderat, neque facultas datur, donec insonet tuba, præ nimio studio non putat futurum, vt aliquando clangente tuba sibi liceat in apertum erumpere. 44.
At si de equorum velocitate sermo fit, quod placebat magis, sensus erit, non impediri aut p. 478. b

retar-

retardari cursus velocitatem, etiam si contra stet multitudinis aspectus, armorum strepitus, & lituorum clangor, qui aliis magno esse solet impedimento.

45. Vers. 25. *Vbi audierit buccinam, dicit vah.*] *Vah* interiectio est, quæ gaudium significat immoderatum & subitum, cum videlicet aliquis de voto diu suspenso, & tandem completo sibi gratulatur, aut certe pro votis aliquid accidit opportunum maxime. Pro huiusmodi voce, aut aliis similibus, quibus homines de sua sibi fortuna gratulantur, quales sunt, *o factum bene. Quis me fortunatior euge*, ecquis est hinnitus hilarior & productior. Talem edit, cum audit resonantem tubam, cuius tantopere clangorem expetebat.

46. *Procul odoratur bellum.*] Sicut animalia plurima, qualia fuerunt illa, de quibus supra *cap. XXXVII, 8.* futuras temporum mutationes multo ante præsagiunt, sibique ab illis mature cauent: sic equi procul odorantur bellum, quod videntur appetere, & se ad illud multo ante disponere: non aliter, atque milites, & inferiores ordines, qui non solum arma comparant, quibus aduersarium oppugnent, sed etiam animos, vt ita imperatori pareant, ne vnquam ab eius præscripto & tradita sibi statione recedant. Idem etiam videtur expectare equus; quod si non plane docet, obscure tamen indicat, quod statim subditur, *exhortationem ducum:* sed reuera exhortatio ducum, & vlulatus exercitus, est odor pugnæ, quam multo ante pugnam præsentit equus, ex quo præsagit pugnam, quam proxime indicit lituorum clangor. Quasi dicat, exultat equus vehementer, cum audit clangentem tubam, & bellum iamiam adesse; licet multo ante præsentiat futurum, cum voces audit exhortatorias ducum, & tumultuantem exercitum. Quanta sit equorum intelligentia, quam acris rerum cognitio, docet Plinius *lib. 8. cap. 42.* vbi plurima, eaque scitu digna producit exempla.

47. Vers. 26. *Nunquid per sapientiam tuam plumescit accipiter expandens alas suas ad austrum.*] De accipitre nihil ferme habemus, nisi quod hoc loco Scriptura prodit: & quod in huius loci explicatione, aut inuenerunt, aut excogitauerunt interpretes. De veritate licet Scriptores alii sileant, dubitare non licet: neque obscura est, aut dubia sententia. Hebræorum aliqui verbum יאבר *iaaber*, quod *plumascet* reddidit Vulgatus, conuerterunt *volabit*. Neque tunc de sensu dubitaret quispiam. quis enim non vidit volantem accipitrem? Sed quando a Vulgati sententia recedendum non est, de plumarum instructu nouarum, aut veterum renouatione hæc intelligamus necesse est. Et primum statuendum, sermonem non esse de plumatione, quæ pullos instruit, quando ab eo ornatu nudi continebantur in nidis; tunc enim, vt plumescerent, nullas habuerunt alas, quas ad austrum expanderent, nisi brachiola pro pennis sumas; quod apparet durum. Est ergo sermo de alarum renouatione. quando auis hæc iam senior excutit antiquas pennas, vt induat nouas, quemadmodum serpens senectam exuit, & iuuentutem induit, id est, iuvenilem ostentat speciem. Quo vero id modo faciat, docuit Gregorius, a quo sumpserunt alii non pauci. *Quod per annos singulos*, inquit, *pennam veterem accipiter noua nascente proiiciat, ac sine intermissione plumescat, nullus ignorat. Non autem hic plumæ tempus dicitur, quo in nido vestitur, quia tunc pullus ad austrum pennas extendere non valet: sed illa annua pluma describitur, quæ, laxata veteri penna, renouatur. Et quidem domesticis accipitribus quo melius plumescere debeant, humida ac tepentia loca requirunt: agrestibus vero moris est, vt flante austro alas expandant, quatenus eorum membra ad laxandam pennam venti tepore coalescant. Cum vero ventus deest, alis contra radios solis expansis atque percussis tepentem sibi auram faciunt; sicque capto tepore apertis poris vel veteres exiliunt, vel nouæ succrescunt.* Hæc Gregorius. Hæc aut similia tradunt alii de auibus aliis rapacibus & carniuoris, de quorum genere est accipiter. Vnde non male aliqui coniectant, exempli gratia pro omnibus accipitrem esse propositum. Ælianus *lib. 2. cap. 46.* vulturem, cum in eo genere masculinus sexus non sit, ait illum a vento austro concipere, & ideo contra austrum volare, & ab eo grauidatum augeri sobole. De aquila plura sunt testimonia, quæ docent singulari quodam artificio illam

Accipiter quomodo nouas assumat plumas.

p. 479. a

illam iuuenescere defluentibus pennis cariosis & vietis, & statim pullulantibus nouis. de qua renouatione multa Patres ad illud *Psalm. CII, 5. Renouabitur, vt aquilæ, iuuentus tua.* vide quid nos ad illud *Isai. XL, 31. Assument pennas sicut aquilæ.* Hoc autem præclarum est diuinæ prouidentiæ documentum, quod neque in humanam cogitationem videtur potuisse cadere.

48. *Aquilæ proprietates.* Vers. 27. *Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum?*] In eodem genere rapacium volucrum exemplum aliud profert diuinæ solertiæ; quæ aquilarum generi illam indidit naturam, vt alta peteret: Neque tamen quæ longe distaret præda in depressis terræ locis, aquilinos lateret oculos, aut vngues effugeret. Quod dum facit aquila, diuino non humano obsequitur imperio, a quo id accepit, vt inclinationem habeat & impetum ad ardua; & non nisi in præruptis atque inaccessis scopulis nidificet. Quod in nobilissimo aquilarum genere videmus. Neque enim omnes, quæ vocantur, aquilæ, aut ea sunt velocitate ac robore, vt nubes tranent, & vsque ad æthereum regionem attollantur, & in excelsis nidulentur rupibus; neque vsque adeo perspicacem habent oculorum aciem, vt quam longissime posita manifesta discernant. Sane Plinius *libr. 10. cap. 3.* & Aristot. *de animal. lib. 9. cap. 32.* cum multa numerassent aquilarum genera, illorum aliqua dicunt habitare in locis planis atque palustribus. cur vero nobile illud aquilarum genus loca elegerit excelsa atque prærupta, multa dicunt interpretes. Sed illud præcipue, vt pullos securos habeat a serpentum allapsu, qui aquilino generi hostes sunt admodum infensi. vide Aristotelem *loco nuper citato.*

49. Vers. 29. *Inde contemplatur escam, & de longe oculi eius prospiciunt.*] Hæc est earum rationum non minima, propter quam Deus illam indidit aquilarum generi propensionem, vt rupes amarent, & sublimia montium inaccessaque fastigia, vt inde spectarent prædam, quam perspicacibus oculis, & locis etiam procul dissitis intuentur. De aquilarum oculis

p. 479. b multa dicuntur: sed illud admirabile, quod ex nubibus, aut ex scopulorum culmine pisces vident, qui vel in mari, vel in flumine natant; de quibus Isidorus *lib. 12. Etymol. cap. 7. Tanti*, inquit, *contuitus esse dicitur, vt cum super maria immobili penna feratur, neque humanis pateat obtutibus, de tanta sublimitate pisciculos natare videat, ac tormenti instar descendens raptam prædam pennis ad littus pertrahat.* *Aquilæ perspicaces oculi.*

Vers. 30. *Pulli eius lambent sanguinem.*] 50. *Aquilarum potus sanguis est.* Sunt qui putant aquilis aquam non esse potum, sed prædarum sanguinem. Ita Suidas citatus ab Hildebrando, & Oppianus *in ixeuticis.* Quod ita certum putabat Aristoteles, vt *libr. 8. de hist. animal. cap. 18.* Hesiodum reprehendat, quod bibentem aquilam aliquando fecerit: vbi dicit, auem nullam bibere, quæ curuos habeat vngues. quod item affirmat Ælianus *lib. 4. cap. 19.* Loco itaque aquæ sanguinem exsugunt, aut sorbillant, vt docet Oppianus supra, & Ælianus, vt citatur ab aliis, quod tamen ego non inuenio. Sed vtcumque sit, aquilarum pulli, dum in nido morantur, neque aptas habent pennas ad volandum, aquam bibere non possunt, cum neque illius possint habere copiam. Quare illis a parentibus ad potum adducitur sanguis: aut quem exprimant ab animali viuente, vt putant S. Thomas & Dionysius, aut quod exuctum oreque exhaustum suo in os pullorum parentes euomunt, vt dicit Hildebrandus *libr. 1. cap. de incubatu*, aut quem ex femore suo rostri aduncitate, & saucio pullis exorbendum propinant, quod citatur ex Æliano in accessione Gyllii.

Et vbicunque cadauer fuerit, statim adutolat.] Insidet in præruptis silicibus aquila, vnde procul speculatur, sicubi appareat præda, qua & suam & filiorum famem expleat. Neque tantum sibi ex quadrupedibus atque volucribus cibum parat, sed etiam e piscibus, vt paulo ante ex Isidoro dicebamus, imo ex draconibus, quos vere odio insectatur hostili. Ab hac draconum & aquilarum pugna multæ a Poëtis ducuntur similitudines. Vide Ciceronem *libr. 2. de diuinatione.* Virgil. *libr. 11. Æneid.* Homer. *libr. 12. Iliad.* vbi eleganter draconis & aquilæ describitur pugna. Addit autem Ælianus *libr. 2. cap. 26.* draconem, cum primum alarum aquilæ crepitum au- 51. *Aquila draconibus infensa.*

 die-

dierit, abdere se in latebras, vt ibi sui tam horribili inimico potestatem eripiat. Aduolat autem ad cadauer, quod intelligendum putant aliqui de aliquo aquilarum genere, quod cadaueribus vulturinum in modum pascitur: nam de aquilis alii communiter negant; quia ab aliena præda aquilam abstinere dicunt: & multo magis a cadauere fœtenti & putrido. Ego non ita suo honori studere aquilam existimo, vt si quando electi, recentes, & proprii non suppetant sibi, perire velit fame. Quod putant S. Thomas & Lyra: maxime cum Christus docere videatur contrarium *Matth. XXIV, 28. Vbicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.* Vbi hoc communiter sentiunt Interpretes. Quod videtur apud Hebræos locum obtinuisse prouerbii; & quidem locus prouerbio videtur maxime idoneus.

Aquilarum quis cibus.

52. Ego hæc potius de pullis aquilarum accipio, quos matres prius molli alunt atque recenti cibo, qui tamen postea assueti carnibus, eo conuolant, vbi cadauer viderint, ex quo rabidam expleant famem, cum parentes, vtpote iam instructos alarum adminiculo, in nido otiosos & desides sustentare nolunt. Ita putat Chrysostomus *in locum nuper adductum ex Matthæo;* licet tam *hic*, quam *in Matth.* vulturem magis intelligat, quam aquilam. Sed fauet nostræ cogitationi, dum apud Matthæum *homil. 40.* hunc Iobi locum adducit, & in eo non vultures, sed vulturinos intelligit pullos. *De vulturibus* inquit, *dicit Scriptura in Iob, quoniam vbicumque fuerit corpus, ibi inuenientur vulturum pulli.* Quod autem, cumprimum volandi facultas aquilarum pullis cum pennis aduenerit, illos parentes expellant e nido, suasque res curare iubeant, tradit Aristoteles *lib. 9. histor. cap. 32.* tunc autem pulli assueti prius sanguini, mollioribusque cibis: deinde iam grandiusculi mortuo corpori & exangui siue leporis, siue agni, aut etiam draconis, vbi a parentibus pelluntur e nidis, talia meditantur, captantque, qualia ipsos suo docuerunt exemplo patres, & qualia teneriori & infirmiori ætati suppeditarunt alimenta. Sic in hoc statu ac tempore de aquilino pullo cecinit Horatius *libr. 4. Ode 14.* qui expulsus e nido

p. 480. a

Aquilæ pullos e nido expellunt, cum sibi cibos parare possunt.

—Mox in ouilia
Demisit hostem viuidus impetus;
Nunc in reluctantes dracones
Egit amor dapis, atque pugnæ.

Hoc idem optime Iuuenalis *satyra 14.* docet, vbi ait, omnium generum animantium solent illos amare atque captare cibos, qui ipsorum fauces primum imbuerunt. Quæ verba hic libenter repetam, quia optime docent, quanti momenti sit ad formandos filiorum mores, instillata in ætate prima disciplina parentum. 53.

Plurimum confert prima filiorum institutio.

—Serpente ciconia pullos
Nutrit, & inuenta per deuia rura lacerta.
Illi eadem sumptis quærunt animalia pennis.
Vultur iumento, & canibus, crucibusque relictis
Ad fœtus properat, partemque cadaueris affert.
Hic est ergo cibus magni quoque vulturis, & se
Pascentis propria cum iam facit arbore nidos.
Sed leporem, aut capream famulæ Iouis, & generosæ
In saltu venantur aues, tunc præda cubili
Ponitur. Inde autem cum se matura leuauit
Progenies, stimulante fame, festinat ad illam
Quam primum rupto prædam gustauerit ouo.

Vers. 31. *Et adiecit Dominus & locutus est ad Iob.*] Postquam Deus ignorantiæ conuicit Iobum, & suam ostendit sapientiam singularem, & in vniuersi administratione prouidentiam, & admirabile consilium, neque interrogatus responderet Iobus (nam, vt vides, interrogando Deus illum vrgebat) addidit aliquid non tam vt nouam aliquam adduceret rationem, quam vt illum sermonis non adeo considerati, & nunc silentii, cum argumentandi modus responsionem exigebat, argueret. 54.

Vers. 32. *Numquid, qui contendit cum Deo, tam facile conquiescit, vtique qui arguit Deum, debet respondere ei.*] Qui magnum habet antagonistam, omnem adhibere debet contentionem, & studium, ne succumbat, cum res agitur lacertis & ferro, omnes intenduntur corporis nerui, & instrumentum omne bellicum ad victoriam idoneum: cum vero rationibus agitur, & summa iudicia exagitantur iure, silere turpe est, & qui in eo congressu silet, aperte fatetur se nihil habere quod obiiciat, 55.

aut

aut quod vtiliter ad obiecta respondeat. Ex hac pugnantium, aut altercantium consuetudine dicit Dominus Iobo, silere non debere eum, qui cum Deo, acerrimo videlicet aduersario, contendit, & illum, qui tantum sibi iuris assumpsit & audaciæ, vt Deum aut incogitantiæ insimulet, aut iniustitiæ, rationem reddere oportere, cur hæc audeat, aut quid se ea certaminis, aut iudicii forma obtinere confidat.

56. Vers. 33. *Respondens autem Iob.*] Inurbanus videretur Iobus, si iussus imperio Dei humanissimo respondere, recusaret tamen, quia in eo rerum articulo silentium, si ex humanis fas est coniecturam facere, animi est aut indignati, aut contemnentis, aut fastidientis alium. Quare respondit Iobus, sed ea humilitate atque modestia, vt neque egisse videretur inurbane, neque se ab obiecta dicendi libertate aut inconsideratione defenderit.

57. *Vtiliter cum Deo pugnat, qui coram illo se humiliat.* Vers. 33. *Qui leuiter locutus sum, respondere quid possum? manum meam ponam super os meum.*] Cum Deo tunc legitime fortiterque pugnamus, cum nostra humiliter errata confitemur, & nostram coram illo vilitatem agnoscimus. Hebraicus textus sic habet: *Contemptibilis ego sum.* Septuaginta: *Cum nihil ego sim.* Quia nihil magis lenit Deum aut aduersarium aut iudicem, quam cum coram tanta maiestate prosternimur supplices: & humiliter de nostra conditione & vitæ indignitate sentimus. Sic Abrahamus *Genes. XIIX, 27.* se coram Deo cinerem & puluerem appellat. Hoc artificio magnus athleta Iobus cum Deo certare vult: quia scit illius contra spiritum humilem inermem esse manum: & quasi orator egregius id præmittit, quod ad beneuolentiam putat esse grauissimum. Fatetur enim se peccasse, non quidem quod male vnquam de Deo cogitarit; sed quia vrgente dolore & externo conuitio minus fuerit considerate locutus, vnde alii in eam venere cogitationem, vt crederent, ipsum, & sensisse de Deo parum pie, & locutum esse nimis arroganter & temere. Hoc autem est leuiter loqui, quia dolori in loquendo succubuit, neque omnino ratio linguam in querelas & gemitus erumpentem moderata est. Quare si quid peccatum est, leuitatis fuit potius in sermone, quam impietatis & erroris in animo. Ita cum S. Thoma interpretum plerique, qui in Iobo circumspectionem & moderationem in loquendo, non pietatem in animo, aut obseruantiam requirunt. Quomodo ab illis verbis, in quibus peccasse videri potuit, impietas & scelus abfuerit, suis locis nos satis, opinor, diligenter ostendimus. Quomodo digitus, aut manus super os, silentium aut indicet, aut significet, diximus supra *cap. XXI, 5.* ad illud: *Et superponite digitum ori vestro.*

Caietanus asserit in Hebræo esse in præterito *posui*, non in futuro *ponam*. quod vere dixit, 58.
est enim שמתי *samti*, & putat, hunc esse sensum, *manum meam posui ad os meum.* id est, peccatum sermonis mei agnoui, & accusaui. Sicut enim qui manu percutit pectus, cordis sui confitetur peccatum, & illud execratur, sic qui manu comprimit os suum, peccatum dicit esse in ore, & a corde abesse quam longissime. Ego, si ita legerem, aliter interpretarer, quasi Iobus ignorationis suæ conscius & dolens, quod minus locutus esset circumspecte, statuerit non iam amplius sibi esse loquendum, nisi considerate; quia pecca- pag. 481. a
tum his, qui recte sapiunt, omnem eripit loquendi facultatem. Et qui lingua peccauerunt, aut multum, aut immoderate loquendo, illud sibi supplicium indicunt, vt non nisi parce & moderate loquantur; quod supplicii genus *linguarium* appellant: & quidem peccatum ipsum, & de peccato conceptus pudor elingues reddit homines, iuxta illud *Psalm. CVI, 42. Omnis iniquitas oppilabit os suum.* *Aptum linguæ immoderatæ supplicium.*

Vers. 35. *Vnum locutus sum, quod vtinam non dixissem: & alterum, quibus vltra non addam.*] Vellet Iobus, si fieri posset, indictum esse, quod dixerat: quod cum fieri non possit, dictum esse dolet, & quoad fieri potest, verbum reuocat: damnat autem duo, in quibus excessisse videtur modestiam: alterum, quod velle se dixerat legitimum cum Deo conferre iudicium, & cum eo contendere, quasi nimium in suæ causæ æquitate confideret. Alterum, quod grauius se punitum esse dixerit, quam suorum peccatorum explorata grauitas exigeret. In quibus aut nullum 59.

 esse

esse, aut non nisi leuissimum peccatum ostendimus; vbi linguæ fuit non animi peccatum, vt suis locis ostendimus. Nam quod amici obiiciebant, Deum a Iobo iniustum appellari, & eundem rerum humanarum deposuisse memoriam, & similia, id Iobus non curat, quia nulla illum de hac impietate atque blasphemia conscientia sollicitat. Quod tamen leuiter locutus fuerit, vnde mala de Iobo sentiendi occasionem arripuere magis, quam oblatam acceperunt amici, dolet primum, promittitque deinceps curaturum se in posterum, ne ad eundem lapidem sæpius offendat.

pag.481.b

60. *Prophetæ non semper spiritu loquuntur prophetico.*

Hic ad extremum obseruo, non omnia, quæ dicunt prophetæ, spiritu fundere prophetico, sed interdum suo duci, imo abduci spiritu. Vnde nonnunquam reprehenduntur a Deo, quod aliquid fecerint, dixerintque, & minus sancte & non valde attemperate ad rem. Exemplo esse poterit Ionas, in cuius verbis multa sunt, quæ a diuino atque prophetico afflatu recesserunt. Neque pauca sunt in aliis, quæ ex affectu humano potius, quam a prophetico prodierunt, quæ ipsi damnarunt postea, & de quibus ignosci sibi a Deo petierunt. vide S. Thomam *22. q. 171. art. 5.* Gregorium *homil. 1. in Ezechielem.* Sic ergo Iobus, cum propheta fuerit, vt supra a nobis demonstratum est: multa tamen suo sensu ac spiritu locutus est; e quorum numero sunt illa, quæ reprehendit Dominus, & quæ ipse illustratus a Domino condemnat, a quibus in posterum sibi cauendum esse dicit.

ARGVMENTVM CAP. XL.

ITerum Iobum Deus ad respondendum lacessit, & primum queritur, quod, dum suam innocentiam tueri vult, diuinum nomen aliis reddat odiosum? Ac tandem docet, qualem debeat sapientiam & virtutem habere ille, qui cum Deo voluerit inire certamen, & legitimum adire iudicium, quæ abesse procul a Iobo tum aliis docet, quæ Deus operatur, quæ nulla possit mortalium præstare facultas, tum explicatius in domando ac subiugando Behemoth, cuius naturam eleganter explicat. Deinde in marino monstro Leuiathan, de quo deinceps multo plura: quæ duæ ingentes ac truculentæ belluæ domari a Deo facile, ab homine vero nulla ratione possunt.

CAPVT XL.

1. REspondens autem Dominus Iob de turbine dixit:

2. Accinge sicut vir lumbos tuos: interrogabo te, & indica mihi.

3. Numquid irritum facies iudicium meum: & condemnabis me, vt tu iustificeris?

4. Et si habes brachium sicut Deus, & si voce simili tonas?

5. Circumda tibi decorem, & in sublime erigere, & esto gloriosus, & speciosis induere vestibus.

6. Disperge superbos in furore

PARAPHRASIS.

1. 2. Locutus est rursus Dominus ad Iobum de turbine in hunc modum: Accinge te, & virum te præsta. Audi quod abs te rogem, & quid sentias ac cogites, præsenti indica.

3. Nunquid vt tuam iustitiam atque innocentiam probes, meum improbabis iudicium? & illud iniquum esse dices, & eo me nomine condemnandum putabis?

4. 5. 6. Ille solus potest cum Deo de iustitia potentique virtute contendere, qui æqualem cum illo potentiam & brachium habet. Quod cum, o Iobe, tu non habeas, nihil contra illum moliri potes, aut tuam aduersus illum iustitiam tueri. Tunc autem in iudicio priores partes tibi concedam, & triumphali more efferri gloriose

tuo, & respiciens omnem arrogantem humilia.

riose patiar, & pretiosis indutum ornamentis in altum attolli, cum eandem in tonando & fulminando contentionem adhibeas. Cum superbos spiritus in tuo furore dispergas & deprimas; & eorum potentiam, quam ipsi tanti faciunt & amant, inanem esse ac futilem ostendas.

pag. 482. 7. Respice cunctos superbos, & confunde eos, & contere impios in loco suo.

8. Absconde eos in puluere simul, & facies eorum demerge in foueam:

9. Et ego confitebor, quod saluare te possit dextera tua.

7. 8. 9. Tunc te aliquid ostendes habere diuinum, si quotquot in vniuerso superbo sunt animo, solo tantum oculorum coniectu confundas & deprimas: & impios in eodem loco, in quo immoderate superbiunt & exultant, extinguas, & in sepulcrum & foueam tanquam ignobilis turbæ illorum cadauera ignominiose coniicias. Hæc ego nullo obnitente ac retardante facio. Quod si tu, o Iobe, præstare potueris, tunc tibi in tua causa disceptanda victoriam concedam, & te innocentem iniquo iudicio damnatum esse confitebor. pag. 482.

10. Ecce, Behemoth, quem feci tecum, fœnum quasi bos comedet:

11. Fortitudo eius in lumbis eius, & virtus illius in vmbilico ventris eius.

12. Stringit caudam suam quasi cedrum, nerui testiculorum eius perplexi sunt.

10. 11. 12. Accipe alia, in quibus & Dei sapientiam, & tuam ipsius ignorantiam & infirmitatem agnosces. Intuere iam taurum, domesticum nempe animal, qui ideo creatus est, vt tecum simul habitet, qui fœno pascitur, cuius est fortitudo firmitasque mirabilis. Nam quod ad admissuram virtutemque genitalem pertinet, instructus est a natura potentissime; habet enim neruum adiunctum vmbilico, (qui ideo vmbilicus appellatur, qui etiam dicitur cauda) adeo rigentem & firmum, vt e materia cedrina dolatus esse videatur; porro Didymi perplexo teguntur atque firmantur neruorum inuolucro.

13. Ossa eius velut fistulæ æris, cartilago illius quasi laminæ ferreæ.

14. Ipse est principium viarum Dei, qui fecit eum, applicabit gladium eius.

13. 14. Ossa illius, quia firmissima sunt atque pertusa, æreis fistulis quam simillima sunt. Et cartilago, quæ extensa est, neque vlla ex parte perforata, ferreæ laminæ similitudinem refert. Hoc porro animal ex terrestribus propter magnitudinem & speciem, variosque vsus, quos hominibus affert, præcipuum est: quod licet sit fortissimum, habet tamen Deus paratum gladium, quo illud exagitet ac perimat.

15. Huic montes herbas ferunt: omnes bestiæ agri ludent ibi.

16. Sub vmbra dormit in secreto calami, & in locis humentibus.

17. Protegunt vmbræ vmbram eius, circumdabunt eum salices torrentis.

15. 16. 17. Hic montana pabula late, & quasi aliorum princeps cum imperio pascitur, qui vsque adeo belluas alias, quibus nimirum fœnum pabulum est, non timet, vt illarum vim atque conatum ludum, & iocum esse putet. Cumque in montibus vagetur, pascaturque frequentius, regionem tamen adit littoralem, aut palu-

palustrem, ibique sub caricum calamorumve vmbra somnos capit quietos & longos. Opacant illius cubile, & vndique circumdant salices, quæ in humenti atque palustri soló plerumque nascuntur.

18. Ecce, absorbebit fluuium, & non mirabitur: & habet fiduciam, quod influat Iordanis in os eius.

19. In oculis eius quasi homo capiet eum, & in sudibus perforabit nares eius.

18. 19. Exhauriet ille potando riuos, quæ est ingluuie. Neque hoc magnum aliquid esse arbitrabitur, cum ipsum quoque Iordanem absorbere se speret, & audeat. Huic tamen præferoci atque intractabili belluæ ipsa spectante, perforatis naribus circulum infiget aut hamum, trahetque Deus quamcumque in partem velit, licet reluctantem & inuitam.

20. An extrahere poteris Leuiathan
pag. 483. hamo, & fune ligabis linguam eius?

21. Numquid pones circulum in naribus eius, aut armilla perforabis maxillam eius?

20. 21. Dixi de terrestri bellua, nunc dicam simile aliquid de marina, in quam non plus ha- pag. 483.
bet potentiæ mortalium infirmitas. An sicut alios pisciculos, piscari poteris Leuiathan, ac immane cetum, & infixo illius linguæ ac faucibus hamo ad littus extrahere? An perforato naso, maxillisve circulum infiges, & ad tuos vsus condocefactum aratrum aut plaustrum trahere compellas?

22. Numquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia?

23. Numquid feriet tecum pactum, & accipies eum seruum sempiternum?

22. 23. Numquid eo adiges prostratum iam marinum hoc monstrum, vt despondeat animum, & nihil in suis viribus putet esse subsidii, & ad supplices preces, quod hostes faciunt, superati confugiant? numquid ad eam conditionem adduces, vt vitam, quam iure victoriæ iam victus amiserat, cum æterna seruitute commutet.

24. Numquid illudes ei quasi aui, aut ligabis eum ancillis tuis?

25. Concident eum amici, diuident illum negotiatores?

26. Numquid implebis sagenas pelle eius, & gurgustium piscium capite illius?

24. 25. 26. Numquid cum illo quasi cum auicula ludes, efficiesue, vt mansuefactus tibi molliorem aliquam afferat voluptatem? aut alligatum fune imbelli ancillarum gregi illudendum trades? non illam tibi commoditatem afferet, quam habet maximum piscatio, nempe, vt captum concidas, & ex illo amicis conuiuium appares, aut negotiatoribus tradas, qui distrahendis duratis sale carnibus aliquid inde comportent lucri. Quomodo enim tam vastam molem, quam cingit & continet pellis, capiet rete: aut nassa illius concludet prodigiosum caput: atque ideo quo illum artificio piscaberis?

27. Pone super eum manum tuam: memento belli, nec vltra addas loqui.

28. Ecce, spes eius frustrabitur eum, & videntibus cunctis præcipitabitur.

27. 28. Si in Leuiathan manum velis iniicere, sic in illo piscatorio conflictu afficieris dure, vt illius belli semper memineris? neque addes vltra de eadem re cogitare, ac loqui. Ille enim piscator, qui de imo gurgite extrahere volue-

voluerit Leuiathan, cadet ignominiose de sua expectatione, & videntibus omnibus honoris & vitæ dispendium subibit.

Vers. 1. *Respondens autem Dominus Iob de turbine dixit.*]

pag.483.a 1. NOn descenderat de turbine Deus, vnde quasi de suggestu Iobum interrogarat. Et de eodem loco alia rursus interrogat, quæ magis ipsum in eo sensu ac mente confirment, quam a recenti Domini doctrina, aut reprehensione conceperat.

Vers. 2. *Accinge sicut vir lumbos tuos.*] Hic versus expositus est *cap. XXXIIX, 2.* neque aliud succurrit, quod addamus.

2. Vers. 3. *Numquid irritum facies iudicium meum, & condemnabis me, vt iustificeris?*] Videri potest Iobus explicuisse proxime, quæ sunt illa duo, quæ locutus est leuiter, & quæ dixisse nollet; quod facit verisimile Dei ad illa verba accommodata responsio. Sic enim locutus est antea Iobus, vt videretur his, qui loquenti aderant, condemnare Dominum, quod acerbius puniret, quam pro mensura scelerum, & quod in ipso fecisset, iudicium solueret, aut irritum ostenderet, quia minus iustum, neque de prodenda diuina iustitia dubitaret, dum suam assereret, & vindicaret
p. 483. b a culpa & ab iniqua suspicione liberaret. Hoc itaque iam clarius reprehendit, ac propius. Hactenus enim tantum ostendit, curare se omnia prouidentia singulari, neque in rerum creatione ac conseruatione virtutem atque solertiam defuisse, & hæc omnia a Iobo, & ab humana natura procul abesse. Nunc ita idem persequitur argumentum, vt Iobi in loquendo reprehendat audaciam: & quam procul absit a diuina siue sapientia, siue virtute, vt ea comparatione abiiciat magis insolentes spiritus, si quos habet, & vere de sua tenuitate ac vilitate sentiat.

3. Vers. 4. *Et si habes brachium sicut Deus, & si voce simili tonas.*] Omnia *ad v. 4.* eo spectant, vt probent, causam Iobi aduersus Deum nullo modo videri posse iustam, qualem Iobus videtur probare voluisse. Totam vero ratiocinationem sic instituo. Ille solus poterit cum Deo de iustitia, aut de potenti virtute contendere, qui paria Deo possit, hoc non potest Iobus, ergo hic non potest certare cum Deo, neque suam aduersus illum innocentiam, seu iustitiam tueri.

Hæc mihi videtur verior explicatio, & expedita magis. Alii alias adducunt, quas ego p.484.a 4.
prudens prætereo, ne longior sim. Tantum adducam eam, quam iuxta Septuaginta translationem Græci probarunt Patres *in Catena.* Cum enim *v.3.* sic conuertissent Septuaginta: *Ne repellas iudicium meum. Putas autem me aliter tibi respondisse, quam vt appareas iustus.* Sic hunc locum explicuerunt Græci patres Chrysostomus, Nyssenus, & Origenes, vt Deus & permiserit prius tam Iobum sauciari duriter, vt nota fieret omnibus eximia illius virtus, &, quæ aliter premeretur in tenebris, euocaretur in lucem, & omnibus esset singularis patientiæ propositum exemplum. Consentanee ad hæc quartum etiam versum interpretantur; quem sic reddidere Septuaginta: *Numquid brachium tibi est contra Dominum, aut voce contra eum tonas?* Quæ sic exponit Chrysostomus, vt Dominus non sauciauerit Iobum, quasi cum illo vellet habere certamen, cum omnipotens virtus cum exili ac futili hominum potentia honeste congredi non possit; sed vt inde diuinam potentiam plenius agnosceret. Origenes vocari putat Iobum, ad lauream & fortitudinis gloriam, & ideo iubet statim splendorem & dignitatem induat. Hæc iuxta Septuaginta, quæ cum antecedentibus & consequentibus aut nullo modo, aut nonnisi difficile contexi possunt. Sed placet magis explicatio prior, in quam Interpretum plerique conspirarunt.

Vers. 5. *Circumda tibi decorem, & in sublime erigere? esto gloriosus, & speciosis induere vestibus.*] Disceptare cum Deo videtur voluisse Iobus, & in eo congressu ostendere innocentiam suam atque iustitiam; quod est omnino superiorem in ea disceptatione tenuisse locum. 5.

cum,

cum. Quod docet Deus tunc superare posse Iobum, cum æquale cum Deo brachium, & potentiam haberet, & quando iudiciali congressu res esset transigenda, simili tonaret voce, vt tonantem & fulminantem Deum intrepidus audiret; quod certe non posset. Ait ergo Deus, tunc Iobum in sua causa triumphaturum, cantaturumque victoriam, cum parem cum Deo potentiam, æquale brachium, & similem in tonando & fulminando contentionem nactus: (*tonare* autem hoc loco idem esse reor, quod agere causas magna contentione atque ardore dicendi. *Tonare* enim, & *fulminare* dicitur orator, cum magno spiritu & vocis frementi sonitu anhelat & bacchatur in causa) triumphantis autem signum est atque victoris, induere decorem, id est, pretiosas & elegantes vestes, quales decent fortunam lætam & triumphalem incessum. *Erigi in sublime*, idem est, atque ascendere in triumphalem & genialem currum, aut in hominum humeros, quibus gestari solent victores, aut qui præclarum aliquid gesserunt a gratulante seu plaudente turba. Quasi dicat Deus, tunc concessurum se esse Iobo palmam, cum parem nactus fuerit, & in agendo virtutem, & in dicendo facultatem, quam palmam assequetur nunquam, cum talem nunquam sit virtutem habiturus. Aliæ sunt expositiones non paucæ, quas prudens omitto, hanc amplector lubens, quia minus videtur impedita.

6. Vers. 6. *Disperge superbos in furore tuo.*] Ostendit Deus, qua in re possit Iobus virtutis
p.484.b suæ atque potentiæ experimentum capere, ac tandem nosse parem cum Deo nactus esse potentiam. Tunc Deus se omnipotentem ostendit, cum omnem potentiam sibi subiectam non obscuro documento declarat, cum arrogantes deprimit, & qui in sublimi loco suam sibi sedem locasse videbantur, ad infimum vsque deturbat. Quod fecit sæpe post ætatem Iobi, vt constat ex variis Scripturæ locis: & fecisse antea verisimile est, licet id sacris annalibus proditum non sit: nisi dicamus, gigantes illos, qui *Genes. VI, 4.* viri vocantur famosi, fuisse superbos, & ideo communi aquarum inundatione fuisse demersos.

7. Vers. 7. *Et contere impios in loco suo.*] Non est difficile, superbum hominem atque potentem in loco alieno superare ac sternere, quia in eo minus habet potentiæ, minus ad resistendum virium. Non fuit opus difficile, a iuniore Tobia enecari piscem grandem & horribilem, a fluminis aluo in arena productum, fuisset opus omnino magnum in suo loco, id est, in ipso fluminis gurgite perimere. Sicut fecit Deus, cuius potentiam eo nomine Psaltes amplificat *Psalm. LXXIII, 13. Contribulasti capita draconis in aquis.* & *Ezechiel. XXIX, 3. Ecce ego ad te Pharao Rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, &c.*

Vers. 8. *Absconde eos in puluere simul, & facies eorum absconde in foueam.*] Hoc dicen- 8.
di modo mors significatur: *puluerem* enim & *foueam* pro sepulcro sumi, ac *sepulcrum* pro morte, nemo nescit. Et hoc potius indicari videtur a Deo: nisi dicas in *puluere* & *fouea* extremam hominum conditionem exprimi, aut quia homines, cum nullum apparet mortis aut seruitutis effugium, cauernas subeunt, aut foueas, in quibus inducto puluere teguntur & latent. Quomodo ad euitandum eiusmodi periculum, adhortatus est populum Isaias extrema metuentem *cap. II, 10. Ingredere in petram, & abscondere in fossa humo a facie timoris Domini.* Aut quia *sedere in puluere* eius est, qui ærumnosam ducit & ignobilem vitam. Quod in Scriptura obuium. Sic sane Hierosolyma sedere dicitur in puluere, cum vitam ageret extorrem, *Thren. I.* sic Babylon sedere iubetur in puluere, cum illi ignominiosa denunciatur & dira captiuitas. *Isai. XLVII, 1. Descende, sede in puluere, virgo filia Babylon.* Hoc ipsum dixisse videtur Iobus *cap. XX, 6. Si ascenderit vsque ad cœlum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit. Quasi sterquilinium in fine perdetur; & qui eum viderant, dicent, vbi est?* Vtraque expositio facilis, & cum textu satis apte consentiens, prior displicet minus.

Vers. 9. *Et ego confitebor, quod saluare te* 9.
possit dextera tua.] *Saluare* hoc loco iuxta prædicta idem est, atque contra Deum id obtinere, ad quod in iudiciali contentione nitebatur, nempe suam innocentiam atque iustitiam ab omni culpa, imo ab omni culpæ suspicione

cione vindicare. Sed quia hæc Iobus nunquam perficiet, quantumcunque corporis viribus animique contendat, se ipsum, contra nitente Deo, saluare non poterit, id est, probare iniustum esse Deum, & se prorsus indignum, quem Deus tamdiu & tam vehementer afflixerit.

p. 485. a 10. Vers. 10. *Ecce Behemoth, quem feci, tecum fœnum quasi bos comedet.*] Hunc locum, natura sua difficilem & impeditum, multis impediunt modis diuersorum auctorum multiplices sensus. multa hic suo more Hebræorum magistri, quæ vt ridicula sunt & ad plausum conficta popularem, sic etiam a nobis suis auctoribus relinquenda, quæ tam illi amant & commendant. Quidam in *Behemoth*, quæ vox est in numero multitudinis, vermes intelligunt, qui Iobi arrodebant carnes, & tanquam agrestes feræ lacerabant. Quorum meminit Iulianus *in Catena*, neque tamen nominat. Alii nullum bestiarum genus designari putant, sed in belluis aduersarias intelligi potestates, aut certe in genere belluas immanes, domituque difficiles; quod non improbat *in Catena* Chrysostomus. Communiter interpretes in hoc nomine peregrino, quodque hoc tantum loco reperitur, elephantum agnoscunt, & in eo dæmonem allegorico sensu. Quod vt verum fatear, quod ad animantis speciem spectat (nam de allegorico sensu alia ratio est) mihi nunquam probari potuit: neque enim elephanto quicquam illorum, quæ in Behemoth a Domino numerantur, conuenire possunt, quæ in commentationis decursu suis locis commodius ostendemus. Prius autem quam adducamus nostram in hac difficultate sententiam, nonnulla præmittemus, quæ aliquid lucis afferant huic loco vehementer obscuro.

11. Primum est, ad hunc locum respexisse Esdram; aut quicunque *libri quarti*, qui sub nomine *Esdræ* legitur, auctor fuit, *cap. VI, 49. Et tunc* (inquit, nempe quinto die) *conseruasti duas animas, nomen vni vocasti Henoch* (*hic est Behemoth*) *& nomen secundæ vocasti Leuiathan: & separasti ea ab alterutro. Non enim poterat septima pars, vbi erat congregata aqua, capere ea. Et dedisti Henoch vnam partem, quæ siccata est tertio die, vt habitet in ea, vbi sunt montes mille. Leuiathan autem dedisti septimam partem humidam, & seruasti eam, vt fiat in deuorationem quibus vis, & quando vis.*

Secundum *Behemoth* non significare certum aliquod genus animantium, sed commune, atque ideo varie a variis, neque a vulgato interprete, eodem semper modo conuertitur. In hoc libro *iumentum* reddidit *cap. XII, 7.* & *cap. XXXV, 11.* & mille aliis locis *animal*, expers nempe rationis, quod tamen a volatili distinguitur. Quare non magis hæc quam illa animantium genera significat; & per synecdochen certæ alicui animalium formæ interdum attribuitur. Sicut *Psalm. XLIX, 10.* Chaldæus transtulit *boues*, & Hieronymus *pecudem*, quæ vox domesticum significat animal, ex quo homo varios capit & necessarios vsus. 12. *Behemoth commune nomen.*

Tertium, hoc nomen esse in numero multitudinis, quod docuerunt Septuaginta, dum reddunt: *Ecce bestiæ.* Quare si velis ad aliquam contrahere animantium formam, necesse est, vt eximium aliquod animal intelligas. Nam pluralis numerus cum singulari persona in verbis aut in nominibus cum singulari numero coniunctus epitasim habet, id est, magnum in suo genere esse dicit id, quod exprimit eo multitudinis numero. Hanc regulam tradit Pagninus *lib. 2. instit. cap. 4.* Aut certe pluralis numerus subiectas sibi partes distribuit, & pro aliquo singulari ponitur, eorum, quæ in plurali numero continentur. Quam item regulam adducit Pagninus *lib. 4. institut. cap. 15.* vt *Psalm. I, 3. Quod plantatum est secus riuulos aquarum*, id est, secus vnum e riuulis. *Iudic. XII, 7. Sepultus est in vrbibus*, id est, in aliqua vrbium. 13. *Behemoth in numero plurali.* pag. 485.

Ex his habemus e duobus alterum: aut magnum hoc loco significari animal, aut certe significari ex animalibus vnum aliquod, quod postea per partes singulas, certo aliquo signo demonstratas, late & manifeste describit, & hoc potius. Quare sensus erit: Ecce ex animantibus illud, quod feci tecum, &c. Hoc sensu ponitur hoc eodem libro vox eadem Behemoth. Nam *cap. XII, 7.* vbi Vulgatus: *Interroga iumenta, & docebunt te*, Hebr. *Interroga Behemoth, & docebit te.*

palustrem, ibique sub caricum calamorumve vmbra somnos capit quietos & longos. Opacant illius cubile, & vndique circumdant salices, quæ in humenti atque palustri solo plerumque nascuntur.

18. Ecce, absorbebit fluuium, & non mirabitur: & habet fiduciam, quod influat Iordanis in os eius.

19. In oculis eius quasi homo capiet eum, & in sudibus perforabit nares eius.

18. 19. Exhauriet ille potando riuos, quæ est ingluuie. Neque hoc magnum aliquid esse arbitrabitur, cum ipsum quoque Iordanem absorbere se speret, & audeat. Huic tamen præferoci atque intractabili belluæ ipsa spectante, perforatis naribus circulum infiget aut hamum, trahetque Deus quamcumque in partem velit, licet reluctantem & inuitam.

20. An extrahere poteris Leuiathan
pag. 483. hamo, & fune ligabis linguam eius?

21. Numquid pones circulum in naribus eius, aut armilla perforabis maxillam eius?

20. 21. Dixi de terrestri bellua, nunc dicam simile aliquid de marina, in quam non plus ha- pag.
bet potentiæ mortalium infirmitas. An sicut alios pisciculos, piscari poteris Leuiathan, ac immane cetum, & infixo illius linguæ ac faucibus hamo ad littus extrahere? An perforato naso, maxillisve circulum infiges, & ad tuos vsus condocefactum aratrum aut plaustrum trahere compellas?

22. Numquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia?

23. Numquid feriet tecum pactum, & accipies eum seruum sempiternum?

22. 23. Numquid eo adiges prostratum iam marinum hoc monstrum, vt despondeat animum, & nihil in suis viribus putet esse subsidii, & ad supplices preces, quod hostes faciunt, superati confugiant? numquid ad eam conditionem adduces, vt vitam, quam iure victoriæ iam victus amiserat, cum æterna seruitute commutet.

24. Numquid illudes ei quasi aui, aut ligabis eum ancillis tuis?

25. Concident eum amici, diuident illum negotiatores?

26. Numquid implebis sagenas pelle eius, & gurgustium piscium capite illius?

24. 25. 26. Numquid cum illo quasi cum auicula ludes, efficiesue, vt mansuefactus tibi molliorem aliquam afferat voluptatem? aut alligatum fune imbelli ancillarum gregi illudendum trades? non illam tibi commoditatem afferet, quam habet maximum piscatio, nempe, vt captum concidas, & ex illo amicis conuiuium appares, aut negotiatoribus tradas, qui distrahendis duratis sale carnibus aliquid inde comportent lucri. Quomodo enim tam vastam molem, quam cingit & continet pellis, capiet rete: aut nassa illius concludet prodigiosum caput: atque ideo quo illum artificio piscaberis?

27. Pone super eum manum tuam: memento belli, nec vltra addas loqui.

28. Ecce, spes eius frustrabitur eum, & videntibus cunctis præcipitabitur.

27. 28. Si in Leuiathan manum velis iniicere, sic in illo piscatorio conflictu afficieris dure, vt illius belli semper memineris? neque addes vltra de eadem re cogitare, ac loqui. Ille enim piscator, qui de imo gurgite extrahere volue-

voluerit Leuiathan, cadet ignominioſe de ſua expectatione, & videntibus omnibus honoris & vitæ diſpendium ſubibit.

Verſ. 1. *Reſpondens autem Dominus Iob de turbine dixit.*]

pag.483.a 1. NOn deſcenderat de turbine Deus, vnde quaſi de ſuggeſtu Iobum interrogarat. Et de eodem loco alia rurſus interrogat, quæ magis ipſum in eo ſenſu ac mente confirment, quam a recenti Domini doctrina, aut reprehenſione conceperat.

Verſ. 2. *Accinge ſicut vir lumbos tuos.*] Hic verſus expoſitus eſt *cap. XXXIIX, 2.* neque aliud ſuccurrit, quod addamus.

2. Verſ. 3. *Numquid irritum facies iudicium meum, & condemnabis me, vt iuſtificeris?*] Videri poteſt Iobus explicuiſſe proxime, quæ ſunt illa duo, quæ locutus eſt leuiter, & quæ dixiſſe nollet; quod facit veriſimile Dei ad illa verba accommodata reſponſio. Sic enim locutus eſt antea Iobus, vt videretur his, qui loquenti aderant, condemnare Dominum, quod acerbius puniret, quam pro menſura ſcelerum, & quod in ipſo feciſſet, iudicium ſolueret, aut irritum oſtenderet, quia minus iuſtum, neque de prodenda diuina iuſtitia dubitaret, dum ſuam aſſereret, & vindicaret

p. 483. b a culpa & ab iniqua ſuſpicione liberaret. Hoc itaque iam clarius reprehendit, ac propius. Hactenus enim tantum oſtendit, curare ſe omnia prouidentia ſingulari, neque in rerum creatione ac conſeruatione virtutem atque ſolertiam defuiſſe, & hæc omnia a Iobo, & ab humana natura procul abeſſe. Nunc ita idem perſequitur argumentum, vt Iobi in loquendo reprehendat audaciam: & quam procul abſit a diuina ſiue ſapientia, ſiue virtute, vt ea comparatione abiiciat magis inſolentes ſpiritus, ſi quos habet, & vere de ſua tenuitate ac vilitate ſentiat.

3. Verſ. 4. *Et ſi habes brachium ſicut Deus, & ſi voce ſimili tonas.*] Omnia *ad v. 4.* eo ſpectant, vt probent, cauſam Iobi aduerſus Deum nullo modo videri poſſe iuſtam, qualem Iobus videtur probare voluiſſe. Totam vero ratiocinationem ſic inſtituo. Ille ſolus poterit cum Deo de iuſtitia, aut de potenti virtute contendere, qui paria Deo poſſit, hoc non poteſt Iobus, ergo hic non poteſt certare cum Deo, neque ſuam aduerſus illum innocentiam, ſeu iuſtitiam tueri.

Hæc mihi videtur verior explicatio, & expedita magis. Alii alias adducunt, quas ego prudens prætereo, ne longior ſim. Tantum adducam eam, quam iuxta Septuaginta translationem Græci probarunt Patres *in Catena.* Cum enim *v.3.* ſic conuertiſſent Septuaginta: *Ne repellas iudicium meum. Putas autem me aliter tibi reſpondiſſe, quam vt appareas iuſtus.* Sic hunc locum explicuerunt Græci patres Chryſoſtomus, Nyſſenus, & Origenes, vt Deus & permiſerit prius tam Iobum ſauciari duriter, vt nota fieret omnibus eximia illius virtus, &, quæ aliter premeretur in tenebris, euocaretur in lucem, & omnibus eſſet ſingularis patientiæ propoſitum exemplum. Conſentanee ad hæc quartum etiam verſum interpretantur; quem ſic reddidere Septuaginta: *Numquid brachium tibi eſt contra Dominum, aut voce contra eum tonas?* Quæ ſic exponit Chryſoſtomus, vt Dominus non ſauciauerit Iobum, quaſi cum illo vellet habere certamen, cum omnipotens virtus cum exili ac futili hominum potentia honeſte congredi non poſſit; ſed vt inde diuinam potentiam plenius agnoſceret. Origenes vocari putat Iobum, ad lauream & fortitudinis gloriam, & ideo iubet ſtatim ſplendorem & dignitatem induat. Hæc iuxta Septuaginta, quæ cum antecedentibus & conſequentibus aut nullo modo, aut nonniſi difficile contexi poſſunt. Sed placet magis explicatio prior, in quam Interpretum plerique conſpirarunt. p.484.a 4.

Verſ. 5. *Circumda tibi decorem, & in ſublime erigere? eſto glorioſus, & ſpecioſis induere veſtibus.*] Diſceptare cum Deo videtur voluiſſe Iobus, & in eo congreſſu oſtendere innocentiam ſuam atque iuſtitiam; quod eſt omnino ſuperiorem in ea diſceptatione tenuiſſe locum, 5.

cum. Quod docet Deus tunc superare posse Iobum, cum æquale cum Deo brachium, & potentiam haberet, & quando iudiciali congressu res esset transigenda, simili tonaret voce, vt tonantem & fulminantem Deum intrepidus audiret; quod certe non posset. Ait ergo Deus, tunc Iobum in sua causa triumphaturum, cantaturumque victoriam, cum parem cum Deo potentiam, æquale brachium, & similem in tonando & fulminando contentionem nactus: (*tonare* autem hoc loco idem esse reor, quod agere causas magna contentione atque ardore dicendi. *Tonare* enim, & *fulminare* dicitur orator, cum magno spiritu & vocis frementi sonitu anhelat & bacchatur in causa) triumphantis autem signum est atque victoris, induere decorem, id est, pretiosas & elegantes vestes, quales decent fortunam lætam & triumphalem incessum. *Erigi in sublime*, idem est, atque ascendere in triumphalem & genialem currum, aut in hominum humeros, quibus gestari solent victores, aut qui præclarum aliquid gesserunt a gratulante seu plaudente turba. Quasi dicat Deus, tunc concessurum se esse Iobo palmam, cum parem nactus fuerit, & in agendo virtutem, & in dicendo facultatem, quam palmam assequetur nunquam, cum talem nunquam sit virtutem habiturus. Aliæ sunt expositiones non paucæ, quas prudens omitto, hanc amplector lubens, quia minus videtur impedita.

6. Vers. 6. *Disperge superbos in furore tuo.*] Ostendit Deus, qua in re possit Iobus virtutis
p.484. b suæ atque potentiæ experimentum capere, ac tandem nosse parem cum Deo nactus esse potentiam. Tunc Deus se omnipotentem ostendit, cum omnem potentiam sibi subiectam non obscuro documento declarat, cum arrogantes deprimit, & qui in sublimi loco suam sibi sedem locasse videbantur, ad infimum vsque deturbat. Quod fecit sæpe post ætatem Iobi, vt constat ex variis Scripturæ locis: & fecisse antea verisimile est, licet id sacris annalibus proditum non sit: nisi dicamus, gigantes illos, qui *Genes VI, 4.* viri vocantur famosi, fuisse superbos, & ideo communi aquarum inundatione fuisse demersos.

7. Vers. 7. *Et contere impios in loco suo.*] Non est difficile, superbum hominem atque potentem in loco alieno superare ac sternere, quia in eo minus habet potentiæ, minus ad resistendum virium. Non fuit opus difficile, a iuniore Tobia enecari piscem grandem & horribilem, a fluminis aluo in arena productum, fuisset opus omnino magnum in suo loco, id est, in ipso fluminis gurgite perimere. Sicut fecit Deus, cuius potentiam eo nomine Psaltes amplificat *Psalm. LXXIII, 13. Contribulasti capita draconis in aquis.* & *Ezechiel. XXIX, 3. Ecce ego ad te Pharao Rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, &c.*

Vers. 8. *Absconde eos in puluere simul, & 8.
facies eorum absconde in foueam.*] Hoc dicendi modo mors significatur: *puluerem* enim & *foueam* pro sepulcro sumi, ac *sepulcrum* pro morte, nemo nescit. Et hoc potius indicari videtur a Deo: nisi dicas in *puluere* & *fouea* extremam hominum conditionem exprimi, aut quia homines, cum nullum apparet mortis aut seruitutis effugium, cauernas subeunt, aut foueas, in quibus inducto puluere teguntur & latent. Quomodo ad euitandum eiusmodi periculum, adhortatus est populum Isaias extrema metuentem *cap. II, 10. Ingredere in petram, & abscondere in fossa humo a facie timoris Domini.* Aut quia *sedere in puluere* eius est, qui ærumnosam ducit & ignobilem vitam. Quod in Scriptura obuium. Sic sane Hierosolyma sedere dicitur in puluere, cum vitam ageret extorrem, *Thren. I.* sic Babylon sedere iubetur in puluere, cum illi ignominiosa denunciatur & dira captiuitas. *Isai. XLVII, 1. Descende, sede in puluere, virgo filia Babylon.* Hoc ipsum dixisse videtur Iobus *cap. XX, 6. Si ascenderit vsque ad cœlum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit. Quasi sterquilinium in fine perdetur; & qui eum viderant, dicent, vbi est?* Vtraque expositio facilis, & cum textu satis apte consentiens, prior displicet minus.

Vers. 9. *Et ego confitebor, quod saluare te 9.
possit dextera tua.*] *Saluare* hoc loco iuxta prædicta idem est, atque contra Deum id obtinere, ad quod in iudiciali contentione nitebatur, nempe suam innocentiam atque iustitiam ab omni culpa, imo ab omni culpæ suspicione

cione vindicare. Sed quia hæc Iobus nunquam perficiet, quantumcunque corporis viribus animique contendat, se ipsum, contra nitente Deo, saluare non poterit, id est, probare iniustum esse Deum, & se prorsus indignum, quem Deus tamdiu & tam vehementer afflixerit.

p.485.a
10. Vers. 10. *Ecce Behemoth, quem feci, tecum fœnum quasi bos comedet.*] Hunc locum, natura sua difficilem & impeditum, multis impediunt modis diuersorum auctorum multiplices sensus. multa hic suo more Hebræorum magistri, quæ vt ridicula sunt & ad plausum conficta popularem, sic etiam a nobis suis auctoribus relinquenda, quæ tam illi amant & commendant. Quidam in *Behemoth*, quæ vox est in numero multitudinis, vermes intelligunt, qui Iobi arrodebant carnes, & tanquam agrestes feræ lacerabant. Quorum meminit Iulianus *in Catena*, neque tamen nominat. Alii nullum bestiarum genus designari putant, sed in belluis aduersarias intelligi potestates, aut certe in genere belluas immanes, domituque difficiles; quod non improbat *in Catena* Chrysostomus. Communiter interpretes in hoc nomine peregrino, quodque hoc tantum loco reperitur, elephantum agnoscunt, & in eo dæmonem allegorico sensu. Quod vt verum fatear, quod ad animantis speciem spectat (nam de allegorico sensu alia ratio est) mihi nunquam probari potuit: neque enim elephanto quicquam illorum, quæ in Behemoth a Domino numerantur, conuenire possunt, quæ in commentationis decursu suis locis commodius ostendemus. Prius autem quam adducamus nostram in hac difficultate sententiam, nonnulla præmittemus, quæ aliquid lucis afferant huic loco vehementer obscuro.

11. Primum est, ad hunc locum respexisse Esdram; aut quicunque *libri quarti*, qui sub nomine *Esdræ* legitur, auctor fuit, *cap. VI, 49. Et tunc* (inquit, nempe quinto die) *conseruasti duas animas, nomen vni vocasti Henoch* (*hic est Behemoth*) *& nomen secundæ vocasti Leuiathan: & separasti ea ab alterutro. Non enim poterat septima pars, vbi erat congregata aqua, capere ea. Et dedisti Henoch vnam partem, quæ siccata est tertio die, vt habitet in ea, vbi sunt montes mille. Leuiathan autem dedisti septimam partem humidam, & seruasti eam, vt fiat in deuorationem quibus vis, & quando vis.*

Secundum *Behemoth* non significare certum aliquod genus animantium, sed commune, atque ideo varie a variis, neque a vulgato interprete, eodem semper modo conuertitur. In hoc libro *iumentum* reddidit *cap. XII, 7.* & *cap. XXXV, 11.* & mille aliis locis *animal*, expers nempe rationis, quod tamen a volatili distinguitur. Quare non magis hæc quam illa animantium genera significat; & per synecdochen certæ alicui animalium formæ interdum attribuitur. Sicut *Psalm. XLIX, 10.* Chaldæus transtulit *boues*, & Hieronymus *pecudem*, quæ vox domesticum significat animal, ex quo homo varios capit & necessarios vsus. 12.

Behemoth commune nomen.

Tertium, hoc nomen esse in numero multitudinis, quod docuerunt Septuaginta, dum reddunt: *Ecce bestiæ.* Quare si velis ad aliquam contrahere animantium formam, necesse est, vt eximium aliquod animal intelligas. Nam pluralis numerus cum singulari persona in verbis aut in nominibus cum singulari numero coniunctus epitasim habet, id est, magnum in suo genere esse dicit id, quod exprimit eo multitudinis numero. Hanc regulam tradit Pagninus *lib. 2. instit. cap. 4.* Aut certe pluralis numerus subiectas sibi partes distribuit, & pro aliquo singulari ponitur, eorum, quæ in plurali numero continentur. Quam item regulam adducit Pagninus *lib. 4. institut. cap. 15.* vt *Psalm. I, 3. Quod plantatum est secus riuulos aquarum*, id est, secus vnum e riuulis. *Iudic. XII, 7. Sepultus est in vrbibus*, id est, in aliqua vrbium. 13.

Behemoth in numero plurali.

pag.485.

Ex his habemus e duobus alterum: aut magnum hoc loco significari animal, aut certe significari ex animalibus vnum aliquod, quod postea per partes singulas, certo aliquo signo demonstratas, late & manifeste describit, & hoc potius. Quare sensus erit: Ecce ex animantibus illud, quod feci tecum, &c. Hoc sensu ponitur hoc eodem libro vox eadem Behemoth. Nam *cap. XII, 7.* vbi Vulgatus: *Interroga iumenta, & docebunt te*, Hebr. *Interroga Behemoth, & docebit te.*

14. His vtcumque positis, dico videri mihi verisimile, describi hic aliquid aliud ab elephanto, quod tunc constabit, cum ventum erit ad illa, quæ naturam & proprietates explicant illius animantis, de quo nunc sermo, quarum pluriniæ nequaquam conuenire possunt in elephantis naturam & ingenium.

15. *Behemoth videtur esse taurus.* Dico secundo, videri mihi admodum probabile, his verbis non aliam quam tauri naturam, & ingenium describi, quod ex antiquis docuerunt Hebræorum magistri, vt referunt Albertus & Dionysius, qui ingentis magnitudinis bouem esse dicunt, & Chaldæus *in Psalm. XLIX, 10. bouem* item reddidit. Hoc autem textus ipse sacer aperte meo iudicio probat, quia ea tradit de illa bellua, cuius in hoc capite natura describitur, vt nihil non in illam aptissime conueniat; & quædam, eaque non pauca, quæ in elephanto non facile deprehendas. Illa igitur nos persequamur, & paulo diligentius exploremus.

16. Vers. 10. *Ecce Behemoth, quem feci tecum.*] Frequentes alii ideo simul cum Iobo factum esse dicunt Behemoth, quia eodem, quo primus homo, creatus est die, nempe sexto. vbi enim *Genes. I, 24.* scribitur: *Producat terra iumenta*, Hebr. est *behemah*. Quæ ratio parum videtur habere firmitatis, cum animalia omnia, quæ reptant, aut gradiuntur in terra, eodem cum homine die creata fuerint, neque quod homini in suo genere coætanea fuerint, quicquam ad propositam quæstionem facere videantur. Illud mihi magis videtur solutum & facile, cum homine factum *Behemoth cur dicatur creatus cum Iobo.* esse Behemoth, quia creatum est illud animal, non vt solitarium habitaret in montibus, neque hominum seruiret vsibus, sed vt inter homines ageret, & vaccas redderet fœcundas; ex quibus homo quotidianas capit vtilitates. Neque hoc parum facit ad explicandam & augendam hominis infirmitatem, cum domare non possit belluam illam, quam habet sibi familiarem, quam quotidie videt, & ex cuius admissaria opera vaccarum habet vtilissimam sobolem. Porro hic taurum intelligo iam robustum & grandem, qui superbus est, qui dominatur in gregibus: non vitulum, qui emasculari potest, & cicurari, atque assuefieri iugo & plaustro; nam execti in eo genere mares, qui communi iam hominum acceptione dicuntur boues, seruiunt homini, & trahunt aratrum, & ceruicem longo vsu perustam & sauciam iterum & sæpius iugo submittunt. Elephantus non est natus cum homine; quia inter homines non habitat, imo raro visus in ea saltem regione, vbi agebat Iobus, neque illius nomen in Scriptura sacra ad tempus vsque Machabæorum vnquam auditum, nisi cum illorum dentes e transmarinis, aut certe quam longissime dissitis regionibus dicuntur aducti. Quare non videtur Iobus, neque qui Idumæam regionem incoluerunt, elephantum vidisse. pag. 486. a

17. *Fœnum quasi bos comedet.*] Illud *quasi*, vt aliis sæpe locis, non similitudinem significat, sed veritatem, vt *Ioan. I, 14. Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti a Patre. Et 1. Petri II, 13. Siue Regi quasi præexcellenti.* Quare sensus est, bouem, aut taurum iuxta naturam suam fœnum comedere. Hoc porro pabulum sic erat bobus familiare ac notum, vt ab eo sumeretur similitudo. Quare *Dan. IV, 30. & V, 21.* Nabuchodonosor fœnum, sicut bos comedisse dicitur.

18. *Facultas generandi robur vocata.* Vers. 11. *Fortitudo eius in lumbis eius, & virtus illius in vmbilico ventris est.*] Hic interpretum plerique quam verissime cogitant, sermonem esse, aut de belluæ ardentissima libidine, aut de generandi facultate. Neque nomen *fortitudinis*, aut *virtutis* parum fauet huic cogitationi: vis enim fœcunditatis & seminis in viro fortitudo dicitur, & virtus. Sic Iacob sub hoc ipsum tempus *Genes. XLIX, 3. Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea:* dicitur autem fortitudo patris, quia in ipso apparuit virile robur patris. Illud autem, quod statim sequitur, *principium doloris mei*, alii sic vertunt ex Hebræo: *Principium roboris mei.* Chaldæus: *Principium seminis mei.* Hæc autem fortitudo, aut facultas virilis, est primum in semine, quod e lumbis defluit, quia in illis primum elaboratur; vnde ad generationis organa, aut exprimitur, aut elabitur. Deinde vero in vmbilico, id est, in ea ventris parte, vbi in aliis animantibus vmbilici sedes est, id est, in medio ventris. In eo autem loco tauris genitalis prominet neruus; quod præcipuum in maribus est generationis

tionis organum. Quare hic nihil agi puto de fœminis; quibus in vmbilico dicitur esse luxuries, sed de illa corporis parte, ad quam ad extremum ex renibus defluit & effunditur seminalis humor. Ad hanc autem cogitationem non parum facit, quod in omni ferme idiomate modestiæ gratia a re proxima, quæ obscura sunt, honeste nominantur. Quare in vtroque sexu impudica membra dicuntur *inguina*, quia inguinibus vicina: item in homine *cauda & penis*: quia proxima sunt caudæ, quæ etiam vocatur penis, & in Scriptura sacra *femur*, vnde de femore Iacob dicuntur egressi filii. horum obuia sunt exempla. Sic ergo quia genitale membrum tauris est adiunctum vmbilico, vmbilicus dicitur.

19. Hinc etiam constat Behemoth aliquid esse ab elephante diuersum, cum masculinam illam fortitudinem in vmbilico non habeat, id est, in medio ventris, sed vbi equus, aut asinus, inter femina. Quod etiam indicat quod statim additur.

20. Vers. 12. *Stringit caudam suam quasi cedrum.*] Cauda non est, quod proprie sonat, pars extrema spinæ, sed per metaphoram id significat honestiori vocabulo, quo mas a fœmina distinguitur. Non autem quasi cedrus dicitur, quia prodigiosæ magnitudinis, alioquin neque in elephantem conueniret, cui exiguum inesse genitale membrum tradit Aristoteles *lib. 2. de Histor. animal. cap. 1.* dicitur
p. 486. a vero quasi cedrus salax illa cauda, quia sic riget, cum in venerem prurit, vt non ex carnea neruaceaque, sed ex cedrina, cupressinave materia formata videatur. Neque aliud hic adducam, quia ex hac materia emergere studeo, quam quod Gellius *in accessione ad lib. 4. Æliani* prodit *cap. 38 Taurus*, inquit, *tanto ardore genitalem neruum contendit ad vaccam adiunctus, vt sine motu vllo semen emittat. Ac si a muliebri genitali neruus in aliam corporis partem aberrauerit, vaccam rigidissima intentione vulnerat.* Porro caudam pro obscœna illa corporis parte sumi, Latinis etiam, & Græcis vsitatum est. Latini quidem *penem*, qui proprie caudam valet, ad aliam significationem transtulerunt, sicut & nomen ipsum *caudam*, licet aliquid interdum addant claritatis gratia. Horatius *lib. 1. satyra 3.* caudam appellauit *salacem*: & iterum *lib. 2. satyr. 7. turgentem.* apud Græcos ad eandem significationem transfertur οὐρα & κέρκος, quæ caudam significant.

Nerui testiculorum eius perplexi sunt.] Hæc satis ostendunt, in qua significatione sumenda sit *cauda*, de qua proxime, neque plus addo, quia materia neque grata esse potest scriptori modesto, neque valde interpretis diligentiam desiderat. 21.

Vers. 13. *Ossa eius velut fistula æris, cartilago illius, quasi lamina ferreæ.*] Quam sint dura taurorum ossa, quotidie nos videmus; & idem de cartilagine dicendum, quæ, vt Aristoteles docet *lib. 3. de Histor. animal.* natura eadem qua ossa, constat, & quemadmodum os præcisum nunquam recrescit, ita & cartilago rupta nunquam reparatur. Hoc autem dicit esse discrimen, quod in animalibus terrestribus, quæ animal gignunt & sanguinem habent, cartilago nullo foramine hiscit: nec ossium more medullam habet, quæ ossa perforata complet. Ossa igitur, quia perforata, cum æreis comparat fistulis, quas hominum industria pertundit, cartilaginem autem cum ærea lamina, quæ latior est, neque vllo foramine patet ac hiat. 22.

Vers. 14. *Ipse est principium viarum Dei.*] 23.
Principium id significat, quod maximum est, aut optimum, & præcipuum in aliquo genere. Hoc sane sensu sumpsit Ecclesiasticus *cap. XXIX, 28. Initium vitæ hominis aqua, & panis, & vestimentum & domus protegens turpitudinem.* Hæc enim, vt patet, non prima sunt, sed præcipua humanæ vitæ subsidia. Et Saul *1. Reg. XV, 12.* qui optima de gregibus obtulit Deo; de prædarum initiis sacrificium Deo dicitur immolasse. *Iacob. I, 18.* homo initium esse traditur creaturæ Dei, non sane quia primum conditus a Deo, sed quia dignitate creaturas reliquas antecellat. Taurus autem initium esse dicitur creaturarum, nempe rationis expertium; de his enim, vt apparet, præsens est sermo, quia aut præcipuus est inter animantes, aut certe, quia cum præcipuis numerari potest. Video alia animalia, si corporis spectes molem, esse multo maiora: Rhinocerota dico, & Elephantum. Sed si vsum spectes & commoditates, quas ex ipso

Principium id, quod maximum est, aut præcipuum in aliquo genere.

capit humana necessitas, longe vterque inferior tauro. Adde quod elephantus non erat Iobo notus, quare illius hoc tempore non videbatur opportuna commemoratio. Quod vero eo tempore neque notus esset elephantus, neque aliud tauro maius cognitum esset animalium genus, satis facit illud verisimile, quod cum primum visus est elephantus, ne-
p. 487. a *Elephantus cur vocatus bos Luca.* que illius auditum esset nomen, vocari cœpit bos Luca seu Lucana. Sic Plinius *lib. 8. cap. 6. Elephantos Italia primum vidit Pyrrhi Regis bello, & boues Lucas appellauit, in Lucanis visos, anno vrbis quadringentesimo septuagesimo secundo.* Quod bellum contigisse traditur longe post solutam captiuitatem Babylonicam. Appellati sunt a Romanis boues, quia nullum ad illud vsque tempus visum fuerat animal boue maius. Ita M. Varro *lib. 1. de lingua Latina*, vbi causam tradit, cur bos Luca dicatur elephantus, quod fortitudine ac ferocitate taurus censeretur, aut omnium maximus, aut cum ferocissimis quibusque formidandus. indicat illud *Psalm. XXI, 13.* vbi Dauid hostes fortissimos tauros appellat; *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me.* His adde tauri pulcritudinem, a cuius similitudine Iosephi speciem commendauit Moyses *Deut. XXXIII, 17. Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius.* Propter hæc omnia cum respectu ad Iobi tempora, & illius cognitionem, appellari potuit taurus initium viarum Domini, id est, terrestrium animalium præcipuum.

25. *Qui fecit eum, applicabit gladium eius.*] Cum taurus fortissimus sit, & quem homo ferro tentare, aut prouocare non audeat, maxime cum solutus & liber syluis tantum assuetus in montibus vagatur: quod si tentet, sine magno tamen vitæ periculo non faciet: tamen Deus facile suo conficit gladio, id est, sua voluntate, aut aliis armis, quibus vbicumque locorum plus satis abundat, quibus ingens illa & fortissima moles momento temporis exanimata corruit. Non negat Deus, taurum confici posse a mortali manu, cum id sæpe accidere videamus: Sicut etiam elephantus, aut quæuis alia fera, humana industria capitur & extinguitur; sed quia id sine magno labore atque periculo fieri non potest. Quod autem difficile factu est, ex Scripturæ consuetudine perinde habetur, ac si effici non possit. Est autem præter Deum, qui fecit illum, nullus, qui non sine difficultate ac periculo opus illud suscipiat.

Cum omnis creatura gladius sit, qui ab omnipotente manu virtutem quodammodo omnipotentem habeat, tamen est quidam gladius seu stimulus, quo taurum Dominus vehementer exagitat, quem Græci œstrum, Latini asilum vocant, de quo Ieremias *c. XLVI, 20. Vitula elegans atque formosa Ægyptus, stimulator ab aquilone veniet ei.* & *Oseæ IV, 16.* vbi Vulgatus: *Sicut vacca lasciuiens declinauit Israel*, Septuaginta œstri furorem, & stimulum intelligunt. vbi sic Hieronymus; Pro lasciuiente vacca Septuaginta transtulerunt, quæ œstro asiloque percussa sit, quem vulgo *tabanum* vocant, de quo & Virgilius *in 3. Georg. libro* refert: *Asilus tauris infestissimus.*

Cui nomen asilo
Romanum est, œstrum Graii vertere vocantes,
Asper acerba, sonans quo tota exterrita syluis
Diffugiunt armenta, furit mugitibus æther.

Quam porro asilus infestus sit tauro, explicuit Oppianus *libr. 2. Halieut.* vbi dicit, ea rabie agitari boues ab asilo percussos, vt nullus locus illis sit non peruius, vt illam molestiam effugiant. Quare in montes se corripiunt & scopulos, & in ipsum etiam insiliunt mare: neque quicquam magis horrent, quam quod ab asilo, seu œstro patiuntur.

Vers. 15. *Huic montes herbas ferunt.*] Sicut tyranni ac principes, licet non plus alimenti sumant, aut potus, quam alii de plebe, dicuntur tamen multa comedere, quia multa possident, quibus & ipsi aluntur, & numerosa familia; (quomodo *Isai. XXXVII, 25. Ego fodi, & bibi aquam: & exsiccaui vestigio pedis mei omnes riuos aggerum*) sic etiam montes herbacea pabula alere dicuntur tauris, quia illi aliorum animalium, quæ herba vescuntur, quasi reges sunt, vt capræ, oues, cerui, ibices, quæ subesse videtur taurorum imperio, & ad illorum pertinere familiam. Certe Homerus illum, cui traditum est exercitus Græci gubernaculum, cum tauro comparat, qui aut suo generi imperat, aut fortasse aliis, quæ carniuora non sunt. Quomodo tauri inter se de imperio p. 487. b 26. *Tauri de imperio certant.*

perio certent, & cruentum ideo ineant certamen, expressit optime Virgil. *libr. 12. Æneid.*

Cum duo conuersis inimica in prælia tauri
Frontibus incurrunt, pauidi cessere magistri.
Stat pecus omne metu mutum, mussantque iuuencæ,
Quis pecori imperitet, quem tota armenta sequantur.

27. Et Plinius *libr. 8. capit. 45.* vidisse se dicit tauros de imperio decertantes. Quare optime dici possunt montes tauro herbaceum pabulum præbere, quia illo totam taurorum familiam abunde sustentant. Et in hunc sensum videtur explicuisse Chaldæus illud *Psalm. XLIX, 10. Quoniam meæ sunt omnes feræ sylvarum, iumenta in montibus, & boues.* Sic autem hoc loco Chaldæus: *Quoniam mea sunt animalia syluestria nemorum, & præparavi iustis in horto deliciarum animalia munda, & bouem syluestrem, qui pascitur quotidie montes mille.* Sic abud Nebiensem. Et eodem pene modo in Bibliis Regiis. Bouem porro esse voracissimum, nemini dubium est, & dixit optime Cicero ex Aristotele *lib. 5. Tuscul.* qui cum Sardanapali hoc epitaphium adduxisset, quod suo ille tumulo incidi iusserat:

Hæc habeo quæ edi, quæque exaturata libido
Hausit, at illa iacent multa, & præclara relicta.

Subdit:

Quid aliud in bouis, non in Regis sepulchro inciderες?

28. *Omnes bestiæ agri ludent ibi.*) Duplex potest ex hoc loco deduci sententia: altera, quæ docet, adeo taurum non curare reliquas bestias, nempe quæ herba vescuntur, neque timere, ne ab illis expellatur a pascuis, aut in pascendo turbetur; vt illarum vim, aut conatum, ludum & iocum esse putet. Altera, eo præsente, licet viribus valeat, & aliis appareat formidabilis, nihil tamen alias bestias sibi timere, cum fœnum taurus comedat, non vescatur carnibus. Quare licet simul cum ipso pascantur in montibus, nihil sibi metuunt periculi, imo cum ipso ludunt securæque vagantur. quod certe non facerent, si iisdem locis dominarentur leones, vrsi, lupi, & qui, vt suam expleant famem, infirmiores bestias lacerant & vorant.

Vers. 16. *Sub vmbra dormit in secreto calami, & in locis humentibus.* Licet in monti- 29.
bus sæpe pascantur boues, magis tamen loca palustria amant, & fluminum ripas: quare Suidas ἀκταν βόυνομον vocat, quia in littore commode atque iucunde pascuntur boues. Sic Pharao *Genes. XLI.* ex eo, quod ipse aliquando viderat, somniauit, in littore locisque pag. 488. b palustribus videre se pascentes boues: & *Psalm. LXVII, 31.* feræ arundinis, id est, quæ inter arundineta, quæ statim vocantur congregatio taurorum, cum vaccis lasciuire dicuntur. Tauri igitur licet ad montes digrediantur interdum, cum tamen meridianus instat calor, ad vmbram confugiunt, quæ in littorali regione commodior est & gratior; & ibi illimis & purior aqua, cuius sunt appetentissimi boues, & turbidam execrantur & horrent. ita Aristoteles *lib. 8. de histor. animal. cap. 8.*

Vers. 17. *Protegunt vmbræ vmbram eius,* 30.
circumdabunt eos salices torrentis.] Vmbræ dicuntur arborum frondosi rami ab effectu, quia vmbras diffundunt, & subiectum sibi locum opacant. Sic Virgil. *lib. 12. Æneid.* de ligneo sceptro dixit, iam a suo stipite præciso:

Nunquam fronde leui fundat virgulta, nec vmbras.

Et ad illius imitationem Valerius Flaccus:

Hanc ego magnanimi spolium Didymaonis hastam,
Quæ neque iam frondes virides, neque proferet vmbras.

Quare in altera parte vmbra figurate, in altera proprie sumenda est, in hunc sensum: frondosæ arbores vmbram inducent, vbi dormiat Behemoth: quod statim magis explicat, dum arborem nominat, a qua late diffunduntur vmbræ. Notum est, salices familiares esse littoribus & locis humentibus, e quorum ramis prope flumina Babylonis suspensa sunt captiuorum organa. *Psalm. CXXXVI, 2.* & docuit Maro *libr. 2. Georg.*

Fluminibus salices, crassisque paludibus alni
Nascuntur.

Vers. 18. *Ecce absorbebit fluuium, & non* 31.
mirabitur: & habet fiduciam, quod influat Iordanis in os eius.] Prouerbialis est apud Hispanos boum immodica in potando largitas,

quæ etiam hoc ipso dicendi modo, quem adhibet Scriptura, explicari solet. Sic enim de immoderate bibente dicitur, *bibit sicut bos*, aut *fluuium bibendo exhauriet.* Sic reor hunc dicendi modum hyperbolicum plane vim habere prouerbii. In *fluuio* autem priori loco riuum intelligo, aut torrentem; in quo minus est aquæ, quodque exhauriri potest minori negotio. In Iordane *fluuium* intelligo, in quo latior est alueus & longe maior gurgitis altitudo. Quia in terra promissionis, & in Idumæa præcipue, torrentes reperiuntur & riui. Vnus tantum Iordanis suo merito fluuius vocari potest; qui Iobo ignotus esse non poterat, cum ipsos pene Idumæorum fines allueret. Behemoth igitur, in quo bouem significari diximus, absorbebit fluuios, neque mirabitur; quia præ sua auiditate & siti torrentes omnes & riuos adeo contemnit, vt speret absorbere se posse etiam Iordanem, qui fluuiorum omnium in illis late finibus copiosissimus est. vbi Vulgatus *mirabitur*, Hebr. est יחפז *iachpoz*, quod Hebræi communiter vertunt, *festinabit.* Sed est sententia aut omnino eadem, aut non admodum diuersa. Quasi dicat, non multum contentionis adhibebit, vt totos epotet fluuios.

32. Ille porro dicendi modus maius aliquid indicat, nempe *Behemoth* esse instar maris, in quod vltro naturali fluxu delabuntur flumina. *Mare* vero rem significat latissimam prouerbiali specie, vt docuimus *in nostris Commentariis* ad illud *Thren. II, 13. Magna est velut mare contritio tua.* Quasi dicat, non secus atque si Iordanis influat in mare, non tamen illius implebit capacissimos sinus; sic etiam si in immensam stomachi Behemoth voraginem illabatur, aliquid tamen in illo vacuum relinquet. De hoc postea plura in allegorico sensu.

p. 488. b

33. Vers. 19. *In oculis eius, quasi hamo capiet eum: & in sudibus perforabit nares eius.*] Licet hæc bellua indomita, maxime cum iam in ætatem robustam adoleuit, ab homine non patiatur circulum, aut iugum, Deus tamen, ipsa spectante bellua, hamum illis naribus infiget trahetque, reluctetur licet quamcumque in partem velit: Quod homo non audebit, neque si audeat, faciet impune. Huc credo allusit Deus *Isai. XXXVII, 25.* Nam cum ibi Senacherib de sua potentia prædicasset eadem pene, quæ nunc dicuntur de Behemoth (*Dixerat enim, ego bibi aquam, & exiccaui vestigio pedis mei omnes riuos aggerum*) Dixit illi Deus *vers. 29. Ponam ergo circulum in naribus tuis, & frænum in labiis tuis.* Hic locus mihi persuadet, de tauro potius, quam de elephanto esse sermonem. Neque enim elephanto perforatur nasus & hamus, seu circulus infigitur, quo non aliter trahatur regaturve, quam equus fræno; sed taurino generi, vt nostra fert, & multo magis antiquorum ætas. Conantur alii hæc accommodare elephanti proboscidi, quem a venatoribus perforari dicunt: & alios huius explicandi nodi modos inueniunt, sed certe dure nimis atque distorte, &, vt aiunt, inuita Minerua.

Hucusque de Behemoth, quicumque ille sit, in quo illa secuti sumus, quæ implere magis textum, & ad veritatem accedere videbantur. 34.
Verum quia hæc, quæ de immani hac bellua a Deo dicuntur, quidam allegorice exponenda putant, quod sane videtur non difficile, ideo in expositione allegorica & mystica plusculum operæ nobis ponendum est. Et primum allegoricum sensum non solum ad dæmonem, sed etiam ad hominem superbum, potentem opibus, inflatum spiritu, & ingenio ferocem & audacem, traduci posse arbitror. De hoc prius, deinde de diabolo, & de vtroque breuiter.

De Behemoth superborum symbolo.

Dixerat supra Deus *vers. 6. Disperge superbos in furore tuo.* Qui fuerint hi superbi, quos Deus a Iobo dispersos, ac omnino perditos esse vult, suo loco docuimus: nunc horum hominum ingenium in Behemoth, seu tauri moribus expressum esse suspicor. Primum hi fœnum comedunt, non secus ac boues, id est, res captant inanes & futiles, neque magis stabiles, quam fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur; quodque spiritus alit omnino belluinos ac stupidos. Talia sunt illa, quæ homines isti ambitiosi & vani ab stultæ multitudinis opinione gloriolæ vanæ non tam commoda, quam honoris detrimenta venantur; quæ prudentes animi & bene constituti contemnenda putant magis, quam amanda. 35. *Superbi & ambitiosi fœno, id est, rebus vanissimis se sustentant.*

Vers.

36. Verſ. 11. *Fortitudo eius in lumbis eius.*] Diuitias&otium,& quæ ſuperborum atq; lautorum hominum ſtudia comitantur,intemperantiam alunt, & illam præſertim, quæ eſt a venere. Ad quam præcipiti feruntur impetu, non ſecus, ac taurus, cuius eſt rabidus ad opus illud & inſanus furor, qui furor optime deſcribitur per fortitudinem, quæ eſt in vmbilico & lumbis, & in ſalaci cauda.

Diuitiæ & otium intemperantiam alunt.

p. 489. a

37. Verſ. 13. *Oſſa eius velut fiſtula æris.*] Æs & ferrum difficile molliuntur ac domantur, neque prius, quam ab igne candeſiant, aut liqueſcant. Sic ſane ſuperbi, diuites, ac tyranni: quos nulla vis, nulla legum ſeueritas, nulla religio, ac metus in officio continent, aut ab eo abducunt inſtituto, quod ſcelerate prius arripuerunt. Quod nos quotidie experientia didicimus, dolemusque huic morbo nullam admoueri poſſe medicinam.

Superbi & diuites non facile domantur.

38. Verſ. 14. *Ipſe eſt principium viarum Domini.*] Per Reges & Principes Deus hominum cœtus atque conuentus moderari voluit. Per illum enim reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt; at illi ambitione vana ſuos inflarunt & extulerunt ſpiritus, quod Deo ſuæ felicitatis & poteſtatis auctori ſubdere debuerant. Acceptam autem poteſtatem eo contulerunt, vt ſubditos opprimerent, non fouerent: ſuis ſeruirent commodis, non communibus, & vt ſpoliatis aliorum domibus, ſuas haberent, tyrannica inclementia, inſtructas & ornatas.

39. Verſ. 15. *Huic montes herbas ferunt, omnes beſtiæ agri ludent ibi.*] Huius ſuperbi atque tyranni hominis auaritiæ & luxui inferior, & timida turba ad nutum obſequitur, ſi quo modo illius poſſit declinare ſæuitiam. Quare ludit ante illum, & quantum poteſt illius ſibi gratiam, cum magno etiam rerum diſpendio conciliare ſtudet. Quare ſi quid eſt in montibus amœnum & paſcuum, ſi quid in agris vber & pingue, illius vſibus & libidini ſeruit. Quæ omnia ea ſibi licentia, aut impudentia vendicat, quaſi illi vni tota rerum natura laboraret. Qua de re nos plura ſupra *cap. III, 14. Cum regibus, & conſulibus terræ, qui ædificant ſibi ſolitudines: aut cum Principibus, qui poſſident aurum.*

Superbi & diuites aliorum bona deuorant.

40. Verſ. 16. *Sub vmbra dormit, in ſecreto calami.*] Horum hominum vita deliciis affluit, & eis fruitur commodis, quæ aqua terraque ſuppeditant, quorum ea vox eſt, quam impiis tribuit diuina Sapientia *cap. II, 8 Nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra.* Paſcitur Behemoth in montibus, dum ſtatio illa voluptati eſt, & dulce ac ſalutare pabulum: meridiatur in litorali tractu, vbi a ſalicibus arboribusque paluſtribus grata funditur vmbra, quæ calorem frangit, & molle præbet ac gelidum cubile. Cumque deliciis fruatur ingentibus, & omnes riuos, qua eſt ingluuie, intemperanter exorbeat, plura tamen appetit & maiora, neque ſua capacitate & ſiti fluuium ipſum Iordanis putat eſſe maiorem. Hoc ipſum facit homo ſuperbus, ſuoque ventri ac genio deditus, qui alia atque alia mutat loca, vt quicquid in ſingulis iucundum ſit, ſuum eſſe faciat, neque altius illius animus attollitur, quam belluarum ſenſus, quas pronas natura finxit, & abiecit ad paſtum, atque ideo ſubdit.

Diuitum & potentiam immoderatæ deliciæ.

41. Verſ. 19. *In oculis eius quaſi hamo capiet eum, & in ſudibus perforabit nares eius.*] Hunc hominem ſuo prorſus abdomini & libidini deditum, Deus in belluarum numero poſuiſſe videtur: quando illius perforat naſum, & inſerto hamo non aliter verſat, quam bubulcus bouem, aut bubulum adducit ad paſcua aut reuocat ad iugum. Sane id minatur Senacheribo Aſſyriorum Regi, *Iſai XXXVII.* & idem precatur, aut prædicit Dauid *Pſalm. XXXI, 9. In camo, & fræno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te.* Hæc breuiter de homine ſuperbo & molli, qui expreſſus videtur in *Behemoth.* Nunc de diabolo eadem breuitate, quem plurimi iidemque magni nominis Interpretes, in Behemoth, myſtico, imo & literali ſenſu deſignari credunt.

Superbi & diuites vitam agunt belluinæ ſimilem.

p. 489. b

De diabolo allegoricus ſenſus.

Nemo ferme eſt, qui non hæc aut proprio & literali, aut allegorico ſenſu de diabolo ſumenda non putet. Quare meo muneri id debere videor, vt hanc etiam partem attexam, quam non niſi a paucis præteriri video. Et quidem cum de præcipuis creaturis egiſſet Deus, vt ſuam probaret omnipotentiam, non videbatur illam omiſſurus, quæ reliquis eſſet lon- 42.

longe præstantior. Et cum aut non, aut saltem non nisi difficile inueniatur vllum animal, cui illa conueniant omnia, quæ Deus de Behemoth enunciat, fit verisimile, non in vero, sed in ficto, & quasi hieroglyphico animali expressum esse dæmonis ingenium. Quid tamen nobis magis esset probabile, suo loco diximus.

43. *Tale Diabolo nomen datur, quale illi conuenit, qui ab eo tentatur.* Est præterea obseruandum, per Metonymiam illud diabolo nomen attribui, cuius ipse in illo, quem obsidet, tentat, aut exagitat, causam dedit. Quare mutus, aut surdus dicitur, si alterius constrinxit linguam, aut aures obstruxit; dicitur spiritus fornicationis, aut etiam fornicarius, si ad fornicationem inducit. Quemadmodum mors dicitur pallida, senectus rugosa & frigida, quia illa cadaveri pallorem, hæc seni rugas & frigus inducit. Quare licet eorum, quæ dicuntur de Behemoth, in dæmonis naturam non conueniant, dæmoni tamen attribuuntur: quia dæmonis opera talia patiuntur illi, quos ipse obsidet & exagitat. Iam ergo persequamur singula.

44. Vers. 10. *Ecce Behemoth, quem feci, tecum.*] Repete quæ supra in literali sensu diximus, vbi bouem, seu taurum in *Behemoth* significari putabamus, qui animal est domesticum, & cum homine viuit, licet cum adulta iam est ætate, & imperium gregis obtinuit, domari non possit. Sic ergo nunc illum dæmonem esse suspicor Behemoth, qui datus est ab initio Iobo, vt illi esset assiduus, oppugnaretque quotidie vehementer: vt enim a Deo datus est homini in ipso vitæ exordio angelus custos; sic etiam a tenebrarum Principe angelus aduersarius, qui illi sit assiduus, & ad peccatum & exitium inducat. Hæc est a plerisque patrum recepta sententia. Quam indicat Hieronymus *in hunc locum*, cui Beda subscribit. tenet Magister *2. d. 11.* vbi citat Gregorium. Cassianus *col. 8. capit. 17.* Tertul. *libr. de anima capit. 33.* Athanas. *libr. de diuersis quæst. q. 3.* Origines *homil. 35. in Lucam.* Nyssenus *in vita Moysis*, & plures alii. Est igitur Behemoth datus a tenebrarum Principe Iobo, vt illi assideret perpetuo, & quantum posset ad ruinam impelleret. Qui fortasse dictus est in plurali numero *Behemoth*, quod idem valet, atque *multæ bestiæ*, quia multis Iobum exercuit atque vexauit modis; vt enim paulo ante dicebamus, ille dicitur spiritus mutus, qui linguam constringit, & ille surdus, qui aures obturat, &c. sic iste multorum spirituum partes sustinuit, qui variis modis Iobum exterius interiusque turbauit; qua de re nos supra *cap. III.* a principio.

Angelus malus datus homini existimatur a Satana, sicut bonus & custos a Deo.

p. 490. a

45. *Fœnum quasi bos comedet.*] Comedit dæmon fœnum, vt dicit hoc loco Gregorius, quia insectatur homines, & eorum ruina lætatur, & pascitur. quod probat ex illo *Isaiæ cap. XL, 6. Omnis caro fœnum, & fœnum est populus.* Sed præcipue *fœnum* appellantur carnales homines, qui carni suæ indulgent & genio, & eo rapiuntur, quo vocat irrationalis naturæ væsanus appetitus. Hieronymus ad hunc locum, & ex eo Beda de diabolo loquuntur ad Iobi certamen & vexationem accommodate, cui non permisit Deus, vt quasi leo carnes laceraret voraretque, id est, vitam eriperet, & in ruinam spiritualem deiiceret: quæ interiora sunt, & magis propria, plurisque facienda: sed quasi bos fœnum, rem videlicet abiectam & vilem, comederet, id est, externa bona, pecudes, domum & reliquas opes: alienaret amicos, domesticos, & familiares abduceret: Vtraque expositio satis ad mores; quæ optime explicat, quo loco habenda ea, quæ fœni natura & vilitas adumbrat, quæ sunt apta magis diaboli, quam hominum pabulo. Quibus ipse stultorum hominum ambitioni & auaritiæ illudit, prouocatque magis, quam exsaturat famem, & quam sint viles, qui carnalibus æstuant desideriis, & suæ libidini ac genio intemperanter obsequuntur.

Dæmon fœno, id est, carnalibus hominibus pascitur.

Dæmon non Iobum, sed eius bona comedit.

46. Vers. 11. *Fortitudo eius in lumbis eius: & virtus illius in vmbilico ventris eius.*] Diabolus spiritus est, id est, incorporea quædam substantia, neque carnem habet, neque membra, quæ carnis appetitiones & desideria compleant. Quare non est, cur in eo lumbos aut vmbilicum inuestigemus: lumbos tamen habere dici potest, id est, esse luxuriosus & lasciuus: quia homines nimium obsequentes & credulos ad luxuriam inducit, facitque lasciuos: sicut etiam mutus esse dicitur & surdus, quando obsessi hominis aut linguam constringit, aut aures obturat. Aut etiam quia homi-

Diaboli in luxuriosos potestas.

hominum lumbi, & vmbilicus illius existimandi sunt, quia his vtitur pro suis, & in eo certamine, quod contra castitatem a dæmone suscipitur, illius sunt hæc arma præcipua, quæ ita sunt in homine, vt contra hominem pro dæmone pugnent: Quæ eo magis sunt perniciosa atque timenda, quo interiora magis sunt, & magis blandæ atque latentes insidiæ. In *vmbilico* fœminarum, in *lumbis* virorum significari libidinem docuit Gregorius *ad hunc locum*: & Hieronymus ad illud *Ezech. XVI, 4. Non est præcisus vmbilicus tuus. Quomodo*, inquit, *virorum seminarium significatur in lumbis, ita genitalia fœminarum honesto sermone iuxta consuetudinem Scripturarum vmbilicus vocantur, testimonio Iob.* &c.

47. *Dæmon primum aggreditur molliter, deinde vrget hostiliter.* Vers. 12. *Stringit caudam suam quasi cedrum.*] Vis, credo, vehemens significatur tentationis, quæ ad euertendam castitatem adigit obsequentes. Stringit autem caudam quasi cedrum, quia id efficit in eo, quem ad libidinem vrget & inflammat. Quid sit autem cauda, & quare dicatur cedro similis, diximus supra in literali sensu, ex quo facile sese prodit allegoricus. p.490.b Sanct. Odo optimum ex hoc loco sensum ad mores assumit. Ait enim dæmonem principio sensim illabi: deinde vero petere & vrgere vehementer. Cauda molle aliquid est, & a qua timeri nihil potest, illa blanditur, & allicit amice potius, quam minatur & terret: sed deinde stringitur & riget, sicut cedrus: & quem prius allectabat ad voluptatem molliter, deinde dure atque hostiliter trahit ad interitum.

48. *Verba dæmonis obliqua & ambigua.* *Nerui testiculorum eius perplexi sunt.*] Hi nerui seu meatus, per quos vitiorum deriuantur semina, vnde tandem concipitur ex malo coruo malum ouum, & ex parente pessimo scelerata soboles, suasiones sunt & rationes, quibus vtitur diabolus, vt sua hominibus consilia persuadeat. Hæ vero perplexæ sunt & obliquæ, ita vt quid sibi velint, aut quo spectent, principio non omnino cognoscas. Quæ sic artificiose ac callide honestatis specie deformitatem velant, vt pulcrum appareat & honestum, quod turpissimum est, & prorsus execrabile. De hac dæmonis in loquendo perplexitate diximus plura ad illud *Isai. XLI, 23. Annunciate quæ ventura sunt.* Exemplorum ibi satis adduximus. Vide Theodoretum *lib. de oraculis*, qui seorsum ab aliis excusus est: vbi multa adducit oracula eiusmodi, vt ex illis capi nihil certi possit. Sed omnium optime expressit Cicero *libr. 2. de diuinatione*, vbi Apollinem, cuius certissima putabantur oracula, in hunc modum alloquitur: *Sed iam ad te venio Sancte Apollo*, &c. *Tuis enim oraculis Chrysippus totum volumen impleuit, partim falsis, vt ego opinor, partim casu veris, vt fit in omni oratione sæpissime: partim flexiloquis, & obscuris, vt interpres egeat interprete, & sors ipsa referenda sit ad sortes; partim ambiguis, & quæ ad dialecticum referenda sint.* Sunt item *testiculorum nerui perplexi diaboli*, prædicatores, & ministri, per quos ille ad populos errorum & turpitudinum semina deriuat: qui cum a magistro veteratore & callido persuadendi modum & artem didicerint, non minus illi fraudulenter & callide orationem suam ad persuadendum instruunt.

Vers. 13. *Ossa eius velut fistulæ æris.*] Hoc symbolo dæmonis significatur incredibile robur, 49. *Diaboli indefessa in tentando pertinacia.* & indefessa in tentatione constantia, quem neque frangit temporis diuturnitas, quominus homines incessanter oppugnet, neque si iterum ac sæpius repellatur, despondet animum, aut in pugnandi contentione languet. Vt enim ossa non flectuntur, aut remollescunt, sicut carnes ac nerui, maxime si æris ac ferri duritiem imitentur, sic etiam dæmones neque incuruantur domiti, neque longa tentationis mora quicquam de tentandi contentione remittunt. Et sicut in exagitanda ac persequenda præda non fatigatur, sic etiam in retinenda constantissimus est: ex cuius vnguibus non minus extorquetur difficile, quam vt est in prouerbio, ab Hercule claua, aut e leonis faucibus semesus agnus. Gregorius 50. *Ossa Dæmonis sunt, qui illius causam promouent.* dæmonis seu antichristi ossa illos esse dicit, qui dæmonis causam promouent & sustentant, qui valentiores sunt, qui neque flecti possunt, aut incuruari metu, aut pudore, aut alio quouis artificio ad æquitatem & officium adduci; neque sibi tantum peccant, sed alios exemplo pessimo ad malum pertrahunt, & ad dæmonis castra seu scholam traducunt. *Quid*, inquit, *aliud ossa antichristi, quam quoslibet in eius corpore valentiores accipimus, in*

quorum corde iniquitas dum vehementer induruit,per ea tota eius corporis compago subsistit.

51. Verſ. 14. *Ipſe eſt principium viarum Domini: qui fecit eum, applicabit gladium eius.*] Hic locus omnium facillime accommodatur dæmoni, nam ſi viarum Domini illud vocatur initium, vt in literali explicatione probauimus, quod eſt opus præcipuum, nemo negabit creaturarum omnium angelorum naturam eſſe præcipuam, contra quam vis nulla alia creata pares poterit afferre vires. Solus qui fecit Deus, ſuo conficere gladio poteſt, & ad nihilum vsque redigere.

52. *In ſuperborum animis multi ſimul dæmones habitant.* Verſ. 15. *Huic montes herbas ferunt, omnes beſtiæ agri ludent ibi.*] Cum magna ſit in mundo diaboli poteſtas, & imperium vbique gentium longe lateque diffuſum, præſertim tamen habitat & paſcitur in montibus, id eſt, in ſuperborum animis, vbi ſimul cum Behemoth, id eſt, dæmonum principe, alii etiam complures dæmones paſcuntur & exultant. Quia ſuperbia vitiorum regina longum poſt ſe ducat vitiorum agmen, vt docuit Gregorius, qui ſuperbiam aliquando reginam, aliquando vitiorum omnium radicem appellat: Ac tandem addit *lib. 31. Moral. cap. 13. Ipſa vitiorum regina ſuperbia, cum deuictum plane cor ceperit, mox illud ſeptem principalibus vitiis, quaſi quibusdam ſuis ducibus deuaſtandum tradit.* Quare non ſolum ſuperbia, ſuperborum calcat & paſcitur animum, ſed aliæ etiam beſtiæ, quæ a ſuperbia naſcuntur, & illam quaſi reginam & ducem comitantur aſſidue. Quod ad hunc locum optime idem Gregorius: *Pro eo*, inquit, *quod ſuperbi quique nullum malum cogitando prætereunt, nulla eſt agri beſtia, quæ non horum montium herbis ſatietur. Huic ergo Behemoth montes herbas ferunt, & omnes beſtiæ agri ludunt ibi, quia in ſuperborum corde quilibet malignus ſpiritus tanto latius paſcitur, quanto & omne vitium de ſuperbia generatur.* Vide Caſſianum *lib. 12. c. 27.* vid. item *collat. 7. c. 17.* vbi docet, non omnes dæmones vniuerſas hominibus inferre paſſiones, ſed vnicuique vitio certos ſpiritus incubare. Hi vero, vt modo dicebamus ex Gregorio, ſuperbiam comitantur: & in ſuperborum animis quaſi in communi pabulo laſciuiunt.

53. Verſ. 16. *Sub vmbra dormit, in ſecreto calami & in locis humentibus.*] Hic locus eſt, quia vmbroſus & amœnus, maxime opportunus otio, & illius aſſiduo comiti luxuriæ, quæ diabolo idoneum valde præparat volutabrum: vt enim porci, vbi primum afflauarit a cœni proluuie grauis anhelitus, eo aduolant: ſic dæmones ad luxuriæ fœtorem intolerabilem quamprimum properant, vbique ſe quaſi in ſuo cubili, ſi qua illis poteſt eſſe iucunditas, iucunde volutant. Sane optime dixit Climacus, nulla re magis delectari dæmones, quam fœtore luxuriæ; Multa Patres dicunt, quæ ad hanc ſententiam plurimum faciunt, ad illud *Lucæ XI.* vbi dæmon dicitur perambulare per loca inaquoſa, neque inuenire requiem, quia nimirum illam habent in locis humentibus & in ſecreto calami. 53. *Luxurioſus dæmonum volutabrum.* p. 491. b

54. *Improbi vmbra ſunt diaboli, quia illum imitantur & ſequuntur.* Verſ. 17. *Protegunt vmbræ vmbram eius.*] Hic locus ſuperioris explicatio eſt: quare id pro morali ſenſu tantum addam, quod ad hunc locum docet Gregorius. Pro cuius ſententia obſeruo, in *vmbra* conſiderari duo, & quod corporis imago ſit, & quod ſequatur corpus, quamcumque ſe in partem moueat. Ex quo ſit, vt qui alios obſequii, aut alicuius commoditatis gratia ſequuntur, quique aliter aſſeclæ dicuntur, appellentur *vmbræ.* Illi igitur vmbræ videntur eſſe dæmonis, qui dæmonis exprimunt mores & ingenium, quia illi dæmonis tegunt vmbram, id eſt, occultas fraudes & inſidias; dum ipſi perdite viuunt, & quia potentes ſunt, conculcant leges, laſciuiunt, rapiunt, & quicquid libet, audent, graſſantur randem & bacchantur impune, & denique turpiſsimis vitiis, quique ingenuos mores minime decent, apud ignobilem multitudinem aliquam prætendunt honeſtatis ſpeciem, faciuntque, vt illa plebs ignobilis minus verecundetur & horreat. Hæc aut his affinia multa Gregorius: cuius e multis pauca referam carptim: *Vmbræ*, inquit, *ſunt diaboli omnes iniqui, qui dum imitationi iniquitatis eius inſeruiunt, quaſi ab eius corpore imaginis ſpeciem trahunt: vmbræ vmbram eius protegunt, dum nequiſſimorum facta nequiores ipſi peruerſis patrociniis tuentur. Quod hoc nimirum ſtudio faciunt, ne dum culpa, in qua ipſi obligati ſunt, in aliis corrigitur, ad ipſos quandoque veniatur, &c. ſcelera quippe peccan-*

peccantium tanto maiora incrementa percipiunt, quanto per defensionem potentium diu inulta tolerantur. Vide plura ibidem Gregorio non indigna.

55. *Tunc diabolus in tentatione potens, cum tentatio non reuelatur.* Aliter ad mores, & maxime ad religiosorum profectum, ex hoc loco explicationem attempero. Sedet diabolus in secreto calami, id est, in vmbra, aut obscuro loco, vnde secure & sine errore, in quoscunque velit, tela iaculatur. De quo est illud *Psalm. IX, 29. Sedet in insidiis cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem.* & *Psalm. X, 3. Vt sagittent in obscuro rectos corde.* Hanc vmbram tunc ille tegit, qui cum tentationem sentit, & spiculum a diabolo vibratum, silentio premit & tegit, neque vulnus spirituali medico reuelat. Est autem silentium vmbra, sicut etiam erratorum excusatio. Audi quid de hac vmbra siue silentio Cassianus *collat. 2. cap. 20. Nullatenus*, inquit, *decipi poterit quisque, si non suo iudicio, sed maiorum viuat exemplo, nec valebit ignorationem eius callidus hostis illudere, qui vniuersas cogitationes in corde nascentes perniciosa verecundia nescit obtegere, sed eas, maturo examine seniorum vel reprobat, vel admittit. Illico namque, vt patefacta fuerit, cogitatio maligna marcescit, & antequam discretionis iudicium perforatur, serpens teterrimus velut e tenebroso ac subterraneo specu confessionis virtute protractus ad lucem, & traductus quodammodo, ac dehonestatus abscedit. Tamdiu enim suggestiones eius noxiæ dominantur in nobis, quamdiu celantur in corde.* & *cap. 11.* eandem iterat amplificatque sententiam, & optimo illam exemplo confirmat.

p. 492. a
56. *Religiosorum ruinam maxime appetit diabolus.* Vers. 18. *Ecce absorbebit fluuium, & non mirabitur.*] Tanta illi inest stomachi capacitas, tam siticulosa rabies, vt si fluuium bibendo siccauerit, suæ siti satisfactum esse non putet; sed sitiat adhuc, & ad aliud atque aliud flumen exhauriendum anhelet, & ad ipsum quoque Iordanem insignem & generosum fluuium aspiret. Iordanis terram interluit promissionis, quam Deus pro sui populi hæreditate ex omnibus elegit: vt autem flumina passim pro illis regionibus vsurpantur, quas rigant & obeunt, imo & pro illis, qui regiones inhabitant, sic etiam Iordanis pro Dei populo ponitur: quem Deus suis instituit legibus, suis ornauit beneficiis; quales sunt qui Euangelico sæculo in claustris viuunt, & religiosa excoluntur disciplina, ad quos irrumpere conatur immanis hæc bellua, & sperat, se ardentissimi huius voti futurum esse compotem: & proh dolor ac pudor, illius cogitationem & spem successus aliquando non fallit.

Vers. 19. *In oculis eius quasi hamo capiet eum, & in sudibus perforabit nares eius.*] Multa sibi diabolus ex humani generis victoria promittebat, vt videmus: at Deus præferocem taurum, qui terrorem incutiebat omnibus, & cornibus varie ventilabat, seruire fecit hominum vsibus, & hominum imperio aliqua ratione subiecit. Vt enim quidam egisse dicuntur sub iuga leones, elephantos, tygrides, qui magis videbantur ad hominum exitium, quam ad illorum leuamentum nati; sic etiam Deus tauro huic præferoci ac pingui circulum infixit, & perforato naso, quasi cicuratum & domesticum bouem, hominum commoditati atque vsui parere compulit. Sicut apparuit olim in causa Iobi, cuius cum diabolus cuperet obscurare nomen, & in exitium trahere, fecit tamen Deus, vt magis toto mundo redderet illustrem, & meritorum incremento supra omnes illius ætatis homines augeret. Quod optime *in Psalm. LX.* docuit Augustinus: *Profectus*, inquit, *noster per tentationem nostram sit: nec sibi quisquam innotescit nisi tentatus: nec potest conari nisi vicerit, nec potest vincecere nisi certauerit, nec potest certare nisi inimicos & tentationes habuerit.* Aliquid aliud in *perforato naso* videt Gregorius. In naso significari sagacitatem, res est nota, quem tunc perforat Deus, quando illius detegit astuta consilia & occultas propalat insidias. 57. *Diabolus licet inuitus hominum vtilitati seruit.*

De Leuiathan.

Vers. 20. *An extrahere poteris Leuiathan hamo?*] Egit proxime de animali terrestri, omnium aut præcipuo, & maximo; nunc agere instituit de aquatili & marino, quod appellat Leuiathan. Quod autem sit illud, obscurum est, & diuinandum omnino, aut obscuris admodum agendum coniecturis. Illud concedunt omnes, esse ex genere cetaceo, id est, ex illis piscibus, quorum est pro- 58.

 di-

digiosa proceritas; & illius inter reliquos pisces imperium formidabile. Sed cum illius generis, & nota fuerint olim, & nunc quotidie appareant inuisa antea & inaudita monstra, incertum est, quodnam illorum descri-
pag.492.b batur hoc loco, & in quod, quæ nunc traduntur, proprietates & signa conueniant.

59. De Leuiathan nos supra non pauca *in cap. III, 8.* ad illud: *Qui parati sunt suscitare Leviathan.* De hoc animali, deque nominis notatione multa dicunt Hebræi, sed, vt solent, mera atque ridicula figmenta, & somnia, a quibus commemorandis prudens abstineo, ne cum illis nugari ac delirare videar. Communis est sententia, in *Leuiathan* intelligi balænam, quæ cæterorum omnium vastissima creditur, de qua multa Plinius, Strabo, Ælianus, Gellius, Solinus, denique quotquot de animalium natura commentarios ediderunt. Neque balæna ignota esse potuit Iobo, cum illa in mari rubro, seu sinu Arabico visa fuerit, quod videtur significasse Plinius, dum in illo sinu immanes cetos inueniri dicit *lib. 32. cap. 1.* nimirum sexcentorum pedum longitudinis, & trecentorum sexaginta latitudinis, & nomen ipsum valde cum balænarum ingenio & proprietate consentit. לוה *laua copulare* significat, aut *adhærere*, & ideo Lia *Genes. XXIX, 34.* cum tertium peperit *filium*, appellauit illum Leui, & statim illius nominis notationem addidit, dicens: *Nunc quoque copulabitur mihi maritus meus, &c. & idcirco appellauit nomen eius Leui.* Balænæ autem pisces & conchæ dicuntur adglutinari, & adhærere quasi saxis. Est enim illius belluæ tanta, tamque tarda moles, vt his, quæ lateribus adhærent, nocere non possit, neque quantumcunque velit, a seipsa discutere. Dicitur præterea ab illa pisciculus nunquam discedere, qui illam regit, & in locum deducit magis opportunum. Magnis hisce aquatilibus belluis pisces adhærent, sicut regibus inferiores alii, qui ex ea societate aliquid captant, aut sperant emolumenti. Sic sane loquitur de Pharaone sub allegoria draconis, seu ceti magni, qui viuit in aquis *Ezech. XXIX, 4. Ponam frænum in maxillis tuis, & adglutinabo pisces fluuiorum tuorum squamis tuis.* Est autem mihi valde probabile, ad hunc Iobi locum allusisse prophetam, dum marinæ huius belluæ maxillas infrænat. Vtcumque sit, quando de Leuiathan, qui ex sua etymologia ad varias patet cetorum species, natura certa non constat, balænam tamen esse dicamus, & ad eius proprietates explicationem accommodemus, prius literali sensu de marina bellua, deinde allegorico de diabolo. Sed aduertendum est, in illo cetaceo genere plures videri balænarum formas; inter quas aliqua fuit minus nobis, aut scriptoribus nota, cui istæ proprietates collectæ conueniant. Quod si hoc durum videatur, alia nobis forma in cetaceo genere quærenda, quæ balæna non sit.

Leuiathan creditur esse balæna.

Balæna quid.

An extrahere poteris Leuiathan hamo?] 60.
Non est difficile, fune & hamo captare pisciculos, qui facile trahuntur ad littus & nassam, neque ab illis imminet aliquid periculi: at piscari velle marina monstra, quæque mole valent & viribus, quæque natura sic contra vim externam & insidias muniuit, vt nemo illa lacessat, aut aggrediatur impune; id vero non humanæ facultatis est, sed illius, qui tam vastam molem creare potuit. Id igitur nunc docere vult Iobum Deus, vt discat, quanta sit humana fragilitas, quam diuina potentia omni creata magnitudine superior. *Extra-* pag.493.a
here porro *hamo*, nihil est aliud, quam piscatoria arundine ad littus extrahere, quod statim explicat magis, cum addit.

Et fune ligabis linguam eius.] Ligatur ali- 61.
quis, cum impeditur, ne quo velit abeat aut suo se arbitratu moueat & regat. Ligatur, qui clauis affigitur cruci, aut qui in senticoso solo spinarum detinetur aculeis, licet nulla intercedant funium aut catenarum vincula. Sic etiam ligari diceretur lingua Leuiathan, si hamo caperetur piscatorio, quod sane Deo facillimum est, homini vero plusquam difficile.

Vers. 21. *Nunquid pones circulum in nari-* 62.
bus eius, aut armilla perforabis maxillam eius?] Circulis & armillis domantur & circumaguntur fera, & ad hominum vsus, & subeundum iugum & plaustrum adiguntur, sicut paulo ante dicebamus de Behemoth *vers. 19.* Quare hic, vt reor, nihil significatur aliud, quam cicurari non posse, aut eo adduci Leuiathan, vt hominum seruiat imperio, & in illorum vsum aliquod velit obire ministerium. Ad hunc

locum

locum, opinor, respexit, vt paulo ante dicebamus, Ezech. *c. XXIX. 4.* cum sub draconis, aut piscis magni metaphora dixit Pharaoni: *Ponam frænum in maxillis tuis;* vide quid nos ad illum locum.

63. Vers. 22. *Nunquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia?*] Qui victi sunt a potentiori hoste, & periculum imminet seruitutis aut cædis, cum lacertis ac viribus nequeunt propulsare periculum; ad preces confugiunt, & supplices lacrymas, quantumvis prius spiritus habuerint arrogantes. Quod in suo Turno ambitioso prius & feroci expressit Maro, qui cum paulo antea præclara edidisset heroicæ virtutis documenta & nihil sibi non promisisset in posterum, vbi stratus fuit ab Ænea, & ferrum aspexit imminere iugulo, multiplicauit preces, & mollia locutus est ad Æneam, quem hunc in modum affatus est:

Ille humilis, supplexque oculos, dextramque precantem
Protendens, equidem merui, nec deprecor, inquit,
Vtere sorte tua. Miseri te si qua parentis
Tangere cura potest Dauni miserere senectæ,
Vlterius ne tende odiis.

Sumit itaque supplices preces, & verba mollia, pro victoria ex immani illa bellua comparata per synecdochen, quæ antecedentia consequentibus explicat, præcedit enim victoria, subsequuntur preces. Hæc porro per prosopopœiam dicta sunt, quæ vocem tribuit, & sermonem rebus sermonis & rationis expertibus.

64. *Mors cum seruitute commutari solita.* Vers. 23. *Nunquid faciet tecum pactum, & accipies eum seruum sempiternum?*) Notum est perpetuo seruitutis nexu redimi vitam, quæ fuerat ferro legitime deuota. Nam qui iure belli occidi potuit, non duram subit conditionem, si paratam mortem cum longa seruitute commutet, neq; cum illo iniuste agit aut crudeliter victor, si seruilibus notis ingenuam compungat faciem, dum vitam concedat, quam amittere potuit, qui ad illum vsque articulum eripere studebat alienam. Sic sane fecit Bennadad *3. Reg. XX.* cum victus esset ab Achab, eo se demisit subita rerum inclinatione percussus, vt seruum se vltro offerat, vitæ tantum possessione contentus. Quare legatos mittit cum mandatis, quorum hæc est summa: pag. 493. a
Seruus tuus Bennadad dicit, viuat, oro te, anima mea. id est, vt eo loco exponit Iosephus, dicit se dedititium in perpetuum fore, si modo ipsi a victore vsura vitæ concedatur, quam conditionem nunquam accipiet a Leuiathan, qui nunquam sub suam illum potestatem adducet; vide quid nos ad hunc locum *in nostris Commentariis ad 3. librum Regum.*

65. Vers. 24. *Nunquid illudes ei quasi aui, aut ligabis eum ancillis tuis?*) Solent venatores & aucupes captam prædam ad cibos concidere, & sibi suisque amicis in mensis apponere: aut etiam seruare domi ad lusus & delicias, ad oblectandam familiam. Quorum neutrum præstabit piscatori balæna, quia non est eiusmodi, vt capi a piscatore possit, neque eius ingenii, vt si capi aliquando contingat, cicurari possit, & ad pueriles aut ancillares lusus adhiberi. *Feræ ad hominum delicias cicuratæ.* Scimus, syluestres feras & montanas volucres, maxime si in ætate teneriori capiantur, tractatione molli mansuescere, & hominibus præbere assiduos, neque iniucundos ludos. Quales sunt e genere volatili psittici, corui, picæ, aquilæ, & aues aliæ, quæ vsu condocefactæ neque horrent domesticos, neque illis horrori sunt, aut fastidio. Idem dicendum de terrestribus, qui familiariter inter homines viuunt, & non ligati solum, sed etiam soluti ludunt & gestiunt, & mille hominibus afferunt voluptates, vt sunt cerui, dorcades, & illa, de quibus Martialis *lib. 7. epig. 86.* quæ in deliciis habuisse dicuntur otiosi quidam homines, & parum lauti. De quibus sic:

Si meus aurita gaudet lagopode Flaccus,
Si Cronius similem cercopithecon amat.
Delectat Marium si perniciosus ichneumon:
Pica salutatrix si tibi Lause placet,
Si gelidum collo nectit Glacilla draconem &c.

66. Quod item dixit Seneca *lib. 2. de ira cap. 31.* *Aspice*, inquit, *elephantorum iugo colla submissa. Taurorum pueris pariter ac fœminis persultantibus terga impune calcata; & repentes inter pocula, sinusque innoxio lapsu dracones: & intra domum vrsorum, leonumque ora placida tractantibus, adulantesque Domino feras.* Habuisse Tiberium draconem in deli-

 ciis,

ciis, tradit in eius vita Suetonius. Quemadmodum apud Ægyptios cicurentur aspides, simulque cum infantibus innoxiæ viuant, & vocati veniant, & in mensa comedant, prodit Ælianus *lib. 17. de histor. animal. cap. 5.* Hæc autem nullus homo obtinebit a Leuiathan, etiam si capiat & in domum adducat.

67. Vers. 25. *Concident eum amici? diuident eum negotiatores?*] Prædæ, vt dixi proxime, ad voluptatem capiuntur & delicias, vt auiculæ vocales, quæ clauduntur in caueis, aut feræ, quæ cicuratæ blanditiis lusitant domi, & retinent spectantium oculos: item ad cibos, vt apri, ibices, cerui. Nihil horum præstare potest Leuiathan, non illud, vt modo dicebamus; non hoc, quia nunquam in piscatorum potestatem veniet. Quare neque amici, cum aliis instruere voluerint geniale conuiuium, illius concident carnes, & in epulas condient. Neque negotiatores, qui varia piscium genera in alias atque alias regiones distrahunt a piscatione, marique distan-
p. 494. a tes, diuident Leuiathan, vt sicut thynnorum & aliorum piscium, sic etiam Leuiathan duratas sale carnes, & in frusta concisas venales comportent. Quæ verba plane docent, neque capi a piscatore posse Leuiathan, neque ab illo aliquid sperari posse compendii. Aut certe ideo dicit, non diuidendum a negotiatoribus Leuiathan, quia sicut in aliis piscibus omnia membra esculenta non sunt, & ideo quædam a piscatoribus reiiciuntur tanquam inutilia, sic etiam in balæna, quædam sunt minus, alia nullo modo, alia maxime ad hominum vsus necessaria. Quæ mercatores diuidunt, ne industriam suam & operam perdant. Sane in thynnis, qui ex genere cetaceo sunt, multiplex fit a piscatore diuisio; de quibus Plinius *lib. 9. cap. 15. Thinni membratim cæsi ceruice, & abdomine commendantur, atque clidio recenti duntaxat, & tunc quoque graui ructu cætera parte plenis pulpamentis sale asseruantur.*

68. Vers. 26. *Nunquid implebis sagenas pelle eius? & gurgustium piscium capite illius?*] Adhuc perstat in eodem argumento, & quæ proxime dixerat, magis amplificat. Piscatorum plura sunt instrumenta; sed duo præcipua; alterum rete, quod aliter appellatur sagena, alterum nassa; quod hoc loco Vulgatus videtur appellasse gurgustium, alii vimineum vocant labyrinthum. Ait igitur Deus, neque pellem Leuiathan piscatorio reti capi aut contineri posse, neque in gurgustio, id est, iunceo seu vimineo fisco caput concludi. In *pelle* autem per Metonymiam totum piscem intelligo: sumitur enim continens pro contento, quod item de capite censeo: *caput* enim pro eo, cuius est caput, vsurpari, frequentissimum est.

Vers. 27. *Pone super eum manum tuam; memento belli, nec vltra addas loqui.*] Quod 69.
ratione probauerat Deus, ad experientiam vocat, & iubet, vt vires suas & artem piscatoriam, quantum possit adhibeat, vt illius marinæ belluæ, roboris, & infirmitatis suæ periculum faciat. Hoc autem sibi velle arbitror illud: *Pone manum tuam super eum*, id est, iniice manum, vt exposuit Chrysostomus, tunc talem ex illius horribili aspectu concipies pauorem, vt neque audeas loqui de bello fortasse vlterius inferendo; aut certe quia metus ille subitus præclusis faucibus loquendi facultatem eripiet. In genere loquendi duo hic obseruo: alterum est, imperatiuum poni pro futuro, quod in Scriptura obuium. Deinde quod etiam Hebraico idiomati familiare est, subaudiri in principio conditionalem formam, *Si*, in hunc sensum: si posueris manum tuam super eum, recordaberis belli, quod videlicet temere tentasti, nec addes vltra de eadem re cogitare ac loqui: ac denique sapies magno tuo malo victus, quod prius inexpertus ignorabas. Hic mihi sensus germanus p. 494. b
videtur & solutus. Neque alium, opinor, sensum continet, quam illud Latinorum eodem argumento prouerbium: *Piscator ictus sapiet.*

Hæc mihi explicatio difficilis non est. Sed 70.
vide, an illa placeat, quam non nemo indicat, licet obscurius. Coargui hic Iobum, cum certare velit cum Deo iudicio legitimo, dum aduersus eum de sua innocentia, & de pœnarum acerbitate disceptare vult, cum tuto non possit cum hac marina bellua certare, quæ longe est inferior. Ac si dicat: Abstinebis, sat scio, a congressu cum tam immani fera, si vel tantum manum admoueris: ab hac igitur disce

disce-timere mecum legitimum inire certamen, cuius maior est virtus, & magis periculosa congressio. Memento igitur belli, quod mihi temerarius indixisti, & age pœnitentiam, neque vlterius ea de re verbum loquaris: sed quicquid a me factum est, id iustum puta, neque æquitatem in meis iudiciis aut clementiam requiras.

71. S. Hieronymus, & Beda paulo aliter: quasi hoc modo Iobum alloquatur Deus: Tu, o Iobe, capere non poteris, aut domare Leviathan, illumque ancillis illudendum tradere; & ego id faciam, & ita tibi subiectum & obsequentem dabo, vt imponas illi manus atque demulceas, non secus atque si dorcas esset, aut agnus. Quare memento belli, quod frustra & non impune suscepturus esses, quodque ego suscepi cum hoc marino monstro feliciter. Et gnarus virtutis meæ, & tuæ infirmitatis, querelas mitte a te sæpius iteratas, & æternum tibi ea de re indicito silentium. ita ferme Hieronymus, cuius deinde sensum in morali explicatione magis explicabimus. Tres istæ explicationes satis sunt ad textum: neque video, quid in illis offensionis occurrat, in postremam illarum magis propendet assensio, quia & ipsa facilis, & belle cum capitis sequentis initio consentit.

Vers. 28. *Ecce spes eius frustrabitur eum, & videntibus cunctis præcipitabitur.*] Si de tribus primam sequaris sententiam; necesse est, hoc in loco sermonem esse putes de piscatore, qui de imo gurgite voluerit extrahere Leuiathan. ille enim, qui maiora animo concepit ac sperauit, quam vires & solertia promitterent, cadet ignominiose de sua expectatione, & videntibus omnibus honoris ac vitæ dispendium subibit. Hæc explicatio optime congruit cum prima sententia. Sin autem vtramlibet de posterioribus probes, hæc ad Leuiathan referas, oportet, quem præcipitabit Deus videntibus omnibus, & de illa spe ignominiose deiiciet, qua sibi a nemine cauendum putabat. Hæc de Leuiathan in literali sensu, nunc inducemus allegoricum, cum decurso *cap. XLI.* absoluta erit de hac immani bellua instituta tractatio. 72.

ARGVMENTVM CAP. XLI.

IN superiori capite describere cœperat Deus immanitatem & robur Leuiathan: nunc docet, eam sibi inesse potentiam, & in rerum vniuersitatem imperium, vt ad quiduis moliendum, illius aut alterius viribus non indigeat. Deinde illius proprietates naturamque accurate describit, docetque, sic esse a natura munitum egregie, vt cum ipse omnibus sit formidabilis, a nullo tamen sibi timendum putet. Ad extremum ait nullam in terris esse potestatem, quæ illi non cedat; quia animalium omnium superbissimum est, nihil expectare non excelsum.

CAPVT XLI.

pag. 495. 1. NOn quasi crudelis suscitabo eum: quis enim resistere potest vultui meo?

2. Quis ante dedit mihi, vt reddam ei? omnia quæ sub cœlo sunt, mea sunt.

3. Non parcam ei, & verbis potentibus, & ad deprecandum compositis.

PARAPHRASIS.

1. 2. 3. Non subscitabo Leuiathan, hostili animo, vt tibi, aut aliis noceat. Quod faciunt, qui malum aliis moliuntur, qui cum infirmis sint viribus, neque suam possint iniuriam vlcisci, alienas precantur & asciscunt. Quis autem est, qui mihi se aduersarium opponat, aut cuius ego potentiam vel mea solius voluntate non comprimam. A nemine quicquam vnquam rogaui: qui alterius ope nunquam indigui, neque a quoquam aliquid accepi, neque me alicui debitorem constitui; quia a mea potestate alia- pag. 495.

alienum est nihil. Quare non est, cur illum verbis aggrediar deprecantibus, & ad persuadendum artificio se compositis, cum cogere possim imperio, & ipsi deprecanti ac supplici extremam afferre perniciem.

4. Quis reuelabit faciem indumenti eius? & in medium oris eius quis intrabit?

5. Portas vultus eius quis aperiet? per gyrum dentium eius formido.

4. 5. Iam redeo ad describendum Leuiathan, & enumeranda alia, quæ in eo plane sunt horribilia. Et primum illius indumentum, id est, natiua pellis, adeo est dura, vt discindi ferro & aperiri nequeat, quare faciei pellem perforabit nemo, vt maxillæ armillam inducat, aut in os illius insinuare se, vt infixo faucibus hamo aut constricta lingua excedere cogat, e marino gurgite, & varia ad hominum vsus obire ministeria. Quis enim os illius aperiet, quod vultus illius ostium est, cum illud muniat formidabilis vallus.

6. Corpus illius quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus.

7. Vna vni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas.

8. Vna alteri adhærebit, & tenentes se nequaquam separabuntur.

6. 7. 8. Corpus eius squamis, quasi æreis scutis obductum est, quæ neque ferro discindi, neque vlla vi aut machinatione diuelli possunt. Squamæ enim quasi e duro chalybe formatæ, ita se in prodigioso corpore constringunt & complicant, vt in vnam omnes coaluisse videantur. Quare neque patere potest vulneri latus dissociatis squamis, neque perforatis adigi lethale spiculum.

9. Sternutatio eius splendor ignis, & oculi eius, vt palpebræ diluculi.

pag. 496. 10. De ore eius lampades procedunt, sicut tædæ ignis accensæ.

11. De naribus eius procedit fumus, sicut ollæ succensæ atque feruentis.

12. Halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur.

9. 10. 11. 12. Halitus illius instar obtinet ignis, quem circumfusus aër vehementius incitatus accendit. pag. 496. *Oculi eius sublucidum aliquid & igneum emittunt: qualis esse solet splendor auroræ. Ex ore euomit admixtas fumo flammas, quales pingues emittunt, & ardentes tædæ, fumat nasus, & talis ab eo vapor exhalatur, qualis ab olla, cui subiicitur ignis. Talem denique halitum eructat, vt opposita ligna inflammare possit, & in prunas fauillasque conuertere.*

13. In collo eius morabitur fortitudo, & faciem eius præcedit egestas.

14. Membra carnium eius cohærentia sibi: mittet contra eum fulmina, & ad locum alium non ferentur.

13. 14. Egi hactenus de capite Leuiathan, ad collum descendo, in quo ea est ingluuies, & tanta voracitas, vt illum nulla ciborum abundantia explere possit: vsque adeo, vt quodcumque illi pabulum obiicies, egestatem esse putet, quæ potius acuat, & aduocet, quam saturet, aut obtundat famem. Quod attinet ad totum corpus, membrorum omnium ea est compages atque durities, vt vel ipsa fulmina ab impenetrabili corpore resiliant, neque ad interiora corporis ferantur loca, sed in ipso corporis tegumento deficiant.

15. Cor eius indurabitur tanquam lapis, & stringetur quasi malleatoris incus.

15. 16. Cor autem illius vsque eo durum est & impauidum, vt neque silici cedat, neque incudi ferreæ, quam assiduis ictibus mallei diuerberant; & tamen aliis ita est horribilis, vt si se in mari commo-

16. Cum ſublatus fuerit, timebunt angeli, & territi purgabuntur.

commoueat, qui aut illum vident, aut aquam ab eo commoueri ſuſpicantur, in magno ponant beneficii loco, ſi periculum ſibi propoſitum euadere contingat, quod ſuſpenſis in templo donis gratitudinis ergo, aut alio accepti beneficii monumento teſtabuntur.

17. Cum apprehenderit eum gladius, ſubſiſtere non poterit neque haſta, neque thorax.

18. Reputabit enim quaſi paleas ferrum, & quaſi lignum putridum æs.

19. Non fugabit eum vir ſagittarius, in ſtipulam verſi ſunt ei lapides fundæ.

20. Quaſi ſtipulam æſtimabit malleum, & deridebit vibrantem haſtam.

17. 18. 19. 20. Si homo bene armatus & loricatus accedat contra Leuiathan, omnia tela in illius tegmine frangentur, & reſilient, aut hebeſcent. Neque ferrum pluris faciet, quam ſtipulas; aut æs & chalybem, quam lignum carie aut vetuſtate putridum. Neque ſi vir vrgeat ſagittarius, aut funditor e ſua ſe ſtatione commouebit, quia lapides & tela non plus habent ad nocendum virium, quam arentes ſtipulæ; neque magis timebit clauam & malleum, aut ab hoſtili manu vibratam haſtam, quam ſtupam & paleam, & ſi quid eſt iſtis in rerum natura futilius.

21. Sub ipſo erunt radii ſolis: & ſternet ſibi aurum quaſi lutum.

21. Neque timet, neque curat ſolares radios, qui ſiccare ſolent flumina, & quibuſdam piſcibus afferre perniciem; neque aurum, quo ad bellum ſiue declinandum, ſiue inferendum potentiſſima ſolent comparari ſubſidia.

22. Ferueſcere faciet quaſi ollam profundum mare, & ponet quaſi cum vnguenta bulliunt.

23. Poſt eum lucebit ſemita, æſtimabit abyſſum quaſi ſeneſcentem.

22. 23. Ea eſt immanis huius ceti magnitudo, vt cum ſe in aquarum profundo gurgite commouerit, ferueat mare non aliter atque olla, aut vnguenta igne ſuppoſito ebulliunt & æſtuant. Tum præterea, cum magna ſe mole ad alia atque alia maris loca traducit, lucentem poſt ſe ſemitam & ſpumis albicantem relinquit; ita vt mare ſenilibus canis conſperſum eſſe credas.

pag. 497. 24. Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei, qui factus eſt vt nullum timeret.

25. Omne ſublime videt, ipſe eſt rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ.

24. 25. Vt vno verbo complectar omnia, nulla eſt in terra poteſtas, nullum robur, quod illius poſſit adæquare potentiam. Tantum eſt enim huic marino monſtro conceſſum virium, vt nullum timeat, quia ſuam ſuper omnes excellentiam agnoſcit. Atque ideo nihil videt, aut meditatur, niſi ſublime & magnum: eſt enim animalium omnium ſuperbiſſimum. pag. 497.

Verſ. 1. *Non quaſi crudelis ſuſcitabo eum. Quis enim reſiſtere poteſt vultui meo?*]

pag. 497. a I. LOcus iſte varios admittit ſenſus, & ideo varie diſtrahit interpretes, maxime cum in Hebraico textu non ſit prima perſona *ſuſcitabo*, ſed tertia *ſuſcitabit*. Ad quam accommodate Hebraizantes priora verba non ad Deum referunt, ſed ad hominem audacem & temerarium, qui cum vires habeat infirmas, cum horribili ac validiſſimo hoſte certamen meditatur. Qui ſane crudeliſſimus eſt in ſeipſum,

&, vitæ omnino prodigus, cum sciens volensque in exitium ruat voluntarium. Sed noster interpres melius adhibuit personam primam, tum quia id apud Hebræos frequentissimum est, qui de seipsis tanquam de persona tertia loquuntur, sicut verba Christi manifeste docent, dum ait: *Quem dicunt homines esse filium hominis*, & similia, id est, quem dicunt homines esse me. Deinde quia quæ proxime succedunt, cum tertia persona non apte consentiunt. Sed adhuc est explicatu difficile, cur Deus suscitaturus sit Leuiathan non quasi crudelis. Quidam sic exponunt: Licet Deus immanem hanc belluam suscitauerit, quæ tantum habeat crudelitatis & virium, non tamen ideo censendum esse crudelem, quia sua potentia coërcebit illam, ne tantum audeat faciatve, quantum velit & possit. Ita indicat S. Thomas. Alii non creatum esse dicunt marinum hoc monstrum, vt hominibus noceat; id enim a crudeli spiritu factum videretur, sed vt in tanta mole ac fortitudine suam hominibus potentiam ostenderet.

REGVLA. *Hebræi de se ipsis quasi de tertia persona loquuntur.*

Deus cum aliquid mittit aduersum, non facit vt crudelis.

2. Hæc sane prudenter ac pie; quæque ego probo libenter & amplector, sed nescio, quomodo quæ deinceps adduntur, minus belle cum hac cogitatione conueniunt. Quare ego existimabam exponendum esse locum istum accommodate, ad illa, quæ latius explicuimus *cap. III* ad illa verba *vers. 8. Maledicunt ei, qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leuiathan*, vbi diximus, carmen esse quoddam execratorium, in quo aduocabatur Leuiathan, quasi aliquid pestilens & sævum, & humanis rationibus aduersarium. Quod non fiebat nisi ab iratis & crudelibus, qui aliquid dirum aliis imprecarentur, vt suo siue odio, siue dolori, satisfaciant alieno do-
p.497.b lore. Qui autem ad hunc finem suscitat Leuiathan, vt sibi nempe adsit, quo possit aut iniuriam vlcisci, aut alterius incommodo suum leuare dolorem, aut idem faciat, quod ipse suis viribus præstare non potest, plane fatetur, sibi minus esse virium, quam Leuiathan, quando ab illo sperat, quod a se fieri posse desperabat. His vtcumque positis facile ad reliqua incumbit commentatio. Nam primum Deus non suscitat quasi crudelis Leuiathan, quia illius viribus & crudelitate non vtitur, vt homines perdat, sed vt exerceat & probet, & illorum virtutem splendere magis, & augeri faciat, quod paternæ charitatis est, non crudelitatis hostilis. Deinde non est, cur eo spiritu excitari velit, cum & ipse præstare per se possit nullo negotio, quod alii sibi a Leuiathan præstari desiderant, & ideo ad hæc statim attemperantissime subditur.

Quis enim resistere potest vultui meo?] 3.
Quasi dicat, cur ego alienam virtutem auxiliarem accersam ad quodcumque opus pro mea voluntate præstandum, cum nemo possit voluntati meæ consilioque resistere? An cum omnia ad nutum mihi pareant, seque vel inuita versanda, aut fingenda meæ voluntati ac potestati præbeant, externum auxilium mihi implorandum aut accersendum putem, vt actum agam, & obsequentia cogam, vt subiecta subiiciam?

Vers. 2. *Quis ante dedit mihi, vt reddam ei?* 4.
omnia, quæ sub cœlo sunt, mea sunt.] A nemine quicquam rogaui, quia alterius ope nunquam indigui, neque a quoquam aliquid accepi, neque me alicui debitorem constitui, quia nihil est a mea potestate alienum. Quare non suscitabo Leuiathan precibus, vt faciunt, qui in dolore aut offensione illius opera precantur & sollicitant: vel quia non egeo, vel quia quicquid ille habet meum est, & imperio cogere illum, non precibus exorare debeo. vnde apte post hæc.

Vers. 3. *Non parcam ei, & verbis potenti-* 5.
bus, & ad deprecandum compositis.] Cum hæc ita sint, cur verebor tale monstrum occidere, cum virtus mihi ad tantæ molis euersionem non desit: & de illo quasi de re omnino mea, iure meo libere statuere possim. Quare non
est, cur illud verbis aggrediar deprecantibus, p.498.a
demissis ac supplicibus, & ad persuadendum artificiose compositis, cum cogere possim imperio, & deprecanti ac supplici extremam afferre perniciem.

Hæc mihi omnium probantur maxime: 6.
sed addo explicationem aliam, quæ alicui fortasse non improbabitur, ita vt hæc non pertineant ad Leuiathan, sed ad Iobum, quem hic Dominus reprehendit, & ad iudicium vocat, a quo ipse prouocatus fuerat *cap.*

XXIII,

XXIII,5. Quam sententiam a *cap. XL, 28.* deduco: qui cum principio *cap. XLI.* coniungendus videtur, vbi Deus directe dissoluit iteratam sæpe Iobi querimoniam. Oportebit autem verba ipsius Iobi in præsentia præmitti, quæ nobis ad informandam hanc explicationem aperuerunt aditum, & lucem præbuerunt. Sic autem ibi Iobus: *Quis mihi tribuat, vt cognoscam, & inueniam illum, & veniam vsque ad solium eius? Ponam coram eo iudicium, & os meum replebo increpationibus, vt sciam verba, quæ mihi respondeat: & intelligam quid loquatur mihi. Nolo multa fortitudine contendat mecum, nec magnitudinis suæ mole me premat. Proponat æquitatem contra me, & perueniat ad victoriam iudicium meum.* Tria hic, vt vides, ostendit Iobus: primum, cupere se ad Dei solium venire, & coram illo queri, & suam apud ipsum causam disceptare. Neque dubitare, se in eo legitimo congressu fore superiorem, dummodo Deus non se in eo iudicio crudelem ostendat. Id enim valet illud: *nolo multa fortitudine contendat mecum*, &c.

7. His tribus respondet Deus. Principio illum ad iudicium vocat, & iubet, vt ad interrogata respondeat *a cap. XXXIIX.* vbi dicit: *v.3. Accinge sicut vir lumbos tuos, interrogabo te, & responde mihi.* Deinde *cap. XXXI, 28.* ait, tam longe fore, vt in eo iudiciali congressu Iobus euadat superior, vt potius spe frustretur sua, & omnium conspectu atque iudicio ignominiose cadat. Tandem *in principio cap. XLII.* admittit a Iobo oblatam conditionem, & dicit, in eo congressu se non futurum esse crudelem, quod Iobus optarat, & illius rationem probat, quia nemo erit, qui ipsius possit vultus seueritatem & oculorum scintillantem aciem sustinere. Hoc enim est, suscitabo illum, nempe Iobum, ad pugnam, non vt crudelis, atque ideo non in multa contendam fortitudine, neque mole premam magnitudinis meæ. Hæc directo respondent tribus rebus, quas sibi esse in votis Iobus ante prædixerat. Nunc vero rationem reddit, cur iniusta sit aduersus Deum & stulta Iobi querimonia. Cum enim quæcunque sunt in rebus, Dei sint, neque ille quicquam ab hominibus acceperit, propter quod illis aliquid debeat: sed potius omnia ipse hominibus liberali manu largitus sit: nemo iuste cum eo expostulare poterit, si quæ dedit repetat, & nudum relinquat, quem nudum inuenit, & multis deinde locupletauit ornamentis. Quod Iobus ipse confessus est *cap. I, 21.* dum dixit: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Id vero quod dicitur, *non parcam ei, & verbis potentibus, & ad deprecandum compositis*, hunc habet sensum: licet ille sæpius orauerit, verbaque addiderit admixta lacrymis, quæ sunt ad exorandum potentissima, & commouendum animum artificiose concinnata, non tamen a me impetrabit, vt ipsi, aut verbis supplicibus ignoscam. Quod fecit hactenus, dum illum interrogan- p.498. b.
do vehementer vrget, & faciet ad finem vsque *cap. XLI.* Hæc explicatio mihi valde placet: neque certus sum, e duabus extremis vtram amplectar magis.

Vers. 4. *Quis reuelabit faciem indumenti eius?*] Longum videtur intercessisse hyperbaton a *v.27. præcedentis capitis* vsque *ad hunc locum*, in quo omissa fuit marini monstri instituta descriptio. Iam Deus ad interrupta reuertitur, & pergit referre, quæ videri poterat omisisse, & illius amplificat horribilem speciem: & prodigiosam molem ita munitam, vt a mortali manu nullo, aut non nisi quam difficillimo negotio penetrari ac superari possit. Agit primum de pelle, quam Leuiathan appellat indumentum, quæ adeo est dura, vt diuidi ferro aut securi nequeat, de qua plura statim *v. 6. Facies* autem indumenti ex Hebræorum idiomate idem est quod indumentum: quo modo *facies gladii, frigoris, famis* idem est, quod gladius, frigus, fames. Quare sensus esse posset: *Quis pellem illius duram ferro discindet?* 8.

Sed licet hæc explicatio pluribus placeat, 9.
neque ego illam improbem, propius tamen videor dicturus ad textum, filumque sermonis, si hæc, quæ succedunt proxime, ad illa referam, quæ *præcedenti capite* a *v. 19.* dicuntur de fræno, hamo, & subiectione, denique Leuiathan, vbi negauit Dominus ligari posse, & ad hominum seruitutem adduci. Denique si statuam in hoc capite rationem reddi il-

lorum, quæ *præcedenti capite* negantur posse fieri. Hæc autem verba ad illam partem reuoco *cap. XL, 21.* vbi negantur armillæ perforari posse maxillæ Leuiathan. Et obseruo, vsitatam esse in Scriptura figuram illam, quam Græci vocauerunt hypallagen, Latini permutationem, aut submutationem appellare possent, quæ tunc contingit, quando aliqua permutato aut præpostero ordine dicuntur. Quomodo dixit quidam ex profanis, *trade rati ventos*, qui recto ordine dicere debuisset, *trade ratem ventis.* & illud: *Perflauit fistula buccas.* pro *buccæ perflarunt fistulam.* In Scriptura frequentissimus hic præpostere & permutate dicendi modus. Aliquot hic adducam exempla, ne cuipiam durior videatur expositio, quam informare studeo. *Psalm. XIIX, 6. In sole posuit tabernaculum suum.* pro *in tabernaculo suo posuit solem. 4. Reg. IX, 30.* vbi Vulgatus de Iezabel: *Depinxit oculos suos stibio.* Hebr. *posuit in stibio oculos suos.* pro *posuit in oculis suis stibium. Iudic. I, 8.* vbi Vulgatus: *Tradentes cunctam incendio ciuitatem.* Hebr. *Ciuitatem miserunt in ignem.* pro *ignem miserunt in ciuitatem.* & idem inuenies *Psalm. LXXIII, 7.* vbi Vulgatus: *Incenderunt igni sanctuarium tuum.* Et ne longius abeamus, vbi Vulgatus de hoc ipso Leuiathan *Iob. c. XL, 20. Fune ligabis linguam eius.* Hebr. *In fune merges linguam eius.* pro *in lingua eius merges funem.* Sic ergo hunc locum per hypallagen expono: *Quis reuelabit faciem indumenti eius?* id est, *quis reuelabit indumentum faciei eius?* Indumentum autem faciei est pellis, quam perforare nemo poterit, vt in perforatam maxillæ cutem armillam inducat.

REGULA. Hypallage apud Hebræos vsitata.

10. *Et in medium oris eius quis intrabit?*] Nunc ostendit, fieri non posse, vt quisquam hamo faucibus impacto, aut alligata lingua extrahere possit a gurgite Leuiathan in aridum littus; quia nemo in illius os & fauces ingrediatur, vt linguam capiat atque configat, aut infixo faucibus vnco excedere cogat e marino gurgite. Hoc manifeste indicat textus Hebraicus, qui sic habet: *Cum duplici fræno suo quis intrabit?* id est, quis intrabit cum armilla, & hamo, vt illam maxillæ, hunc linguæ infigat. Capit autem balænæ rictus erectum hominem, vt testantur qui viderunt sæpe in septentrionali oceano; at, vt dicemus statim, oris claustra adeo horrent naturali munimento, & dentium acutissimorum vallo, vt nemo in locum illum quantumcunque capacem sese audeat immittere.

p. 499. a

Vers. 5. *Portas vultus eius quis aperiet? per gyrum dentium eius formido.*) Sicut in muris portæ sunt, id est, spatia diuisa & caua, quæ ingredientes admittit: sic in animalis vultu porta est oris rictus, quem aperire nemo poterit, vt frænum iniiciat, & ad varia ministeria, sicut bouem obsequentem trahat, tum quia pars illa marinæ belluæ ingentis est molis, tum quia accutissimis vallata dentibus, quæ sui aspectu audacissimum quemque deterrebit, exanimabitque. 11.

Vers. 6. *Corpus illius quasi scuta fusilia.*) Quemadmodum perforari non potest maxilla aut nasus, vt armillam accipiat, vel vncum: sic etiam neque vulnerari, aut in frusta concidi corpus, quia intectum est quasi æreis scutis squammatim consertis, quæ neque ferro discindi, neque vlla vi aut machinatione diuelli, aut diffibulari possit. Squamæ enim quasi e duro chalybe formatæ ita se in prodigioso corpore tegendo constringunt & complicant, vt in vnam omnes coaluisse videantur. Quare neque patere potest vulneri lacus hiantibus, aut dissociatis squamis, neque perforatis adigi letale spiculum. 12.

Diximus supra *cap. IV, 10.* dubium esse, an de illa, quæ communiter a nobis balæna dicitur, hæc intelligantur, neque nobis eo loco tam probabatur communis opinio, vt non existimaremus valde verisimile, de alio quouis cetorum genere hunc esse sermonem. Dubitandi autem nobis hic locus occasionem dedit: nam multa hic proponuntur signa in marino monstro, de quo nobis sermo, quæ in balæna, quam viderunt nostri, aut quam de re naturali auctores descripserunt, non inueniunt. Primum balænæ squamæ non sunt, deinde pellis adeo mollis est, vt humanis distringatur aut diuidatur vnguibus, quam pertundunt & lacerant vermiculi quidam marini. a quibus ipsa vehementer vexatur. Hæc sane audimus ab his, qui frequenter in Cantabri- 13.

De Leuiathan multa dicuntur, quæ in balænam non conueniunt.

tabrico oceano hanc belluam piscantur. Scio a quibusdam tradi, duram esse cutem, ita vt perforari nequeat. ita Gesnerus *libr. 4. de balæna*, & Galenus ab eodem citatus *lib. 6. de vsu partium*, vbi etiam dicit, balænæ cutem esse prope insensibilem. Fortasse pro natura regionum variæ sunt huius prodigiosæ belluæ proprietates, sicut in aliis rebus vsu plerumque venit, & ideo arbitror, licet in oceano Hispanico balænarum pellis mollissima sit, in aliis eiusdem maris regionibus sub diuerso cœlo fuisse durissimam.

14. Quod ad squamas attinet, quas in balæna nullus esse concedit, multo plus habet difficultatis, & ideo ferebar licet inuitus in illam
p. 499. b cogitationem, quæ aliquid hic accipit a balæna diuersum, nisi dicamus quod S. Thomæ placuit, quod etiam Caietano visum est & Pinedæ, hic agi non de toto balænæ corpore, sed tantum de ore, palato, totoque rictu, quod durissimum est, & osseis quibusdam laminis tectum, quas hominum vulgus barbam vocat balænæ. Et sane hanc cogitationem verisimilem facit, quod tam quæ præcesserunt, quam quæ succedunt proxime, omnia ad os rictumque pertinent Leuiathan. Squamatum autem vocari potest os illud, quod illæ insternunt laminæ seu verius asseres ex osseis siue corneis tabulis, quas neque diuidet gladius, nec perforabit mucro: neque configet, aut violabit sagittarius. Hæc pro communi sententia; quam ne deseram facit, & quod ab eo recedere nollem, quod plerique probant, & quod neque certam aliquam in cetaceo genere formam inuenio, . in quam proprietates omnes hoc loco descriptæ omnino conueniant.

15. Verſ. 7. *Vna vni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas.*] Ita sunt illæ squamæ, siue corneæ laminæ in Leuiathan corpore siue ore strictim consertæ, & quasi in continens aliquod corpus coalitæ; vt neque pars exigua spiritus in illarum iuncturis intercipi possit: quia videlicet spatii vacui nihil relinquitur, quod vel tenuissimam aëris particulam concipiat & teneat.

16. Verſ. 8 *Vna alteri adhærebit, & tenentes se nequaquam separabuntur.*] Eadem est sententia, magis tamen explicata, quæ significat eo nexu colligari squamas, sic arcte coniungi, vt artificio nullo diuelli, aut disturbari queant.

Verſ. 9. *Sternutatio eius splendor.*] An hoc alicui monstro ex cetaceo genere contingat, incertum est; naturali virtute posse contingere, nemini, credo, dubium est; de quo mox. Quidam quidquid hic de splendore, igne fumo dicitur, ad aquas illas referunt, quæ per duas fistulas quam longissime sursum eiaculatur balæna; quæ splendores dicuntur, quia lucent & candicant. Sicut apparet in fontibus, ex quibus magno impetu sursum vibrantur aquæ, neque aliter e magno incendio erumpit primum fumus, deinde flamma. Dicuntur porro de ore, naribusque procedere: de naribus quidem, quia fistulæ illæ, siue siphunculi, instar obtinent narium; de ore vero, quia quicquid aquæ hauserunt per os, tunc maxime, cum illud habent in mari demersum, per fistulas eructant. Atque ideo de ore primum ad fistulas, & inde in aërem aquæ difflantur. 17.

Ego vero puto, ex ore, & naribus splendorem, fumum, & ignem erumpere. Rationem reddit Aristoteles *lib. 2. Meteor. cap. 4.* ea vero est, quia halitus animalis viscosus, pinguis, & calidus condensatur antiperistasi circumfusi aëris frigidi: & tandem inflammatur, sicut contingit in cometis, & in eo igne, qui dicitur fatuus. Hinc sæpe videmus, in summis equorum auribus emicare flammas, quæ ex illorum halitu, & ambiente aëre exagitato, & frigido condensantur, & tandem ignescunt. Hinc duo illa lumina, quæ in summo nauium malo mirantur & venerantur nauigantes: quæ antiqui Dioscuros, id est, Castorem, & Pollucem, nostrates *santelmum* vocant: quorum materia est conuectorum vapor, ex anhelitu crasso, qui ab agitato in tempestatibus aëre condensatur. Quod in astris contingere docuit Plinius *lib. 2. cap. 37. Vidi*, inquit, *nocturnis militum vigiliis inhærere pilis pro vallo fulgorem effigie ea, & antennis nauigantium*, agebat autem ibi de stellis Castorum. Hinc sæpe equi & tauri dicuntur spirare ignes, quia reuera calidus & pinguis anhelitus per antiperistasin accenditur. Exempla plura adduximus supra *cap. XXXIX, 20.* 18. p. 500. a

Quod igitur de equis alii, id nos de balænis 19.

 senti-

sentire, & dicere quis vetat: cum respiret balæna, vt Aristoteles docet *de respiratione cap. 5.* & Plinius multis *lib. 9. cap. 8* & S. Thomas *hic* calorem, qui e balænæ visceribus egreditur, magnum esse dicit. Est igitur sternutatio eius splendor ignis, quia respiratio illa vehementior, anhelitus non tam sedate efflat, quam eiaculatur vehementer, qui tum ex motu magis concitato, tum ex ardore naturali occursante, & condensante aëre refrigerante accenduntur, & ardent.

20. *Oculi eius, vt palbebræ diluculi.*] Cum ex oculis maxime in furore & ira emicent flammæ, id tamen præcipue in serpentibus, siue terrestribus, sive aquatilibus obseruarunt antiqui, qui scintillas illorum oculis tribuerunt, & micantes flammas. Sic sane Virgilius draconibus enatantibus e fluuio *lib. 2. Æneid.* dedit:

Ardentes oculos, suffectos sanguine, & igne.

& de serpente item aquatili *lib. 3. Georg.*

Exilit in siccum, flammantia lumina torquet.

Ouidius *lib. 3. Metam.*

Martius anguis erat cristis præsignis, & auro,
Igne micant oculi.

Silius *lib. 2.* item de serpente:

Ignea sanguinea radiabant lumina flamma.

21. Innumera occurrent exempla mediocriter attento. Tales oculos habuisse dicitur Leuiathan ita scintillantes, vt splendore quodam naturali micent, & ad hæc aliquid a furore splendoris accedat. Atque ideo fortasse palpebris diluculi siue auroræ dicuntur esse similes. In aurora etenim lux est subobscura & turbida: & quia raro orientalis illa plaga ante solis ortum est a nubibus omnino pura: quæ nubes sic lucent a sole illuminante, vt etiam rubeant, videri possunt oculi Leuiathan diluculi, palpebris non absimiles, quia non tam videntur lucentes, quam inflammati: & sicut *lib. 2. Æneid.* dixit de duorum draconum oculis Maro: *Suffecti sanguine, & igne.* Ita hic Caietanus. Septuaginta legunt: *Quasi species luciferi.* Tunc autem oculi splendentes significantur: neque semel oculi, qui lumina etiam dicuntur, aut sidera vocantur, aut sideribus similes.

22. *Ignis ex ore furoris indicium.* Vers. 10. *De ore eius lampades procedunt.*] Hic locus, & qui proxime succedunt, iam ferme a nobis explicati sunt. Tantum enim significant quidquid est in ore aut ignem euomere, aut fumum: aut certe id, quod facile inflammatur; aut ignem imitari. Quare in Leuiathan nihil est non horribile, cum oculi scintillent, os eructet incendium, fumet nasus, & vapor exhaletur, sicut ab olla, cui subiicitur ignis. Hæc ex dictis obscura non sunt. Illud obseruandum, hæc maxima existimari furoris signa, & ideo in Poëtarum fabulis adhiberi frequenter, imo & in historiis obseruari nonnunquam, sane fumare in ira nasum vrsi, pene prouerbiale est. Ab eo quod vsu plerumque venit, *lib. 4. Georg.* attribuit Maro Proteo *ardentes oculos.* & *lib. 8. Æneid.* Caco *fumiferam noctem & commixtas igne tenebras.* vide quæ supra diximus *cap. XXXIX, 10.* pag. 500. b

Vers. 12. *Halitus eius prunas ardere facit.*) Rationem videtur physicam ostendere, cur ignem euomat, aut videatur euomere Leuiathan, quia halitus eius ita calidus est, vt ignem excitet in ligno, quod non solum facit intensus calor, quem ab immanis belluæ visceribus traxit, sed etiam incitatus motus, qui quo est acrior, eo est ad excitandum ignem vehementior. Sicut apparet in follibus, qui quo magis incitant flatum, eo citius incendunt materiam, & flammam exuscitant. Hic ego figuram intueor, quam aliis locis non semel obseruaui, & hoc ipso loco *cap. XXII, 6.* ad illud, *& nudos spoliasti vestibus.* vbi diximus, rem interdum non ab eo, quod habet, sed ab eo, quod habitura est, nomen assumere. Quomodo ibi dicuntur spoliandi nudi, cum tamen, cum spoliati sunt, nudi non essent, sed postquam fuerant illis indumenta detracta: plura ibi adduximus exempla. Sic etiam modo halitus Leuiathan dicitur inflammaturus prunas, cum tamen eo tempore ligna fuerint, quia illa ligna ab illo calido & vehementi flatu ventilata in ignem & prunas conuertenda sunt. 23.

Vers. 13. *In collo eius morabitur fortitudo.*) Egit hactenus de capite Leuiathan, nunc suo ordine descendit ad collum, quod caput cum reliquo corpore coniungit. Plerique in collo Leuiathan significari dicunt illius robur, & dum in eo fortitudinem morari audiunt, fortissimum illum esse intelligunt, quod Aristoteles docuisse videtur in Physiognomicis, dum 24.

ait,

ait, illos esse fortes, qui collum habent grossum, imbecilles autem, qui illud habent gracile. Quæ ego non improbo, quia & auctores habent non ignobiles, & quia nil occurrit tantum, quod nos ab illa sententia vehementer abducat. Verum in aliam cogitationem magis inclinat animus; quæ ad rem propositam magis videtur facere, & est, nisi me ipsum fallo, multo magis expedita sententia. *Fortitudo*, vt opinor, excellentiam significat in quacunque materia. Vnde fortitudo ponitur pro magnis opibus *Isai. LX, 5.* & *Ezech. XXIIX, 5.* & supra *cap. XL, 11.* pro ardenti profusáque libidine: *Fortitudo eius in lumbis eius.* Sic hoc loco fortitudinem sumi puto, pro immensa ingluuie ac voracitate Leuiathan, quæ in collo est & in faucibus, in qua morari dicitur, quia nunquam illius satiatur fames, & expletur ingluuies. Quare ad hanc explicationem accommodate subditur.

Fortitudo pro excellentia.

25. *Et faciem eius præcedit egestas.*) Hic iam plures habeo, quos sequar, qui hæc de Leuiathan ingluuie & voracitate interpretantur, quam nihil sedare aut explere potest. Quare quicquid obuium habet, quantumcumque illud pingue sit, & pro multorum fame sufficiens pabulum, egestatem putat: quia pro illo immenso gurgite quamcumque rerum abundantiam stillam esse deputat, aut micam exiguam. Quod fortasse paulo ante significatum est in Behemoth, qui talem habuit sitim, vt absorbeat fluuium, neque miretur, id est, neque magnum aliquid esse putat, si fluvium exiccauerit: cum ipsius etiam Iordanis capacem habeat & sitientem stomachum. Ad hunc modum Alexandro Magno egestas videbatur vnus mundus, cum multos appeteret, & satis pro multis habere se facultatis & virium existimaret. Et qui multa desiderat, quæ iam expectatione deuorarat, si non omnia consequatur, inopem se vocat, & quicquid habet, tametsi non exiguum, quia cupiditatem non exaturat, egestatem vocat.

Leuiathan mira ingluuies.

pag. 501. a

26. Vers. 14. *Membra carnium eius cohærentia sibi.*] Descendit a collo ad reliqua membra, quorum magnam dicit esse compagem, & tantam ex ea firmitatem atque duritiem, vt nullum timeat appulsum, nullum ictum, etiam fulminum, qui ex impenetrabili corporis tegumento resilient: neque eo perforato ad corporis interiora peruenient, aut certe neque sentiet se a fulmine percussum. Quare neque seipsum ab eo, in quo consederat, loco mouebit.

Mittet contra eum fulmina, & ad locum alium non ferentur.] Duos hinc sensus ebullire videre mihi videor: alter illud *non ferentur* refert ad fulmina, quæ vsque adeo inuenient vastam molem in hoc marino monstro, vt in ipso deficiant, neque ad alia, atque alia loca proxime transiliant. Quod faciunt plerumque fulmina, quæ vicina loca afflant atque percutiunt: quam explicationem indicat S. Thomas. Vel quia certe ad alium locum non ferentur, quia durum corporis tegumentum non transuerberabunt, atque ideo in ipso languescent, & consistent cortice; neque ad illa, quæ a pelle continentur, penetrabunt. Et hæc mihi sententia magis videtur expedita, in qua tamen aliquid videtur hyperbolicum. 27.

Referri item poterit ad Leuiathan, ita vt cum egregie sit a naturali tegumento loricatus, non sentiat se a fulmine vel leuiter afflatum: quare non mutabit locum, neque relinquet pabulum, si tunc illud captabat, neque soluetur a somno, si illo dormire tempore contingat. Quæ explicatio placeret magis, si illud *ferentur* non esset in multitudinis numero: nam licet aliquando pro singulari pluralis adhibeatur numerus, id tamen fit non ita frequenter, & tunc ad illud effugium, seu sanam solutionem confugimus, quando aliter sensus exprimi non potest idoneus. 28.

Antiquæ & recentes aliquot editiones, etiam vulgatæ pro *fluminibus* habuere *flumina*, cur ita reddiderint, fecit Latinarum vocum similitudo. Sed sane Vulgata, & Sixtiana lectio facilior est. Si tamen lectionem illam admittas, erit sensus non difficilis; isque duplex: Alter est, non ferentur flumina, id est, fluent vlterius, quia illa exorbebit & exsiccabit Leuiathan: vel non sinet vlterius flumina defluere, si in medio fluminum transuersum se opposuerit Leuiathan, quia sua mole, quasi obiecto aggere, sistet flumina. Quod videtur significasse, aut certe indicasse, ad hunc locum respectans Isaias *cap. XXVII, 1. In die* 29.

illa

illa visitabit Dominus in gladio suo duro, & grandi, & forti super Leuiathan serpentem vectem, & super Leuiathan serpentem tortuosum, & occidet cetum, qui in mari est. Hic porro locus Isaiæ satis indicat, Leuiathan non esse balænam, quia illa non habet tortuosam molem, quæ variis conuoluatur spinis, & sinuoso feratur ingressu: neque huic coniecturæ parum
pag.501.b fauet locus hic, quem modo commentamur, cum balænæ pellis ita sit mollis, vt a tenui paxillo perforari, & a vermiculis tenerrimis sauciari possit.

30. Vers. 15. *Cor eius indurabitur tanquam lapis, & stringetur quasi malleatoris incus.*] An vlla sit Leuiathan naturalis in corde durities, incertum est: osficulum quibusdam animantibus esse in corde, docet Plinius *lib. 11. cap. 37.* & in his numerat boues & equos. idem de bobus Aristoteles *lib. 2. de animal. cap. 13.* at alicui esse osseam, aut corneam habere duritiem, nemo dixit. Quare ego hæc non tam de physica intelligenda puto, quam de morali duritia. Quæ duplex est, aut enim non timet gladium, hastam, fulmen, quia cor habet impauidum, non secus atque incus malleorum verbera non metuit: aut quia non mouetur ad misericordiam, neque se continet ab aliorum piscium, seu animantium cæde, quorum carnibus insatiabilem exaturat ingluuiem. Hi autem duo immitium animalium affectus incudis ac lapidis similitudine explicari solent. De priori est illud trimetrum Græcum, quod prouerbialem habet speciem ἄκμων μέγιστος οὐ φοβεῖται τοὺς ψόφους, id est, *maxima incus strepitum non timet.* De posteriori exempla sunt plurima, quæ dicunt crudelem & inclementem, aut e saxo genitum, aut cor habere saxeum. Vtrumque saxum & ferrum in homine inclemente & sæuo coniunxerunt Poëtæ. Ouidius *1. Tristium eleg. 7.*

Cor ferreum, seu saxeum, quid.

Et tua sunt silicis circum præcordia venæ,
Et rigidum ferri semina pectus habet.

Idem *lib. 9. Metamor.*

—Neque enim de Tygride natus,
Nec rapidos silices, solidumque in pectore ferrum
Aut adamanta gerit, nec lac bibit ille leænæ.

Tibullus *lib. 1. eleg. 2.*

Flebis, non tua sunt duro præcordia ferro
Vincta, nec in duro stat tibi corde silex.

Vers. 16. *Cum sublatus fuerit, timebunt angeli; & territi purgabuntur.*] Hic locus varie a variis exponitur. Ego hanc expositionem germanam ac simplicissimam puto, vbi primum seipsum Leuiathan e sua sede, id est, ab infimo gurgite sustulerit, timebunt etiam fortissimi. Quod intelligere possunt, qui rei nauticæ aliquam operam dederunt, vel quia dorsum aut caput a summis fluctibus extare vident: aut quia ad illius motum feruere videtur mare, non aliter atque si grauis inceperit tempestas ingruere; æstus autem marinus, vbi nullus perflat ventus, aut exterior causa, tempestatis censetur certum & illustre prognosticon. De quo multi varie. Cicero *lib. 2. de diuinatione:* 31.

Cum sine vento mare feruet, tempestatis prognosticum.

Atque etiam ventos præmonstrat sæpe futuros
Inflatum mare, cum subito, penitusque tumescit.

Seneca *in Thyeste:*

Imminet nautis fera tempestas
Cum sine vento tranquilla tument.

Plinius *lib. 18. cap. 35.* cum dixisset, in tranquillo mari internum murmur, & spumas dispersas & bullantes aquas tempestatem prædicere, addidit: *Sæpe & in silentio intumescere, flatuque altius solito, iam intra se esse ventos fatetur.* Quare cum mare sine vento feruere, aut intumescere viderint nautæ, quia tempestatem imminere, aut ibi latere Leuiathan, ac tandem sursum illum mouere suspicabuntur, timebunt, quantumcunque animo sint impauido ac forti, cum obuersari sibi ante oculos mortis periculum non temere arbitrentur. 32.
pag.502.a

Angeli cum ex communi vsu substantiam significant spiritualem & incorpoream, interdum tamen significant id, quod in rationali natura excellit plurimum, quocumque illud genere præstare contingat. Sic Malach. *cap. III, 1.* & idem *cap II, 7* Sacerdotes angelos appellat; sicut etiam Paulus *1. Cor. XI, 10,* & *Apocal. I. 20.* septem Episcopi septem vocantur angeli: & qui a sapientia, pulcritudine, aut alia ingenua dote laudantur, cum angelorum venustate aut scientia conferuntur. Qui igitur scientia excellunt nautica, & ipse etiam vsus, & pericula frequenter adita fecerunt, vt animo essent impauido ac forti, bene 33.

bene possunt aut vocari angeli, aut cum angelis in eo genere conferri. Sed hic non est illa vox, quæ communiter ad explicandam angelorum naturam assumitur, sed אלים *elim*, quæ *fortes* significat, & ita ferme converterunt omnes recentiores interpretes.

34. *Et territi purgabuntur.*] Multi hic obscœnum aliquid meditantur, & meo iudicio, loci sanctitate & diuinis verbis minus dignum, quod miror in tot hominum, doctrina & pietate insignium, cogitationem venire potuisse. Dicunt enim, his hominibus, quos marinæ huius belluæ motus aut aspectus horrificus terrefaciet, illud euenturum; quod patiuntur homines, & natura pauidi, & subito aliquo terrore perculsi, nempe, vt aluo soluta effluant ciborum excrementa. Hæc cogitatio, ne videamur prorsus ad illam nauseare, confirmari a suis auctoribus possit, primum ab ipsa rerum natura, quam quotidiana timidorum experientia confirmat: cuius causam reddit Aristoteles *sectione 4. problem. 10.* & *lib. 4. cap. 5. de partibus animalium.* Et idem ibidem docet, de vrina, quam metus euocat e vesica. Deinde quia idem Deus, qui purgandos dicit illos, quos exangues reddet Leviathan, non putat indignum effectu, aut signo non admodum dissimili, magnum & subitum hominum metum significare. Sic enim *Ezech. XXI, 7. Omnia genua fluent aquis.* vbi in aquis vrinam plurimi significari putant, quæ sponte defluit in metu, sicut ventris onus: sic certe putat eo loco Hieronymus; *Pauoris*, inquit, *magnitudine vrina polluet genua, nec valebit profluentes aquas vesica prohibere.* Quare non videtur vsque adeo despuenda illa cogitatio, quæ in purgatione ventris existimat significari proluuiem, si non alia hic sese proderet ex his verbis magisque decora sententia, non ego explicationem istam inuitus admitterem; sed sunt aliæ & honestiores, neque minus accommodatæ exponendi formæ; quas iam affero.

In metu vrina defluit & aluus soluitur.

35. Cum graui nauigantes iactatione susque deque feruntur; & imminere putant extremum vitæ diem; sua ipsi peccata detestantur & damnant, propter quæ a Deo scelerum vindice luere se credunt debita supplicia. Quod etiam ipsi gentiles agnouerunt, qui propter peccata immissam esse tempestatem putarunt: & horribile contigisse naufragium. Eam esse causam censuerunt Græci, cur graui tempestate Aiacis Oilei classis perierit. De quo Iuno apud Maronem *lib. 1. Æneid.*

Tempestates propter peccata immitti, ipsi etiam Gentiles cognouerunt.

Pallasne exurere classem
Argiuûm, atque ipsos potuit submergere ponto
Vnius ob noxam, & furias Aiacis Oilei. p. 502. b
Disiecitque rates, euertitque æquora ventis?

Mille possem afferre exempla; sed erit vnum pro mille apud Ionam *cap. I, 10.* vbi gentiles nautæ ex naufragio cognouerunt, aliquod a Iona admissum esse scelus, cuius & ille pœnas lueret, & alios in idem traheret exitium, quare placare Deum voluerunt immolatis victimis, & votis religiose nuncupatis: sic puto purgari, qui peccasse se credunt, & purgari student ab admisso scelere.

Alia succurrit explicatio, satis ad rem ipsam, & Hebraicum textum accommodata, vbi Vulgatus purgabuntur, Hebr. est יתחטאו *iithchatau*, quod in hithpael significat expiare se a peccato. Quare necesse est, vt expiatorium opus aliqua præcedat moralis macula, qualis est a peccato, aut ab insipientia, qualem in re nautica contraxisse videntur illi, qui ab illius monstri aspectu terrefacti, in regenda naui ex disciplina nautica multipliciter peccant. Quorum stuporem & exanimatum pectus descripsit Ouidius *lib. 1. Tristium eleg. 2.* imminente naufragio: 36.

Rector in incerto est, nec quid fugiatve, petatve,
Inuenit ambiguis ars stupet ipsa malis.

Sed multo melius explicuit Dauid *Psalm. CVI, 25. Stetit spiritus procellæ, & exaltati sunt fluctus eius. Ascendunt vsque ad cœlos, & descendunt vsque ad abyssos, anima eorum in malis tabescebat. Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius: & omnis sapientia eorum deuorata est.* Contingit in Scriptura sacra persæpe, vt expiatio, seu excusatio criminis, aut errati, pro ipsa sumatur culpa vel errore, pro quibus illud expiatorium opus, quodcumque fuerit, assumitur. Est enim in omni literatura frequens, vt in consequenti id, quod necessario præcedit, intelligatur. Sic redemtus dicitur, qui captiuus fuit, sanctificatus, qui pollutus, solutus, qui ligatus, quia nisi captus, pollutus, aut ligatus fuisset, nunquam diceretur redemptus 37.

REGVLA. Expiatio, seu excusatio culpa pro ipsa culpa.

REGVLA. In consequenti id quod necessario præcedit, intelligitur.

ſentire, & dicere quis vetat: cum reſpiret balæna, vt Ariſtoteles docet *de reſpiratione cap. 5.* & Plinius multis *lib. 9. cap. 8* & S. Thomas *hic* calorem, qui e balænæ viſceribus egreditur, magnum eſſe dicit. Eſt igitur ſternutatio eius ſplendor ignis, quia reſpiratio illa vehementior, anhelitus non tam ſedate efflat, quam eiaculatur vehementer, qui tum ex motu magis concitato, tum ex ardore naturali occurſante, & condenſante aëre refrigerante accenduntur, & ardent.

20. *Oculi eius, vt palbebræ diluculi.*] Cum ex oculis maxime in furore & ira emicent flammæ, id tamen præcipue in ſerpentibus, ſiue terreſtribus, ſiue aquatilibus obſeruarunt antiqui, qui ſcintillas illorum oculis tribuerunt, & micantes flammas. Sic ſane Virgilius draconibus enatantibus e fluuio *lib. 2. Æneid.* dedit:

Ardentes oculos, ſuffectos ſanguine, & igne.

& de ſerpente item aquatili *lib. 3. Georg.*

Exilit in ſiccum, flammantia lumina torquet.

Ouidius *lib. 3. Metam.*

Martius anguis erat criſtis præſignis, & auro,
Igne micant oculi.

Silius *lib. 2.* item de ſerpente:

Ignea ſanguinea radiabant lumina flamma.

21. Innumera occurrent exempla mediocriter attento. Tales oculos habuiſſe dicitur Leuiathan ita ſcintillantes, vt ſplendore quodam naturali micent, & ad hæc aliquid a furore ſplendoris accedat. Atque ideo fortaſſe palpebris diluculi ſiue auroræ dicuntur eſſe ſimiles. In aurora etenim lux eſt ſubobſcura & turbida: & quia raro orientalis illa plaga ante ſolis ortum eſt a nubibus omnino pura: quæ nubes ſic lucent a ſole illuminante, vt etiam rubeant, videri poſſunt oculi Leuiathan diluculi, palpebris non abſimiles, quia non tam videntur lucentes, quam inflammati: & ſicut *lib. 2. Æneid.* dixit de duorum draconum oculis Maro: *Suffecti ſanguine, & igne.* Ita hic Caietanus. Septuaginta legunt: *Quaſi ſpecies luciferi.* Tunc autem oculi ſplendentes ſignificantur: neque ſemel oculi, qui lumina etiam dicuntur, aut ſidera vocantur, aut ſideribus ſimiles.

22. Verſ. 10. *De ore eius lampades procedunt.*] Hic locus, & qui proxime ſuccedunt, iam ferme a nobis explicati ſunt. Tantum enim ſignificant quidquid eſt in ore aut ignem euomere, aut fumum: aut certe id, quod facile inflammatur; aut ignem imitari. Quare in Leuiathan nihil eſt non horribile, cum oculi ſcintillent, os eructet incendium, fumet naſus, & vapor exhaletur; ſicut ab olla, cui ſubiicitur ignis. Hæc ex dictis obſcura non ſunt. Illud obſeruandum, hæc ma-
xima exiſtimari furoris ſigna, & ideo in Poë- pag.500.
tarum fabulis adhiberi frequenter, imo & in hiſtoriis obſeruari nonnunquam, ſane fumare in ira naſum vrſi, pene prouerbiale eſt. Ab eo quod vſu plerumque venit, *lib. 4. Georg.* attribuit Maro Proteo *ardentes oculos.* & *lib. 8. Æneid.* Caco *fumiferam noctem & commixtas igne tenebras.* vide quæ ſupra diximus *cap. XXXIX, 10.*

Ignis ex ore furoris indicium.

Verſ. 12. *Halitus eius prunas ardere facit.*) 23.
Rationem videtur phyſicam oſtendere, cur ignem euomat, aut videatur euomere Leuiathan, quia halitus eius ita calidus eſt, vt ignem excitet in ligno, quod non ſolum facit intenſus calor, quem ab immanis belluæ viſceribus traxit, ſed etiam incitatus motus, qui quo eſt acrior, eo eſt ad excitandum ignem vehementior. Sicut apparet in follibus, qui quo magis incitant flatum, eo citius incendunt materiam, & flammam exuſcitant. Hic ego figuram intueor, quam aliis locis non ſemel obſeruaui, & hoc ipſo loco *cap. XXII, 6.* ad illud, *& nudos ſpoliaſti veſtibus.* vbi diximus, rem interdum non ab eo, quod habet, ſed ab eo, quod habitura eſt, nomen aſſumere. Quomodo ibi dicuntur ſpoliandi nudi, cum tamen, cum ſpoliati ſunt, nudi non eſſent, ſed poſtquam fuerant illis indumenta detracta: plura ibi adduximus exempla. Sic etiam modo halitus Leuiathan dicitur inflammaturus prunas, cum tamen eo tempore ligna fuerint, quia illa ligna ab illo calido & vehementi flatu ventilata in ignem & prunas conuertenda ſunt.

Verſ. 13. *In collo eius morabitur fortitudo.*) 24.
Egit hactenus de capite Leuiathan, nunc ſuo ordine deſcendit ad collum, quod caput cum reliquo corpore coniungit. Plerique in collo Leuiathan ſignificari dicunt illius robur, & dum in eo fortitudinem morari audiunt, fortiſſimum illum eſſe intelligunt, quod Ariſtoteles docuiſſe videtur in Phyſiognomicis, dum ait,

ait, illos eſſe fortes, qui collum habent groſſum, imbecilles autem, qui illud habent gracile. Quæ ego non improbo, quia & auctores habent non ignobiles, & quia nil occurrit tantum, quod nos ab illa ſententia vehementer abducat. Verum in aliam cogitationem magis inclinat animus; quæ ad rem propoſitam magis videtur facere, & eſt, niſi me ipſum fallo, multo magis expedita ſententia. *Fortitudo*, vt opinor, excellentiam ſignificat in quacunque materia. Vnde fortitudo ponitur pro magnis opibus *Iſai. LX, 5.* & *Ezech. XXIIX, 5.* & ſupra *cap. XL, 11.* pro ardenti profuſaque libidine: *Fortitudo eius in lumbis eius.* Sic hoc loco fortitudinem ſumi puto, pro immenſa ingluuie ac voracitate Leuiathan, quæ in collo eſt & in faucibus, in qua morari dicitur, quia nunquam illius ſatiatur fames, & expletur ingluuies. Quare ad hanc explicationem accommodate ſubditur.

Fortitudo pro excellentia.

25. *Et faciem eius præcedit egeſtas.*) Hic iam plures habeo, quos ſequar, qui hæc de Leuiathan ingluuie & voracitate interpretantur, quam nihil ſedare aut explere poteſt. Quare quicquid obuium habet, quantumcumque illud pingue ſit, & pro multorum fame ſufficiens pabulum, egeſtatem putat: quia pro illo immenſo gurgite quamcumque rerum abundantiam ſtillam eſſe deputat, aut micam exiguam. Quod fortaſſe paulo ante ſignificatum eſt in Behemoth, qui talem habuit ſitim, vt abſorbeat fluuium, neque miretur, id eſt, neque magnum aliquid eſſe putat, ſi fluvium exiccauerit: cum ipſius etiam Iordanis capacem habeat & ſitientem ſtomachum. Ad hunc modum Alexandro Magno egeſtas videbatur vnus mundus, cum multos appeteret, & ſatis pro multis habere ſe facultatis & virium exiſtimaret. Et qui multa deſiderat, quæ iam expectatione deuorarat, ſi non omnia conſequatur, inopem ſe vocat, & quicquid habet, tametſi non exiguum, quia cupiditatem non exaturat, egeſtatem vocat.

Leuiathan mira ingluuies.

pag. 501. a

26. Verſ. 14. *Membra carnium eius cohærentia ſibi.*] Deſcendit a collo ad reliqua membra, quorum magnam dicit eſſe compagem, & tantam ex ea firmitatem atque duritiem, vt nullum timeat appulſum, nullum ictum, etiam fulminum, qui ex impenetrabili corporis tegumento reſilient: neque eo perforato ad corporis interiora peruenient, aut certe neque ſentiet ſe a fulmine percuſſum. Quare neque ſeipſum ab eo, in quo conſederat, loco mouebit.

Mittet contra eum fulmina, & ad locum alium non ferentur.] Duos hinc ſenſus ebullire videre mihi videor: alter illud *non ferentur* refert ad fulmina, quæ vſque adeo inuenient vaſtam molem in hoc marino monſtro, vt in ipſo deficiant, neque ad alia, atque alia loca proxime tranſiliant. Quod faciunt plerumque fulmina, quæ vicina loca afflant atque percutiunt: quam explicationem indicat S. Thomas. Vel quia certe ad alium locum non ferentur, quia durum corporis tegumentum non tranſuerberabunt, atque ideo in ipſo langueſcent, & conſiſtent cortice; neque ad illa, quæ a pelle continentur, penetrabunt. Et hæc mihi ſententia magis videtur expedita, in qua tamen aliquid videtur hyperbolicum. 27.

Referri item poterit ad Leuiathan, ita vt cum egregie ſit a naturali tegumento loricatus, non ſentiat ſe a fulmine vel leuiter afflatum: quare non mutabit locum, neque relinquet pabulum, ſi tunc illud captabat, neque ſoluetur a ſomno, ſi illo dormire tempore contingat. Quæ explicatio placeret magis, ſi illud *ferentur* non eſſet in multitudinis numero: nam licet aliquando pro ſingulari pluralis adhibeatur numerus, id tamen fit non ita frequenter, & tunc ad illud effugium, ſeu ſanam ſolutionem confugimus, quando aliter ſenſus exprimi non poteſt idoneus. 28.

Antiquæ & recentes aliquot editiones, etiam vulgatæ pro *fluminibus* habuere *flumina*, cur ita reddiderint, fecit Latinarum vocum ſimilitudo. Sed ſane Vulgata, & Sixtiana lectio facilior eſt. Si tamen lectionem illam admittas, erit ſenſus non difficilis; iſque duplex: Alter eſt, non ferentur flumina, id eſt, fluent vlterius, quia illa exorbebit & exſiccabit Leuiathan: vel non ſinet vlterius flumina defluere, ſi in medio fluminum tranſuerſum ſe oppoſuerit Leuiathan, quia ſua mole, quaſi obiecto aggere, ſiſtet flumina. Quod videtur ſignificaſſe, aut certe indicaſſe, ad hunc locum reſpectans Iſaias *cap. XXVII, 1. In die illa* 29.

illa visitabit Dominus in gladio suo duro, & grandi, & forti super Leuiathan serpentem vectem, & super Leuiathan serpentem tortuosum, & occidet cetum, qui in mari est. Hic porro locus Isaiæ satis indicat, Leuiathan non esse balænam, quia illa non habet tortuosam molem, quæ variis conuoluatur spinis, & sinuoso feratur ingressu: neque huic coniecturæ parum fauet locus hic, quem modo commentamur, cum balænæ pellis ita sit mollis, vt a tenui paxillo perforari, & a vermiculis tenerrimis sauciari possit.

pag.501.b

30. Vers. 15. *Cor eius indurabitur tanquam lapis, & stringetur quasi malleatoris incus.*] An vlla sit Leuiathan naturalis in corde durities, incertum est: osiculum quibusdam animantibus esse in corde, docet Plinius *lib. 11. cap. 37.* & in his numerat boues & equos. idem de bobus Aristoteles *lib. 2. de animal. cap. 13.* at alicui esse osseam, aut corneam habere duritiem, nemo dixit. Quare ego hæc non tam de physica intelligenda puto, quam de morali duritia. Quæ duplex est, aut enim non timet gladium, hastam, fulmen, quia cor habet impauidum, non secus atque incus malleorum verbera non metuit: aut quia non mouetur ad misericordiam, neque se continet ab aliorum piscium, seu animantium cæde, quorum carnibus insatiabilem exaturat ingluuiem. Hi autem duo immitium animalium affectus incudis ac lapidis similitudine explicari solent. De priori est illud trimetrum Græcum, quod prouerbialem habet speciem ἄκμων μέγιστος ὀ φοβεῖται τὸς ψόφος, id est, *maxima incus strepitum non timet.* De posteriori exempla sunt plurima, quæ dicunt crudelem & inclementem, aut e saxo genitum, aut cor habere saxeum. Vtrumque saxum & ferrum in homine inclemente & sæuo coniunxerunt Poëtæ. Ouidius *1. Tristium eleg. 7.*

Cor ferreum, seu saxeum, quid.

Et tua sunt silicis circum præcordia venæ,
Et rigidum ferri semina pectus habet.

Idem *lib. 9. Metamor.*

—Neque enim de Tygride natus,
Nec rapidos silices, solidumque in pectore ferrum
Aut adamanta gerit, nec lac bibit ille leænæ.

Tibullus *lib. 1. eleg. 2.*

Flebis, non tua sunt duro præcordia ferro
Vincta, nec in duro stat tibi corde silex.

Vers. 16. *Cum sublatus fuerit, timebunt angeli; & territi purgabuntur.*] Hic locus varie a variis exponitur. Ego hanc expositionem germanam ac simplicissimam puto, vbi primum seipsum Leuiathan e sua sede, id est, ab infimo gurgite sustulerit, timebunt etiam fortissimi. Quod intelligere possunt, qui rei nauticæ aliquam operam dederunt, vel quia dorsum aut caput a summis fluctibus extare vident: aut quia ad illius motum feruere videtur mare, non aliter atque si grauis inceperit tempestas ingruere; æstus autem marinus, vbi nullus perflat ventus, aut exterior causa, tempestatis censetur certum & illustre prognosticon. De quo multi varie. Cicero *lib. 2. de diuinatione:* 31.

Cum sine vento mare feruet, tempestatis prognosticum.

Atque etiam ventos præmonstrat sæpe futuros
Inflatum mare, cum subito, penitusque tumescit.

Seneca *in Thyeste:*

Imminet nautis fera tempestas
Cum sine vento tranquilla tument.

Plinius *lib. 18. cap. 35.* cum dixisset, in tranquillo mari internum murmur, & spumas dispersas & bullantes aquas tempestatem prædicere, addidit: *Sæpe & in silentio intumescere, flatuque altius solito, iam intra se esse ventos fatetur.* Quare cum mare sine vento feruere, aut intumescere viderint nautæ, quia tempestatem imminere, aut ibi latere Leuiathan, ac tandem sursum illum mouere suspicabuntur, timebunt, quantumcunque animo sint impauido ac forti, cum obuersari sibi ante oculos mortis periculum non temere arbitrentur. 32.

pag.502.a

Angeli cum ex communi vsu substantiam significant spiritualem & incorpoream, interdum tamen significant id, quod in rationali natura excellit plurimum, quocumque illud genere præstare contingat. Sic Malach. *cap. III, 1.* & idem *cap II, 7* Sacerdotes angelos appellat; sicut etiam Paulus *1. Cor. XI, 10,* & *Apocal. I. 20.* septem Episcopi septem vocantur angeli: & qui a sapientia, pulcritudine, aut alia ingenua dote laudantur, cum angelorum venustate aut scientia conferuntur. Qui igitur scientia excellunt nautica, & ipse etiam vsus, & pericula frequenter adita fecerunt, vt animo essent impauido ac forti, 33.

bene

bene possunt aut vocari angeli, aut cum angelis in eo genere conferri. Sed hic non est illa vox, quæ communiter ad explicandam angelorum naturam assumitur, sed אילים *elim*, quæ *fortes* significat, & ita ferme converterunt omnes recentiores interpretes.

34. *Et territi purgabuntur.*] Multi hic obscœnum aliquid meditantur, & meo iudicio, loci sanctitate & diuinis verbis minus dignum, quod mirot in tot hominum, doctrina & pietate insignium, cogitationem venire potuisse. Dicunt enim, his hominibus, quos marinæ huius belluæ motus aut aspectus horrificus terrefaciet, illud euenturum; quod patiuntur homines, & natura pauidi, & subito aliquo terrore perculsi, nempe, vt aluo soluta effluant ciborum excrementa. Hæc cogitatio, ne videamur prorsus ad illam nauseare, confirmari a suis auctoribus possit, primum ab ipsa rerum natura, quam quotidiana timidorum experientia confirmat: cuius causam reddit Aristoteles *sectione 4. problem. 10. & lib. 4. cap. 5. de partibus animalium.* Et idem ibidem docet, de vrina, quam metus euocat e vesica. Deinde quia idem Deus, qui purgandos dicit illos, quos exangues reddet Leviathan, non putat indignum effectu, aut signo non admodum dissimili, magnum & subitum hominum metum significare. Sic enim *Ezech. XXI, 7. Omnia genua fluent aquis.* vbi in aquis vrinam plurimi significari putant, quæ sponte defluit in metu, sicut ventris onus: sic certe putat eo loco Hieronymus; *Pauoris*, inquit, *magnitudine vrina polluet genua, nec valebit profluentes aquas vesica prohibere.* Quare non videtur vsque adeo despuenda illa cogitatio, quæ in purgatione ventris existimat significari proluuiem, si non alia hic sese proderet ex his verbis magisque decora sententia, non ego explicationem istam inuitus admitterem; sed sunt aliæ & honestiores, neque minus accommodatæ exponendi formæ; quas iam affero.

In metu Urina defluit & aluus soluitur.

35. Cum graui nauigantes iactatione susque deque feruntur; & imminere putant extremum vitæ diem; sua ipsi peccata detestantur & damnant, propter quæ a Deo scelerum vindice luere se credunt debita supplicia. Quod etiam ipsi gentiles agnouerunt, qui propter peccata immissam esse tempestatem putarunt: & horribile contigisse naufragium. Eam esse causam censuerunt Græci, cur graui tempestate Aiacis Oilei classis perierit. De quo Iuno apud Maronem *lib. 1. Æneid.*

Tempestates propter peccata immitti, ipsi etiam Gentiles cognouerunt.

Pallasne exurere classem
Argiuûm, atque ipsos potuit submergere ponto
Vnius ob noxam, & furias Aiacis Oilei. p. 502. b
Disiecitque rates, euertitque æquora ventis?

Mille possem afferre exempla; sed erit vnum pro mille apud Ionam *cap. I, 10.* vbi gentiles nautæ ex naufragio cognouerunt, aliquod a Iona admissum esse scelus, cuius & ille pœnas lueret, & alios in idem traheret exitium, quare placare Deum voluerunt immolatis victimis, & votis religiose nuncupatis: sic puto purgari, qui peccasse se credunt, & purgari student ab admisso scelere.

Alia succurrit explicatio, satis ad rem ipsam, & Hebraicum textum accommodata, vbi Vulgatus purgabuntur, Hebr. est יתחטאו *iithchatau*, quod in hithpael significat expiare se a peccato. Quare necesse est, vt expiatorium opus aliqua præcedat moralis macula, qualis est a peccato, aut ab insipientia, qualem in re nautica contraxisse videntur illi, qui ab illius monstri aspectu terrefacti, in regenda naui ex disciplina nautica multipliciter peccant. Quorum stuporem & exanimatum pectus descripsit Ouidius *lib. 1. Tristium eleg. 2.* imminente naufragio: 36.

Rector in incerto est, nec quid fugiatve, petatve,
Inuenit ambiguis ars stupet ipsa malis.

Sed multo melius explicuit Dauid *Psalm. CVI, 25. Stetit spiritus procellæ, & exaltati sunt fluctus eius. Ascendunt vsque ad cœlos, & descendunt vsque ad abyssos, anima eorum in malis tabescebat. Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius: & omnis sapientia eorum deuorata est.* Contingit in Scriptura sacra persæpe, vt expiatio, seu excusatio criminis, aut errati, pro ipsa sumatur culpa vel errore, pro quibus illud expiatorium opus, quodcumque fuerit, assumitur. Est enim in omni literatura frequens, vt in consequenti id, quod necessario præcedit, intelligatur. Sic redemtus dicitur, qui captiuus fuit, sanctificatus, qui pollutus, solutus, qui ligatus, quia nisi captus, pollutus, aut ligatus fuisset, nunquam diceretur redemptus 37.

REGVLA. *Expiatio, seu excusatio culpæ pro ipsa culpa.*

REGVLA. *In consequenti id quod necessario præcedit, intelligitur.*

ptus, sanctificatus, aut solutus. Imo, & huiusmodi consequentia nomina pro his, quæ antecessere, capiuntur, licet quod consecutum videri poterat, nunquam acciderit; ita vt quod pollutum est, sanctificatum dicatur & expiatum, quia expiari & sanctificari debet. *Leuit. VI, 27.* vbi sermo est de hostia pro peccato: *Quicquid tetigerit carnes eius, sanctificabitur.* Quod vero ibi non sequatur sanctitas, sed potius immunditia, quæ purgari debeat, docet quod statim sequitur: *Si de sanguine illius vestis fuerit aspersa, lauabitur in loco sancto; vas autem fictile, in quo cocta est, confringetur. Quod si vas æneum fuerit, defricabitur, & lauabitur.* Et *Deut. XXII, 9. Non seras vineam tuam alieno semine, ne & sementis, quam fecisti, & quæ nascuntur ex vinea, pariter sanctificentur*, id est, eiusmodi sint, vt sanctificari debeant, aut mundari. In quam sententiam exposuimus *in nostris Commentariis* illud *Isai. XXIII, 18. Et merces eius sanctificatæ Domino:* id est, execrabiles Domino; vbi in hanc sententiam plurima. Quare illud, *Territi purgabuntur*, hunc habere videtur commodum sensum: Territi errabunt, aut peccabunt in regenda naui, cum perturbatio atque æstus omnem a nautis scientiam, imo & mentem expectoret. Quare facient tunc, quod deinceps purgare, aut excusare debeant.

p. 503. a
38. *Qui in periculo sunt, vota faciunt, & reddunt.* Tertiam accipe explicationem non admodum diuersam a secunda. Qui in tempestate præsens vitæ periculum declinare student; vota faciunt pro salute, & seipsos nuncupati voti reos constituunt; eo maxime rerum articulo, in quo ab humana solertia nullum occurrit mortis effugium. Quod item fecerunt quam sæpissime alii, qui variis atque periculosis morbis iactati, aut grauibus periculis defuncti sunt. De illis Cicero *lib. 2. de natura Deorum: Tu*, inquit, *qui Deos putas humana negligere, non animaduertis ex tot tabulis pictis, quam multi vim tempestatis effugerint, in portumque salui aduenerint.* De his Tibullus *eleg. 1. ad Isidem:*

Nunc Dea, nunc succurre mihi, nam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis.

Qui autem vota nuncuparet, reus iudicabatur & damnatus voti, donec illud impleret. Qui loquendi modus vsitatus erat apud Latinos. Liuius sæpe damnari ciuitatem dixit suscepti voti, quod item Virgilius dixit *Ecloga 5.*

Tibi sic vota quotannis
Agricolæ faciant, damnabis tu quoque votis.

Idem *lib. 5. Æneid.* reum appellat voti, qui votum nuncupauit:

Dii, quibus imperium pelagi, quorum æquora curro,
Vobis lætus ego hoc candentem in littore taurum
Constituam ante aras voti reus.

Vide quæ diximus supra *cap. XXII, 27.* ad illud, *& vota tua reddes.* Interim dum vota 39. *Quis voti reus.*
suscepta soluerit debitor, damnatus, aut reus voti existimari potest ille, qui nuncupauit, & quodam modo impurus. Tunc vero ab hoc solutus, & purgatus macula censetur, cum ab hoc se debito primum exoluerit. Quocirca perinde est, vota concepta soluere, atque a debito, & quodammodo a scelere purgari. Ex tribus sententiis elige quam malueris, omnes enim videntur probabiles.

Vers. 17. *Cum apprehenderit eum gladius, subsistere non poterit, neque hasta, neque thorax.*] Persequitur Leuiathan explorare atque explicare robur, & paucis significat, neque quicquam illi nocere posse, cum satis sit a natura contra omnium telorum genera munitus: quæ ille non aliter curat, aut metuit, quam stipulam, aut si quid est stipula futilius. Si quis, inquit, thoracem induerit heptabœum, qui nullo videatur spiculo penetrari posse: si omnibus se telis instruxerit, nullum vulnus infliget, quia in illius tegmine omne spiculum frangetur, resiliet, aut hebescet: Neque plus habebit momenti, aut firmitatis ad inferendam plagam marino illi & horribili monstro, quam lignum putridum, aut ex stipulis aridis, aut ex arborum foliis confecta spicula. Hæc *ad versum* vsque *20.* explicatione non indigent, omnia enim eo spectant, vt marini monstri amplificent robur, hominum extenuent, & tegumenta Leuiathan ærea esse dicat, hominum arma infantiles stipulas, & tenues guttulas e molli pluuia, quæ scopulos feriunt, aut aliquid simile. 40.

Vers. 21. *Sub ipso erunt radii solis: & sternet sibi* 41.

sibi aurum quasi lutum.] Sicut varie hic locus a variis redditur, sic etiam in varia auctorum iudicia distrahitur. Hebræi pro *solaribus radiis*, acuta supponunt testarum fragmenta, quod item secundo loco faciunt, pro *auro*, & vsque adeo duram esse putant cutem, aut
p. 503. b squamatam loricam Leuiathan, vt in acutis testis, aut petrarum acuminibus ita placide dormiat, ac si supra lutum subactum & molliter solutum requiesceret. Non longe ab his recedit Septuaginta translatio, qui ita conuertunt, *lectus eius obelisci acuti*, & *omne aurum maris sub eo, sicut lutum inenarrabile.* Theodotio σιδήρια τέκτονος, id est, *ferramenta fabri.* Aquila ἐξοντῆρες ὀστράκων, id est, *acumina testarum*, eodem ferme modo Chaldæus. Quod si ita accipias, explicatio difficilis non est; quam proxime indicauimus. Ratio autem tantæ diuersitatis orta est ex duabus vocibus Hebraicis, quæ ambiguam habent significationem. Prior חדודים *chadudim*, quæ significat *acumina*, quæ optime figuram radiorum explicant, qui acuminati sunt, posterior est חרש *cheres*, quæ *testam* valet, quomodo supra *cap. II, 8.* vertit Vulgatus, quæ vox leui permutatione *solem* significat, si videlicet ס quæ affinem habet sonum pro ש intelligas. Hæc nos iuxta aliorum translationem.

42. In vulgata translatione nostri etiam interpretes non satis inter se conueniunt. quidam in *auro, radiisque solaribus* squamas intelligunt splendentes, super quas incumbens quiescit & dormit Leuiathan. Quibus verbis non solum ostendunt, fortem esse Leuiathan, sed etiam splendidum: ita vt splendore ac lumine nec ipsis quidem cedat solaribus radiis, & aurum præ sua pulcritudine non pluris faciat, quam lutum. Quæ verba illius sunt, qui in se summa omnia recognoscit, & in illis seipsum amat. Alii tantam esse molem prodigiosæ belluæ, vt radiis se solaribus opponat, & inducta quam longissima vmbra sicut faciunt montes, non patiatur latissima spatia a sole illustrari. Alii aliter, quæ mihi dura visa sunt, neque ad explicandum huius belluæ admirabile robur admodum opportuna. Ego hic duo cogitabam; alterum est *solis radios*, & *aurum* hoc loco speciem habere prouerbiatem, & sumi pro eo, quod magno apud homines habetur in pretio, & licet ista bruta neque curent, neque cognoscant, fieri tamen solet, vt per prosopopœiam, illam rebus rationis expertibus mentem, aut vocem demus, quæ vni tantum homini concessa sunt. Quare sub Leuiathan dicitur esse sol & aurum, & quod in rerum natura censetur esse maximum: quia non pluris illa facit, quam lutum, quod sternitur & calcatur ab omnibus. Aut certe, quia non solum de Leuiathan robore, sed etiam de illius agitur sæuitia, hoc dicendi modo affectus ille crudelis & ferox explicatur optime, & fortasse prouerbiali forma in hunc sensum: non cohibebis huius monstri furorem, etiam si illi suauissima quæque offeras, & quæ illi accidere potuere gratissima, quæ lucis & auri nomine significari solent. Hæc certe apud homines censentur maxima, & ab hominibus figurate traducuntur ad belluas.

Lux & aurum prouerbialiter pro rebus maxime pretiosis.

Lux, seu, quod idem est, *solares radii*, a quibus lux ipsa prouenit, eo loco habetur apud omnes, vt nihil illa existimetur esse pretiosius. De qua est illud *Eccl. XI, 7. Dulce lumen, & delectabile est oculis videre solem.* Neque Tobias *cap. V, 12.* putabat quicquam sibi posse accidere iucundum, cum cœli lucem non videret. Sane gentes, cum charissimum sibi aliquid significare volunt, a luce sumunt similitudinem: & ideo quos amant, aut quibus bene cupiunt, blandimento appellant amatorio *suam lucem.* Et vt Anna apud Virgilium *lib. 4. Æneid.* suam sororem sibi es- p. 504. a
se charissimam ostenderet, suum in illam animum hoc modo significauit; *O luce magis dilecta soror.* Quo in pretio sit aurum, illud satis argumento est, quod quæ pretiosa sunt & pulcra, aurea in omni ferme idiomate vocantur. Cum autem vehemens est affectus siue odii, siue amoris, neque auri, neque lucis habetur ratio, sed omnia hæc pessundantur, quasi aliquid vilissimum. De quo odio, studioque vindictæ dixerunt antiqui. Claudianus *de bello Getico:*

Inuisum miles cupiens haurire cruorem
Per varias vestes, onerataque claustra metallo
Transit, & argenti cumulos; & cædis auarus

 Con-

Contemptas proculcat opes, pretiosior auro
Sanguis erat, passim neglecti prodiga lucri
Ira furens strictis odium mucronibus horret.

44. In Scriptura sacra hoc ipsum audimus de Chaldæis, qui tam sitiebant Iudæorum sanguinem, vt nullæ oblatæ opes illorum furorem retardarent, aut animorum aliquantulum ardorem remitterent. Sic sane Sophonias *cap. I, 18. Sed & argentum eorum, & aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini.* Isai. *cap. XIII, 17.* de Medis contra Babylonios: *Ego suscitabo contra eos Medos, qui argentum non quærant, neque aurum velint, sed sagittis paruulos interficient, & lactentibus vteri non miserebuntur.* Dixerat autem de illis paulo antea *v. 12. Pretiosior erit vir auro, & homo mundo obrizo,* quem versum nos paraphrastice sic expressimus: is erit Persarum ac Medorum ardor in euertenda vrbe, id in ciues Babylonios odium, vt nemo possit oblato auro ab hostili ferro vitam redimere. Erit enim vir longe auro pretiosior: quare in illum multo inflammabitur magis vindictæ studium quam in oblatum aurum auaritia. Idem fuit, Gabaonitarum odium in Saulem, quod his expressere verbis: *Non est nobis super argento & auro quæstio, sed contra Saul, & contra domum eius. 2 Reg. XXI, 4.*

Aurum ab irato & appetente vindictæ contemnitur.

45. Hæc mihi explicatio non videtur difficilis. Sed addo tertiam, quam tamen nemini persuadeo, licet non videatur prorsus improbabilis. Non curabat Leuiathan gladium, non hastam, non sagittam, aut fulmina, sed timere aliquid præterea posset, quod esset aliquibus ex aquatilium genere nocentissimum; nempe solis radios, qui non secus atque venenata spicula exitium afferunt his, quæ ex alto ad solis aspectum & summas aquas emergunt. Aliquid eiusmodi legisse me aliquando meminisse videor, sed locus non succurrit: illud scio, aliquibus piscibus a solis radiis contigisse mortem: sic enim illos in summis innatantes aquis torrent & exsiccant, vt deinde demergi non possint, & in sua se recipere latibula: quare prædæ fiunt piscatoribus & etiam carniuoris auibus, quæ ad illos inuolant, & aduncis vnguibus obripiunt. De muræna dixit Martialis *lib. 13. epigram. 80.*

Pisces quidam a sole torrefacti mergi non possunt.

Quæ natat in Siculo grandis muræna profundo,
Non valet exustam mergere sole cutem.

Hoc idem Macrobius docet *lib. 3. Saturn. cap. 15.* quod commune dicit cum anguillis. *Accersebantur*, inquit, *murænæ ad piscinas nostræ vrbis ab vsque freto Siculo, quod Rhegium a Messana despicit. Illic enim optimæ a prodigis esse creduntur tam hercule quam anguillæ, & vtræque ex illo loco Græce, πλῶται vocantur, Latine flutæ, quod in somno supernatantes sole torrefactæ curuare se posse, & in aquam mergere desinunt: atque ita faciles captu fiunt.* pag. 504, b

46. Aliam ob causam timeri possent a Leuiathan radii solares, quia sæpe a sole siccantur stagna & lacus ingentes, & pisces, qui in illis aluntur & regnant, extinguuntur. Quod contigisse aliquando cecinit Dauid *Psalm. CVI, 33. Posuit flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim.* Quod minatus est Deus *Isai. XIX, 5. Arescet aqua de mari, & fluuius desolabitur, atque siccabitur, & deficient flumina, & mœrebunt piscatores, & lugebunt omnes mittentes in flumen hamum. Ezech. XXX, 12. Et faciam alueos fluminum aridos.* Plura hac de re diximus *in nostris Commentariis super Oseam* ad illud: *cap. IV, 3. Sed & pisces maris congregabuntur.*

Lacus & flumina aliquando siccata.

47. Sed quid iuxta hæc de eo, quod in altero hemistichio ponitur: *Et sternet sibi aurum quasi lutum?* Sane aut in *auro* contineri omnia belli subsidia, siue ad declinandum, siue ad inferendum vulnus ab arte profecta: omnia enim siue bellorum instrumenta, siue ornamenta pacis, quia auro comparantur, aurum appellari non immerito possunt; quomodo quidam ex profanis dixit, aurea nunc esse sæcula, quia nihil est auro non venale. Aut certe iteratam esse sententiam, & solis radios appellari aurum, quia illi aurei videntur; & vulgari consuetudine, a qua sacra Scriptura non abhorret, tale aliquid esse dicitur, quale apparet, & ab ea similitudine nomen sumit. Sternit itaque sibi aurum quasi lutum, quia non magis illud aut timet, aut curat, quam lutum, in quo se volutat & versat.

48. Vers. 22. *Feruescere faciet quasi ollam profundum mare, & ponet quasi cum vnguenta bulliunt.*] De hoc maris siue feruore, siue æstu diximus proxime ad illud *v. 16. Cum sublatus fuerit, turbabuntur.* Et quidem ipsa fert rerum

rum natura, vt si magna moles in aquis moueatur, aqua ipsa moueatur & ferueat. Quod si de balæna sermo sit, quæ per fistulas, quasi salientes eiaculatur aquas, multo magis apparet feruoris huius euidens causa. Vt enim in fontibus aquarum ab imo solo scatebræ totam aquam fontanam ebullire faciunt; sic etiam vibrata per fistulas, magno, vt apparet, impetu, illa vis aquarum facit, vt mare, aut lacus spatio non exiguo ebulliat & ferveat. Quomodo quædam e genere cetaceo excitare videantur tempestates, vide Ælianum *lib. 20. cap. 2.* & sane Plinius *lib. 9. cap. 7.* a respirante ceto aquas sufflari dicit, & tumere bullis.

49. Vers. 23. *Post eum lucebit semita; æstimabit abyssum quasi senescentem.*] Hoc quoque ingentis molis argumentum est: nam quemadmodum cum magna se nauis mouet, viam post se aut viæ vestigia in æquore diuiso atque sulcato relinquit, & in ea spumas, quæ vastam molem illac transiisse significant: Sic etiam cum maris aquas summas innatat, & sulcat Leuiathan, lucentem post se semitam, & spumis albescentem relinquit. Quod si splendentes habet squamas Leuiathan, aut tersam atque micantem concham, semita item illius lucebit, aut splendore illius in aquarum profunditate repercusso, aut quia res contenta pro continente ponitur, ideo lucere dicitur via, quia is lucet, qui in via est.

50. *Æstimabit abyssum quasi senescentem.*] Quidam in *senescente abysso* mare intelligunt domitum a Leuiathan, cum illius comparatione infirmum videatur & debile, qualis esse solet homo a senectute iam exhaustus; & sepulturæ proximus, qui a robusto iuuene nullo
p. 505. a negotio superatur. Sic Leuiathan putabit pro sua magnitudine abyssum esse exiguam, quamque ipse exorbere possit, & exiccare. Ego hoc posterius hemistichium prioris explicationem esse arbitror, neque aliud esse quam ad ipsius motum, cum ad summas aquas emersit, inflari aquas, & commoueri, & spumis, bullisque candicare. Pro tanta vero magnitudine ac motu, verisimile est magnum hinc inde spatium spumis ac bullis esse conspersum. Quare Leuiathan totam abyssum senescentem putabit, id est, albicantem spumis, sicut canis albicat senile caput. Est autem vsitatum valde, vt canum, aut incanescere mare dicatur, quando aut ventis, aut nauigiorum motu, aut remorum pulsu spuma conspergitur. Sic Maro, cum nauale Augusti atque Antonii bellum describeret, incanuisse canit mare spumantibus fluctibus *lib. 8. Æneid.*

Hæc inter tumidi late maris ibat imago
Aurea, sed fluctu spumabant cærula cano.

Catullus *in Argonautis:*

Totaque remigio spumis incanuit vnda.

Ouidius *epist. Briseidis:*

Quam sine me Phthiis canescant æquora remis,
Et videam puppes ire relicta tuas.

Vers. 24. *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei.*] Conclusio est longæ descriptionis, nam cum protulisset plurima, eaque siue vastitatem belluæ, siue robur consideres, horribilia & vasta, tandem concludit, nihil in terris esse, quod cum illa in vtroque genere comparari possit. Comparatio porro videtur facta inter aquatile illud animal & terrestria. Quod si magnitudinem spectes, nemo dubitat, quæ enim in terris animantia censentur maxima, longe tamen ab aquatilibus vincuntur internallo: puto etiam & viribus. Quare apte subtexitur, quasi ad explicationem huius loci, tantum esse huic marino monstro a natura concessum, vt nulli cedat, nullum timeat: quia suam super omnes excellentiam agnoscit. Id enim valet illud: *Qui factus est, vt nullum timeret.* 51.

Marina belluæ terrestribus multo maiores.

Vers. 25. *Omne sublime videt.*] Hæc verba tres admittunt explicationes, easque non difficiles. Prima est, videri omnia sublimia a Leuiathan, sed ita videri, vt illa despiciat, quasi longe minora, neque illa iudicet digna, in quæ suas vires & cogitationem intendat: sicut de leone dicitur, quod neque in summa fame ad ignobilem sese prædam abiiciat, quia id generoso pectore iudicat indignum. Ita putat Gregorius, neque longe est a sacræ Scripturæ consuetudine, quæ hoc verbo contemptum significat, vt *Psalm. XXI, 18. Considerauerunt, & inspexerunt me.* 52.

Secunda est huic contraria, quæ rerum magnarum illi studium & cupiditatem attribuit,

 ita

ita vt nil meditetur nisi magnum, illud appetat, ad illud anhelet: quod superbi est, & omnia sibi promittentis animi. Ita cum S. Thoma sentiunt Latinorum plerique.

pag.505.b Tertia est, hanc belluam timere nihil, quantumuis illud sublime sit, & omni ratione formidandum. Quare occurret omnibus intrepida, & oculis non conniuentibus aspiciet. Ex his elige quam malueris: neque ego statutum habeo, quam maxime probem.

53. *Superbum idem interdum valet quod eximium & excellens.* *Ipse est Rex inter omnes filios superbiæ.*] *Filius superbiæ* iuxta Hebraicum idioma idem est, quod superbus. Superbus autem licet arrogantem plerumque spiritum importet & elatum animum, qui cedat nemini: tamen omne excellentiæ genus in quacunque materia atque ordine significat. Qualis gloriosus & fortunatus status, & quæ sine vlla reprehensione ac vitio homo prudens ac sedulus, aut industria consequitur sua, aut accipit a Domini liberali manu. *Isai. LX*, 15. de Ierusalem; *Pro eo quod fuisti derelicta*, &c. *ponam te in superbiam sæculorum. Prouerb. IIX*, 18. de sapientia: *Mecum sunt diuitiæ & gloriæ opes superbæ.* Ex profanis vnus Virgilius multa nobis suppeditabit exempla *lib. 2. Æneid.*

Hinc populum late Regem, belloque superbum
Venturum excidio Libyæ.

Et *lib. 3.*

Barbarico vectes auro, spoliisque superbi.

Est igitur Leuiathan Rex inter filios superbiæ, id est, inter præstantes magnitudine ac viribus præstantissimus, quique nemini amplissimis naturæ dotibus putat esse cedendum.

De Leuiathan, vt est symbolum diaboli.

54. Hactenus de Leuiathan, vt de singulari aliqua & aquatili fera diximus, quod visum est nobis verisimile. Nunc allegorico sensu, quando id Interpretum plerisque maxime placuit, hæc eadem de diabolo rursus exponamus. de quo sensu agemus multo strictius, quia res minus obscura est, & in quam omnium scriptorum præcipua ac maxima incubuit commentatio. Quia vero *cap. XL.* a *v. 20.* agi cœptum est de Leuiathan, inde nos deducemus de diabolo allegoricum sensum.

Ex cap. XL.

55. Vers. 20. *An extrahere poteris Leuiathan hamo.*] Magna est diaboli potentia, præsertim in suo regno, in deliciis videlicet, quæ significantur in aquis, quæ fluidæ sunt, & facile labuntur, aut in tenebris, vnde sine errore plerumque iaculatur, id est, raro ab eo scopo deerrat, in quem infecta veneno tela destinarat. Extrahere autem illum ex occultis sinibus, & obscuro aquarum gurgite ad littus & lucem, vbi illius detegantur insidiæ, & a voluptatum cœno, in quo seipse volutat, & alios insidiose conspurcat, magni est consilii & diuinæ solertiæ. *Diabolus in suo regno, id est, in voluptatibus & tenebris potentissimus.*

Et fune ligabis linguam eius.] Dæmones ab affectu muti dicuntur, aut multiloqui & garruli: vt difficile est linguam expedire illorum, quos metus aut pudor reddidit elingues: sic facile non est, linguam constringere, loquacem & tinnulam, quæ multorum malorum seminarium est: vt enim ignis modicus magnam syluam incendit; sic lingua, quæ ignis instar est, & iniquitarum vniuersitas, grauissima in mundum intulit incommoda, vt ait Iacobus *cap. III*, 5. Quæ damna atque incendia late prosecutus est Ecclesiasticus *c. XIIX*, 16. Quare oportebit hanc linguam ligari, & illi inducere aut frænum tanquam equo, aut tanquam nauigio gubernaculum. Qua de re Iacobus supra: *Si autem equis fræna in ore mittimus ad consentiendum nobis, & omne corpus illorum circumferimus: Ecce & naues cum magnæ sint, & a ventis validis minentur, circumferuntur a modico gubernaculo, vbi impetus dirigentis voluerit: ita & lingua modicum quidem membrum est, & magna exaltat*, &c. Porro linguam maledicam, detrahentem, impuram linguam esse diaboli, quæ ligari debeat, dixit Chrysostomus *homil. 52. in Matth.* vbi dicit infrænem linguam & indomitam esse diaboli vehiculum, & *homil. 51. ad populum*, linguam iracundam, mendacem, impuram, a diabolo moueri dicit. Quæ sententia nimis est Sanctis & Patribus familiaris. 56. *Linguam coercere & moderari difficile.* pag.506.a *Qualis diaboli lingua.*

57. Vers. 21. *Numquid pones circulum in naribus eius.*] Difficile est subiicere, & sub iugum agere illum, qui suo sibi iugo vniuersa putat esse subiecta: neque hoc humanæ virtutis est, cui illudit diabolica sagacitas, quæ in naribus exprimitur, quæ procul res odorantur, & acer-

acerrimo iudicio futura coniectant. At Deus turbabit diaboli consilia & excidere faciet inania; & hamum seu circulum impinget naribus, facietque, vt illorum saluti seruiat inuitus, & infrendens, cuius vitæ assiduas moliebatur insidias. vide quid hac de re supra in allegorico sensu de Behemoth *v.19.*

58. *Superbi in summis etiam incommodis spiritus retinent insolentes.*

Vers. 22. *Numquid multiplicabit ad te preces, & loquetur tibi mollia?*] Qui superbi sunt, etiam dum victi iacent, & imminere iugulo gladium vident, spiritus tamen retinere solent insolentes. Quod de gladiatoribus gente exauctorata & ignobili dixit Cicero *Tuscul 2.* qui ignominiæ sibi esse ducunt, si timide videantur mortem oppetere. Quare non patiuntur pro ipsis ab aliis intercedi, neque ipsi deprecantur, aut iugulum porrigere iussi illud contraxerunt: *Quis*, inquit, *mediocris gladiator non modo stetit, verum etiam decubuit turpiter? Qui cum decubuisset, ferrum iussus recipere collum contraxit?* Seneca *epist.30. Gladiator tota pugna timidissimus, iugulum aduersario præstat, & errantem gladium sibi attemperat.*

Superbus mortem oppetit, et ignominiam euitet.

Talis est diabolus, qui victus non abiicit animum, sed iterum ac sæpius repetit pugnam & se adhuc terribilem ostentat. Multi homines superbissimi, ne subirent oculos aduersarii victoris, in sua sibi viscera ferrum adegerunt. Quod probarunt posteri, qui parentis sui diaboli hauserunt spiritus, quorum sic sunt insaniam illam, quam ipsi ingenuam appellauere constantiam, admirati, vt pene Deos fecerint; & exemplar proposuerint honestæ disciplinæ. Tamen qui supplex esse noluit hominibus, supplex Christo fuit, orauitque, quasi magnum existimauerit beneficium, vt quando ab hominibus exire cogebatur, permitteretur tamen porcorum corpora subire. En quo se superbus ille spiritus abiecit.

59. p.506.b. *Dæmonis pactum cum hominibus quale.*

Vers. 23. *Numquid feriet tecum pactum, & accipies eum seruum sempiternum?*] Facit vilissimus ille spiritus cum hominibus pactum, & ex pacto illis aliquamdiu seruit in ministeriis interdum sordidissimis; quæ obeunt non grauate; dummodo illos tandem diu delusos in sempiternum exitium trahat. Sed non erit pactum illud sempiternum, quia cum vita finitur, quam raro contingit esse longam, certe non diu fortunatam. Sed pactum cum Deo licet inuitus iniit seruitutis sempiternæ. Neque enim quicquam contra quam Deus permittat, aut iubeat, in æternum tentabit. Quod satis ostendit in causa Iobi, quem cum extinctum cuperet, nihil tamen tentauit, quia nihil a Deo in illius vitam concessum est: neque in illius filios, seruos, & armenta potestatem haberet vllam, nisi diuinitus concessam habuisset. Nam prius *cap. I,12.* potestatem dedit in bona, non in corpus: *Ecce vniuersa, quæ habet, in manu tua sunt, tantum in eum ne extendas manum tuam.* Ab hoc imperio ius habuit in omnia bona Iobi, quæ funditus euertit, non tamen in corpus, a quo crudelissimas continuit manus. Deinde cum in corpus illius, non tamen in vitam potestatem accepisset *cap.II,6.* vexauit vehementer corpus, afflixit animam, non tamen eripuit.

Vers. 24. *Numquid illudes eum quasi aui, aut ligabis eum ancillis tuis?*] Quem exhorrescit homo, Deus hominibus illudendum tradidit, non secus atque auicula illigata pedibus, mille puellis & ancillulis iocos præbet. 60. *Dæmon euangelico sæculo contemptus & ridiculus.* Et sane ita accidit Euangelii sæculo, vbi diabolus apostolorum pedibus calcandus subiicitur, *Lucæ X,19. Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & supra scorpiones, & super omnem virtutem inimici.* Et *Isai. XI,8.* hoc ipsum promittitur infantibus: *Delectabitur infans ab vbere super foramina aspidis.* Quam dæmon viris sanctis fuerit euangelico tempore ridiculus, docent Ecclesiastici annales, & nostris temporibus vidimus exempla non minus frequentia, quam illustria. Sane S. Ignatius, pater noster, diabolum varias molientem fraudes, & species obiicientem, modo augustas & placidas, modo horribiles & minaces, adeo non timebat, vt baculo per contemptum quasi ludibundus abigeret.

Vers. 25. *Concident eum amici; diuident eum negotiatores.*] Non assequentur hoc humanæ vires, vt diabolum apprehendant & distrahant, & ex illius interitu aliquid compendii captent, illum tamen concidet Deus, & aliis deuorandum porriget, & per negotiatores suos in frusta dissectum non sine grandi vtilitate dispertiet. Ille autem diabolum discer- 61. *Diabolici lapsus consideratio valde vtilis.*

pit,

pit & diuidit, qui illius disrumpit retia, & detegit insidias, qui illius naturam, & dotes ab initio concessas, & omnia denique ornamenta, quæ in mundi exordio habuit amplissima, attente meditatur, & minutim considerat, ex quo quantum sit peccati pondus, quanta Dei in peccatorem offensio, quantus æterni supplicii horror, & acerbitas, quam Dei iudicium tremendum, intelligat. Hæc si viri apostolici quasi negotiatores circumferant, idemque suis auditoribus, aut diaboli membris, quæ idem manet supplicii pondus, euulgent, magnum capient ex hac negotiatione compendium? Aut si mauis, sume tibi viros aliquos superbos, & potentes, qui si non dæmones, dæmonibus tamen fuerunt quam simillimi. Imperatores dico, tyrannos, Pharaones, Nabuchodonosores, Nerones &c. qui ex membris solidissimis videntur concreti, qui tecti sunt ære, in quos bona omnia, orbisque deliciæ confluxisse videntur. Deinde illos, & singula, quæ iam pridem extabuere, sigillatim considera: & hæc iam dissecta prodeunt in hominum conspectum venalia. Vbi nunc sceptrum? vbi corona? vbi maiestas? vbi satellitium? vbi illorum splendor, quæ vulgares perstringebant oculos? Quantum erit euangelico negotiatori lucri, si concerpat, exenteret, exosset, & quo redacta sit illa adumbrata maiestas, videndum proponat. Sane a suo auditore, nisi omnino obstupuit, obtinebit facile, vt quæ nunc admiratur, contemnat omnia, & detrimenta deputet.

62. *Item illorum, qui diuitiis abundarunt & cum potestate vixerunt.*

p. 507. a

63. *Qui Deo seruire vult, præparet se ad tentationem.*

Vers. 27. *Pone super eum manum tuam, memento belli.*] Magni negotii est, dæmonem ex suis extrahere latebris, extricare laqueos & insidias eludere, ac tandem eo redigere, vt sit aliis ludibrio, & in frusta concisus mensas instruat. Quare qui hæc facere voluerit, & cum immani bellua suscipere certamen, necesse est, se ad magna comparet bellorum discrimina; iuxta illud *Ecclesi. II, 1. Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* In quam sententiam multa Patres, eaque grauissima. Qui ergo voluerit manum ponere super hunc Leuiathan, id est, illi bellum inferre, necesse est belli meminerit, neque vitam sibi putet futuram otiosam & inertem. Plura ad mores adduximus in literali sensu. Adde quæ ad hunc locum addidit Hieronymus, vbi dicit, iuberi a Deo Iobum, vt recordetur, quam durum a diabolo certamen sustinuerit, & inde colligat, se non tam sua quam diuina potentia in eo congressu fuisse superiorem: & potius gratias agat Deo, quod sibi in illo agone patronus adfuerit, quam queratur se ab illo in eo discrimine fuisse derelictum. Et ideo dixit: *Memento belli, nec vltra addas loqui.*

Victoria de diabolo Deo tribuenda.

De Leuiathan symbolo Diaboli ex cap. XLI.

Vers. 1. *Non quasi crudelis suscitabo eum.*] 64.
Ad versum vsque tertium ostendit Deus, quidquid habet Leuiathan, non habuisse a seipso, sed a diuina manu, quæ illum tot ornauit ac roborauit modis. Hunc porro allegoricum Leuiathan, id est, diabolum non suscitauit contra Iobum, vt illum perderet, quasi in illum hostiliter foret animatus, sed potius vt augeret meritis; & futuris sæculis proderet potentiæ singulatis immortale documentum. vide quæ diximus *cap. XL, 19.* in sensu morali.

Vers. 4. *Quis reuelabit faciem indumenti eius?*] Non solum dæmon leonis habet fortitudinem, qua terrorem aliis incutiat: sed etiam vulpeculæ calliditatem & dolum, quibus decipiat & transuertat incautos. Quare assumit sanctitatis speciem, & sub fucati medicamento candoris atram celat vitiorum turpitudinem: denique in angelum se lucis transfigurat. Nemo autem laruatam illam sanctitatem, & velamen honestum vultus minime honesti detrahet: neque si velit penetrare in viscera, & intima explorare consilia, dabitur eousque penetrandi, aut seipsum insinuandi facultas, quia omnes ad interiora aditus occlusi sunt. Os horret dentibus acutis & ferrantibus, totum corpus ita tectum squamis, quasi ex ære fusili, vt neque pertenue spiraculum admittat. Quare nemo, quid vere sentiat aut moliatur, aut quid falso simulet, cognoscere potest. Quod si ex verbis illius mentem scrutere, neque inde certum aliquid capies, aut probabilem aliquam coniecturam, quia verba obscura sunt & obliqua; quæque

65. *Diaboli callida consilia difficilia cognitu.*

p. 507. b

in varias sententias assumi possunt, vt diximus supra *cap. XL, 12.* ad illud: *Nerui testiculorum eius perplexi*, & ad illud *vers. 16. Sub vmbra dormit.* Quod hic etiam ostenditur, dum de ore eius dicuntur lampades ardentes procedere, & de naribus fumus, quæ omnia aut obiiciunt tenebras, aut perstringunt oculos, ne videant quod maxime cognitum oportuit.

66. *Peccatores potentes diaboli causam tuentur & promouent.* Vers. 6. *Corpus illius quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus.*) Scuta homines, sicut squamæ pisces ornant & tuentur. Scuta diaboli sunt viri improbi, maxime si ad mores profligatos & impios autoritas accedat & potentia. Hi enim alunt vitia, quæ seminauit diabolus, & ne expellatur ex arce, quam semel occupauit, curant diligenter, quia sua autoritate timidam credulamque plebeculam decipiunt, & a diabolo prius seductam, ad eius castra traducunt, & sub illius signis militare cogunt. Hi scuta sunt ex ære fusili, quia latus diaboli claudunt & tegunt, neque illius vires a lege, metu, vel pudore debilitari permittunt; quia ipsi exemplo pessimo rebus turpissimis, abiectissimisque honorem, auctoritatemque conciliant, quo consilio in suo regno diabolum confirmant & tuentur.

67. Vers. 7 *Et ne spiraculum quidem incedit per ea.*] Armatus est sua obstinatione Leuiathan, ita vt nullum admittat vel leuissimum salutis spiramentum, armatus squamis se prementibus, suis nimirum administris, quales descripsi proxime, qui illius vires assiduitate & multitudine corroborant.

68. Hæc quæ de Leuiathan, id est, de diabolo hactenus dicta ex *cap. XLI.* de his etiam dici possunt, qui diabolicæ tentationi succumbunt; vt enim diximus de Behemoth, tale diabolo attribuitur nomen, quale meretur ille, quem dæmon exagitauit, & aliqua ratione possedit. *Diabolus vna cum peccatoribus persona.* Quare diabolus mutus dicitur, cœcus, & surdus, quia hæc humano corpori attulit incommoda: item fornicator, homicida, quia ad hæc vitia hominum obsequentes animos inducit. Et quidem, vt dicit Gregor. *lib. 10. Moral. cap. 21. Quia antiquus hostis cum iniquis omnibus vna persona est. Sic plerumque Scriptura sacra de iniquorum capite, id est, de diabolo loquitur, vt repente ad eius corpus, id est, ad sequaces illius deriuetur.* Quod item docuit hoc loco. Quare sicut id agit diabolus, ne a quoquam agnoscatur, sed angelus existimetur lucis, cum tenebras amet, & illas maxime cupiat stultorum animis offundere; sic etiam id cupit vehementer, ne si quod hominum mentibus venenum infuderit, illud detegatur, vel vim amittat mortiferam, & apertum medico vulnus sanitatem recipiat. Hæc itaque, quæ diabolus in hominum mentibus seminauit, qualiter ab hominibus celentur, videamus.

Quis reuelabit faciem indumenti eius?) Cum in homine interdum eadem appareat in actione ac vultu, aut maximarum virtutum, aut vitiorum maximorum species, difficile est, speciem illam ambiguam, & laruam sanctitatis ac vitii e vultu detrahere, & ad intima se insinuare præcordia, vbi vera est, & non simulata sanctitas, & vitium nullo virtutum velamine fucatum. Hic sæpe vbi vindictæ est ardor, & inuidiæ stimulus, zelus esse creditur, aut iustitiæ studium, vbi est dissoluta leuitas, & mera nugacitas, affabilitatis sibi speciem sumit & iucunditatis, quæ virtus est, & humanitatis ac charitatis comes. Neque quispiam facile intelliget, an aliquis sit a zelo & religione; vel a serpente aut diabolo percussus; nisi qui patitur, denudet viscera, & vulnera reuelet. Quod ne faciat homo, curat maxime diabolus; cuius nisi in tenebris infirmæ sunt vires & inanes insidiæ. 69. *Vitia sæpe decipiunt specie virtutum.*

Portas vultus eius quis aperiet?) Necesse est, vt qui malum patitur, illud voce prodat, quando externo signo satis explorari non potest: sed nemo intrare potest alicuius, aut formare voces peccatorum, aut internarum affectionum indices, nisi ille, cuius sunt formandæ vocis naturalia instrumenta. At ille non audet, quia suam timet linguam quasi latentem anguem, certe ab angue antiquo miserandum in modum implicatam. Dentes metuit, quia in illis aliquid formidolosum esse putat, quasi euitare non possit mortem, si ad formandam sanam atque prudentem vocem linguam ad dentium gyrum horribilem admoueat. Sic enim persundet callidus Satanas vitam hominis a silentio pendere: de qua tunc actum erit, 70.

cum

cum primum illud intempestiue prodat. Quod docuit Cassianus *col. 2. col. 20.* vide quid nos supra *cap. XL, 17.* ad illud: *Protegunt vmbræ vmbram eius*, in allegorico sensu.

71. *Vtilissimum est animi tentationes & sensus spirituali magistro detegere.* Vers. 6. *Corpus illius quasi scuta fusilia, compactum squamis se promentibus.*) Sic homo, cui illusit diabolus, & qui perniciosum suasit silentium, munitus est a diabolo, & clypeis se consertim prementibus ita circumdatus, vt nullam admittat inspirationem e cœlo. Et sane cum suo magno malo spirituales viri experimento didicere persæpe, non sibi prius inspiratam de cœlo lucem, quam spirituali magistro conscientiam aperuerunt, quam diabolus diu mortifero silentio compresserat. Vide Cassianum *col. 1. a cap. 10.* Vt autem supra *scuta fusilia*, quæ diabolum circumdant atque corroborant, viri sunt potentes, & aliquo titulo atque autoritate nobiles, qui vitiis exemplo suo nomen & falsam honestatis speciem conciliant: sic etiam scuta hæc & squamæ consertæ, quæ cœlestem lucem & vere vitalem spiritum in animam illabi non permittunt, aut illi iidem sunt, qui diabolum ab arce semel occupata depelli non sinunt, neque illum ab inerti otio excitari volunt, quod ducunt in sua possessione quietum; pag.508.b aut certe qui turpe putant, & ignominiosum esse persuadent eorum, quæ in animo latent, quemquam esse conscium. Atque ideo sic obstruunt omnes animi sensus, vt nulla pars hiet, per quam vlla foras possit emanare suspicio.

72. Vers. 9. *Sternutatio eius splendor ignis, & oculi eius vt palpebræ diluculi.*] Ex hoc versu *ad 12.* proponitur vis quædam potentissima diaboli ad omne tentationum genus, quæ explicatur ignea specie, quæ ex oculis, ore, naribus, & tota facie flammam, fumum, & ardentes faces eructat, & vomit, quibus terret obuium quemque, & suum spiritum pestilentem & noxium obscurat & celat. Hæc irati & potentissimi spiritus signa sunt, qui ad sanguinem & cædem anhelat, qualem descripsit Cicero: *Inflammatus scelere & furore in forum venit, ardebant oculi, toto ex ore crudelitas emicabat.* & Turnus apud Virgilium eodem ferme modo iratus describitur, quo nunc a Deo Leuiathan, & immodicus furor eadem feruentis ollæ similitudine describitur. In *palpebris diluculi* sanguineos oculos significari diximus, & reliqua, quæ hic adduntur, quæ ideo omitto, quia satis proxime a nobis explicata sunt, & facile a marina bellua ad dæmonem & iracundum hominem, aut aliquo effectu turbidiori commotum, transferri possunt.

Vers. 11. *De naribus eius procedit fumus.*] De diabolo nil est quod addamus, & in fumante naso furorem indicari, proxime diximus, sed hic in homine, qui celare vult peccata, & variis occultare, seu eleuare tergiuersationibus accommodatissima est fumi similitudo. Sunt enim multi, qui confitentur, aut aperiunt peccata sua, seu potius qui aperire se simulant, & eo se nomine decipiunt, quod quæ nuda & pura proferre debuerunt, tenebris inuoluunt & fumo, neque magis apparent spirituali medico, quam illa, quæ densa interposita nebula intuemur. 73. *Peccata non obscuranda excusationum velamine.*

Halitus eius prunas ardere facit.] Non solum dæmonis anhelitus teter est & pestilens, sed etiam sic acer & igneus, vt ligna incendat & inflammet, quantumcunque illa minus apta videantur incendio, siue ad furoris & vindictæ, siue ad amoris impuri pestilentem flammam. Hoc expressere furiarum & Veneris nomine gentiles, dum desides animos ad Veneris furta, & ad furorem acuunt, & sanguinem sitire faciunt eius, cuius antea fortasse neque nomen audierant. Sic afflatu Cupidinis, qui dæmon est fornicationis, exarsisse a profanis fingitur Dido, vt extra se amens posita videatur. De qua sic Virgilius *lib. 4. Æneid.* 74. *Afflatus dæmonis pestilens & potens.*

—Est mollis flamma medullas
Interea, & tacitum viuit sub pectore vulnus,
Vritur infelix Dido, totaque vagatur
Vrbe furens, qualis coniecta cerua sagitta.

Sic furiarum ardentibus tædis inflammatus Turnus, vt excitatus a somno subito in furorem agatur præceps, & totam ciuitatem ad arma commoueat. De quo idem Virgilius *lib. 7.* vbi sic Alecto de Turno:

Sic effata facem iuueni coniecit, & atro
Lumine fumantes fixit sub pectore tædas. pag.509.a
Olli somnum ingens rupit pauor, ossaque, & artus

Per-

Perfudit toto proruptus corpore sudor.
Arma amens fremit, arma toro, tectisque requirit,
Sæuit amor ferri, & scelerati insania belli:
Ira super, magno veluti cum flamma sonore
Virgea suggeritur costis vndantis aheni.

75. *Diaboli ardentissima animarum sitis.* Quare vehementer cauendum est a dæmonis afflatu, cuius halitus, licet lenis videatur & dulcis, inspirat tamen venenum & pestem.

Vers. 13. *In collo eius morabitur fortitudo, & faciem eius præcedet egestas.*] Hunc locum in literali sensu de immensa marini monstri ingluuie interpretati sumus: ingluuies enim vocari potest fortitudo colli, vt diximus. Quam diaboli sit ardens animarum sitis, quam immensa & inexplebilis fames, explicuimus *cap. XL.* in Behemoth, vbi diximus, ab illo absorberi flumina, & sperare sibi ipsum quoque exhauriendum esse Iordanem. Vt plurimum bibat Satanas, nunquam illius extinguetur sitis, & quamdiu erunt animæ, quas deuorare possit, semper erit illius integra fames, atque ideo quamcunque abundantiam, egestatem putabit, quia non tantum porriges, quin multo plus appetat. *Tria sunt insaturabilia, &c. infernus, & os vulua* &c. *Prou. XXX, 16.*

76. Vers. 14. *Membra carnium eius cohærentia sibi.*] Huc vsque de capite & collo, in quibus instrumenta sunt ad lacerandum & vorandum præcipua. Nunc de reliquo corpore agit, quod magis aptum in animantibus esse solet ad accipiendum, quam ad inferendum vulnus, & docet, omnia membra carnea, quæ mollia sunt, & sua mole ac teneritudine telis ac vulneribus exposita, sic esse compacta vehementer, sic cohærentia stricte, vt neque cedant ferro, neque sibi aliquid a fulmine timendum putent. *Dæmones cur metuendi.* Hæc *ad vers. 21.* ad idem pertinent argumentum, & docent, non magis corpus, quod ad lapidis & incudis rigorem obduruit, aut comminui posse a malleo, aut a sagittis, aut spiculis transuerberari, quam a stipulis laminæ ex ære aut chalybe, aut incus a paleis a sole torrefactis. Hæc autem tanta fortitudo, tantus armorum armatorumque contemptus, ex eo nascitur, quia antagonistæ in carne viuunt, & ipsi a carne nihil metuunt, cum spirituales sint substantiæ, quæ a corporeis pati nihil possunt. De quibus Paulus ad *Ephes. VI, 12. Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem; sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus.*

Vers. 21. *Sub ipso erunt radii solis, & sternet sibi aurum quasi lutum.*] Contemnit diabolus omnia, quæ in literali sensu proposuimus, neque magis curat, quam quod hominum ac belluarum pedibus calcatur lutum, quia & ipse suam virtutem nouit, & plura sibi forsitan attribuit, quam accepit a Deo. Quod si de Lucifero, id est, de apostatarum angelorum principe sermo est, contemnit radios solis, in quibus exprimuntur spirituales naturæ atque cœlestes, quæ a Deo fulgentissimo sole lucem acceperunt, accipiuntque quotidie, sicut a sole radii. *Radii* item *solis* dicuntur viri sancti, qui in suo candore vitæque puritate in humana ac mortali carne aliquid diuinum atque immortale redolent, maxime qui acceptam a sole lucem late dispertiunt, & ab hominum animis tenebras ignorantiæ discutiunt. De quibus *Daniel. XII, 3. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* 77.

p. 509.b

78. *Artis magicæ admirandi effectus.* Vers. 22. *Feruescere faciet quasi ollam profundam.*] Quantum habeat diabolus potestatis ad ciendas tempestates tam in aëre quam in mari, dum ventos concitat, & turbines circumagit, & humanis commodis vastitatem minatur; non sancti solum, & patres, sed ipsi etiam profani docuerunt, dum magicarum incantationum admirabiles ac repentinos exitus prodidere. Quæ autem ars turbat aut efficit magica, quæ etiam diabolica vocatur, quis dubitat a dæmone turbari ac fieri. Lege totam Virgilii Pharmaceutriam, & inuenies huius artis maleficæ mira prodigia. Tibul. *lib. 1. Eleg. 2. de maga:*

Cum libet, hæc tristi depellit nubila cœlo,
Cum libet, æstiuo prouocat orbe dies.

Ouidius *lib. 1. Amor.*

Cum voluit, toto glomerantur nubila cœlo,
Cum voluit, puro fulget ab orbe dies.

Ex sacris, ac nostris Clemens Alexand. *lib. 6. Stromat. Quidam*, inquit, *aiunt, pestes, grandines, procellas, & cætera talia non solum materiæ perturbatione, sed quorundam dæmonum,*

num, aut malorum angelorum iracundia ſolere contingere. Qua de re diputant ſcholaſtici Doctores. Vide Martinum de el Rio *lib. 2. quæſt. 6. magic. disquiſitionum* per plures quæſtiones. Faciet itaque mare ferueſcere, id eſt, excitabit in mari tempeſtates, quod feciſſe aliquando narrant Eccleſiaſtici Annales, & noſtris temporibus contigiſſe legimus.

79. Verſ. 23. *Poſt eum lucebit ſemita.*] Poſtquam dæmonis motu & conatu turbatum eſt mare, & orta tempeſtas, ſtatim ſequetur ſpumoſa quædam via, quæ effectus eſt excitatæ iam procellæ, & maris feruentis. Tam autem diabolus exiſtimabit ſibi mare ſubiectum, vt non magis timeat cum illo congredi, quam cum ſene iam decrepito, cui exiguæ ſuperſunt atque exhauſtæ vires, aut ſquamæ candentes pro canicie ſunt, quæ languidæ index eſt & deficientis vitæ.

80. *Stultus eſt, qui a dæmone vel principibus aucupatur commoda.* Hic ſatis videtur ex litera expreſſus allegoricus ſenſus; ſed accipe alium minus quidem ad literam, valde tamen ad mores accommodatum. Sequuntur Principes viros quamplurimi alii non vulgaris notæ, qui ab illis aut honoris ſuperbos titulos, aut humana commoda aucupantur. Quare ſemitas, per quas ingrediuntur Reges, alii pone complent ſplendido fulgentes apparatu, qualis regiam decet amplitudinem & maieſtatem: Sic multi ſequuntur dæmonem, qui multa venditat, quaſi beare poſſit ſequentes ſe. Et hoc videtur ſignificare illud, *poſt illum lucebit ſemita.* Sed hi homines, qui tanquam inanes vmbræ ſplendorem ſequuntur alienum (ſi tamen ſplendor eſt ille, qui non tam illuminat, quam excœcat) aſſequitur nihil, quia vt vidimus *verſ. 13. faciem eius præcedit egeſtas.* Quare nihil habet, quo aſſeclas ſuos & clientes beet; neque quo inexplebilem cupiditatem exaturet: neque enim diuitias habet vllas, ſed inanem & ludicram diuitiarum vmbram, p. 510. a quæ prouocat famem, non explet. Quomodo ſi quis famelico panem afferat pictum, qui illudat imagine, non reficiat vera panis ſubſtantia. Neque alia conditione ſunt, qui principum obeunt aulas, & vt illorum magis ſplendeat autoritas, ipſi in ſui corporis ornamentis magnos exhauriunt cenſus, & nihil tandem capiunt præter egeſtatem.

Verſ. 24. *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei.*] De diaboli potentia mulra Scholaſtici, qui ideo dicunt nullam terrenam poteſtatem comparari poſſe cum diabolica; quia illa corporalis eſt, hæc ſpiritualis naturæ. Ita hic S. Thomas. Addit autem Gregorius, dæmonem, etſi actionis ſuæ merito infra homines ceciderit, omne tamen hominum genus naturæ angelicæ conditione tranſcendere: licet ſanctis hominibus meritorum ſuorum deiectione ſubiaceat. 81.

Verſ. 25. *Omne ſublime videt.*] Ad altiſſima quæque aſpirat ſuperbia, quæ præeſſe vult omnibus, ſubeſſe nemini. Id molitur diabolus, ſuperborum dux & magiſter, & qui a diabolo ſuos expreſſere mores, & finxerunt ingenium. Sic enim diſcipuli indecorum non putant, ſi illud oſtendant in ſe vitium, quo laborat magiſter, neque ſubditi pudori ſibi eſſe, aut ignominiæ putant, eo laborare vitio, quod oſtendere poſſunt in ſuo principe. Sic quæ in ſuperborum Rege vident ſuperbi, ſine pudore aliorum oculis oſtendunt. Erat quidem deformis in Platone gibbus, in Ariſtotele balbuties, diſcipuli tamen honori ſibi eſſe, & pulcritudini ducebant, ſi balbi viderentur, aut corpore incederent incuruo. Habuit Alexander Macedo ceruicem inflexam, & vocem in dicendo inſuauem & aſperam: vtrumque illius familiares & amici, vt exprimerent, laborabant. Ita Plutarchus *in libro de diſcernendo vero amico ab adulatore.* Habuit diabolus ſtudioſum peſtilentiſſimæ doctrinæ diſcipulum Regem Babylonis, qui apud Iſaiam *cap. XIV, 13. dicebat in corde ſuo, in cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum,* &c. Hoc ipſum de ſe cogitabat Antiochus *2. Machab. V.* Hoc omnes, quos inflauit & in ſublime rapuit ſuperbiæ tumor, qui malunt a dæmone ſuperbo, quam a Chriſto manſueto atque humili diſcipuli videri, atque ideo malunt in ventos ſuperbe vaneſcere, quam ſupra firmum humilitatis fundamentum ſolidum aliquid & firmum moliri. Hæc de allegorico ſenſu ſtrictim, plura habebis ab aliis, qui in ſenſum accuratius & felicius incubuerunt. 82. *Non horrent diſcipuli vitia, quæ in ſuis principibus aut magiſtris vident.* p. 510. b

ARGV-

ARGVMENTVM CAP. XLII.

IN hoc extremo capite continetur Iobi clara humilisque confeſſio, & ad expiandum peccatum per fauillam & cinerem animi præparatio. Holocauſtum trium amicorum, & illius per Iobum immolatio; placatus Deus, reſtituta & duplicata, quæ fuerant antea ſublata, bona, ſuſcepta pulcra & numeroſa ſoboles; & Iobi poſt vitam fortunatam & longam glorioſus exitus.

CAPVT XLII.

1. RESpondens autem Iob Domino, dixit:

2. Scio, quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio.

3. Quis eſt iſte, qui celat conſilium abſque ſcientia? ideo inſipienter locutus ſum, & quæ vltra modum excederent ſcientiam meam.

4. Audi, & ego loquar: interrogabo te & reſponde mihi.

5. Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te.

6. Idcirco ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere.

pag. 511. 7. Poſtquam autem locutus eſt Dominus verba hæc ad Iob, dixit ad Eliphaz Themanitem: Iratus eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non eſtis locuti coram me rectum, ſicut ſeruus meus Iob.

8. Sumite ergo vobis ſeptem tauros, & ſeptem arietes, & ite ad ſeruum me-

PARAPHRASIS.

1. 2. Cum iterum Iobus iuſſus eſſet reſpondere, ſic ad Deum locutus eſt: Scio, Domine, nihil eſſe tibi impoſſibile factu, nihil tuæ potentiæ non ſubiectum: neque quicquam tam eſſe reconditum & clauſum in hominum animis, quod tui oculi manifeſte non videant.

3. 4. Vere illi ſtolidi ſunt & expertes ſapientiæ, qui putant, Deo celatum iri ſua conſilia, & eſſe aliquid, quod diuinos oculos latere poſſit. Quorum de numero ego ſum, cuius inſipientiæ plena excidit oratio, quæ res illas explorare & diſceptare voluit, quæ ſe ſupra facultatem meam procul attollerent. Audi nunc, & interrogabo te minus quam hactenus inſipienter, quia in oratione mea nihil erit niſi erratorum meorum clara humilisque confeſſio. Hæc mea erit interrogatio, cui tu, Domine, ſi libet, reſpondebis.

5. 6. Hactenus, o Domine, de te alios, non teipſum de te loquentem audieram, nunc quia te video, & loquentem audio, maiorem de te cognitionem conſecutus ſum. Quæ noua, maiorque cognitio id perfecit, vt quæ nulla prius, aut leuia peccata videbantur, iudicentur grauiora. Quare meam ipſe ſtolidam ignorantiam condemno, dignamque iudico, quæ dura corporis afflictione, qualis eſt fauilla & cinis, expietur.

7. Abſoluta cum Iobo diſputatione, conuerſus Deus ad Eliphazem Themanitem, qui trium amicorum magiſter & princeps erat, qui nondum exceſſerant, dixit, tam ſe in illum, quam in duos alios amicos & ſocios indignatum eſſe vehementer; quod minus recte eſſent & opportune locuti, quam Iobus, quem ſuum ſibi ſeruum appellat. pag. 511.

8. 9. Iuſſit ergo, vt ſeptem tauros, & totidem arietes ad Iobum adducerent, qui illos ſacriſi-

um Iob, & offerte holocaustum pro vobis: Iob autem seruus meus orabit pro vobis: faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia: neque enim locuti estis ad me recta, sicut seruus meus Iob.

9. Abierunt ergo Eliphaz Themanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites, & fecerunt sicut locutus fuerat Dominus ad eos, & suscepit Dominus faciem Iob.

10. Dominus quoque conuersus est ad pœnitentiam Iob, cum oraret ille pro amicis suis. Et addidit Dominus omnia, quæcumque fuerant Iob, duplicia.

11. Venerunt autem ad eum omnes fratres sui, & vniuersæ sorores suæ, & cuncti, qui nouerant eum prius, & comederunt cum eo panem in domo eius: & mouerunt super eum caput, & consolati sunt eum super omni malo, quod intulerat Dominus super eum: & dederunt ei vnusquisque ouem vnam, & inaurem auream vnam.

12. Dominus autem benedixit nouissimis Iob magis quam principio eius. Et facta sunt ei quatuordecim millia ouium, & sex millia camelorum, & mille iuga boum, & mille asinæ.

13. Et fuerunt ei septem filii, & tres filiæ.

14. Et vocauit nomen vnius Diem, & nomen secundæ Cassiam, & nomen tertiæ Cornustibii.

15. Non sunt autem inuentæ mulieres speciosæ sicut filiæ Iob in vniuersa terra, deditque eis pater suus hæreditatem inter fratres earum.

16. Vixit autem Iob post hæc, centum quadraginta annis, & vidit filios suos, & filios filiorum suorum vsque ad quartam generationem, & mortuus est senex & plenus dierum.

rificali ritu in holocaustum immolaret. Vt oraret pro ipsis, ne suæ stultitiæ & orationis, neque rectæ, neque piæ pœnas expenderent; promittitque auditurum se Iobum, & eius precibus concessurum, ne id ipsi ferant, quod suorum scelerum grauitas postulabat. Quod cum ad vnum cum sociis suis complerat Eliphaz, annuit Dominus oranti Iobo, & amicos eius ab eo, quod merebantur, supplicio liberauit.

10. Cum Iobus peccatum suum ante cognouisset, seque ideo cineris & fauillæ reum fateretur: & insuper pro illis, a quibus fuerat tam acerbe vexatus, preces effunderet, quod Domino gratissimum sacrificium est, continuo illi non sanitatem solum & speciem, pulcritudinemque, sed etiam, quæ amiserat, bona duplicata restituit.

11. Cum accessisset integra & repentina sanitas, & Dei illustre de Iobi sanctitate iudicium, conuenerunt ad eum fratres & sorores, & qui cum illo prius consuetudinem & vsum habuere communem. Et quod esse solet amicitiæ & fidei familiare testimonium, commune cum illo in ipsius domo obiere conuiuium, & commoto capite beneuolo & gratulatorio ritu, de priori fortuna consolati sunt, & de meliori gratulati ouem vnam singuli & inaurem auream tribuerunt.

12. Dominus autem Iobi posteriorem ætatem, multo magis, quam priorem ornamentis & opibus cumulauit. Duplicauit enim pecudum atque armentorum numerum, dedit ouium quatuordecim millia, sex camelorum millia, mille iuga boum, & totidem asinæ.

13. 14. 15. Suscepit eandem quam in priore fortuna prolem, septem nempe filios & tres filias, quibus suæ pulcritudini, cui nulla in terris visebatur æqualis, imposuit consentanea nomina, appellauit enim Diem, Cassiam, Cornustibii, *quas paternæ hæreditatis expertes esse noluit.*

16. Postquam hac perfunctus est calamitate Iobus, addidit eius vitæ Deus centum, & quadraginta annos, viditque genus suum ad quartam vsque generationem propagatum, & tandem vita defunctus est, quam multis prius meritis impleuerat.

Vers.

Verſ. 1. *Reſpondens autem Iob Domino dixit.*]

pag. 512. a
1. CApite *XXXIIX. in principio* iuſſus eſt a Deo Iobus, vt interrogatus reſponderet, cuius ipſe obſecutus imperio reſpondit ad finem *cap. XXXIX.* vbi ſuam in loquendo leuitatem reprehendit ac dolet; ac tandem dicit, ſibi iam amplius non eſſe loquendum, nempe ea de re, quia neque tutum eſt, neque prudentis ingenii. Cum autem Deus *cap. XL.* iterum iuſſiſſet, vt ad interrogata reſponderet, facit hoc ſecundo, & reſponſionis loco ſuam fatetur ignorantiam, & Dei ſapientiam & omnipotentiam extollit, quæ apud Deum optima reſponſio eſt, & nobiliſſimum excuſationis genus. Eſt enim optima peccatorum excuſatio, eorumdem clara humiliſque confeſſio.

2. Verſ. 2. *Scio, quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio.*] Non ignorabat Iobus omnipotentem eſſe Deum, neque quicquam illius oculis eſſe celatum, quia hoc ipſum *cap. IX.* dixerat a *v. 4.* & *cap. XII.* a *v. 13.* Nunc autem, quia hoc a Deo manifeſtis conuictus argumentis plenius agnoſcit, planius confitetur, & illius omnipotentiam commendat, & ſapientiam ſingularem, qua perficere potuit, quod nunc ad extremum, ipſo Domino docente, cognouit.

3. Verſ. 3. *Quis eſt iſte, qui celat conſilium, absque ſcientia?*] Obſcurum eſt, de quo hic loquatur Iobus: de ſe ne an de alio, qui Deo neget conſilium & ſapientiam. S. Thomas, Hieronymus, & cum ipſis Latinorum plerique, nullam hic tertiam perſonam deſignari putant, ſed vniuerſaliter illum condemnari, qui Deo adimit conſilium & ſcientiam, & eſſe in rebus aliqua, ad quæ diuina ſe prouidentia non extendat. Quod amici Iobi, quaſi hoc ille ſenſiſſet, neque profeſſus eſſet obſcure, reprehenderant acriter, & eo nomine impietatis aut ſtuporis accuſarant.

4. Alii loqui exiſtimant Iobum in tertia perſona de ſeipſo, quod in Scriptura ſacra frequentiſſimum eſt: Quaſi de ſe ipſo cum ſtomacho dicat, ſe fuiſſe virorum ſtultisſimum, qui a ſana mente & recto conſilio prorſus exciderit, quando ipſo ſaltem loquendi modo videri potuit de diuino conſilio atque ſapientia dubitaſſe. Quæ ſententia iam antea dudum mihi placuerat, neque diſplicet modo. Sed cur minus nunc quam antea placeat, facit, quia nunquam Iobus ademit Deo conſilium & ſapientiam, aut quicquid illud eſt, quod nunc de Deo dici poſſe negat. Quod vero ſtatim eodem, vt apparet, orationis filo de ſe loquatur Iobus, parum huic cogitationi, imo nihil incommodat: quod enim ſermonem ſuum inſipientem appellat, & qui altiora dixerit, quam mens aſſequi potuerit humana, ſatis eſt vt vel loquentis ſonus cum offenſionis ſignificatione, aut dicendi modus alicui minus beneuolo, aut æquo, cogitationis impiæ ſuſpicionem ingeſſerit.

Eſt etiam in illis verbis, *qui celat conſilium absque ſcientia*, aliquid obſcurius, cuius duplex poteſt eſſe ſententia, neque conſtitutum habeo, quid magis probem. Altera eſt, vt ille, quem ſtuporis damnat aut inſipientiæ Iobus, neget Deo conſilium, & ſcientiam, in hunc ſenſum: Quis eſt iſte tam inſanus & excors, qui celet, id eſt, abſcondat conſilium a Deo: quaſi dicat, nullum in Deo reperiri conſilium, & eundem eſſe ſine ſcientia, qua videat & circumſpectet omnia, eaque cognoſcat, conſilio regat, & ſua prouidentia tueatur. Altera, illum ſtolidum eſſe, & prorſus absque ſcientia, qui putat Deo ſua conſilia celatum iri, & eſſe aliquid, quod diuinos poſſit oculos latere, id quod Iobo, licet ſine vllo ipſius merito, *cap. XXII, 13.* obiecit Eliphaz, quaſi dixerit Iobus: *Quid enim nouit Deus, & quaſi per caliginem iudicat. Nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat: & circa cardines cœli perambulat.* Dicit autem accommodate ad id, quod anteceſſit proxime: *Et nulla te latet cogitatio.* In poſteriorem hanc explicationem magis propendet animus. 5.

pag. 512. b

Ideo inſipienter locutus ſum.] Cur inſipienter locutus fuerit, paulo ante diximus, quia in loquendi modo ſigna quædam dedit hominibus externa tantum intuentibus impatientis animi. Item, quia aliquando ſignificarat, licet obſcure, Deum hoc ſupplicio, aut 6.

purga-

purgatione dura peccata purificare & expiare voluisse, cum tamen Deus in exercendis hominibus plurima alia spectare soleat. Neque enim semper Deus seuere, vt iudex aut inimicus, sed clementer ac beneuole, vt chirurgus secat, aut sicut pater corrigit.

7. Vers. 4. *Audi, & ego loquar, interrogabo te, & responde mihi.*] Quidam in hoc extremo capite inter Deum & Iobum intercedere putant dialogismum, & id, quod proxime præcessit: *Quis est iste, qui celat consilium,* &c. Deo tribuunt, qui Iobum vrgeat, & adhuc impietatis accuset. Et hæc similiter, quæ nunc explicatione commentanda aggredimur. Sed multa implicat, & sine causa confundit hæc explicatio. Quare dicendum est, esse Iobi verba, qui interrogare vult Deum, & ab illo expectare responsum. Nam Deo Iobus eam obtulerat conditionem, vt vel Deus rogaret, & ipse responderet, vel ad interrogata Iobi responderet Deus. Hactenus interrogauit Deus, iussitque, vt vidimus, vt responderet Iobus: nunc petit, vt contra Deus sibi interroganti respondeat. Interrogatio porro, quæ magis vrget & commouet Deum, illa est, quæ peccatum agnoscit, & veniam orat, & delere vult fauilla & cinere, & fluentibus vbertim lacrymis eluere. Quare tota interrogatio nihil continet aliud, quam confessionem criminum, & afflictionis, ac pœnitentiæ propositum, quæ arma contra Deum potentissima sunt, quippe quæ furorem leniunt & aciem indignationis obtundunt, & tandem ab offenso pectore, & de vindicta cogitante misericordiam extorquent. hoc habemus a magno athleta Iobo pugnandi cum Domino illustre documentum.

8. Vers. 5. *Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te.*] Suam ignorantiam fatetur Iobus, atque ideo si lapsus est, errore lapsum se non scelere fatetur. Ad hunc enim temporis articulum audierat aliquid de Deo, atque ideo minus illustrem & claram de illius consiliis atque prouidentia notitiam nactus est. At postquam illum vidit licet in turbine, cognouit multo plura, eaque longe manifestius. Quæ cognitio id perfecit, vt quæ nulla prius, aut leuia peccata videbantur, iudicentur grauiora; dignaque quæ lacrymis expientur, & longa duraque corporis afflictione, qualis est achameunia; fauilla, & cinere, & ideo subditur: *Idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam, &c.* Quomodo vero Iobi oculus, corporeus videlicet, Deum viderit, audierintque corporeæ item aures loquentem, diximus supra *cap. XXXIIX. in principio*, vbi etiam diximus, Dei, seu angeli Dei nomine loquentis hosce amicos Iobi audiisse vocem.

Maior a Deo de ipso, quam ab hominibus scientia comparatur.

pag. 513. a

Vers. 7. *Postquam locutus est Dominus verba hæc ad Iob, dixit ad Eliphaz.*] Huc vsque numerose scripta sunt a Moyse, quæ dialogi in morem alternis disceptata. Nunc recta est ac soluta oratio, quia historica est, sicut quæ *cap. I.* atque *II.* prodita sunt, quæ nihil continent præter meram historiam. Cessauit autem Deus cum Iobo expostulare ac loqui, quia iam ab illo obtinuit, quod volebat, vt suam cognosceret & fateretur ignorantiam, deque illa dolorem conciperet, qualis esse solet in animo pœnitenti. An vero hoc ipso articulo sanitati, & quodammodo sibi ipsi restitutus fuerit, incertum est, cum nihil habeamus in Scriptura, ex quo grauis possit sumi coniectura. Quidam tunc curatum esse dicunt a morbo, cum audiuit a Domino *c. XL.* iuxta lectionem LXX. *Putas me aliter tibi respondisse, quam vt appareres iustus.* Quare ex eo loco audiuisse putant Iobum reliqua, quæ sane pauca non sunt corpore robusto, & sano: in quo nulla esset doloris causa, nulla vlcerum liuorisque deformitas. Ita Nazianzenus *oratione 21. in laudem Basilii*, si non omnino clare, aut certe subobscure indicat. Quod indicat *in Catena* Dion. *ad v. 6. in fine.* Alii dicunt, tunc restitutam esse Iobo sanitatem & speciem, cum se peccasse cognouit, & pœnitentiæ sibi squalorem indixit. Sic *in Catena* Chrysost. vbi cum dixisset adhuc in doloribus fuisse Iobum & ærumnis, cum palinodia est vsus, addidit: *Quid igitur Deus? nempe tunc iustum absoluit, cum seipsum condemnauit.* Quæ singularis pœnitentiæ commendatio est. 9.

Quomodo Iobo restituta sanitas.

Insignis confessionis commendatio.

Sed est meo iudicio expressa magis ex Scriptura sententia, postquam orauit Iobus pro amicis, recepisse sanitatem, quod optime docuit Caietanus, & indicat S. Thomas non obscure, quos ex Latinis secuti sunt non pauci. 10.

Neque

Magna his ex inimicorum amore ad ineundam a Deo gratiam & beneficium obtinendum.

Neque est leue ex Scriptura sacra fundamentum; nam cum orante Iobo Deus illius amicis esset placatus, & ad illos beneuole conuersus, additur statim *v. 10. Dominus quoque conuersus est ad pœnitentiam Iobi, cum oraret ille pro amicis suis. Et addidit*, &c. Quod ostendit, gratissimum esse Deo, si quis pro inimicis oret, & beneficiis illata vulnera, & rerum suarum detrimenta compenset.

11. *Trium amicorum princeps Eliphaz.*

Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut seruus meus Iob.] Hinc fit verisimile, trium amicorum principem esse, & fortasse magistrum Eliphazem, quando hunc ex omnibus vnum nominat, & grauius reprehendit. Vnde constat, Eliu non venisse composito cum his tribus, sed casu interuenisse, cum exorta fuit aduersus Iobum tam dura atque prolixa contentio. Arguit autem Deus Eliphazem, & in eo, aut certe cum eo duos alios, quia aliqua de ipso non fuerint recte ac religiose locuti, multo aliter quam Iobus, in quo præter loquendi modum, aut leuem aliquam ignorantiam nihil esset, quod aliquis merito reprehendat.

12. Vers. 8. *Sumite ergo vobis septem tauros, & septem arietes.*] Magnum videtur horum virorum fuisse peccatum, quando tam grande sacrificium expiatorium ab illis exigitur.
pag. 513. b Videbat enim Deus, quo animo durum illud longumque certamen susceperint contra Iobum, quem exagitauere crudeliter, cum dolere potius illius vicem, & dolorem consolando, & inopiam largiendo leuare debuissent. Quod non fecerunt, vt videtur verisimile, quod dixit Iob de amicorum crudelitate conquestus *cap. VI, 22. Numquid dixi, afferte mihi, & de substantia vestra donate mihi,* Deinde, quia non tam illorum animos diuinæ gloriæ zelus inflammabat, quam incitabat ambitio, & simulandæ religionis studium. Neque præterea vera fuerunt omnia, quæ de Deo prædicauere, vt ipsi arbitrabantur magnifice: licet enim multa vere & grauiter affirmauerint, fuerunt tamen aliqua, quæ neque religio patiebatur, & multorum annorum experientia damnabat: nempe quod solos sceleratos affligeret Deus, neque vnquam viros iustos acerbe vexaret.

Cur septenario numero tauros & arietes offerri voluerit, variæ a variis afferuntur causæ. 13.
Quidam in hoc numero aliquid putant latere mysterii, quia septenarius numerus multitudinem indicat, & in suo genere præstantiam. Quod vt in multis aliis nationibus vsitatum legimus, sic etiam apud Idumæos & Moabitas religiosum fuisse & vsitatum arbitror. Sane Balaam ex illius gentis consuetudine dixit ad Balac Regem Moabitarum, *Numer. XXIII, 29. Ædifica mihi hic septem aras, & para totidem vitulos, eiusdemque numeri arietes.* Cur autem in sacrificiis hic fuerit numerus probatus, non laboro, neque causæ, quæ ab aliis afferuntur, eiusmodi sunt, vt assentiendi necessitatem afferant. Illud satis erit in præsentia, si dicamus, aut existimemus hoc esse apud Idumæos sacrificiorum maximum. Quare Deus Idumæorum principibus illud indixit sacrificium, quod putabatur esse religiosum maxime, quodque in grauissimis quibusque negotiis immolari consueuisset, cum materia esset sacrificiis idonea, & qui futurus esset in ea immolatione sacerdos, vir esset religiosus & pius, & qui procul abesset ab omni superstitione gentilica.

Et ite ad seruum meum Iob, & offerte holocaustum pro vobis: Iob autem seruus meus orabit pro vobis.] Aliud est *offerre*, aliud *immolare sacrificium.* Offerunt qui ad locum sacrum deferunt, aut suis sumptibus deferri iubent, quicunque illi sint, etiam si a religione & vera pietate prorsus alieni, vt constat *Ezech. XLVI, 12.* vbi princeps facturus esse dicitur holocaustum, seu sacrificium, quod ad sacerdotem deferri faciet, qui illud sacrificali ritu immolet legitime. vide quæ diximus in nostris Commentariis ad illud *Psalm. LXVII, 30. A templo sancto tuo, quod est in Ierusalem, tibi offerent Reges munera.* Immolat autem non quicunque, sed qui ad illud munus est sacerdotali nomine destinatus. 14.

Eligitur autem ex omnibus Iobus, qui immolet & oret, tum quia sacerdos erat, prout ferebat illius sæculi consuetudo, vt diximus supra *cap. I, 5.* tum quia pius, quique vt verus Dei cultor nihil in eo sacrificio spectaret, nisceretque gentilicum. Deinde quia eo modo commendare voluit Iobi sanctitatem, ne quis

(quod hi fecerant amici, & alii diabolica suasione non pauci) sibi persuaderet plagam illam inhonestam & grauem, supplicium esse
pag. 514. a veræ impietatis & sanctitatis simulatæ. Præterea vt tres illi viri cognoscerent, Deo ipso testante, debere se Iobi precibus, quod remissus esset diuinus furor in ipsorum caput incitatus, & obseruare atque amare inciperent, quem prius auersabantur & oderant.

Faciem eius suscipiam.] Hic dicendi modus vsitatus est in Scriptura, neque aliud valet, quam libenter ad aspectum & colloquium aliquem admitti, obseruarique, neque eorum, quæ rogat, pati repulsam, & patronum se potius in causa præbere, quam iudicem. vide quæ diximus supra ad illud *cap. XIII, 8. Numquid faciem eius accipitis.* Quod fecerunt statim amici, & annuens Deus Iobi precibus, quod large promiserat, fideliter impleuit.

16. *Quomodo Deus dicatur pœnitere.* Vers. 10. *Dominus quoque conuersus est ad pœnitentiam Iob, cum oraret ille pro amicis.*] In Deum pœnitentia proprie cadere nullo modo potest: potest autem impropria, seu figurata, propter aliquam similitudinem, quæ expectatur in effectu plerumque, qui talis est in Deo, licet in illo nunquam ex pœnitentia proueniat, qualis est ab homine, quem aliquid fecisse pœnitet. Hic enim quod factum esse non probat, aut quod fecerit, vere atque ex animo dolet; quod struxerat, destruit, quod fecit, quantum potest, infectum esse laborat: sic Deus cum inducto diluuio mundum euertit & pene humanum genus vniuersum extinguit *Genes. VI, 6.* pœnituisse dicitur, quod hominem fecisset. Et *1. Reg. XV, 11.* quia exauctorare Saulem, & e solio deiicere cogitabat, dixit: *Pœnitet me, quod constituerim Saul Regem.* Conuersus autem dicitur ad pœnitentiam Iob, quia illius statum omnino mutauit; & quem prius spoliauerat omnibus siue naturæ subsidiis, siue dignitatis ornamentis, postea omnia cumulata, & magis amplificata restituit. Ita videtur locus accipi posse, satis ad Scripturæ morem accommodate, vt exposuit Pineda.
17. Alii plures ad Iobi pœnitentiam referunt, qui cum fuora verborum suorum damnaret leuitatem, dixit: *Ago pœnitentiam in fauilla & cinere.* Neque tamen improbo, sed si ita accipias, placet valde appellari hic Iobi pœnitentiam orationem pro amicis: imo duplici titulo pro inimicis, quia ipsum verbis exagitarant contumeliosis, & quod amicitiæ prodidissent officium & fidem, & videri nihilominus vellent amici, cum amicitiæ specie illum insequerentur hostiliter. Hoc autem est, pœnitentiæ veræ manifestum signum, & animum ad Deum conuersi argumentum illustre. *Qua specie Iobus pro inimicis orat.* Stillabant sanie sacerdotis manus, & tabefacta membra defluebant, & tamen cum ipse multa pateretur, pro inimicis orabat, & sacrificium offerebat, viuum plane illius sacerdotis summi simulacrum, qui quasi leprosus, & vir doloris sui immemor pro inimicorum salute tam ardenter orat. Quem non mouerent Iobi eleuatæ & supplices manus, corrosæ a vermibus, nudatæ a carnibus, & tamen de inimicorum salute sollicitæ? *Iobus Christi pro inimicis orantis Embm.* Ex hoc loco fit verisimile, id quod paulo ante dicebamus, in hac oratione sanatum esse Iobum, & sibi ipsi omnino restitutum. Quamdiu vero durarit hæc vexatio, diximus in principio *cap. III.* 18.
vbi etiam diximus, quando venerunt tres isti amici, & quamdiu durauit disputatio.

Et addidit Dominus omnia, quæ fuerant Iob duplicia?] Quæ fuerint hæc, quæ Iobus acce- pag. 514. b
pit duplicata, habes statim *vers. 12.* Quæ non videntur omnia eodem temporis articulo fuisse collata, sed breui tempore ad eam amplitudinem peruenisse, cum Deus illi fœcunda redderet armenta, & sata, & nihil tandem accideret aduersum: neque mirum est, si centum & quadraginta annis, quibus post sanatam plagam in viuis fuit Iobus, vbere semper adueniente prouentu ereptas quondam opes duplicauerit. Nam ad illud incrementum peruenisse res Iobi tam domesticas, quam pecuarias & rusticas, post aliquot annos, eosque non paucos, indicat *vers. 12.* vbi legimus: *Dominus autem benedixit nouissimis Iob magis, quam principio eius.*

Vers. 11. *Venerunt autem ad eum omnes* 19.
fratres sui, & vniuersæ Sorores suæ, & cuncti qui nouerant eum prius, & comederunt cum eo panem in domo eius.] *Fratres & sores* apud Hebræos illi vocantur, qui ex eodem genere & sanguine propagati sunt. Quod etiam inter Idumæos vsitatum, quorum fratres dicuntur Israe-

Iſraelitæ, tametſi a communi ſtirpe longiſſime remoti. Sane *Numer. XX, 14.* Moyſes ad Regem Idumæorum, hæc dat mandata: *Hæc mandat frater tuus Iſrael.* Hi ergo, quos diabolica perſuaſio a Iobi familia & conſuetudine diſtraxerat, cum acceſſiſſet integra & repentina ſanitas, & Dei præclarum de illius ſanctitate iudicium, redierunt ſtatim, & quod eſſe ſolet amicitiæ & fidei teſtimonium, commune cum illo in ipſius domo iniere conuiuium. Quare quod in bonis non poſtremo loco numerari ſolet; redierunt amici atq; domeſtici meliori iam animo, & ab eo errore liberati, in quem diabolica fraude fuerant inducti.

20. *Et mouerunt ſuper eum caput, & conſolati ſunt eum.*] Gratulatorius ſignificatur ſermo, qui communem indicat voluptatem, & amicis aliquid optat ex voto ſuccedere. Dum conſolatorio ſermone vſi dicuntur, qui nunc meliora meditantur, oſtendiſſe videntur, quantum ex duro illo certamine gloriæ ſit conſecutus, vt magis quam antea notus, quando magis ſplendeat in camino tantæ tribulationis explorata virtus. Quid porro in Scriptura ſignificet capitis motus, qui interdum ex amore & commiſeratione prouenit, diximus ſupra ad illud *cap. XVI, 5. Conſolarer & ego vos ſermonibus, & mouerem caput meum ſuper vos.*

21. *Et dederunt ei vnusquisque ouem vnam, & inaurem auream vnam.*] Vſitatum eſt noſtro æuo ſaltem apud Hiſpanos, vt amici & noti nouorum coniugum domum, quæ in illo nuptiali tempore minus eſt ornata, variis modis inſtruant. Quare alii ſtragulam veſtem, alii pecunias, alii domeſticam, eamque variam ſupellectilem liberali conferunt, & amica manu. Quod item faciunt, cum ornamenta domus, & alia vitæ neceſſaria ſubſidia incendio, ſiue naufragio perierunt. In hoc rerum ſtatu verſabatur Iobus, cum ſanitate reſtituta, domum inuenit inornatam & vacuam, qualem videlicet infenſiſſimus hoſtis diabolus reliquerat. Quare amici illi, qui ante ſuadente diabolo receſſerant, quique fortaſſe, cum durior ingruit tempeſtas, regiæ domus ac lautæ ornamenta ſuſtulerant, de quibus ipſe *cap. XIX, 13. Fratres meos longe fecit a me, & noti mei quaſi alieni receſſerunt a me, dereliquerunt me propinqui mei, & qui me nouerant, obliti ſunt mei.* Hi, inquam, poſtea redierunt, & domum, quam ſpoliauerant prius, rurſus inſtruxerunt, dederuntque vnusquisque, quod credo in caſu ſimili receptum erat conſuetudine, & quaſi legitimum, quod ipſis erat familiare magis & promptum, nempe inaurem vnam auream & ouem vnam; nam Idumæi pecore abundant, & inaureum vſus in ea regione frequentiſſimus, vt conſtat ex *Iudic. IIX, 24.* Quomodo ouis ſeu pecus pro argento, ſeu pecunia ſumatur, diximus *in noſtris Commentariis ſuper Acta Apoſt.* ad illud: *cap. VII, 16. In ſepulcro, quod emit Abraham pretio argenti.*

Amici nouorum coniugum aut aliquo infortunio ſpoliatam domum inſtruere ſoliti.

pag. 515.a

Verſ. 13. *Et fuerunt ei ſeptem filii, & tres filiæ.*] Duplicauit Dominus Iobo reliqua, quæ ſublata fuerant, at filiorum ſobolem non geminauit, cuius rei variæ a Doctoribus adducuntur cauſæ. Ego illam exiſtimo, quia ad felicitatem non admodum facit filiorum immodica multitudo, quæ curas auget, & ſollicitudinem creat. Satis autem fuit, vt bonus pater filiorum conſolaretur deſiderium, quos ruente domo ventus oppreſſerat, ſi tot filios Deus redderet, quot ante ſuſtulerat. Tertul. *lib. de patientia cap. 14.* videtur negare Iobo poſt illam plagam redditos eſſe filios. Vnde id ſumpſerit, nec diuinare quidem poſſum. Niſi fortaſſe neget illos ſuſcitatos, & parenti redditos, quos domus ruina prius obtriuerat.

Verſ. 14. *Et vocauit nomen vnius Diem, & nomen ſecundæ Caſſiam, & nomen tertiæ Cornuſtibii.*] Dubium eſt, a quo hæc nomina impoſita fuerint filiabus Iobi, a parente ne cum natæ ſunt filiæ, vel a populo filiarum ſpeciem admirato: vtrumque mihi videtur veriſimile, neque facile eſt, vtrum illorum magis videatur eſſe probabile. Fuit quidem vſitatum, vt viri ſancti tale ſuſceptæ ſoboli nomen imponerent, quod accepti beneficii memoriam renouaret, & toties occurſaret menti, quoties filii audiretur nomen, aut aſpectus occurreret. ſic Ioſeph filiis, quos ſeruitute iam perfunctus, & extractus e vinculis ſuſcepit, nomen impoſuit, quod ipſum accepti beneficii immemorem eſſe non fineret. *Geneſ. XLI, 51. Vocauit nomen primogeniti Manaſſes dicens, Obliuiſci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domus patris mei. Nomen quoque ſecundi*

23. *Viri ſancti in filiorum nominibus extare ſoluerunt beneficiorum memoriam.*

cundi

cundi appellauit Ephraim dicens: *Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.* Eodem spiritu Moyses *Exod. II, 22.* in duobus filiis extare voluit suscepti a Deo beneficii familiare monumentum. Primum filium vocauit Gersam dicens: *Aduena fui in terra aliena.* Alterum Eliezer dicens: *Deus patris mei adiutor meus eripuit me de manu Pharaonis.* Hoc eodem consilio videtur Iobus filiabus suis tale indidisse nomen, vt ærumnosæ fortunæ non obliuisceretur, ex qua tanquam e naufragio incolumis emerserat; & Dei beneficium recens quotidie viueret in animo memori & grato. Sic putat Catenæ autor: *Primam*, inquit, *filiam Diem nominauit, ideo quod ab obscurissima ærumnarum nocte ad felicitatem restitutam diuinitus, quasi ad diei lucem aspiciendam esset reuocatus. Secundam Cassiam appellauit, quod iam is odoris quadam suauitate bonorumque voluptate frueretur. Tertiam Amalthea cornu vocauit, quod vitam deinde vixerit omni bonorum genere peraffluentem.*

24\. *Trium filiarum accommodata nomina.* Tria Iobus in suo certamine, eaque grauissima infortunia pertulerat, ex quibus cum iam esset solutus & liber, tamen illis alligatam voluit esse memoriam. Iacuerat in tenebris; quod ipse non semel questus est *cap. XVII, 13. In tenebris straui lectulum meum.* & *cap. XXX, 26. Præstolabar lucem, & eruperunt tenebræ.* In *tenebris* autem nemo nescit ærumnosam exprimi vitæ conditionem: vt ergo hoc beneficium a Deo profectum nunquam deponeret, primam filiam appellauit *Diem:* quasi iam euocatus esset ad lucem; neque timeret obscuratum iri splendorem illum, qui post longam noctem iam affulsisset. Quam grauis esset fœtor ab vlceroso corpore, quam ab sterquilinio teter odor, quam intolerabilis halitus, quem ipsa etiam vxor horre-

pag. 515. b

bat, satis ex toto hoc libro perspicuum est. Cum autem iam gratum vndecumque caperet odorem, & ipse ac domus tota efflaret non ingratum, quasi ex pretioso aromate, ideo

25\. filiam appellauit *Cassiam*, cuius est odor gratissimus & purus. Ad extremum cum exsanguis iam esset, & consumptus macie, corrosus a vermibus, & sanie diffluens, eo denique redactus vt consumptis carnibus pelli prope nuda adhærerent ossa, vt ostenderet, quam assecutus esset speciem nitentem, plenam, succidam, idque ea breuitate, vt personam accepisse videretur, & laruam, non macilentam, & luridam faciem, aut impleuisse fuco aut aliquo pigmento artificioso colorasse: tertiam filiam vocauit *Cornustibii*, id est, vas candoris ac ruboris medicamento plenum, quo picta facies repente mutatur, & alienum colorem ostendit tanquam suum. Porro stibium pulchritudinem addit oculis, in quibus pars est non minima dignitatis in fœminis. Quare cum Iezabel ornare se voluit, & speciosa videri, oculos suos stibio depinxit, *4. Reg. IX, 30. Porro Iezabel introitu eius audito depinxit oculos suos stibio, & ornauit caput suum.*

Hæc explicatio mihi potior est, sed neque displicet, si dicas, hæc nomina non a Iobo indita, sed a populo, postquam filiarum Iobi contemplati sunt & admirati singularem formam, quæ omnium in vniuersa terra speciosissimæ fuisse dicuntur. Est enim in omni, vt reor, idiomate vsitatum valde, vt pro eo nomine, quod homines in ipso vitæ exordio a parentibus acceperunt, aliud deinde audiant a vulgo, quod ex aliqua proprietate ac nota, siue ad commendationem, siue ad conuitium imposuit. Ab exemplis abstineo, quæ passim occurrunt: ex Scriptura aliqua adducam nostræ cogitationi non parum opportuna. Pulcherrima fuit Susanna, vt constat ex *Dan. XIV.* quæ, vt *in nostris Commentariis* putabamus, aliud habuit nomen a parentibus positum. Vulgus tamen hominum propter admirandam pulcritudinem *Susannam* vocauit, quod idem valet quod *lilium*, quod Hebr. שושנה *sosanah* dicitur, quod ab Hispanis modico flexu *Azuzena* vocatur. Speciosa item erat Esther, ita vt cum deessent alia, propter pulcritudinem tamen ad regium nomen & thalamum vocata fuerit. Quæ a populo vocata fuit *Edissa* Hebr. הדסה *hadassa* ab Hebraica voce הדש *hadas*, quæ *myrtum* significat: quod nomen a profanis eandem ob causam datum est Veneri, quia myrto gratus est nitor, & perpetua viriditas. Absalomi *3. Reg. XV, 2.* filia fuit nomine Maacha, quæ tamen *2. Reg. XIV.* Thamar appellatur *v. 27. Nati sunt autem Absalon filii tres, & filia*

26. Nomina filiabus Iobi a populo imposita non improbabile.

REGVLA. Nomina a populo imposita, quæ pro propriis vsurpantur.

lia vna nomine Thamar elegantis formæ. Nomen primum & proprium imposuit, vt opinor, Absalon vnicæ filiæ, quia ipsius mater dicebatur Naacha, vt habes *2. Reg. III,3.* sed populus admiratus fœminæ pulcritudinem vocauit *Thamar*, quæ vox *palmam* valet, quæ aliquid significat excelsum & decorum.

27. Sic mihi verisimile est, aliud tres Iobi filias a parente nomen habuisse, aliud a populo. sunt autem nomina, quæ nunc legimus ad explicandam fœminarum venustatem accommodata plurimum. *Aurora* enim pulcherrima est, de qua puto sermonem hunc esse, cum qua *Cant. VI,9. Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens? Cassia* & aspectu grata est & odore suauis, & quæ pulcra sunt, dum a pulcritudine & suauitate commendantur, gratum dicuntur odorem aspirare, vt audis sæpe in Salomonis canticis. In *Cornu stibii* maius aliquid video, quasi tertia filia non solum pulcra sit, sed aliis etiam conferre pulcritudinem possit; sicut purpurissum & sardaraca, non solum candida sunt & rubra, sed etiam concinnato ex ipsis lenocinio alia rubent & candent. Et quemadmodum quæ dulcia sunt, non solum mellita dicimus, sed ipsum mel, sic etiam dum Cornu stibii vocatur Iobi filia, non solum pulcra dicitur, sed ipsa pulcritudo. Est autem *cornu* non solum quod proprie sonat, sed etiam quodcunq; vas e qualibet materia confectum, vt pluribus *in nostris Commentariis in libros Regum*, vbi cornu olei sæpius audimus. Quare cornu stibii idem est, quod pigmentorum arculæ, pixides, lecythi, aut si qua sunt alia aut vnguentaria, aut pigmentaria vascula. Cum autem vox Hebraica קרן *keren* non solum *cornu* significet, sed etiam *splendorem*, dum cornu stibii vulgus filiam appellat Iobi, in illa talem splendorem esse dicit, qualis est in stibio.

pag. 516. a

Cornu pro quocumque vase.

28. Vers. 15. *Deditque eis pater suus hæreditatem inter fratres earum.*] Aliquid hic inusitatum inuenitur, dum paternæ hæreditatis partem aliquam dicuntur accepisse Iobi filiæ. Quid hac de re ferat Idumæorum consuetudo, aut lex, nihil habemus ex Scriptura. Si tamen ex Hebræorum republica sumi grauis aliqua coniectura potest, filia sicut ad sponsi traducebatur familiam & genus, sic etiam ex paterna hæreditate nihil adducebat, præter ornamenta aliqua, nisi aliter vellet pater, qui manu omnino liberali aliquid largiebatur. Quod autem sponsa familiæ obliuisceretur antiquæ, docet illa nubentium vsitata formula: *Audi filia, & vide, obliuiscere populum tuum, & domum patris tui.* Quod item colligitur ex *Leuit. XXI,1.* vbi sacerdos iubetur non contaminari in mortibus ciuium suorum, nisi tantum in consanguineis & propinquis, & addit: *Id est super patrem, & matrem, & filium, & filiam, fratrem quoque, & sororem virginem, quæ non est nupta viro.* Ecce quomodo a cognatione iudicatur aliena, quæ alteri se matrimonio coniunxit. Et *cap. XXII,12.* cum permittatur his, qui sunt e familia sacerdotis, sanctificatis vesci, etiam vernaculis, non tamen permittitur filiæ nuptæ. Adde quod 29.
non solum filia indotata traducebatur ad sponsi domum, sed sponsus ipse oblata dote sibi coëmebat sponsam: sicut fecit Dauid, qui ducentis præputiis Philistinorum, & Iacob, qui multis annis duræ seruitutis vxores coëmerunt; neque a socero quicquam accepit Iacob, nisi quod soluta dote reliquum fuit ex seruili opera multis annis impensa. Hoc credo etiam apud Idumæos in vsu fuit, quorum pater Esau, & Iacob frater illius temporis consuetudinem nouerat. Et fortasse illam in eam regionem introduxit. Fuit igitur Iobus contra patrium morem in filias liberalis, largiendo filiabus hæreditatem inter fratres, illis non inuitis, qui a sancto beneficoque parente mores videntur expressisse beneficos & sanctos.

Filiæ nihil accipiunt ex hæreditate paterna.

Filiæ cum nubunt, in sponsi familiam transeunt.

Sponsæ non a parentibus sed a sponsis dotatæ atq; emptæ.

Vers. 16. *Vixit autem Iob post hæc centum quadraginta annis.*] Longam satis & fortunatam ætatem egit Iobus post vexationem duram quidem, non tamen admodum diuturnam. Quare satis Deus illius compensauit in tolerando labore constantiam, cum centum & quadraginta annos addidit, plenos dignitatis, gloriæ, & omnium rerum abundantiæ: ita vt omni ex parte, si quis vllus in terra fortunatissimus existimari potuerit. Mortuus est autem senex ducentorum, arbitror, annorum (neque enim in ætate videtur iuuenili a Domino percussus, quando nu- 30.

merosam ex regia coniuge sobolem susceperat) & plenus dierum, id est, cum iam illam ætatem impleuisset, quæ sub illud tempus summa putabatur. Nam Patriarchæ, qui illum antecesserunt, quique fuisse dicuntur
pag. 516. b longæui, illius ætatem non adæquarunt. Vixit enim Abraham centum septuaginta quinque annis, *Genes. XXV*, 7. vixit Isaac centum octoginta, *Genes. XXXV*, 28. vixit Iacob centum quadraginta septem annis, *Genes. XLVII*, 28. Quare ætatem Iobus longiorem egit, & plenus dierum vere dici potuit, quia summam annorum mensuram impleuit, neque vllus fortasse eo sæculo vitam produxit longiorem. De hac ætate Iobi vide quid nos supra *cap. XXI*, 21. Septuaginta hic dicunt, Iobum post plagam annos vixisse centum, & septuaginta, & tota vita annos implesse ducentos & quadraginta; vnde id collegerint non video.

31. *Qui dies vacui, qui pleni.* De diebus vacuis & plenis multa Patres, qui vt illos valde reprehendunt, sic istos magnopere commendant. de diebus plenis & vacuis aliquid nos supra *cap. VII*, 3. ad illud; *Sic ego habui menses vacuos.* vide Gregorium *ad hunc locum*, vbi docet, illos dierum dici plenos, qui dies in operibus bonis posuerunt. nam dies quantumcumque diuitiarum aut honorum acquirant, vacui sunt, quasi nullum e suis laboribus emolumentum caperent, quia quod sanctitatem non olet, instar obtinet nihili, & vere vacuus moritur, qui nihil lucratus est, quod ex hac vita discedentem sequatur. Sic Abraham & Isaac locis proxime citatis mortui dicuntur dierum pleni: *Vacuus*, inquit Gregorius, *dierum est, qui & quamlibet multum vixerit, ætatis suæ tempora in vanitate consumit. At contra plenus dierum dicitur, cui nequaquam dies sui pereundo transeunt; sed ex quotidiana mercede boni operis apud iustum iudicem, & postquam transacti fuerint, reseruantur.* Tales dies egit Iobus meritorum plenos, tales labores pertulit a mercede non vacuos, vt quietem obtinuerit, & otium reliquo vitæ tempore, & postea in beatorum æuo, & nunc agat fortunatam vitam, & acturus sit in omni æternitate veris & immortalibus bonis affluentem.

Libet hoc opus eo præclaro documento concludere, quo Eusebius Emissenus *homil.* 9. monachos religiosos viros ad opera exhortatur, quæ & Deo placeant, & a iusto iudice mercedem expectent: *Solemus*, inquit, *annos nostros, & temporum spatia, quibus nunc viuimus, supputare. Non te fallat quicumque ille est, numerus dierum, quos hic relicto corporaliter sæculo consumpsisti. Illum tantum diem vixisse te computa, in quo voluptates proprias abnegasti, in quo malis desideriis restitisti, quem sine vlla regulæ transgressione duxisti, illum diem vixisse te computa, qui puritatis, & sanctæ meditationis habuit lucem.* 32. *Qui religiosorum dies pleni.*

Hic finis esto Commentariorum in Iob, longus sane labor, vtinam plenus, & qui a Deo animorum operumque iudice mercedem expectet. In illis si quid peccatum est, quod sane non semel accidisse reor, ignoscat oro beatus Iob, quem ad hoc opus aduocaui patronum, & quoad potui, illius cogitationes & sensus exploraui. Ignoscet item benignus lector, si consideret opus esse impeditum & longum, & quod magnis etiam ingeniis multum attulerit negotii. Quicquid vero a me scriptum est, quicquid vnquam deinceps lucem aspexerit, ecclesiæ sanctæ & doctorum hominum censuræ submitto. Absoluta sunt Compluti die 20. Iunii, pridie eius diei, qui ex hac mortali ad meliorem vitam euocauit B. Ludouicum Gonzagam ex nostra Societate, virum religiosæ vitæ viuum exemplar, quique dies habuit ita plenos, vt licet breui consummatus, implere tamen potuerit longissima temporum spatia. Anno Domini MDCXXIII. 33.

INDEX

INDEX
RERVM ET VERBORVM.

cos

B.

Cupres-

 pha-

felix

do-

I.

ad

N.

liberi

ex

FINIS.